
37
32 D
2







BENEDICTI
AVERANII
OPERA.

BENEDICTI
AVERANII
DISSERTATIONES
HABITÆ IN PISANA ACADEMIA

IN QUIBUS

Latinæ Eloquentiæ principes explicantur, & illustrantur

T. LIVIUS, VIRGILIUS, ET CICERO

Opus Postumum

Græcâ, Latinaque omnis generis eruditione doctrinaque, & ornamentis eloquentiæ refertissimum

TOMUS SECUNDUS.



FLORENTIÆ MDCCXVII.
TYPIS REGIÆ CELSITUDINIS
Sumptibus CAJETANI TARTINII, & SANCTIS FRANCHII.
SUPERIORIBUS APPROBANTIBUS.



BENEDICTI AVERANII IN TITUM LIVIUM DISSERTATIONES TRIGINTA ET UNA.

DISSERTATIO I.

Ostenditur Romanam Rempublicam magnitudine suâ laborasse.

Rebus adversis confirmatur virtus, prosperâ autem fortunâ concidit; idque non solùm in Rebuspublicis, sed etiam in singulis hominibus accidit. Dionysii imperium Adamante vinciri dicebatur. Tiberius, quum continentiæ, fortitudinis, parsimoniæ exemplum extitisset, vi summæ fortunæ in omne flagitium erupit. Constantius Gallo e medio sublato æternum se esse jactavit. Scytharum feminæ finitimorum uxoribus corpora subulis compungebant. Plato Cyrenenses dixit nullam servaturos legem, quum nimis essent felices. Augustus, & Hadrianus multarum imperium nationum recusarunt, immo dimiserunt; nec id invidiâ, quemadmodum Tacitus criminatur Augustum.



SI quod unquam fuit, Auditores humanissimi, documentum, quo tandem Mortales admonerentur satis nihil esse perpetuum, stabile, firmum in rebus humanis, id est hujusmodi, ut cum eo, quod Romanorum summa felicitas conjuncta virtuti dedit, comparari nullo modo possit. In qua enim constituendâ, amplificandaque Republicâ inaudita quædam civium virtus cum excellenti fortunâ certaverat, eam paulatim degenerantem, desciscentemque a moribus, institutisque Majorum, tanta rerum mutatio repente excepit; ut fortuna, quæ in eâ solâ fundandâ oblita inconstantiæ suæ videbatur, in evertendâ vires, & levitatem suam maximè declararit.
Quod ipsum quamquā satis per se admonere 1
nos posset fragilitatis humanæ, tamen multò magis movere nunc animos prudentium debet; quod hæc tanti Imperii tam firma, & bene fundata moles, non viribus externis convulsa, sed suis labefactata concidit. Quis enim Scytharum equitatus, vel Indorum opulentia, vel Parthorum artes, vel Persarum sagittæ, vel Barbarorum immanitas Rempublicam evertisset; quam non Pyrrhi [a] solertia, non Carthaginiensium potentia, & [b] Hannibal hostis, non celebrata famâ [c] Macedonum virtus, non Antiochi [d], Mithridatis [e], Tigranis [f] magnitudo superavit? neque [g] verò Illyrii, Daciæque Reges, neque omnis finibus suis excita barbaries, & Gallorum, Germanorumque ferocissimæ nationes, neque supra quingenta [h] Teutonum, Ambronum, Cimbrorumque millia in excidium Romæ armatorum labefactare, aut carpere vires floren-

[a] Luc. Flor. libr. 1. c. 18. [b] Corn. Nep. in Hannib. & Plin. de Vir. Illustr cap. 42. [c] L. Flor. libr. 2. cap. 7. 12. & 14. [d] Idem libr. 2. c. 8. & Tit. Liv. l. 35. 36 & 37. [e] Plin. de Vir. Ill. c. 76. & Plut. in Vitâ Pompeji. [f] Tit. Liv. l. 97. 100. & 103. [g] L. Flor. l. 2. cap. 5. & 13. [h] Idem l. 3. c. 3.

florentis Imperii potuerunt. Suis, inquam, suis, ut est a [a] Lyrico Poëtâ præclarissimè dictum, Roma viribus ruit, illam sua magnitudo perdidit; & secundæ res afflixerunt, quam erexerant adversæ. Quàm ergo fragiles, instabilesque sunt res Mortalium; quas licet nulla vis externa cōvellat, sua non sinit natura cōsistere, quas & tenuitas premit, & magnitudo fatigat, & adversæ res obruunt, & felicitas ipsa labefactat? aut quid firmum, inconcussumque sperari potest futurum, quum illud Imperium, quod multo magis, quàm Dionysii [b] regnum, adamante vinciri putabatur, secundæ res, quibus augeri, conservarique debebat, everterint? Quod ne
2 cui mirum videatur, putetque potiùs Barbarorum armis oppressam Rempublicam, & Imperii Romani magnitudinem concidisse; operæ pretium est audire [c] Livium, cujus antiquitates Romanas enarraturi pulcherrimum totius operis prooemium hodierno die aggredimur explicandum; qui Augusti temporibus affirmat nutare jam dudum rem Romanam non aliâ causâ, quàm suâ magnitudine laborantem; verba gravissimi scriptoris hæc sunt in eo, quod præ manibus habemus, prooemio. *Res est præterea immensi operis, ut quæ supra septingentesimum annum repetatur; & quæ ab exiguis profecta initiis eò creverit, ut jam magnitudine laboret suâ*. Sed non unus hoc quantumvis magnæ rei gravis auctor Livius testatur, sed omnes uno ore Scriptores idem confirmant; nam [d] Propertius ita canit:

..... atque utinam Patriæ sim vanus haruspex!
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis

& [e] Lucanus

Nec se Roma ferens.....

& rursus

Namque suâ Imperium nostrum sub mole laborat;

quibus ferme similia Sallustius [f] habet, qui secundam fortunam Romanis oneri, miseriæque fuisse autumat. Et ne longior sim in Auctorum locis recensendis, qui ad hanc Livii sententiam pertinent; nemo est, qui de mutatione Romani Imperii verba fecerit, quin suam ipsi magnitudinem, resque prosperas perniciosas fuisse fateatur. Sed quoniam absurdum potest videri sæviente,
3 atque inimicâ fortunâ rem crevisse Romanam, placidâ verò, & amicâ concidisse (quis enim pacem bello, copiam inopiâ, adversam fortunam prosperâ formidolosiorem existimet?) rem omnem a principio quam paucissimis explicabo; ne quis ignoret, qua de causâ Livio [g] Romanum Imperium magnitudine suâ laborare dicatur. Ac mihi quidem rem diligentiùs perpendenti neutiquam mirandum videtur prosperè fluentibus rebus Rempublicam Romanorum in maximas calamitates incidisse; neque enim id Romanis tantummodo accidit, sed omnibus magnis imperiis; neque imperiis tātùm, Rebusque publicis, verùm etiam singulis hominibus. Quocirca sapienter a [h] Tacito dictum est: secundas res acrioribus animum stimulis explorare; quod innumeris declaratur exemplis eorum, qui magnam fortunam moderatè ferre non potuerunt, & in rebus asperis gloriosi, in prosperis obscuri, &
infelices fuerunt. Quid enim Alexandrum 4
Macedonem invictum bello Regem, & rerum gestarum gloriâ florentissimum, nisi nimia felicitas compulit patrii moris oblitum humi jacentium adulationes quærere, & stirpem vanissimè ementiri? quid [i] inter pocula, epulasque sævire cædibus amicorum, ob eamque causam flagrare invidiâ, & popularium suorum odio justissimo, atque acerbissimo, & veneno extinctum in ipso ætatis flore mortem [l] obire anteactâ vitâ indignissimam? Quid Hannibalem, & ejus invictum exercitum in [m] otium, luxumque Campanorum conjecit, nisi res prosperè gestæ, & Ticinus [n], & [o] Trebia, & [p] Thrasymenus, & Cannarum [q] campi Romano sanguine redundantes? Quid Pausaniam [r] fortissimum Ducem indignum ostendit fortunâ suâ, nisi fortunæ ipsa posperitas, Mardoniusque superatus, & constrata Persarum cadaveribus Græcia? Exemplum fuerat continen-
tiæ, fortitudinis, parsimoniæ [s] Tiberius; 5
& tamen vi summæ fortunæ est abstractus in omne flagitium; nec [t] sibi temperavit, quominus inauditis libidinum a se inventarum vocabulis pollueret aures Romanorum, qui easdem novis gentium devictarum nominibus celebraverat. Constantius [u] autem Imperator quum Gallum sibi insidiantem è medio sustulisset, eò dementiæ venit, ut se æternum esse jactaret. Et ne singulis hominibus commemorandis immorer, quum

a Horat. in Epod. Od. 16. *b* Diodor. Siculus libr. 16. Bibliothec. Histor. *c* Tit. Liv. in Prooemio. *d* Propert. libr. 3. El. 13. *e* Lucan. l. 1. *f* Sallustius in Catilin. *g* T. Liv. in Prooemio. *h* Corn. Tacit. libr. 1. Histor. n. 15. *i* Arrian. de Exped. Alex. libr. 4. *l* Plutarch. in Vitâ Alex. *m* T. Livius libr. 21. Val. Max. libr. 9. cap. 1. & Plin. de Vir. Illustr. cap. 42. *n* T. Liv. ibid. Polyb. Hist. libr. 3. & Valer. Maxim. libr. 5. cap. 4. *o* T. Liv. libr. 21. Polyb. Hist. libr. 3. & Silius Ital. libr. 4. *p* Tit. Liv. libr. 22. Polybius ibid. Cicer. libr. 1. de Divinatione. Plin. de Viris Illustrib. cap. 42. Valer. Maxim. libr. 1. cap. 6. & Orosius libr. 4. cap. 15. *q* Tit. Liv. ibid. Polyb. Histor. libr. 3. Plin. libr. 15. cap. 18. Valer. Maxim. libr. 9. cap. 1. in Extern. n. 1. Lactant. l. 2. c. 17. & D. Augustin. de Civit. Dei libr. 3. cap. 19. *r* Corn. Nep. in Pausan. *s* Suet. in Vitâ Tiberii. *t* Idem ibid. cap. 43. *u* Ammian. Marcellin.

quum de Rebuspublicis habeatur oratio; nonne Græcia omnis humanitatis inventrix quamdiu bellis exercita est; & [a] modò Darii, modò [b] Xerxis exercitus, classesque pertimuit; & nunc Ægyptiorum, nunc Persarum arma lacessivit, & opibus, & rerum gestarum gloriâ floruit, & optimè constitutis civitatibus abundavit? Quo tempore autem Atheniensium, & Lacedæmoniorum, ceterarumque urbium Græcarum laudes obsoleverunt, & Græci, qui multis fuerant libertatis auctores, gravissimam servitutem pertulerunt? nihil certè opus est id diutius quærere, quum [c] Poëta Venusinus dicat:

Quum primum positis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortunâ labier æquâ.

Nimirum corruptæ Græcorum disciplinæ non alia extitit causa, quàm otium, & cum fortunæ prosperitate conjuncta tranquillitas; tunc primum [d] Græcia magis fortes athletas, quàm bonos imperatores admirata est; tum Olympiæ victores magis, quàm Barbarorum laudibus tulit; tum denique spectaculis dedita, & voluptatibus enervata, pristinam virtutis indolem, & animorum robur amisit. Neque alio sanè modo secun-
6 dâ suâ fortunâ usæ sunt barbaræ nationes, quibus universis res prosperè gestæ maximas calamitates attulerunt; quid enim calamitosius, quàm Scytharum [e] conjuncta summâ immanitate luxuria, & superbia, qui quum satis felices bellorum eventus habuissent, in summam sunt arrogantiam, luxumque prolapsi, adeoque gentium a se devictarum miseriis, [f] & cladibus illuserunt, ut omnium nares abscinderent, & eorum feminæ finitimorum uxoribus corpora subulis compungerent? quid autem [g] infelicius mutatis moribus Milesiorum, qui quum Scythas magnis prœliis devicissent, & nobiles ad Hellespontum urbes condidissent, & loca circa Pontum Euxinum multis, atque præclaris coloniis deductis frequentassent, adeo a Majorum institutis degenerarunt, ut versiculus ille Græcus [h] proverbii loco usurpetur

Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι

hoc est

Olim fuere strenui Milesii,

qui propter depravatos mores in tantas civiles discordias inciderunt, ut sese invicem crudelissimo, & inaudito mortis genere trucidarent? Pares propemodum exitus habuit [i] Sybaritarum, Tarentinorum, Crotoniatarum [l], Lydorumque [m] felicitas; quorum omnium Respublicæ ex optimis pessimæ, ex fortunatis infelices maximè evaserunt; dum rebus lætis indulgere, quàm temperare malunt. Et ne majorum exempla
nationum, imperiorumque desiderentur; 7
quis unquam populus fuit Persis [n] temperatione publici moris laudatior, antequam fortunæ benignitate ad summum rerum humanarum fastigium efferrentur? quorum pueri, & adolescentes sub severissimis morum magistris publicè educabantur, justitiamque, & continentiam, & bellicas artes docebantur, qui sitim flumine, famem pane, nasturcioque sedabant; qui neque firmatâ jam ætate, neque senes molliore disciplinâ continebantur; quibus [o] artibus quantam fuerint virtutem assequuti declarat subactarum gentium multitudo, & subjectus Oriens Imperio Persarum. Sed illa virtus, quæ modicis rebus magna maximam reddiderat ejus gentis potentiam, ingenti fortunæ incremento diminuta paulatim, concidit. Quocirca iidem Persæ, qui ferocissimarum gentium arma contempserant, & virtutem infregerant, consequutis temporibus fortunæ blandimentis deliniti eò ignaviæ processerunt, ut ne clamorem quidem hostium, nedum tela sustinerent. Cujus rei cum alia sunt argumenta, tum illud multò maximum, quod quum decem millia Græcorum, quæ Cyro juniore duce militarant, interfecto Cyro, in medio Imperii [p] Persarum versarentur, & innumerabilibus Artaxerxis copiis undique cingerentur; quumque insuper ejus fraude duces interfectos amisissent, equitatu, & omni ope destituta; quum per infestos hostes esset evadendum, quum tot montes inaccessi transcendendi, tot ingentia flumina superanda, locorum tot angustiæ, ac tam arduæ penetrandæ, tantum terrarum spatium peragrandum, tot inhospitæ regiones, tam cultu asperæ pervadendæ, elapsa de manibus Persarum, qui ex ingenti exercitu insequebantur, suorum non ita multis desideratis, multorum mensium itinere per infesta hostium tela confecto in Græciam pervenerunt. Eadem indulgentia fortunæ Assyrios [q], & Medos effeminavit; & e pulcherrimo fastigio, in quo diu steterant, dejecit. Atque hinc existere arbitror illum
orbem, quem inesse rebus humanis Hero- 8
dotus [r] affirmavit; tenues res, angustæque virtutem pariunt, virtus fortunæ magnitudinem, magnitudo fortunæ dissolutionem morum, dissolutio morum miseriam, eversionemque publicæ felicitatis. Quæ reputanti mihi haudquaquam optandum videtur,

[a] Herodot. libr. 7. [b] Herod. ibid. [c] Horat. Epistolar. libr. 2. Epist. 1. [d] Horat. ibid. [e] Herod. libr. 4. [f] Athen. libr. 12. cap. 5. [g] Athen. ibid. [h] Athen. libr. 12. cap. 5. [i] Athen. ibid. cap. 4. Herodot. libr. 5. cap. 44. Diodor. Sicul. libr. 12. & Ælian. Var. Hist. libr. 3. cap. 42. [l] Strab. libr. 6. & Justinus libr. 20. [m] Athen. libr. 12. cap. 3. [n] Herod. libr. 1. & Strabo libr. 15. circa finem. [o] Strabo ibid. [p] Xenoph. de Exped. Cyri libr. 2. [q] Justin. libr. 1. [r] Herod. Clio pag. 86.

bene constitutis civitatibus, ut nullis rebus adversis fortunæ prospera misceantur; siquidem illæ animos intendunt, & exercent, hæc molliunt, atque dissolvunt; & quemadmodum in arte musicâ ex fidibus tum intentis, tum moderatè remissis existit ille concentus dulcis, & temperatus, quam Ἁρμονίαν Græci vocant; ita in civitatibus ex rebus modò tristibus, modò lætis efficitur, & conservatur quasi concentus quidam Reipublicæ bene temperatæ; quum autem nulla res adversa incidit, omnis temperatio publici moris, omnis disciplina corrumpatur, necesse est. Neque enim indulgentiâ fortunæ insolescentes animi ferunt legum jugum; & publicam disciplinam, quasi quasdam nimium duras habenas, & frena detrectant: Quapropter sapienter [a] Pla-
9 to rogatus, ut Cyrenensibus leges conderet, abnuisse fertur, quum diceret: non videri Cyrenenses legem ullam servaturos, quum nimis essent felices. Intelligebat nimirum vir ingenio, doctrinaque præstanti populos omnibus affluentes, quæ prima Mortales putant, a salubribus consiliis abhorrere; & abundantiâ rerum ægram civitatem legum remedio ad sanitatem pervenire non posse; nisi ea, quibus eorum Respublica laborabat, detraherentur. Nam sicut in corporibus præstantissimi medicorum tradiderunt habitudinem nimis plenam, & quasi exuberantem morbis obnoxiam esse; ita in urbibus nimia affluentia rerum periculosa, & vitiis opportuna est.
Quapropter Arabes, & [b] Scythæ, qui sunt
10 Nomades appellati, quum nullis oppidis uterentur, sed semper errarent, ob eamque causam omnibus ferè vitæ commodis carere cogerentur, nec divitiis affluerent, nec ea, quæ ad effeminandos animos pertinent, nossent; semper iisdem moribus usi esse dicuntur, nec unquam a Majoribus acceptam libertatem amisisse. Quorum inopiam Romanorum opulentiæ Horatius [c] anteponit his verbis:

Campestres meliùs Scythæ,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos
Vivunt, & rigidi Getæ,
Immetata quibus jugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt;
Nec cultura placet longior annuâ,
Defunctumque laboribus
Æquali recreat sorte vicarius

Adeo quippe Romanorum mores magnitudo suæ fortunæ corruperat, ut nec libertatem, nec servitutem ferre possent, & sibi ipsis moderari nescirent, qui aliis omnibus imperabant. Atque hac de causâ Livius affirmat imperium suâ magnitudine laborare; nam magnitudo opes pepererat, opes luxuriam, luxuria omnem vitiorū corruptelam, quibus Imperium laborabat. Pos-
sumus etiam interpretari ideirco a Livio di- 11
ctum Imperium suâ magnitudine laborare, quòd tanta rerum moles difficulter administrari posset, & regi: Quapropter [d] Augustum constat permultas nationes, quæ se, suaque dedituros legatos miserant, repudiasse, & noluisse volentibus imperare, ne imperii moles in immensum cresceret; & ejus limites constituisse Euphratem, Danubium Rhenum, quos ne Posteri trāscenderent, admonitos voluit, quum moreretur. Itaque de eo scribit [e] Tacitus: *addideratque consilium coërcendi intra terminos imperii, incertum metu, an invidiâ*. Sed quod invidiâ factum Tacitus criminatur, ego puto certâ quadam ratione maximum Principem fecisse; quum videam non solùm id consilium dedisse Posteris, verùm etiam ipsum usurpasse; & Hadrianum [f] Imperatorem id Augusti consilium comprobasse, qui tot nationes a Trajano perdomitas, tam immensum terrarum spatium sibi relinquendum censuit, & imperium Euphrate, & Danubio, sicut Augusto visum fuerat, voluit terminari.



DIS-

[a] Ælian. libr. 12. cap. 30. Plutarch. in Vitâ Luculli, & ad Principem Indoctum. [b] Strabo libr. 7. de Getis. [c] Horat. libr. 3. Od. 24. [d] Julian. in Menippæa de Cæsaribus. [e] Cornel. Tac. libr. 1. Annal. n. 11. [f] D. August. de Civ. Dei l. 4. c. 2. Eutrop. libr. 8. Appian. in Præfat. & Festus Rufus, & Aurelius Victor.

DISSERTATIO II.

Magnificentia publica Romanorum in privatorum luxum degeneravit.

Romani primùm, quæ laudanda erant ubique, imitati sunt; mox etiam omnium gentium vitia sunt amplexati. Fabius Maximus Tarento capto, quum interrogaretur, quid fierì juberet de simulacris Deorum eximiâ arte factis, respondit: relinquamus Tarentinis Deos iratos. Mummius in tantâ paupertate decessit, ut filiæ dotem non reliquerit. Cloacas ædificasse Tarquinium Priscum Plinius, & Dionysius Halicarnasseus prodiderunt; Livius autem Tarquinium Superbum. Scauri villâ ab iratis servis incensâ vicies quinquies, vel quinquagies centena millia nostrorum coronatorum conflagrarunt. Mamurra primus Romæ parietes domus marmoris crustâ operuit.

SCipionem Nasicam [a] ferunt, quum in Senatu Romano disceptaretur, utrum esset excindenda Karthago, Catone magnopere dissentiente, servandam censuisse; ne illâ æmulâ Imperii sublatâ, metuque omni deposito Romani nimiam felicitatem ferre non possent, & quos assidua bella, ancepsque fortuna continuerat mores, parta ubique tranquillitas, & Orbis terrarum secura possessio tandem dissolveret. Intelligebat nimirum Senator ille gravissimus id, quod pluribus exemplis superiore dissertatione est a nobis demonstratum, nullam pestem esse
1 majorem magnis Imperiis, Rebusque publicis, quàm otium, & abundantes voluptates, & nullis adversis interruptum tenorem prosperorum. Neque ea res falsum habuit hominem sapientissimum; nam postea quam eversâ Karthagine, & Orbis terrarum Imperio constituto, Regibus inimicis gentibusque subactis, nullæ jam barbaræ nationes timebantur, Asia peragratæ victoriis urbem victricem peregrinis deliciis compleverat, labi paulatim Veterum disciplina, quæ tot sæculis incorrupta manserat, cœpit. Hinc luxus, & studium voluptatis augescere, sperni parcimonia, paupertas probro haberi, dedecori nequaquam esse mollis, & delicata vivendi ratio. Neque mehercule sine causâ ceteræ gentes ubertate soli, opportunitate maris, amœnitate regionis, illecebris, quibus natale solum affluebat, aliisque commodis invitatæ luxuriari cœperunt; Romanos autem non unius loci commoda solùm, deliciæque, sed quidquid ubique naturâ, vel arte gignitur, efficiturque jucundum, suave, splendidum ad luxuriam, & nimias voluptates incitavit; quod eleganter expressit Lucanus, quum [b] dixit

..... totoque accersitur Orbe,
Quo gens quæque perit......

Aliæ nimirum civitates suis quæque vi- 2
tiis, suis deliciis perierunt, Romani duntaxat omnium fracti sunt; & sicut in urbe Romanâ, ut præclarus Auctor scribit Athenæus, non [c] una solùm gens, neque e singulis gentibus aliquot homines habitabant, sed totæ propemodum nationes eò translatæ videbantur, sic omnium gentium deliciæ, omnium vitia Romam confluebant, & usurpabantur. Compendium Orbis [d] terrarum Roma habebatur, in eaque omnium urbium pulchritudines conspici poterant; neque auream Alexandriam, neque pulchram Antiochiam, neque Nicomediam speciosam, neque splendidissimas Athenas, neque alias præstantissimas urbes, quum degeres Romæ, desiderasses. Sed ut quæ ubique laudanda, Romæ laudasses; ita quæ ubique reprehendenda, reprehendisses. Ab omnibus gētibus aliquid præclarum Romani didicerant; ab [e] Etruscis disciplinam sacrorum, a Græcis litteras, facultatemque dicendi, ab [f] Atheniensibus, & Lacedæmoniis Leges, a [g] Liburnis usum Liburnarum, ab Etruscis [h] lictores, togamque, & sellam [i] curulem sumpserant; ab [l] iisdem ludios accersiverant, Samnites imitati clypeos [m] argolicos in scuta mutaverant, circensibus ludis Olympiæ curules [n] ludos fuerant æmulati; Pœnorum in bello doli Romanos duces acuerant; Gallorum, Germanorumque, & barbararum gentium ferocitas ferociores milites Romanos effecerat. Ad extremum, quum nihil superesset,
quod imitarentur, laudabile, aliarum gen- 3
tium vitia sunt imitati; & præcipuè luxum, dissolutosque mores, & nimias voluptates; ideo [o] Tertullianus, & sanctissimus vir Hieronymus [p] divini historici, & theologi [q] Joannis

[a] L. Flor. libr. 2. cap. 15. Plutarch. in Vitâ Catonis, Plin. libr. 15. cap. 18. & D. August. de Civ. Dei libr. 3. cap. 21. [b] Lucanus libr. 1. [c] Athen. libr. 1. cap. 17. [d] Idem ibid. [e] Cic. libr. 1. de Divinat. Valer. Max. libr. 1. cap. 1. ex Cic. de Legib. libr. 2. [f] Tit. Livius libr. 3. & Pomponius J. C. l. 2. ff. de origin. Juris, Dion. Halicarnass. libr. 10. & 11. [g] Vegetius de Re militari libr. 4. cap. 28. &c. [h] T. Livius libr. 1. [i] Dionys. Halicarnass. libr. 3. [l] Tertullian. de Spectaculis cap. 5. sed Dion Halicarn. libr. 2. a Lydis tradit. [m] T. Liv. libr. 8. & 9. Plutarch. in Vitâ Romuli, & Dionys. Halicarnass. libr. 4. [n] Tit. Livius libr. 10. in fin. [o] Tertull. adversùs Judæos, & adversùs Marcionem libr. 3. [p] D. Hieronym. in Epist. 99. [q] D. Jo: in Apocalyps. cap. 17.

annis auctoritatem sequuti Romam vocant Babylonem, quasi in eâ Assyriorum vitia, & libidines dominarentur. Sed initia Romani luxus laudabilia videbantur, victas bello gentes spoliabant, ut earum ornamentis victricem urbem honestarent; & privatim quidem parsimoniam adamabant, publicè magnificentiam ostentabant. Marcellus captis [a] Syracusis pleraque ejus urbis ornamenta Romam contulit, ne victa urbs victrice splendidior videretur; majore omnino animo Fabius [b] Maximus, qui quum Tarentum cepisset, & ei duodecim Deorum simulacra eximiâ magnitudine, & arte facta ostenderentur, & quid illis fieri juberet, interrogaretur, dixisse fertur: relinquamus Tarentinis Deos iratos. Sed Marcellus non reprehendendus, qui spolia Syracusarum non privatam prædam, sed publica urbis ornamenta esse voluerit. Eodem
4 modo [c] Mummius excisâ Corintho Romam signis pulcherrimis, tabulisque complevit; & quamvis esset integerrimus, utpote qui quum tantas opes administrasset, in tantâ paupertate decesserit, ut [d] filiæ dotem non reliquerit; tamen invitus offecit plurimum vigenti adhuc publicæ disciplinæ; nam eo initio [e] Populus Romanus signa magnorum artificum, tabulasque pictas nimiùm cœpit admirari. Quod multo ante apud [f] Livium Porcius Cato queritur, qui sic ait: *Jam nimis multos audio Corinthi, & Athenarum ornamenta laudantes, mirantesque, & antefixa fictilia Deorum Romanorum ridentes*. Nec Scipio ille culpandus, qui subegit [g] Asiam, quum ex tantis divitiis nihil in privatum usum converterit; nihilominus devicta Asia Romanos docuit [h] opibus, & voluptatibus nimiùm inhiare. Magnificentiam verò pu-
5 blicam semper populus Romanus comprobavit; quocirca [i] Tuberonem, propterea quia in munere publico, quod in honorem mortui Africani edebatur, stravisset pelliculis hædinis lectulos punicanos, & exposuisset vasa samia, quasi sordidum, & illiberalem ultus est præturæ repulsâ. Idem populus Romanus Catulum laudibus tulit, quòd [l] Capitolium magnificentissimum templum magnificentius instaurasset Syllæ [m] civili bello combustum. Quam magnificentiam ab ipsis pæne incunabulis urbis apparet usurpatam; siquidem Capitolium Tarquinius Superbus extruxit tantâ magnificentiâ, ut ipsum [Cornelii [n] Taciti verbis utar] *immensæ populi Romani opes ornarent potiùs, quàm augerent*. Nam quid de cloacis Urbis 6
loquar, quas sive Tarquinius Priscus, ut Plinius, [o] & Dionysius [p] Halicarnasseus prodidit, sive Superbus, ut Livius [q] testatur, fecit, tam admirabili opere fecit, ut Populo Romano summum rerum fastigium adepto, & urbe egregiis ædificiis explendescente, inter maximè miranda opera haberentur? Itaque Dionysius [r] Halycarnasseus tria esse ea prodidit, quæ Romanorum opes inprimis, potentiamque declarent, cloacas, viarum strata, & aquæductus. Exquo intelligi potest, quæ tria opera maximè admirationi fuerunt, integrâ adhuc Reipublicæ disciplinâ Romanos construxisse; nam cloacæ sub Regibus ædificatæ; Appiam viam Capuam usque stravit [s] Appius, qui Appiam Aquam quoque [t] in urbem duxit; multique alii aquæductus conditi, viæque nondum corruptâ civitate munitæ. Quid autem de Circo 7
maximo dicam, quem Tarquinius Priscus ædificavit, qui [u] centum quinquaginta millia spectatorum sedentium caperet? quid de templis Deorum, quæ supra quadringenta in [x] Urbe conspiciebantur, & nonnulla eximiâ magnitudine, referta divitiis ingentibus, donis aucta splendidissimis? Cujus argumentum rei vel illud suffecerit, quod Augustus [y] in unâ Capitolini Jovis cellâ sexdecim millia pondo auri, & sestertiûm quingenties in gemmis collocavit; vel quod in templo Pacis omnia a Vespesiano Josephus congesta [z] testatur, quæ videndi causâ homines in longinquas regiones peregrinari solebant; vel quod [a] Capitolii tegulis inaurandis consumptum est sestertiûm termillies. Quid de apparatu ludorum, quo semper magnifico populus Romanus est delectatus? qui ludi pro ætatis cujusque copiâ splendidè celebrabantur; sed auctu Imperii auctis opibus nihil impensarum, & splendoris relictum. Nam quomodo quis cum Scauri [b] scenâ certaverit, quam tercentum 8
sexaginta columnæ sustinebant; cujus ima pars e marmore, media e vitro, summa inaurata fuisse dicitur; inter columnas verò interjecta tria millia signorum ex ære; reliquus apparatus attalicâ veste, tabulis pictis adeo abundavit, ut in Tusculanam Scauri

villam

[a] T. Liv. libr. 25. [b] T. Liv. l. 27. [c] Plin. de Vir. Illustr. cap. 60. & Plin. Histor. Nat. libr. 34. c. 7. [d] Idem Hist. Natur. ibid. [e] Idem Plin. libr. 35. cap. 4. Nat. Hist. & libr. 37. cap. 1. [f] Tit. Livius libr. 34. in princip. [g] Idem libr. 38. [h] Plin. libr. 37. cap. 1. [i] Senec. Epist. 95. & Cic. pro Muræna. [l] Plin. libr. 19. cap. 1. & Sueton. in Vit. Cæsaris cap. 15. [m] Plin. libr. 13. cap. 13. [n] Cornel. Tacit. libr. 3. Histor. [o] Plin. libr. 36. cap. 15. [p] Dionys. Halic. libr. 3. [q] T. Liv. l. 1. [r] Dion. Halicarn. libr. 3. n. 13. [s] Tit. Liv. libr. 9. Cicer. pro Milone, Horat. Epistol libr. 1. Epist. 6. Plin. de Viris Illustribus cap. 34. Pompon. l. 2. §. Post hunc Appius ff. de orig. jur. & Pompon. Lætus tit. 79. de Antiquit. Urbis. [t] Plin. de Vir. Illustrib. cap. 34. & Frontin. de Aquæductibus. [u] Dion. Halicarn. libr. 3. [x] Notit. Imperii. [y] Sueton. in Augusto c. 30. [z] Joseph. de Bello Judaico libr. 7. Excid. Plin. libr. 36. c. 15. [a] Plutarch. in Vit. Publicol. Plin. libr. 33. c. 3. & Auson. de Cl. urbibus epigr. 12. [b] Plin. libr. 34. cap. 7. & libr. 36. cap. 6. & cap. 15.

villam reportatis; quæ superfuerant quotidiani usus deliciis, incensâ villâ ab iratis servis millies sestertiûm, vel bis millies sestertiûm cremaretur? quam summam si redigas ad æstimationem nostræ pecuniæ, efficiuntur vicies quinquies, vel quinquagies centena millia coronatorum. Quam tamen scenam [a] Curio superare non opibus, & splendore, sed artificio quodam mirabili conatus est excogitato theatro pensili, quod duobus cardinibus verteretur, in quo pependit victor ille terrarum populus. Quis argenteam [b] Caii Antonii scenam æquare contenderit? quis [c] arenæ apparatum Julii Cæsaris, qui ex argento fertur constitisse? Pompejus ille [d] Magnus ludos edidit, in quibus præter aliarum ferarum ingentem numerum quadringentæ decem Pantheræ conficerentur, octodecim [e] cum hominibus elephanti decertarent. Quo in genere multa
9 prætermitto, quæ longum fuerit enarrare, quæ partim laudanda, partim propter Imperii Romani magnitudinem sunt excusanda; nam decebat domino Orbis terrarum populo nihil nisi amplum, ac magnificum exhibere. Veruntamen hic publicorum splendor ædificiorum, hæc templorum tanta majestas, hic ludorû splendidus apparatus fortasse præbuit semina luxui orituro, vel adolescenti alimenta; quam enim in publico magnificentiam homines admirabantur, paulatim in privatis etiam rebus adamare didicerunt; ergo omnes exutâ priscâ parcimoniâ ædificare magnificè, instruere splendidè convivia, veste, supellectili, servitiis pretiosis uti, in medio positas voluptates aspernari, longiùs accersitas, & magno emptas cœperunt aucupari; neque exiguis incrementis paolatim luxus increscebat, sed brevi tempore, quum semel erupisset, immensum augebatur. Marco [f] Lepido, Quincto Catulo Consulibus, ipsius Lepidi
10 domus omnium, quæ Romæ visebantur, pulcherrima habebatur; intra annos triginta quinque eadem centesimum in urbe locum non obtinebat: mirabantur Antiqui [g] Clodium centies quadragies octies emptâ domo habitasse; comparatione temporum posteriorum ego Clodii ædes non magnopere splendidas fuisse existimo; siquidem Olympiodorus historicus apud Photium [h] tradit Procerum domos Romæ non exiguis, sed mediocribus urbibus pares fuisse, & omnia habuisse, quæ solerent urbes habere, circum videlicet, fora, tribunal, templa, fontes, balnea, quod hujusmodi Græco versiculo [i] declaratur

Εἷς δόμος ἄστυ πέλει, πόλις ἄστεα μυρία τεύχει

Addo etiam habitatorum numerum; siquidem [l] Athenæus refert nonnullos primores Urbis decem, vel etiam viginti millia servorum habuisse; quin etiam quædam in illis ædibus procerum conspiciebantur, quæ spectare in quibusdam urbibus non liceet; nemora nimirum, & lacus, de quibus [m] Tibullus:

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos

& Rutilius [n] Gallicanus

Quid loquar inclusas intra laquearia silvas,
Vernula quæ vario carmine ludit avis?

Nec tanta ædium moles e vili materiâ con- 11
surgebat; marmoribus peregrinis domus totæ fulgebant; hinc illi Tibulli [o] versus

Non ut marmorei prodirem e limine tecti,
Insignis clarâ, conspicuusque domo

& [p] hic

Auratæque trabes, marmoreumque solum.

Primus Romæ [q] Mamorra parietes totius domus fertur operuisse marmoris crustâ; id exemplum sequuti Romani proceres conclavia omnia marmoribus passim contexerunt non e propinquo petitis, sed ab Indiâ osque, & Æthiopiâ advectis, ut Plinius libro trigesimo sexto capite sexto tradidit. Quanta verò marmorum varietas, & quàm pretiosa genera, & quam longè petita solerent adhiberi [r] Statius indicat in Pollii Surrentino, cujus illi sunt versus:

.... hic graiis penitus desecta metallis
Saxa, quot eoæ respergit vena Syenes,
Synade quot mæstâ phrygiæ fodere secures
Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro:
Hic & Amiclæi cæsum de monte Lycurgi,
Quod viret, & molles imitatur rupibus herbas:
Hic Nomadum lucent flaventia saxa; Thasosque,
Et Chios, & gaudens fluctus spectare Carystos,
Omnia Chalcidicas turres obversa salutant.

Nec solùm marmoribus pretiosissimis parie- 12
tes contegebantur, sed etiam ingentes e lapidibus peregrinis, & magno emptis columnæ cenationes, & atria sustinebant; hinc [s] Horatius dixit:

Non

[a] Plin. libr. 36. cap. 15. [b] Idem libr. 33. capit. 3. [c] Idem eodem loco. [d] Idem Plin. libr. 8. capit. 17. [e] Dion Historic. libr. 39. [f] Plin. libr. 36. c. 15. [g] Idem Plin. ibid. [h] Photius in Biblioth. num. 80. [i] Olympiodorus apud eundem Phot. ibid. [l] Athen. libr. 6. cap. 20. [m] Tibull. libr. 3. Eleg. 3. [n] Rutilius Gallican. in laudibus Romæ. [o] Tibull. libr. 3. Eleg. 3. [p] Idem Tibull. ibidem. [q] Plin. libr. 36. cap. 6. [r] Statius Sylvar. libr. 2. [s] Horat. libr. 2. Ode 18.

Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas ultimâ recisas
Africâ.......

Quapropter Plinius [a] animadvertit in Callisti liberti cenatione columnas fuisse triginta ex Onyche, & atrium Scauri [b] columnis fultum duodequadragenûm pedum e luculleo marmore, & Seneca sic [c] ait: *illos reperti in litore calculi leves, & aliquid habentes varietatis delectant; nos ingentium maculæ columnarum sive ex Ægyptiis arenis, sive ex Africæ solitudinibus advectæ porticum aliquam, vel capacem populi cenationem ferunt.* Jam lacunaria auro, & ebore nituisse non
13 poeticè, sed historicâ fide Horatius [d] dixit, quum cecinit:

Non ebur, neque aureum
Meâ renidet in domo lacunar

Trabes nimirum inducebantur auro, cameræ ebore splendescebant; Propertius [e]

Nec camera auratas inter eburna trabes.

Nec auro levi liniebantur, sed crasso trabes, ut utar Statii [f] verbo, satiabantur

Robora Dalmatico lucent satiata metallo

& [g] Lucanus

...... crassumque trabes absconderat aurum,

& [h] Statius

Et nondum crasso laquearia fulta metallo


Quod [i] Mamertinus aurum solidum vocat, qui sic ait: *neque ei comparandæ sunt picturatæ marmorum crustæ, & solido auro tecta laquearia, qui majorem anni partem in nudâ humo cubat;* quin etiam gemmas insertas laquearibus præcipuè templorum testatur Arnobius [l]. Efficiebantur etiam lacunaria e lignis pretiosis, ut puta e cedro Libani montis, aut Atlantia, quæ Priscis in pretio teste Poëtâ qui dixit:

Non domus flavâ laqueata cedro

Jam bibliothecas ipsas auro, & ebore splen-
14 duisse Severinus [m] Boëthius indicat, qui sic ait: *non bibliothecæ comptos auro, & ebore parietes.* Omnia autem conclavia minùs mirandum est divitiis nituisse, quum in balneis, ubi sordes corporis deponuntur, tantum nitorem, splendoremque fuisse, tantum opum congestum comperiamus; nam & per argenteos [n] canales, fistulasque aquam in argentea labra fusam, & stratas argento mulierum balneas accepimus, & soliis argenteis lavantes insedisse. Jam [o] statuas, & columnas pretiosas nihil sustinentes ornamento fuisse privatis balneis; jam vitro conditam cameram Senecâ teste cognoscimus; qui verò materiâ constarent, declarat [p] Statius in Etrusci thermis, ubi sic ait:

Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos,
Mæret Onyx longè, queriturque exclusus Ophites.
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo phrygiæ quam Synados antro
Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys,
Quasque Tyrus niveas secat, & Sidonia rupes,
Vix locus Eurotæ viridis; cum regula longo
Synada distinctu variat.....

Quæ magnificentia, & splendor ædium pri- 15
vatarum multum invidiæ detrahit Neroni, Cajoque principibus, de quorum ædibus illa Plinius [q] dixit: *bis vidimus urbem totam cingi domibus Principum Caii, & Neronis, & hujus quidem, ne quid deesset, aureâ;* de qua Cornelius [r] Tacitus ita loquitur: *ceterùm Nero usus est Patriæ ruinis, extruxitque domum, in qua haud perinde gemmæ, & aurum miraculo essent, solita pridem, & luxu vulgata, quàm arva, & stagna, & in modum solitudinum hinc silvæ, inde aperta spatia, & prospectus.* Ex quibus intelligi potest non solùm marmoribus, sed etiam gemmis multorum domos nituisse, ut minùs mirum videri debeat, quod de aureâ domo Neronis [s] tradit Suetonius: *cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis* fuisse.



DIS-

[a] Plin. libr. 36. c. 7. [b] Idem libr. 36. cap. 2. [c] Senec Epist. 95. [d] Horat. libr. 2. Od. 18. [e] Prop. libr. 3. Eleg. 2. [f] Stat. Sylvar. libr. 1. in Epithal. Stellæ. [g] Lucan. libr. 10. Pharsal. [h] Stat. Thebaid. libr. 1. [i] Mamertin. ad Julianum. [l] Arnob. adversùs gentes. [m] Severin. Boëth. de Consol. Philosoph. libr. 1. Pros. 5. [n] Plin. libr. 33. c. 12. [o] Senec. Epist. 86 [p] Stat. libr. 1. Sylv. [q] Plin. libr. 36. cap. 15. [r] Cornel. Tacit. libr. 15. n. 42. [s] Suetonius in Vitâ Neronis cap. 31.

DISSERTATIO III.

De Romanorum luxu in conviviis.

Thermæ Antonianæ mille sexcenta solia habuerunt, & duplicem eorum numerum Diocletianæ. Naumachiam Claudius edidit, in qua triremes, quadriremesque commisit; & undeviginti hominum millia pugnantia exhibuit. Trajani in reditu per centum viginti tres dies ludi sunt celebrati tantâ copiâ, ut uno die decem millia ferarum conficerentur. Porcus Trojanus dicebatur, quòd plenus aliis animalibus mensis inferretur. Manium Curium fortissimum imperatorem Samnitium legati rapum torrentem invenerunt. Leges Orchia, Fannia, Didia, & Licinia conviviarum numerum, & sumptum conviviorum statuebant. Serranus a serendo dictus. Pisces quibusdam nomen dederunt, quod iis ipsi delectarentur. Crassus orator murænam mortuam atratus luxit. Luculli in Apolline cenæ quinquaginta millibus drachmarum parabantur. Celer mullum centum septuaginta quinque aureis emit. Caligula ducenta quinquaginta millia coronatorum unâ cenâ prodegit. Vitellius non minoris, quàm decem millibus coronatorum cenavit; & novies millies paucis mensibus profudit. Apicius, quum comperisset centies sestertiûm sibi superesse, inediâ vitam finivit. Etiam gladiatores in conviviis adhibebantur.

DE luxu, quo Veteres utebantur in condendis, exornandisque ædibus dicere aggressus vix eorum, quæ dici poterant, ullam partem potui delibare. Quis enim tentet enumerare, quæ in hoc genere mirabilia a scriptoribus antiquis recensentur? quis nemora, lacus, fontes, infinitum nihil sustinentium numerum columnarum, magnorum artificum signa pæne spirantia, quæque frustra conatus esses numero comprehendere, tabulas pictas artificio mirabiles, multitudine innumerabiles, gemmas, pretiosam vestem, auream supellectilem, substructiones insanas, immensa villarum spatia? Accepimus perfossos montes, altissimas rupes complanatas, recedere coactum, aut inclusum jactis molibus mare; plenam Italiam deliciis Romanorum alimenta victori terrarum populo suppeditare non potuisse. Jam illa quis unquam dignè satis admiretur, templa, porticus, theatra, fora, thermas, circos, amphitheatra? Accepimus Thermas [a] Antonianas mille sexcenta solia habuisse; duplicem eorum numerum [b] Diocletianas, & universas admirabili structurâ, & pretioso marmore splenduisse. Jam magnificentiam ludorum quis exequatur? Claudius 1
naumachiam [c] edidit, in qua non parva navigia, sed triremes, quadriremesque commisit, & uodeviginti hominum millia depugnantia exhibuit: in Trajani reditu per centum viginti tres dies ludi sunt celebrati tantâ copiâ, ut uno interdum die decem millia ferarum conficerentur. Hinc immensos sumptus animadvertimus factos etiam a privatis in gerendis magistratibus; Symmachum [e] ferunt, quum esset senator mediocriter dives, in filii præturâ auri pondo duo millia impendisse: Maximum [f] verò in eodem filii magistratu quatuor millia, quum ludi septem dies ederentur. Sed hæc, aliaque, quæ possent afferri, ne longiùs ab Auctore nostro videar aberrare, sciens prætermitto; ad illa venio, quibus indolem, virtutemque Romanam impensiùs corruptam esse constat. Nam constructa magnificè cum publica, tum privata ædificia, 2
splendidum civium, Principumque cultum, spectaculorum opulentum apparatum meritò quidem possis accusare, quum excesserint modum; quoniam occultè quidem, sed non modicè bene compositæ Reipublicæ disciplinam labefactant; sed tamen, quia non apertè bonos mores corrumpunt, in tanto Imperio, ac tantis opibus civitatis tolerabilia quodammodo, ac prope necessaria poterant judicari. Non enim sine causâ Asinius Gallus, ut Cornelius [g] Tacitus refert, in Senatu differebat, *auctu imperii adolevisse etiam privatas opes &c. neque in familiâ, & argento, quæque ad usum parentur, nimium aliquid, aut modicum, nisi ex fortunâ possidentis*; ganeæ verò studium, fracti, dissolutique mores, e longinquis regionibus accersitæ voluptates, nonne haud dubiè Rempublicam funditus evertebant? Creverat populus Romanus periculis adeundis, laboribus perferendis; ubi in summo fortunæ fastigio constitit, mutatis moribus, pro labore ignaviam, pro audaciâ metum induit: duritiam vitæ, severitatemque morum Majores adamaverant; Posteri delicias, fluxosque luxu mores, & voluptatibus refertam vitam sane amplexati: illi alia ex aliis bella gerendo Imperium ex parvo maximum effecerant; hi verò voluptates undique conquirendo in immensum exaggeratas Imperii opes profuderunt. Quid ergo mirum Rem- 3
publicam, quæ severitate coaluerat, disso-

lutio-

[a] Olympiodorus apud Photium in Biblioth. n. 80. [b] Idem ibid [c] Cornel. Tacit. Annal. libr. 12. & Dio Rom. Histor. libr. 40. [d] Dio Cassius in Trajano. [e] Olympiodor. apud Photium in Biblioth. n. 80. [f] Idem eod. loco. [g] Cornel. Tac. Annal. libr. 2.

lutione publici moris fuisse dissolutam? Neque tamen simul, & eodem tempore vitia Urbem inauserunt; sed paulatim, & quasi per gradus aucta, modò repressa, deinde ipsis irritata remediis invalescebant. Itaque vetus Urbis malum fuit pretiosorum cupiditas ferculorum, studiumque rerum corpus, atque animum effeminantium, & libido nonnullorum. Bello Punico secundo, qua tempestate mores Romanorum viguisse maximè apud Augustinum testatur [a] Sallustius, Africanus ille Scipio [b] queritur virgines, puerosque nobiles saltatorum ludum frequentare; & in his visum a se prætextatum filium candidati, quum lascivè saltitaret. Quin, & lautiores epulas in usu fuisse de-
4 clarat [c] Accipenser ille Veterum mensis expetitus, quem magno in pretio haberi solitum illis temporibus constat; siquidem ferunt allatum Africano Scipioni [d] Accipenserem, quum ad Lavernum esset unà cum Pontio; invitasse verò unum, aut alterum eorum, qui eum salutatum venerant; & quum plures etiam invitaturus videretur, Pontium in aurem dixisse Scipioni: Scipio, vide, quid agas, nam piscis iste paucorum hominum est. Sed & [e] Cincius in suasione legis Fanniæ queritur inferri mensis porcum trojanum, quem sic accepimus nominatum, quòd plenus esset aliis animalibus intus inclusis, ut equus Trojanus armatis; & [f] Titius in oratione, qua legem Fanniam suasit, inducit sui temporis catillones in comitio nihil agentes serium; sed de vino Græco, deque lupo pisce, qui inter duos pontes captus fuisset, colloquentes. Ex quibus perspici potest eâ tempestate Romanos imitatos non esse [g] Manium Curium fortissimum imperatorem, quem Samnitium legati rapum in foco torrentem invenerunt. Neque solùm exquisitis epulis, verùm etiam aliis instrumentis luxuriæ convivia celebrabant; nam memoriæ proditum post subactam [h] a Manlio Gallogræciam cepisse primùm æratos lectos, & pretiosa stragula usurpari, & inter epulas eleganti formâ psaltrias inductas, quæ lascivis motibus prurientem libidinem incitarent. Quas luxuriæ stirpes, & quasi radi-
5 ces execare Veteres aggressi leges tulerunt, quibus conviviorum sumptus coërcebatur. Nam Orchiam [i] legem tulit Cajus Orchius tribunus plebis, qua convivarum numerus finiebatur, quo plures si quis excepisset convivio, eâ lege tenebatur; & Fanniam, [l] qua cautum est, ne quis plures tribus vocaret ad cenam, præterquam diebus nundinarum, aliisque festis, quibus quinque vocare permittebatur; centum autem asses convivii sumptum excedere lex prohibebat; quæ lata est ingenti bonorum omnium consensu, quod eâ niti quodammodo salus Reipublicæ videretur; quæ propter cenarum sumptus detrimentis ingentibus afficiebatur. Siquidem pueri ingenui neque pudicitiæ, neque libertati suæ parcebant, dum sufficerent impensis immodicis epularum; plerique autem e plebe Romanâ, quum se intemperantiùs vino ingurgitassent, in comitium ventitabant, & ebrii rem tractabant publicam. Legem autem Fanniam lex [m] Didia consequuta est, quæ non solùm Romanis, sed omnibus Italis eundem conviviorum modum præscribebat; in eoque severior lege Fanniâ habebatur, quòd etiam in eos, qui sumptuosiori convivio interfuissent, pœnam statuebat. Sed hujus etiam severitatem vicit [n] lex Licinia, quæ plus assibus triginta Kalendis, Nonis in dies singulos impendere prohibe-
bat Quæ legum severitas non potuit com- 6
primere crescentem luxuriam, quæ spretis prioribus, novis subinde legibus frustra coërcita est; donec impedimentis, quibus continebatur, superatis violenti fluminis ritu cuncta pessumdaret. Nam his temporibus, quibus hæ saluberrimæ leges ferebantur, non defuerunt, quibus nomen imponeret cupiditas epularum. Nam quemadmodum [o] Serranum dictum accepimus, quòd serentem honores invenerunt; sic & [p] Murænas, & Oratas ideo nuncuparunt, quòd eo genere piscium delectarentur. Qua in re eò processit nonnullorum cupiditas, ut [q] Crassus orator Murænam in piscinâ mortuam tanquam filiam atratus luxerit; & [r] Octavius classis præfectus infinitam vim scarorum sparserit inter Ostiam, & Campaniæ litus, & quinquennio proximo diligentiâ summâ caverit, ut siquis fortè scarum cepisset, confestim mari redde-
ret. Sed hæc parva præ his, quæ Urbem vi- 7
tia mox occuparunt; quod enim mare, quas silvas, quas remotas regiones gula non est perscrutata? Operæpretium est [s] audire Senecam de sui sæculi vitiis conquerentem: *non est*, inquit, *necesse omne perscrutari profundum; nec strage animalium ventrem onerare, nec*

a Sallustius Hist. libr. 1. apud D. August. de Civit. Dei libr. 2. cap. 18. *b* Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 14. *c* Plin. libr. 9. cap. 17. & Athen. libr. 7. cap. 12. *d* Cic. de Fato, & Macrob. Saturn. libr. 3. cap 16. *e* Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 13. *f* Idem Sat. l. 3. c. 16. *g* Valer. Maxim. libr. 4. cap. 3. & Athen. libr 10. cap. 4. *h* Tit. Liv. libr. 39. *i* Macrob Saturnal. libr. 3. cap. 17. *l* Macrob. ibid. A. Gell. libr. 2. cap. 24. Athen. libr. 6. & Tertullian. in Apologet. *m* Macr. Saturn. l. 3. cap. 17. *n* Idem Macrob. ibid. & A. Gell. libr. 2. cap. 24. *o* Plin. libr. 18. cap. 3. & Quintilian. libr. 1. cap. 8. *p* Varro de Re Rust. libr. 3. cap. 3. & Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 15. *q* Idem Macrob. ibid. *r* Macr. Saturn. libr. 3. cap. 16. *s* Senec. de Consolat. ad Helviam cap. 9.

re, nec conchylia ultimi maris ex ignoto litore eruere; Dii illos, Deæque, perdant, quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transcendit; ultra Phasim capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat: nec piget a Parthis, a quibus nondum pœnas repetiimus, aves petere: undique convehunt omnia nota fastidienti gulæ: quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano: vomunt, ut edant, edunt, ut vomant; & epulas, quas toto Orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Similem gulæ reprehensionem reperias apud [a] Claudianum, qui sic ait:

..... Traduntque palato
Sidereas Junonis aves; & si qua loquendi
Gnara, coloratis viridis defertur ab Indis,
Quæsitos trans regna cibos, quorumque profundam
Ingluviem non Ægeus, non alta Propontis,
Non freta longinquis Mæotia piscibus æquent.

8 Quæ non poëticè magis, quàm verè dicuntur; siquidem phœnicopterum a Nilo usque advehebant, quòd ejus [b] lingua præcipui saporis esse putaretur, & tantula pars e tantâ avi ex tam longinquâ regione petebatur. Psittacos ab Indis, non ut alerent avem peregrinam, & [c] gnaram sermonis humani, sed, ut consumerent, accersebant; tubera a Libyâ, de qua re [d] Juvenalis:

..... Tibi habe frumentum, Aledius inquit,
O Libye, disjunge boves, dum tubera mittas.

Conchas peloridas a siculo mari, ab eodem murænas flutas; ideo Juvenalis [e] ait:

Virroni muræna datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo, nam dum se continet Auster,
Dum sedet, & siccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim

A Carpathio, & Hispaniæ freto easdem murænas, grues a Thraciâ; unde [f] illud Statii:

Ah miseri, quos nosse juvat, quid Phasidis ales
Distet ab Hibernâ Rhodopes grue.....

Scaros ab Eoo mari; ex quo [g] Horatius cecinit:

Magisve rhombus, aut scari,
Si quos eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare

& Petronius [h] ait:

...... ultimis ab oris
Attractus scarus, atque arata syrtis

Metello [i] Pio volucrum, & ferarum exqui-
9 sita genera a Mauritaniâ usque, & ultimâ Africâ advehebantur; Luculli [l] in Apolline cenæ quinquaginta millibus drachmarum parabantur: Asinius [m] Celer mullum octo millibus nummûm, hoc est ducentis aureis, quibus utimur nunc, emit: alius autem mullum sex millibus emit, de quo Juvenalis [n]

...... mullum sex millibus emit
Æquantem sanè paribus sestertia libris

Caligula [o] centies sestertiûm, hoc est ducenta quinquaginta millia coronatorum unâ cenâ prodegit: Vitellium negant cenasse minoris, quàm [p] decem millibus coronatorum, cujus profunda ingluvies, & inexhaustæ libidines novies [q] millies sestertiûm paucissimis mensibus, quibus imperavit,
profuderunt. Nec Principibus propemo- 10
dum cessere privati, siquidem memoriæ proditum est Æsopi [r] patinam sestertiis sexcentis constitisse; Apicium [s] millies sestertiûm nepotinis sumptibus perdidisse, qui quum subductis rationibus reperisset, soluto ære alieno centies sestertiûm sibi superfuturum, inediâ vitam finivit. Ex quibus intelligi potest, quibus moribus ageretur in eâ urbe, in qua inventus est, qui centres sestertiûm tanquam summam paupertatem voluntariâ morte effugeret. Sed non minora corrupti publici moris argumenta prudentibus præbuissent ea, quæ in conviviis audiebantur, visebanturque, quàm ea, quæ apponebantur. Cato vetustissimus Auctor [t] in originibus memoriæ prodidit veteres illos Romanos verè Romanos in conviviis lyrâ canere fortium virorum facta consuevisse. Et sanè nullum majus in hominibus integri moris indicium, quàm etiam ludentes, remittentesque animum gaudere honestis avocamentis; ideo apud [u] Home-
rum Achilles otiosus, cantuque se oblectans 11
non deplorat amissos amores puellæ, quam diligebat, sed virorum gloriam versibus tollit; sic enim de eo loquitur Poeta:

..... ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.

Phæaces [x] autem homines voluptati dediti, & luxu diffluentes Demodoci carminibus gaudent, quibus Veneris, & Martis adulterium enarratur: eodem modo apud Virgilium [y] in regio Didonis convivio, ubi aderat Æneas vir omni virtute princeps, aderant Pœnorum Proceres laudatissimi, aderat Dido regali, & heroicâ indole [z] mulier,

..... citharâ crinitus Jopas
Personat auratâ.....

[a] Claudian. libr. 2. in Eutropium carm. 20. v. 333. [b] Plin. libr. 10. cap. 48. [c] Plin. libr. 10. cap. 42. & Solinus cap. 56. [d] Juvenal. Satyr. 5. v. 118. [e] Idem Juven. Sat. 5. v. 99. [f] Stat. Sylvar. libr. 4. in Hercul. Vindic. Epitrapez. [g] Horat. in Epod. Od. 2. [h] Petron. in Satyric. [i] Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 13. [l] Plutarch. in Vitâ Lucull. [m] Plin. l. 9. c. 17. [n] Juven. Sat. 4. v. 16. [o] Senec. de Consol. ad Helv. c. 9. [p] Suet. in Vit. Vitell. c. 13. [q] Tacit. Hist. l. 2. n. 94. [r] Plin. l. 10. c. 51. Hor. sat. 3. l. 2. [s] Sen. de Consf. ad Helv. c. 10. [t] Cic. Tuscul. Disp. libr. 1. in princ. [u] Homer. Il. ι. v. 189. [x] Hom. Od. θ. [y] Virgil. Æn. libr. 1. in fin. [z] Idem Æn. libr. 1.

neo aliquid leve, & nugatorium versibus complectitur; sed [a]

..... docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Solisque labores,
Unde hominum genus, & pecudes, unde imber, & ignes,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones.
Quid tantum Oceano properent se tingere Soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet

At Romani Majorum moris obliti quibus
12 delectarentur cantilenis, declarat vitiorum objurgator severissimus [b] Persius

Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balbâ de nare loquutus
Phyllidas, Hypsipylas, vatum & plorabile siquid,
Eliquat, & tenero supplantat verba palato;

& Quintilianus, qui sic ait: *Omne convivium obscenis cantibus strepit, pudenda dictu spectantur*; & [c] Juvenalis, cujus hæc carmina ad convivia divitum referuntur:

.... ille fruatur
Vocibus obscenis, omnique libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem

& [d] hæc

Forsitan expectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ
Irritamentum Veneris languentis, & acres
Divitis urticæ .....

13 Plinius autem refert in epistolis Amico suo tædio fuisse quamvis lautissimam cenam, quòd scurræ, moriones, cynædi mensis interrarent. Nec verò solùm lascivis inter pocula spectaculis, verùm etiam cruentis oblectabantur; siquidem vino madidi gladiatorum inter se paria committebant; quem morem a Campanis Romani acceperunt, de quibus ita Silius [e] Italicus loquitur:

Quin etiam exhilarare viris convivia cæde
Mos olim, & miscere epulis spectacula dira
Certantum ferro, sæpe & super ipsa cadentum
Pocula respersis non parco sanguine mensis.



DISSERTATIO IV.

Respublica Romana omnibus virtutibus abundavit, dum tenues opes erant, his auctis omnibus vitiis scatere cœpit.

Plebs Romana, licet plurimas excitarit seditiones, tamen per annos plusquam sexcentos manibus temperavit. Mulieres, quum Reipublicæ auro opus esset, ornamenta sua non semel in publicum contulerunt. Cæsar, quum largitionibus sufficere non posset privatis opibus, ad arma civilia compulsus est; & eos libentissimè sibi aggregabat, qui ære alieno obruti rebus novandis opportuni videbantur. Quum longinqua bella susciperentur, prorogatio imperii necessaria erat, quæ maximè perniciosa erat Reipublicæ.

CÆcam [f] esse fortunam, & cæcos efficere fortunatos prudentum est opinio; id de imprudentiâ dictum, quo morbo solent summis fortunæ muneribus affecti homines laborare, transferri potest ad alia vitia; non enim minus intemperantes, molles, legum contemptores, ignavos, prodigos, rapaces, quàm stultos efficit fortuna. Quod cum aliis, tum exemplo Romanæ Reipu- 1
blicæ declaratur; nam quamdiu tenues, aut non tam magnæ res Romanorum fuerunt, nulla civitas temperantior, legum reverentior, prisci moris tenacior fuit. Amor erga Patriam tantus civium Romanorum, ut reperti sint duo [g] Decii, qui se pro salute legionum devoverent; Curtius [h], qui, ut Patriæ perniciem arceret, in profundam voraginem sese moriturus immitteret; Scævola [i], qui, quò obsidione Patriam liberaret, susciperet hostium Regem in medio suorum exercitu trucidandum; legiones universæ, quæ in eum locum progrederentur, unde se sciebant non redituras. Tanta omnium continentia, ut quum [l] Pyrrhus Rex Epirotarum dona misisset Principibus civitatis, præcipuèque matronis, nemo sit inventus, qui Regis munera acciperet: justitiæ verò tanta reverentia, ut Sallustio teste jus apud Romanos [m] non tam legibus, quàm naturâ valeret. Jam verò quæ severitas fuit Sena- 2
tus illius, qui [n] milites Cannensis prœlii super-

[a] Virg. Æneid. libr. 1. [b] A. Persius Satyr. 1. v. 33. [c] Juven. Satyr. 11. v. 171. [d] Idem ibid. v. 162. [e] Silius Italic. libr. 11. Punicor. [f] Ovid. ad Liviam. [g] Tit. Liv libr. 8. & 10. Valer. Maximus libr. 5. cap. 6. & Plin. de Viris Illustr. cap. 26. & 27. [h] Valer. Maxim. ibid. [i] Tit Liv. libr. 2. L. Flor. libr. 1. cap. 10. Dionys. Halicarnass. libr. 5. Antiq. Rom. Plutarch. in Parall. Valer. Maxim. libr. 3. cap. 3. Martial. libr. 1. epigr. 78. Plin. de Vir. Illustrib. cap. 12. & D. Augustin. de Civitat. Dei libr. 4. cap. 20. [l] T. Liv. libr. 34. [m] Sallustius in Catilin. in principio. [n] Tit. Livius libr. 23. & 24.

superstites ignominiâ notatos extra Italiam amandavit; qui, quum Respublica [a] viris indigeret, & summam haberet facultatem exiguo pretio cives ab Hannibale captos redimendi, maluit servos liberare, & eorum operâ in bello uti, quàm civibus parum fortibus, certè parum felicibus. Quæ plebis modestia! quæ vel in seditionibus, quum tribunitiis procellis agitaretur, & a Patribus quotidie de Republicâ dissentiret, clamore dumtaxat vano sæviebat, semperque per annos plusquam sexcentos manibus temperavit: quæ mulierum ipsarum animi magnitudo! quæ [b] quũ auro opus esset Reipublicæ, ornamenta sua non semel in publicum contulerunt, eoque se putarunt ornatiores, quo Respublica omnibus rebus esset instructior. Quid autem necesse est singula recensere? vix ullam partem Romanæ civitatis reperies, quæ non prestantissima haberetur; ideo Cicero, teste Macrobio, quum excellentissimam Reipublicæ formam vellet describere, descripsit Romanam, quasi omnibus numeris absolutam; & tamen eadem civitas longâ indulgentiâ fortunæ sic est immutata, nihil ut moris antiqui retineret, quantoque majore frugalitate, continentiâ, disciplinâ egerat, tanto solutiore luxu, licentiâ, libidine consequutis temporibus fuit. Sed de luxu non-
3 nulla diximus superioribus dissertationibus, & tamen parvam partem attigimus vitiorum, quibus Romana Respublica laborabat; nam ille populus quondam militiâ horridus, & deliciarum nescius in omnem nequitiam paulatim prolapsus est. Operæpretium est audire poëtas, & scriptores, qui summam Populi Romani lasciviam improbitatemque redarguunt. Nam [c] Petronius de populo Romano, antequam civile bellum exardesceret, sic loquitur.

...... *Omnibus ergo*
Scorta placent, fractique enervi corpore gressus,
Et laxi crines, & tot nova nomina vestis,
Quæque virum quærunt ......

& [d] Lucanus

...... *cultus gestare decoros*
Vix nuribus rapuere mares .....

& Sallustius [e] ita describit corruptos mores Romanorum; *sed libido stupri, ganeæ, ceterique cultus non minor incesserat; viri pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere.* Adeo verò fœdè urbem omnis turpitudo corruperat, ut adulteria, & deteriora etiam vitia sæculum vocarentur, quasi sæculi propria, non hominum. Quæ luxu-
4 riæ quasi quædam tabes quum Rempublicam confecisset, eaque a magnis rebus gestis, magnaque fortunâ ortum habuisset, quemadmodum demonstravimus, meritò dixit noster [f] Auctor Populi Romani res magnitudine suâ laborare. Neque enim solum luxuria, sed etiam luxuriæ [g] comes avaritia gentium Reginam urbem ingentibus involvit malis; hinc judicia corrupta, hinc empta populi suffragia, & honores non virtuti, sed divitiis delati, & [h] ut Petronius ait,

Venalis populus, venalis Curia Patrum:

hinc direpti, vexatique socii, & arma pacatis illata nationibus, &, ut [i] Sallustii verbis utar, *imperium ex justissimo, atque optimo crudele, intolerandumque factum*: hinc denique homines luxu perditi, & largitionibus exhausti res novas moliri, ac miscere omnia cœperunt: hinc [l] Catilina, Lentulus, Cethegus, & illa conjuratorum manus, & si verum audire volumus, ipse libertatis eversor [m] Cæsar; quem tradunt, quum sufficere largitionibus propemodum immensis, & expectationem populi, quam de suo adventu fecerat, privatis opibus explere non posset, ad arma civilia compulsum, ut potiùs cum toto Orbe terrarum, quàm solus periret. Neque unus id Cæsar voluit; fax il- 5
la belli civilis Curio nonne Rempublicam perturbari concupivit, quum exhausto sumptibus nulla alia satus, quàm in discordiâ Principum, quemadmodum Plinius [n] tradit, relinqueretur? Atque id genus hominum sibi Cajus [o] Cæsar libentissimè aggregabit, qui ære alieno obruti rebus novandis opportuni videbantur; hi sunt nimirum luxuriæ mores privatam rem primùm, deinde publicam pessumdare. Quod si neque luxuria, neque avaritia Rempublicam Romanorum evertisset, certè illam per se Imperii magnitudo, & fortuna sua perdidisset. Etenim quum propter Imperii longè, lateque porrectam amplitudinem longinqua bella, provinciæque ab Italiâ quàm longissimè remotæ ducibus Romanis decernerentur, & sæpe ferocissimæ nationes bello essent subigendæ; prorogunda erant imperia ducibus, ne antequam bella conficerentur, e provinciâ decedere cogerentur, & hostes magis irritatos, quàm fractos, & perdomitos relinquere. Neque enim sperari poterat futurum, ut uno anno, quod erat legitimum tempus consularis potestatis, aut Carthago Romanis armis succumberet, aut Hispaniæ, Galliæque subigerentur, aut Mithridatis, Tigranis innumeris subnixa nationibus potentia affligeretur, aut denique invictæ Latinis armis

Par-

[a] T. Liv. libr. 22. in fine. [b] Idem T. Liv. libr. 34. [c] Petronius in Satyrico. [d] Lucanus libr. primo. [e] Sallust. in Catilinar. in principio. [f] Tit. Livius in Proœmio. [g] Sallust. ibid. [h] Petron. Arbiter in Satyric. [i] Sallust. in Catilinar. [l] Idem ibid. [m] Sueton. & Plutarch. in Vitâ Cæsaris. [n] Plinius libr. 16. cap. 15. [o] Suet. in Vit. Cæs. cap. 27.

Parthorum opes attererentur; ex diuturnitate autem imperii cupiditas oriebatur; ex magnitudine rerum gestarum potentia publicæ libertati gravis, & æquabilitati, qua
6 unâ Respublica maximè continetur, haudquaquam opportuna. An verò [a] Magnus ille Pompejus exempli gratiâ, quum innumerabiles pæne victorias esset consequutus, quum tres de tribus terrarum Orbis partibus præclarissimos triumphos duxisset; inauditas ad eam diem Romanis nationes subegisset, Terras victoriis peragrasset, maria pacasset, Reges potentissimos domuisset, & supplices, & abjectos ad pedes imposito capiti diademate regnare jussisset; poterat, inquam, talis, ac tantus imperator, qui alia ex aliis bella gerendo, amplificandoque Romano imperio consenuerat, nihil inter ceteros eminere? eodemque, ac quilibet e mediâ plebe Quiritium, jure censeri? ille verò quamvis magnitudinem suam legibus submitteret, major tamen legibus habebatur. Itaque [b] quum in Italiam Mithridatico bello victor cum exercitu reverteretur, & regnum constituturus videretur, militibus Romæ sibi ad triumphum jussis occurrere, quum primùm Italiam attigit, dimisit exercitum; sed Romam venienti ex omnibus oppidis tanta se multitudo obviam effudit, ut non opus ei militibus fuisset, si regnare voluisset. Quam animi moderationem utinam ad extremum tempus ætatis conservare potuisset; & non aut secundis rebus elatus, aut inimicorum injuriis lacessitus æqualitatem ferre detrectasset, & soceri cupiditati incautius obtemperasset! non ipse ad extremum cum eâ, quam minuerat, libertate publicâ concidisset; adeo
7 ne boni quidem civis immodica magnitudo potuit esse non perniciosa Reipublicæ. Quid [c] Cinnæ, quid [d] Marii, quid [e] Syllæ potentia crudelissimorum hominum, cupidorumque dominationis, quantas Imperio clades attulit? quorum postremus non solùm vi, & armis obfuit civitati, sed etiam ambitione; nam quò sibi milites conciliaret, & haberet paratos ad omne facinus, exercitum indulgenter habuit, disciplinamque militarem [f] corrupit? quod exemplum multi sequuti Rempublicam funditus everterunt. Eodem modo Cæsarum imperio constituto, nimia quorundam potẽtia rem Romanã prorsus attrivit, qua nonnulli freti imperium affectabant; quorum discordiis civilibus quum essent accisæ opes, fluctuans Imperium invadebant, obruebantque Barbari. Quocirca verè dici potest Sarmatas, Alanos, Gepidas, Getas, Quados, Marcomannos, omnemque barbariem, quæ Italiæ spoliis gloriatur, cadaver Imperii, non ipsum Imperium lacerasse; nam Romana magnitudo a nullo alio, quàm a seipsâ superata est.

DISSERTATIO V.

De calamitatibus propter civiles Romanorum discordias.

Quintus Arbelius, quum se proscriptum reperisset exclamavit: heu prædium in Albano meum me persequitur, *& sic vociferans interfectus fuit. Sylla uno die, novem millia hominum interfici jussit.*

ANtiquitates Romanas, hoc est ad summam Imperii gloriam efflorescentis Reipublicæ res pace, belloque prosperè gestas libentiùs, quàm senescentis novas clades exequuturum se Livius [g] profitetur duabus de causis; & quòd felix illa materia tractatione sui scribentis animum paulisper avertat a conspectu malorũ, quibus eo tempore afflictum Imperium pæne concidit, & eversum est; & quòd prisca illa tradenti nullam afferant curam, quæ, & si non flectere a verò animum, sollicitum tamen efficere pos- 1
sit. Quæ duo in principio operis artificiosissimè ponuntur a Livio; excitant enim lectorem ad cupiditatem cognoscendi ea, quæ propter vetustatem obsoleta videbantur, conciliantque magnæ historiæ parti fidem; quod erat in primis rem tantam exordienti faciendum. Neque enim magis propositâ rei magnitudine attentum reddit lectorem, quum [h] ait: *res est præterea, & immensi operis, ut quæ supra septingentesimum annum repetatur, quæ ab exiguis profecta initiis eò creverit, ut jam magnitudine laboret suâ*; quàm quum pollicetur se ea scripturum, quibus animus relegendis a cogitatione malorum præsentium avertatur. Mirificè autem commendat opus ipsa materia, quam tractat Auctor; quum enim lectores ingentia bella, clatorum virorum exitus illustres, ac memorabiles, & res domi, forisque egregiè gestas, & exempla omnium virtutum legunt, non tam historiæ cognitione, quàm claritudine rerum delectantur; contra sæva jussa, mæstæ res, civium proscriptiones, & ut ait [i] Lucanus, jus datum sceleri cum animi contractione, & mœstitiâ quadam legun-

[a] Plutarch. in Vit. Pompeji, & Plin. libr. 7 cap. 26. [b] Plutarch. ibid. [c] L. Flor. libr. 3. cap. 21. Val. Max. libr. 2. cap. 3. & D August. libr. 3. cap. 27. & 28. de Civit. Dei [d] Val. Maxim. ibid. & Plutarch. in Vitâ C. Marii. [e] Lucanus libr. 2. Pharf. Plutarch. in Vitâ Syllæ, & D. Aug. de Civ. Dei l. 3. c. 28. [f] Plut. in Vit Syll. [g] T. Liv. in Procemio. [h] Idem ibid. [i] Lucan. l. 1. in princ.

gitur. Vidit hæc prudentissimus rerum gestarum scriptor Cornelius [a] Tacitus; quapropter libro quarto res hujusmodi narraturus suos annales cum eorum scripturâ componi vetat, qui res veteris populi Romani composuere; benignior illa materies, & lætior plus nimirum legentibus affert delectationis. Quod si quæ res fuerunt hujusmodi, ut ab earum cogitatione lector averti se gaudeat, illæ certè fuerunt, quæ extremis Reipublicæ temporibus acciderunt; quas repetere non fuerit supervacuum, ut intelligatur, a quorum cogitatione malorum animum Livius gaudeat avertere. Ergo se-
2 nescente Republicâ, & gravioribus, quàm antea jam affectâ morbis, duæ civitatis pestes [b] Marius, & [c] Sylla extiterunt, qui quàm adversùs hostes populi Romani fortes duces, & Patriæ salutares, tam adversùs cives acerbi hostes, & immanes tyranni fuerunt. Hi se invicem occeperunt gravissimo odio insectari, quod Marius victorias, quas [d] Bocchus in Capitolio dedicarat, interque eas imaginem Bocchi Jugurtham Syllæ tradentis, obtrectatione gloriæ, quam Jugurtham recipiendo Sylla sibi paraverat, dejicere voluisset. Verùm adolescenti Syllæ potentiæ cessit infracta Marii virtus; qui quum in exilium pulsus indignos tanto viro casus pertulisset, Cinnæque, qui [e] ab Octavio superatus Urbe excesserat, se adjunxisset, Romam reversus est; ibi [f] interfecto Octavio, Catulo, Antonio, Publio Lentulo, Marco Bæbio, Anchario clarissimis civibus trucidatis, quas aliorum strages edidit! quàm immaniter debacchatus est! Non dignitas cuiquam, non res gestæ, non ætas, non honores profuerunt; polluta cædibus templa, hospitii jura passim violata, constratæ cadaveribus viæ, contemptum sanctissimum jus amicitiæ, objecta feris, alitibusque corpora civium insepultorum, sævitum in defunctos; nihil crudelitatis relictum videbatur, nisi Sylla immanitatem Marii novâ immanitate vindicasset. Is com-
3 positis in Asiâ rebus, & ad pacis conditiones compulso [g] Mithridate cum quadringentis cohortibus in Italiam venit; ibi quindecim adversarum partium exercitus fundit, fugatque, Româ potitur, ubi optabilem fecit Marii sævitiam; quod enim scelus, dum ulciscitur scelera, non admisit? innocentissimos [h] cives interfecit; qui proscriptos occultassent, eos pœnâ capitis afficit; duo talenta præmium constituit interfectoribus, parricidia præmiis ingentibus est remuneratus, quibus multi incitati sævissima scelera perpetrarunt; non Amicis Amici, non servi dominis, non fratres fratribus, non filii parentibus pepercerunt. Neque ob studium solum partium, quod crimen sævitiæ victoris prætendebatur, clarissimi homines occidebantur; si cui magnificæ ædes, fertilis ager, familia speciosa, uxor formosior, ad supplicium rapiebatur. Ferunt Quinctum [i] Aurelium hominem a discordiis civilibus alienissimum, quum in forum venisset, magis ut aliorum sortem miseraretur, quàm quòd Syllæ proscriptionem ad se putaret pertinere, se quoque proscriptum reperisse; & quum clamaret, heu prædium in Albano meum me persequitur, esse trucidatum, quod magnæ hominum multitudini tradunt accidisse.
Quamquam si nemo occideretur, nisi qui 4
Marii partes fovisset, & quem Sylla jussisset, immensa tamen illa cædes futura fuerat; siquidem uno [l] die Sylla sex hominum millia jussit interfici, quum ipse ad ædem Bellonæ in propinquo Senatum haberet; & quum gemitu tantæ morientis multitudinis senatus esset exterritus, dixisse ferunt Syllam: nolite commoveri, nam pauci meo jussu castigantur. Nec tot hominum supplicio satiatus destitit Romanum sanguinem exorbere; quadraginta senatores, mille, & sexcentos equites Romanos e medio sustulit; reliquas cædes quis exequatur? Quæ Syllæ crudelitas ceterorum bellorum civilium levavit invi- 5
diam, quæ frequenter deinde exarserunt; nam & [m] Lepidus, quum post mortem Syllæ ejus honoribus adversaretur, cum Catulo conflixit, & in [n] Hispaniâ Sertorius ingens bellum concitavit, quod annos octo Romani vario marte gesserunt; Sertorio a suis interempto, bellum a Perpennâ redintegratum. Mox Catilina [o] Urbem incendere, & senatum delere conflatâ sævissimâ conjuratione molitus est; deinde [p] Cæsar, atque Pompejus dissidere cœperunt; sed Cæsaris mitis victoria, bellum funestum Reipublicæ, quo duo duces, quibus neque clariores alii, neque majores extiterant, committebantur; eæ verò copiæ confligebant, quæ si mens melior fuisset Romanis, Parthorum, Indorumque Reges, & quidquid nondum parebat Imperio, domare potuissent.

---

a Corn. Tacit. libr. 4. Annal. n. 32. b Plutarch. in Vitâ C. Marii, & Plin. de Vir. Illustrib. cap. 67. c Idem Plutarch. in Vitâ Syllæ, & Valer. Maxim. libr. 2. cap. 3. d Plin. de Viris Illustrib. cap. 75. at Plutarch. in Vitâ Marii, & Syllæ aliam affert caussam hujus odii, & aliam Plin. de Viris Illustr. cap. 67. & Luc. Flor. libr. 3. cap. 21. e L. Florus ibid. Lucan. libr. 2. & D. Augustin. libr. 3. c. 27. & 28. f Idem, qui supr. g Plutarch. in Vit. Syllæ. h Appian. Bell. Civil. libr. 1. i Plutarch. in Vitâ Syllæ. l Plutarch. ibid. Appian. l. 1. Oros. l. 5. c. 21. Eutrop. l. 5. c. 3. m L. Flor. l. 3. cap. 23. Appian. Bell. Civ. l. 1. Oros. libr. 5. cap. 22. n Plutarch. in Vit. Sertor. o Sallust. in Catilin. p Plutarch. in Vit. Cæsaris, & Pompeji, & Suet. in Cæsare.

sent. Nec morte Pompeji extinctum bellum; novæ rursus clades, nova belli moles in Africâ exurrexit, quam [a] Cato, & Scipio [b], & junior Pompejus ciebat; quo in bello fortuna Cæsaris paulisper nutavit, nec tamen ipsum destituit. Africâ pacatâ Cæsar, de quibus non oportebat, Romæ [c] triumphavit; & acerbior pæne populo Romano Cæsaris triumphus fuit, quàm victoria. Nec longa [d] requies a scelere, armisque civilibus intercessit; bellum iterum instaurantem Pompejum juniorem in Hispaniâ Cæsar debellavit. Constituta Respu-
6 blica videbatur, quum ecce aliæ clades; Cæsar a conjuratis [e] interemptus, ejus ultor Antonius hostis a senatu judicatus; bellum ingens conflatum, superatus [f] Antonius, Octavii perfidiâ oppressa Respublica; tunc illæ generis humani pestes [g] Lepidus, Antonius, Octavianus Orbis terrarum Imperium invaserunt: tunc bello victi [h] Brutus, & Cassius libertatis vindices conciderunt: tunc proscriptione sævitum; tunc civitatis Principes crudelissimè interfecti: tunc optimorum civium, & optimè de Republicâ meritorum bona acerbissimæ voci subjecta præconis: tunc omnia, quæ miserrima Mortales putant, accidere; non enim unus, ut antea, sed tres Syllæ Rempublicam lacerabant; boni passim trucidati; & quod non minus indignum est, præmiis ingentibus affecti impii, & conscelerati cives: nihil veteris disciplinæ, nihil antiqui moris relictum: oppleti cædibus campi, infecta maria, &, ut cum Poëta [i] loquar,

Quis gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes?
Quæ caret ora cruore nostro?

7 Nam post duplex naufragium, post interceptos Urbis commeatus, Urbisque famem, Pompejum juniorem [l] Cæsar ingenti prœlio navali inter Mylas, & Naulochum superavit; & quum suos hostes tres illæ furiæ civitatis universos sustulissent, inter se fatali rabie diffidere cœperunt. Sed Lepidi vincendi facilis ratio fuit; nam quamvis viginti subnixus legionibus, facilè ab Octavio exutus, & in ordinem coactus est; major moles adversùs duos Antonios superfuit. Nam Lucius [m] Antonius vix obsessâ Perusiâ, & extremâ fame laborante, ad deditionem compulsus est; Marcus Antonius [n] autem quum Ægyptum occupasset, & Orientis universi viribus niteretur, totius Occidentis opibus vix est debellatus. Quæ in tot civilibus bellis impia, nefanda, crudelia acciderunt, defleri non possunt; illud funestissimum vidit Orbis terrarum; Urbs urbium Regina a suis civibus capta, atque oppressâ libertate spoliata est; & quæ Barbaris etiam omnis humanitatis magistra, & origo fuit, nihil humanum a suis civibus impetravit. Horum malorum memoriam Livius exhorrescit, & refugit, 8
& in antiquis illis narrandis acquiescit; nam scribentis animus perinde afficitur, ut rei, quam tractat, natura postulat; ita enim Cicero in decima quartâ philippicâ scripsit: *refugit animus, Patres conscripti, eaque formidat dicere, quæ Lucius Antonius in Parmensium Liberis, & conjugibus effecerit*; ita & Cornelius [o] Tacitus ait: *quæ duabus ætatibus gesta conjunxi, quò requiesceret animus a domesticis malis*; perinde loquitur, ac si rebus iis interesset, quæ multis annis antequam Tacitus nasceretur, gerebantur.

DISSERTATIO VI.

De loco, ubi Livius sic ait: *omnis expers curæ, quæ scribentis animum, etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit.*

Historiam sui temporis conscribere periculosum maximè est. Historici ferè omnes neque odio, neque metu cujusquam, aut gratiâ se a veritate aberraturos polliceri solent. Augustus Livium Pompejanum vocabat. Caligulæ amatoriam potionem Cæsonia uxor præbuit, qua in insaniam incidit. Caligula Lunam assiduè ad concubitum invitabat; Senecam esse arenam sine calce dicebat. Refellitur Johannes Annius, qui Livium tanquam mendacem carpit. Itinerarium Antonini Philosophi confictum est a Johanne Annio.

Cremutium [p] Cordum ferunt historicum non ignobilem, quòd in historiâ Brutum laudasset, & Cassium ultimum Romanorum appellasset, in senatu ab Inimicis accusatum, quum ejus defensionem truci vultu excepisset Tiberius, voluntariâ morte Prin-

[a] Plutarch. in Vitâ Catonis. [b] Suetonius in Vitâ Cæsaris cap. 35 & Plutarch. in ejusdem Vitâ. [c] Suetonius, & Plutarch. ibid. [d] Idem Sueton. & Plutarch. ibid. [e] Sueton. in Vitâ Cæsaris cap. 82. [f] Plutarch. in Vit. Antonii. [g] Suetonius in Vitâ Augusti cap. 26. [h] Sueton. ibidem cap. 13. [i] Horat. libr. 2. Carmin. Od. 1. [l] Luc. Flor. libr. 4. cap. 8. Suetonius in Vitâ Augusti cap. 16. & Dio Cassius libr. 49. [m] Suetonius in Vit. Augusti cap. 14. & 15. [n] Plutarch. in Vitâ Antonii. [o] Cornel Tacit. libr. 6. num. 38. [p] Idem Corn. Tac. libr. 4. Annal. num. 33. & 34.

Principis crudelitatem effugisse. Ejus libros
1 per Ædiles conquisitos cremandos Patres censuerunt; neque tamen Tiberii potentiâ, aut senatus auctoritate deleti sunt; sed iniquo Principi superstites auctori suo, cui mortem pepererant, diuturnam in memoriâ Posterorum vitam attulerunt; eos, Tiberio defuncto, Caligula [a] requiri, lectitarique permisit; & Martia Cremutii Cordi filia publicavit; ut Suetonius, & [b] Seneca memoriæ prodidit. Hoc etiam pœnæ genere jampridem affectus fuerat Labienus, cujus historias, propter libertatem viri, ejus Inimici comburendas curaverant, tam frustra, quàm Cremutii Cordi scripta Tiberius. Ea iniquitas multorum animos a scribendo deterruit; ideo Cornelius Tacitus [c] ait: *Tiberii, Cajique, & Claudii, ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsæ, postquam occiderant, recentibus odiis compositæ sunt*, magnâ tamporum illorum ignominiâ, quibus laudanda facere perquam rarum, peccata proferre liberè periculosum fuit. Hoc metu quamquam Augusti seculum
2 minùs laboravit; quo Principe, sicuti Suetonius [d] testatur, nemini libertas fraudi fuit; nunquam tamen scriptoribus, qui sui temporis memoriam mandare litteris, ac liberè Posteris prodere instituerunt, si non pericula, odium certè, & offensiones defuerunt. Idcirco [e] Sallustius arduum esse dicit historiam scribere; quo in loco Sallustius, ut [f] Gellio placet, accepit arduum pro incommodo; quod de omni historiâ a Sallustio dictum de eâ veriùs affirmatur, quæ memoriam rerum ab Auctoris ætate non remotarum complectitur; rationem hujus rei reddit [g] Cornelius Tacitus his verbis: *tum quòd antiquis scriptoribus rarus obtrectator; neque refert cujusquam Punicas, Romanasque acies lætiùs extuleris; at multorum, qui Tiberio regente pœnam, vel infamiam subiere, Posteri manent*. Quod si [h] Tacitus, qui Trajano rerum potiente res Tiberii perscribebat, nonullorum offensiones verebatur, quantò magis easdem vereantur, necesse est, qui sui temporis historiam exequuntur? Hic est ergo metus ille, vel cura, cujus expertem se Livius in priscis illis tradendis futurum esse confirmat, de quo loco breviter hodierno die differemus. Verba [i] Livii sunt hæc: *ego contra hoc quoque laboris præmium petam, ut me a conspectu malorum, quæ nostra tot per annos vidit ætas, tantisper certè, dum prisca illa totâ mente repeto, avertam, omnis expers curæ, quæ scribentis animum & si non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit*. Quo in loco Livius facit idem, quod omnes pœne scriptores; etenim polli- 3
cetur, nihil odio cujusquam, nihil gratiâ, nihil metu aliter, quàm veritas postulet, traditurum. Eodem modo Sallustius, cujus immortalem, ut [l] Quintilianus ait velocitatem diversis Livius virtutibus est consequutus, se dicit eâ de causâ præcipuè ad scribendum animum appulisse, quòd causa, cur mentiretur, non esset: *statui*, [m] inquit, *res gestas populi Romani carptim, & ut quæque memoriâ digna videbantur, perscribere; eo magis, quòd mihi a spe, metu, partibus Reipublicæ animus liber erat*; & Tacitus [n] alter Sallustius ait: *inde consilium mihi pauca de Augusto, & extrema tradere; mox Tiberii principatum, & cetera sine irâ, & studio, quorum causas procul habeo*; & in historiis affirmat nihil se gratiæ, nihil odio cujusquam tributurum, sed omnia ex historiæ fide traditurum: *mihi Galba, Otho, Vitellius. nec beneficio, nec injuriâ cogniti; dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longiùs provectam non abnuerim; sed incorruptam fidem professis nec amore quisquam, & sine odio dicendus est*. Quibus ferme similia habet Dionysius [o] Halicarnasseus, qui nonnullos ait amore, vel odio plerumque mentitos; sibi autem utraque re, & præcipuè adulatione mentem liberam esse. Hæ igitur animi affectiones, quas
4 modò laudati scriptores nominant, spes videlicet, metus, amor, odium afferunt animo curam, cujus expertem se Livius in priscis illis tradendis fore profitetur; itaque quum hæc verba ponit: *omnis* [p] *expers curæ, quæ scribentis animum & si non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit*; nihil sibi veritate antiquius esse confirmat. Et sanè Auctori nostro in omnibus fidem, ac veritatem constitisse cum multa declarant, tum illud inprimis, quod quum is Augusti amicitiâ [q] floreret, tantis tamen magnum Pompejum laudibus tulit, tamque liberè bellum civile perscripsit, ut Augustus Pompejanum ipsum solitus sit appellare. Idem Cassium, & Brutum sæpe laudavit, quum eorum uterque bellum acerrimum adversùs Augustum pro Patriæ libertate gessisset. Quòd si neque metu, neque gratiâ maximi post homines natos Principis, cujus Orbis terrarum horrebat nutum, & vim, potentiamque Parthorum, Indorumque Reges, & ultimi Seres pertimescebant, Livius moveti potuit, quominus om-

a Suetonius in Vitâ Caligulæ cap. 16. b Seneca de Consolatione ad Marciam. c Cornelius Tacitus libr. 1. Annal. n. 1. d Suetonius in Vitâ Augusti. e Sallustius in Catilinar. f A. Gell. libr. 4. c. 15. g Cornel. Tacit. libr. 4. Annal. n. 33. h Cornel. Tac. in Vitâ Agricolæ n. 44. i T. Liv. in Procemio. l Quintilian. libr. 10. cap. 1. Instit. Orat. m Sallust. in Catilin. in Procem. n Cornel. Tacit. libr. 1. Annal. in princip. o Dion. Halic. Antiq. Roman. libr. 1. p T. Liv. in Procemio. q Corn. Tacit. Annal. libr. 4. n. 34.

omnia, quæ etiam contra Cæsaris voluntatem sentiebat, audacter, libereque proferret, qui credi potest odio quarumdam nationum nonnihil a veritate deflexisse? quod miror nonnullos credidisse, atque prodere ausos. Quapropter irrideamus Johannem
5 illum Annium nobilem nugatorem, qui in commentario, quem in Fabium Pictorem, ut ipse appellat, edidit, Livium tanquam mendacem, verbosum, negligentemque carpit; idque [a] Caligulæ testimonio probat, qui Livium sicut omnes bonos, improbabat; perinde ac si hominis, illius indicium, & non deterrimæ, & inquinatissimæ pecudis deberet judicari. Caligula testis citatur adversùs Livium, ejusque sententiâ princeps historicorum in ordinem cogitur; ille Caligula, qui nihil habuit humani præter formam, qui optavit, ut populus [b] Romanus unam haberet cervicem, ut posset uno ictu omnes e medio tollere; qui [c] sororum stupris fœdus, quas contaminarat, aviæ [d] Antoniæ, fratris Tiberii, soceri Syllani, quos crudelissimè necaverat, furiis agitatus; qui tot innocentium, quos trucidaverat, pœnis cæcus, & amens non solùm bonis artibus vacare non poterat, sed ne mente quidem satis consistere, audietur? quum eadem dementiâ, qua dixit, & fecit omnia, ex illustrium scriptorum cœtu Livium tollat; quasi verò nesciamus Caligulam non mediocri insaniæ morbo laborasse, quod [e] Suetonius testatur his verbis: *mentis valetudinem & ipse senserat, ac subinde de secessu, deque purgando cerebro cogitavit; creditur potionatus a Cæsoniâ uxore amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit*: & [f] Cornelius Tacitus ait: *etiam Caii Cæsaris turbata mens*
6 *vim dicendi non corrupit*. Sed idem & Caligulæ facta declarant; quid enim dementius, quàm quòd adversùs Oceanum duxit [g] exercitum Caligula? & quum in Oceani litore directâ acie, tormentis, machinisque dispositis diu stetisset, nemine gnaro quid esset cepturus, repente, ut conchas legerent, galeasque, & sinus replerent, militibus imperavit? quid quod Lunam [h] assiduè amplexus, & concubitum invitabat? quid [i] quod se cum Jove colloqui simulabat, Jovi minabatur, Jovem maledictis incessebat? videntur ne hæc sanæ mentis argumenta? & hujus judicio Principis, quem monstrum Suetonius jure nuncupat, credendum putabimus? Parum abfuit, quin scripta, statuasque [l] Titi Livii ex omnibus blibliothecis Caligula amoveret; quid? nonne meminimus quomodo [m] Jovis, quem tam superstitiosè metuebat, ut ad minima etiam tonitrua, & fulgura expavesceret, simulacrum, aliorumque Deorum tractare fuerit aggressus; quibus [n] caput demere, &
suum imponere cogitavit? nonne scimus, 7
quantâ invidiâ, livore, malivolentiâ omnes claros viros fuerit insectatus; quorum statuas evertit, atque disjecit? si quod Livium Caligula improbavit, de Livio minùs honorificè sentiemus, quid [o] Homero, quid Virgilio faciemus; quorum alterius carmina abolere, alterius imagines e bibliothecis tollere in animo habuit? tollamus e numero disertorum [p] Senecam, quem *commissiones meras edere, & arenam esse sine calce* Caligula affirmabat. Sed enim 8
Caligulæ auctoritas sanè levis habeatur; quid respondebimus Antonino Principi sapientissimo, cujus itinerarium citat Annius eo loco, ubi sic ait: *fano Juturnæ, cujus præclaris gestis invidet Livius*. Ex quo putat effici Livium utpote invidum in historiâ scribendâ parum sincerâ fide esse versatum. Ego verò, si putarem id ab Antonino Philosopho, vel alio quopiam vetusto Auctore dictum, sanè quàm commoverer, sed quum hoc Itinerarium non sit Antonini, sed ipsius Annii, ut ostendit pluribus in Italiâ suâ Cluverius, quid restat, nisi ut irrideamus hominis nugas sub clarorum virorum nominibus nobis illudentis? Nam sciendum est Annium vetustissimorum Auctorum nomine libros, quos ipse confinxerat, insignivisse, ac pro veris obtrusisse, ac fucum fecisse hominibus parum doctis, certè non satis prudentibus, ut doctissimis viris placuisse video, & res ipsa clamat; nam ut de aliis interea sileam, nihil hoc itinerario Antonini, quod evulgavit Annius, insulsius, atque ineptius. Præterea ab eo longè diversum est, quod Josias Simlerus edidit, & commentariis illustravit, a quo absunt illa verba, quæ Annii calumniam confirmant. Quàm igitur accusatio Livii levis est existimanda, quum ex duobus testibus, qui adversùs Livium citantur, alter sit ab accusatore fictus, alter intestabilis, ipse verò accusator mendacissimus?



DIS-

[a] Sueton. in Vitâ Caligulæ cap. 34. [b] Idem ibid. cap. 30. [c] Idem ibid. cap. 24. [d] Idem cap. 23. [e] Idem Sueton. ibid. cap. 50. [f] Cornel. Tacitus Annal. libr. 13. cap. 3. [g] Sueton. in Caligul. cap. 46. [h] Idem ibid. cap. 22 [i] Idem eodem loco. [l] Idem cap. 34. [m] Idem ibid. cap. 51. [n] Idem Sueton. cap. 22. in Caligul. [o] Idem ibid. cap. 34. [p] Sueton. ibid. cap. 53.

DISSERTATIO VII.

Qua nonnullæ Henrici Glareani adversùs Livium calumniæ diluuntur.

Nationis cujusque propria sunt aliqua vitia. Cambysem septem annos regnasse tradit Herodotus; undeviginti autem Clemens Alexandrinus. Darius triginta septem annos regnasse fertur; sed Clemens Alexandrinus tradit sex, & quadraginta. Decem millia Græcorum duodecies centena millia Persarum devicerunt. Nationum mores sæpe mutantur; quin & ipsæ regiones maximas interdum suscipiunt mutationes. Hispaniam ab inopiâ dictam aliqui falsò putant. Romani nationibus omnibus humanitatis auctores extiterunt.

INsurgit alia calumniæ moles aduersùs Auctorem nostrum, quam Henricus Glareanus vir alioquin non ineruditus conflavit, qui Livium putat studio quibusdam nationibus obtrectandi parum sincerè quædam prodidisse; qui Glareanus homo transalpinus invidisse mihi videtur Italorum gloriæ; siquidem Latinos Auctores ubique reprehendit, Græcos extollit; & in illis redarguendis magis est, quàm illustrandis occupatus. Is quoniam in hac re Livium culpandum existimavit,
1 quoniamque eò devenimus, ut de Annio Livii obtrectatore diceremus, non abs re fuerit ejus dicta quam brevissimè refellere. In epistolâ igitur dedicatoriâ adnotationum, quas in Livium scripsit, Auctorem suum damnat, quòd Gallis præcipuè obtrectaverit fortissimæ, nobilissimæque nationi, quum belluas eos appellarit, & stupidos, & corporibus diffluentes. Magnum sanè crimen, & Historico principe indignum, si maledicendi studio tam contumeliosè appellat florentissimam nationem; sed tamen si, quibus in locis hæc de Gallis dixerit Livius, consideremus, nihil odio nationis illius datum nobis apparebit. Nam belluas Gallos vocavit tribus, aut quatuor in locis omnino; in septimo libro M. Popilius Lænas Consul suas copias ad rem strenuè gerendam cohortans: *non cum Latino*, inquit, *Sabinoque hoste res est, quem victum armis socium ex hoste facias; in belluas strinximus ferrum*; & eodem libro Manlius adversùs Gallum provocantem singulari certamine pugnaturus ait: *si tu permittis, imperator, volo ego illi belluæ ostendere*; & M. Furius Camillus in oratione, qua Ardeates ad bellum gerendum adversùs Gallos adhortatus [a] est: *ubi nox appetit*, inquit, *prope rivos aquarum, sine munimento, sine stationibus, ac custodiis passim ferarum ritu sternuntur*; & paulò post: *nisi victos somno, veluti pecudes, trucidandos tradidero*; quibus in locis non ipse Auctor loquitur, neque sententiam expromit suam, sed alienæ sententiæ, personæque accommodat orationem. Quid ergo mirum, si Romanos duces, vel Manlium illum interfecto Gallo nobilem, vel ostentandi odii gratiâ, vel quò militum animos accenderent, in eam nationem contumeliosè loquentes inducit? quum verisimile sit ipsos multo fœdiora probra in Gallos congessisse. Quod si Historico non conceditur, non modò Livius accusandus est, quòd Gallos, 2
sed etiam quòd Romanos obtrectaverit; siquidem apud eundem lupos imperator hostium alludens, originemque respiciens, Romanos vocat; & excindendam gentem jactat; & Vibius Virrius Romanos feris bestiis comparat libro sexto belli Punici secundi. Jam verò avaritiæ, crudelitatis crimina innumeris in locis hostes Romanis exprobrantes facit; neque tamen quisquam, cui cor sapiat, dixerit odio Romanorum hæc Livium pronunciasse; quum vero propius esse videatur studuisse nimium, quàm parum Romanis Livium; & appareat illa non ex Auctoris dici sententiâ; sed eorum, qui hostili animo de Romanis loquebantur; eodem modo Gallis non maledicit, quum hostes eorum contumeliosè de ipsis loquentes inducit. At enim libro decimo 3
Gallorum corpora intolerantissima æstus, laboris fluere dicit; id enim Livio secundo loco Glareanus objicit; quod ipsum studio Gallos vituperandi neutiquam dixisse, sed veritate adductum intelliget, quicumque reputaverit hanc de Gallis opinionem fuisse vetustissimam, & omnium consensu confirmatam: Gallorum impetus acres, ac vehementes haudquaquam esse diuturnos, sed interposito brevi spatio languescere. Quare Polybius historiarum libro secundo Romanos tribunos laudat, quòd quum animadvertissent Gallos citò defatigari, nec perinde processu temporis, ac primo impetu, valere, milites viribus temperare jussissent; & initio certaminis arcere magis hostes, quàm inferre pugnam, ut mox fessos Gallos integri viribus adorirentur; quod consilium [b] Livius tribuit Q. Fabio Rutiliano, qui Gallos eâ ratione dicitur fatigasse. Quod mirum, nemini debet videri; scitum est enim, quod Lucius [c] Florus elegans

a Tit. Livius libr. 5. b Idem libr. 10. c Luc. Florus libr. 2. cap. 4.

legens inprimis Auctor scribit, Gallorum primos congressus plusquam virorum esse, postremos minùs, quàm feminarum; sed & Cæsar, quem Glareanus tanquam eximium Gallorum laudatorem unice laudat, eorum animum mollem, & minimè calamitatibus resistentem esse dicit. Quæ profectò non malevolentiâ, neque obtrectandi studio dicuntur a præstantissimis Auctoribus; quid enim minùs convenit, quàm veritatem professis odium, & obtrectatio? sed sicut
4 hominum, ita vitia quædam sunt propria cujusque nationis. Hispanos [a] Athenæus in victu sordidè parcos, nimiùm in vestitu splendidos esse tradit; eorumdem cerbereum supercilium, superbiamque [b] sugillat Scaliger: vino, epulisque deditos Germanos Cornelius [c] Tacitus asseverat; inhospitales Britannos [d] Horatius, Siculos [e] dicaces Tullius: Punicam [f] fraudem Romani scriptores damnant: Græcam [g] fidem Comici carpunt: Thebanos [h] ingenio hebetes vetus [i] proverbium declarat, quod aspexit [l] Pindarus, quum se Bœotiam suem effugisse gloriatur: Ægypti superstitionem Juvenalis [m] irridet: nequissimos fuisse Phryges, & Lydos, improbissimos Cares Tullius asseverat: Ætolorum [n] avaritiam, injustitiamque Polybius reprehendit: Cretensium perpetuam [o] mentiendi libidinem notat Epimenides: Asianos [p] molles, Arabes rapaces, & prædatores, stolidos esse Getas clarissimi Auctores prodiderunt. Quid singu-
5 larum gentium vitia persequar? præclarè Venusinus Poëta [q] dixit:

...... vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,
Qui minimis urgetur ......

Quum autem unicuique genti aliquod vitium natura tribuisse videatur; quæ tandem invidia est, si & Gallorum natio suis vitiis dicitur laborasse? Accedit eodem, ut plerumque disciplina desit, & institutio, quod Gallis arbitror antiquitus accidisse; quum igitur ita naturâ comparatum sit, ut ceteræ animantes nullo doctore, naturâ duce teneant ea, quæ sunt ad suum munus exequendum necessaria; homo autem solus omnium nihil planè sciat, nisi accedente cultu, & disciplinâ, miramur eas nationes, quæ indoctæ, incultæque vixerunt, moribus absonis, insignique stultitiâ fuisse? Quid tu mihi, Glareane, ex præsenti Gallorum solertiâ, industriâque singulari Livium mentitum judicas, quòd eos impetu magis, quàm ratione bella gerere confirmavit? quasi verò nunquam gentium mores, & instituta mutentur? & non pleræque nationes ex efferatissimis, & barbaris mitissimæ, ex fortibus molles, imbellesque, ex rudibus, atque impolitis omni humanitate perpolitæ, eruditæque soleant interdum evadere? Persæ [r] Rege Cyro temperantiâ insignes etiam bellicis laudibus præstiterunt; 6
consequutis temporibus effeminatissimi, & bellicæ virtutis expertes fuerunt; quòd eo mirabilius est, quod inter summam fortitudinem, & ignaviam Persarum non ita multæ ætates intercesserunt. Nam [s] Cyro, quum triginta annos imperasset, successit [t] Cambyses, qui septem, ut [u] Herodoto placet, annos rem Persarum administravit, quamvis Clemens [x] Alexandrinus annos undeviginti rerum potitum asseveret; post Cambysem regnum tenuit [y] Magus, qui septem menses Asiæ rexit Imperium, quo interfecto [z] Darius triginta sex annos obtinuit principatum, vel, ut [a] Clementi Alexandrino visum est, sex, & quadraginta, qui moriens Xerxi [b] regnum reliquit. Hic anno quinto Imperii quum arma Græciæ intulisset, adeo imbelles Persæ [c] fuerunt, ut a paucissimis Spartanis pecudum more trucidarentur; & quum soli suâ multitudine Græcos obtriturі viderentur, a Græcis victi maria, & terras naufragiis, & stragibus impleverunt. Ex quo intelligi potest quinquaginta annis, vel summum septuaginta Persarum mores a Majorum virtutibus plurimum descivisse; quàm autem brevi præcipites iverint, ex his, quæ dicemus, apparebit. Nam Xerxes [d] expletis annis viginti sui regni decessit; post hunc per annos sexaginta Persarum Imperium administravit, Artabanus [e], Artaxerxes, Xerxes, Sogdianus, Darius Nothus; quo extincto [f] regnum suscepit Artaxerxes; adversus hunc annum jam quartum imperantem Cyrus junior subnixus Græcorum auxiliis bellum gessit; quo [g] tempore tanta Persarum ignavia fuisse dicitur, ut hostium clamorem minimè sustinerent; & a decem millibus Græcorum centum viginti Persarum.

[a] Athen. libr. 2. cap. 6. [b] Scaliger. Poëtic. libr. 3. cap. 16. [c] Cornel. Tac. de Moribus Germanor. [d] Horat. libr. 3. Od. 4. [e] Cicer. in Verrem act. 6. & libr. 2. de Oratore. [f] Tit. Liv. libr. 26. & 30. [g] Plaut. in Asinariâ act. 1. sc. 3. [h] Athen. libr. 10. cap. 11. & Cornel. Nep. in Vit. Alcibiad. in fine. [i] Plutarch. de Esu carnium. [l] Pindar. Olymp. Od. 6. v. 152. [m] Juvenal. Satyr. 15. [n] Polybius Histor. libr. 2. [o] Epimenid. de Oracul. apud D. Paulum in Epistol. ad Titum cap. 1. & D. Hieronym. in Commentar. in hanc Epistol. [p] Jul. Firmicus libr. 1. cap. 1. [q] Hor. Satyr. libr. 1. Sat. 3.


[r] Xenoph. Cyri Instit. libr. 1. in princ. [s] Clem. Alexandr. Strom. l. 1. annos 29. juxtà Herodot. libr. 1. cap. 214. [t] Herod. l. 2. in princ. [u] Idem libr. 3. cap 66. [x] Clem. Alexandr. Strom. libr. 1. [y] Herod. libr. 3. cap. 67. [z] Idem l. 7. cap. 4. [a] Clem. Alex. Stromat. libr. 1. [b] Herod. libr. 7. cap. 5. [c] Herod. libr. 7. & 8. Corn. Nep. & Plutarch. in Vit. Themistocl. [d] Diodor. Sicul. libr. 11. pag. 278. [e] Ctesias de Rebus Persicis apud Photium Biblioth. 72. [f] Xenoph. de Exp. Cyri libr. 1. in princ. [g] Xenoph. ibid. & Plutarch. in Vit. Artaxerxis.

rum myriades vincerentur. Quæ declarant ſæculi unius intervallo Perſas a ſummâ virtute, ſolertiaque ad ſummam deſidiam, animique mollitiem defluxiſſe. Jam Parthi ob-
7 ſcuriſſima natio, & nullâ virtute nobilis, eò gloriâ, rebuſque geſtis proceſſit, ut ſe Romanæ magnitudini propemodum adæquarit; Babylonii, Lydi, Etruſci veteres & luxuriæ ſunt, & fortitudinis exemplum. Quid doctius antiquâ Græcia? quid indoctius novâ? quid magis abhorruit ab omni doctrinâ, & humanitate, quàm vetus Germania? quid doctius, aut humanius novâ dici poteſt? Aborigines, ut Salluſtius [a] ait, *genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum, atque ſolutum*, quum in una mœnia convenîſſent, urbemque Romam condidiſſent, omnes Mortales regnandi artibus, & juſtitiâ, temperantiaque ſuperarunt. Spartani [b] veteres ante conditas a Lycurgo leges ſolutis luxu moribus utebantur, vitaque deliciis affluente, nec finitimis bello pares propter animi mollitiem eſſe poterant; legibus conſtitutis, temperantiâ voluptatum, & virtute bellicâ omnes ferè gentes præſtiterunt. Neque nationum ſolùm
8 ingenia, moreſque mutantur, ſed ipſæ regiones incredibiles interdum ſuſcipiunt mutationes. Germania, Tacito [c] teſte, quondam in univerſum aut ſilvis horrida, aut paludibus fœda, terris informis, aſpera cœlo, triſtis cultu, aſpectuque fuit; nunc & ſatis floret hominum cultu, & florentiſſimis oppidis nitet. Hiſpaniam veteres omnes feraciſſimam prodiderunt; Plinius omnibus, Italiâ exceptâ, terris anteponit; Juſtinus libro quadrageſimo [e] quarto fertiliorem Galliâ dicit his verbis: *hæc inter Africam, & Galliam poſita Oceani freto, & Pyrenæis montibus clauditur; ſicut minor utraque terrâ, ita utraque fertilior*. Quæ de Luſitaniæ, quæ Hiſpaniæ pars eſt, feracitate, & beatiſſimâ copiâ rerum, quibus antiquitus abundabat, apud Athenæum [f] Polybius tradit, vix credi poſſe videntur; nunc autem Hiſpaniæ, & ſi ceteris laudibus floret, hac fertilitatis non magnopere gloriatur; ex quo nonnulli magis præſentem regionis naturam, quàm vetuſtam felicitatem reſpicientes Hiſpaniam ἀπὸ τῆς σπανίας id eſt ab *inopiâ* falsò putant nominatam. Longum, & ſupervacaneum fuerit enumerare nationes, quæ mutationem aliquam ſuſceperunt; ipſi Galli immani corporum magnitudine dicuntur fuiſſe [g] Polybio, Cæſare [h], Livio [i], Ammiano [l] Marcellino auctoribus; nunc potiùs breviores Italis, quàm proceriores ſunt. Quòd ſi tantæ in moribus, animis, corporibuſque, & re- 9
gionibus, gentium mutationes exiſtunt; quis exiſtimet ex præſenti Gallorum laude veterum ingenia, mores, inſtituta, naturam judicanda? Fuit illud olim tempus, Glareane, quum, ſiquid Polybio [m] Hiſtorico Græcorum omnium longè graviſſimo credimus, Galli nullis urbibus conditis humi ſuper ſtrato gramine ſomnum capiebant; & omnis expertes diſciplinæ nullas artes noverant præter bellicas, eaſque Barbarorum more, non mentis ſolertiâ, ſed inconſulto quodam impetu exercebant; paulatim deinde commercio cum Romanis conſtituto, & eorum Imperio ſubjecti, & ingenia excoluerunt, & artes didicerunt, & ex barbaris, & indoctis doctiſſimi, humaniſſimique evaſerunt. Hac ego de causâ exiſtimo magis a Cæſare [n] ſolertiam Gallorum laudari, quàm a Livio, quòd Livius [o] in his, quos præ manibus habemus, libris res ab antiquioribus Gallis geſtas perſcribit; Cæſar autem de Gallis loquitur, qui jam aſſueverant quodammodo Romanis moribus, & ab illis artes acceperant, & aliquâ ex parte ſaltem barbariem antiquam exuerant. Neque id Galliæ minùs honorificum debet judicari, quum omnes ferè nationes Romanos auctores morum, doctrinæ, artium, prudentiæ, legum, humanitatis agnoſcant; non enim præclarè magis, quàm verè Plinius libro tertio capite quinto Italiam, atque adeo Romam ipſam laudat his verbis: *nec ignoro ingrati, ac ſegnis animi exiſtimari poſſe meritò, ſi breviter, atque in tranſcurſu ad hunc modum dicatur terra omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine Deûm electa, quæ Cælum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, rituſque molliret, & tot populorum diſcordes, feraſque linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breviterque una cunctorum gentium in toto Orbe Patria fieret*.



DIS-

[a] Salluſt. in Catilin. [b] Plutarch. in Vitâ Lycurgi. [c] Cornel. Tacit. de Morib. German. [d] Plin. libr. 3. cap. 1. [e] Juſtin. Hiſtor. libr. 44. in principio. [f] Polybius Hiſtor. libr. 34. apud Athen. libr. 8. in ipſo princip. [g] Polyb. Hiſtor. libr. 2. [h] Cæſ. de Bello Gallico. [i] Tit. Livius libr. 5. 7. & 38. [l] Ammian. Marcellin. libr. 15. [m] Polyb. Hiſtor. libr. 2. [n] Cæſar de Bello Gallico. [o] Tit. Livius ibidem, & alibi.



DISSERTATIO VIII.

De Historiæ laudibus.

Græcos pueros appellat Plato, quòd paucorum sæculorum historiam haberent. Reipublicæ administrandæ prudentia exemplis acquiritur, nec dissentire Plato dici potest. Cicero Atheniensium, ceterorumque Græcorum jus civile præ duodecim tabulis contemnit.

ÆGyptius ille Sacerdos, qui multa memorans de rebus gestis Atheniensium in Timæo Platonis [a] inducitur, Græcos omnes pueros non dubitat appellare, non quòd illis matura virtus, & plurimarum cognitio rerum deesset; sed quòd omnem propemodum Antiquitatem ignorarent, neque historiam tenerent, nisi paucorum oppidò sæculorum. Existimavit nimirum Ægyptius ille sapiens, vel potiùs Plato omnium sapientissimus, hominem quamvis ad ultimam senectutem pervenisset, & ingenio præstaret, & usu rerum maximarum, parum tamen a puero differre, nisi historiæ beneficio omnia ævi memoriam complexus esset. Nec mehercule immeri-
1 to, nam quemadmodum pueros, & adolescentes imprudentes putamus, quòd propter ætatem parum multa videre, & audire potuerunt; quibus velut exemplis docti utilia a damnosis, a periculosis tuta secernant; ita quicunque historiam nescit, quàmvis multum ætate jam processerit, imperitus rerum meritò habebitur; siquidem ejus cognitio, & scientia humanæ vitæ terminis augustis sanè concludatur, necesse est. Quum enim præterita conferendo præsentibus de futuris conjecturam optimè capiamus; præteritorum ignoratione quicunque fuerit ignarus historiæ, neque futura poterit prospicere, & providere, neque cum laude regere, & administrare præsentia. Jure igitur historiam Livius laudat, quum in totius operis proœmio sic ait: *hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre, ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri; inde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Quæ
2 verba propterea quod nihil habent obscuritatis omisissem libens, nisi ad instituti operis tractationem putassem pertinere; quum enim præstantissimam historiam, & præstantissimum historicorum explicandum susceperimus, operæpretium est exponere, quinam ex historiæ cognitione fructus capiatur, ne frustra a nobis omnis labor susceptus esse videatur. Simul & illud nos impulit, ut de historiæ utilitate verba faceremus; quòd video esse nonnullos, qui tantam ex cognitione rerum gestarum utilitatem percipi negent; neque enim exemplis, aut ullâ arte ad prudentiam perveniri posse putant; quòd quum tam varii casus humani, inconstansque fortuna sit, nihil certi in hujusmodi rebus præcipi posse videatur, neque ullum exemplum, quod omnino sit alteri simile, reperiri; ac, si maximè possit, tantam esse vim fortunæ, ut ab iisdem initiis diversi, ac sæpe contrarii exitus consequantur. Quapropter meo quidem judicio prudentiam funditus tollunt, & rem omnem fortunæ, temeritatique committunt; & quemadmodum in studio sapientiæ philosophi [b] quidam extiterunt, qui universam Mundi molem non divino consilio regi, sed casu voluerunt; sic in hujusmodi studio sunt, & fuerunt nonnulli, qui res humanas non cujusquam prudentiâ gubernari; sed pro fortunæ libidine sua deque verti confirmant; ex quo versiculus ille a plerisque laudatus [c] est

..... *Vitam regit fortuna, non sapientia*

Ut minimè sit mirum, si, quod [d] Plinius ait, *sola fortuna in totâ ratione Mortalium utramque paginam facit*. Cujus opinionis Au- 3
ctores Platonem testem citant longè locupletissimum; qui in Protagora pluribus verbis ostendit prudentiam administtandæ Reipublicæ tradi arte non posse. Quod si consentaneum sit veritati, effici putant nihil ad Reipublicæ gubernandæ facultatem conferre historiæ cognitionem, exemplorumque copiam; nam si conferret, prudentia tradi disciplinâ posset, quemadmodum historiæ cognitio traditur. Sed Plato prudenter, hi stultissimè disputant; nam Plato in Protagora haudquaquam negat adhibito studio, & mentis agitatione perfici prudentiam; sed arrogantiam sophistarum confutat; qui quum essent omnium ignari, se docturos esse profitebantur Reipublicæ administrandæ rationem. Quo quidem in loco sapientissimè docet non satis esse ad prudentiam, virtutemque civilem comparandam præcepta doctorum, & ingenii magnitudinem, naturæque præstantiam; sed opus esse Deûm benignitate, & quadam benevolentiâ Numinis; hi verò dum historiæ utilitatem elevant, abjiciuntque dicendo, virtutem unam omnium excellentissimam prudentiam tollunt, & clarissimum vitæ lumen

a Plato in Timæo paulo post princip. b Cicer de Nat. Deorum libr. 1. Stobæus Eclog. Physic. libr. 1. cap. 10. & Lucret. libr. 6. c Menander apud Cicer. libr. 5. Tuscul. & apud Stob. Eclog. Phys. libr. 1. cap. 10. de Fortun. d Plin. l. 2. cap. 7.

men extinctum volunt; nullam enim viam bene vivendi, rationemque Reipublicæ laudabiliter administrandæ nobis relinquunt, qui exempla nihil vitæ conducere opinantur; exemplis quippe sublatis prudentiæ interitus consequatur, necesse est. Quo
4 enim pacto quid utile, quid damnosum, quid petendum, fugiendumve sit, possimus condiscere, nisi nobis ostendatur exemplis? rudes enim nascimur, & bonorum, malorumque juxta ignari; ubi autem adolevimus, & cœpimus animadvertere ex aliis actionibus damnum, probrum, dedecus, ignominiam, ex aliis utilitatem, decus, gloriam nasci; paulatim utilia, & honesta petere discimus, aversarique contraria: quibus omnino rebus prudentia omnis, & ars vitæ continetur. Hinc [a] apud Horatium bonus ille pater filium ab omni turpitudine absterret exemplis,

..... insuevit pater optimus hoc mi
Ut fugerem exemplis vitiorum quæque notando,
Quum me hortaretur parcè, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset.
Nonne vides, Albi ut male vivat filius, utque
Barrus inops .....

cetera deinde persequitur diligenter, & singula notat exemplis; quod latius etiam patet; omnes enim artes docemur exemplis; sed ad civilem redeo. Num [b] Lycur-
5 gum putamus tam salubres Reipublicę Spartanorum leges conditurum fuisse, nisi eâ tempestate laudatissimas Cretensium leges inspexisset? num [c] decemviros illos, qui civitatem Romanam egregiè legibus temperarunt, id præstaturos, nisi universâ Græciâ peragratâ præstantissima quæque elegissent? ex quo Romanæ leges adeo ceteris præstiterunt, ut Cicero Atheniensium jus civile, ceterorumque Græcorum præ duodecim tabulis contemnat, & ridiculum vocet. Et ut ab universæ Reipublicæ ad partium ejus temperationem veniam; sæpenumero a magnis viris res domi, militiaque præclarè gestas exemplis ex historiâ petitis fuisse contendo. Testis est Luculli [d] mira solertia, & ingenii magnitudo, qui quum ad bellum Mithridaticum proficiscens rei militaris imperitus, & rudis haberetur, tantum historiæ cognitione profecit; ut duos potentissimos Reges Mithridatem, atque Tigranem ingentibus prœliis victos profligarit, urbes maximas ceperit, Asiamque totam belli terrore concusserit, subversurusque etiam videretur Imperium Parthorum, nisi milites nactus esset contumaces. Testis [e] Cicero- 6
nis prudentia, qui quum Respublica occiso Cæsare fluctuaret, Atheniensium exemplo, qui [f] exactis triginta tyrannis legem tulerant, quam ἀμνηστίαν appellarunt, ne quis eorum rationem reddere cogeretur, quæ tyrannis rerum potientibus fecisset, auctor senatui fuit, ut senatusconsulto caveret, ne quis eorum, quæ sub Cæsare, & in bello civili gessisset, reus arcesseretur, Rempublicam, quantum in ipso fuit, inductâ malorum oblivione stabilivit. Testis Alexandri [g] Cæsaris prudens consuetudo, qui Romanum Imperium, auctore Lampridio, singulari prudentiæ laude administravit; nec minùs in bello, devicto Artaxerxe Rege Persarum, fuit hostibus terribilis, quàm in pace, post illam Imperii pestem Heliogabalum Republicâ in pristinum splendorem restitutâ, suis civibus venerabilis, & humano generi salutaris. Is igitur [h] Princeps tot res prosperè gestas historiæ peritis acceptas referebat, quos circa se habebat plurimos; & si quid accidisset, quod curam Principis flagitaret, consulebat, quid in tali re Principes, ducesque clarissimi consilii cepissent, & eorum laudatis exemplis consilia sua moderabatur.



DIS-

[a] Horat. Satyr. libr. 1. satyr. 4. [b] Plutarch. in Vitâ Lycurg. [c] T. Livius libr. 3. Pompon. l. 2. ff. de Origine juris. [d] Plutarch. in Lucull. Vit. Cicer. Acad. quæst. libr. 2. seu 4. qui inscribitur *Lucullus* in princ. & Plin. de Vir. Illustrib. cap. 74. [e] Cic. Philipp. 1. in princ. [f] Valer. Max. libr. 4. cap. 1. Plutarch. in Polit. Flavius Vopiscus in Vitâ Aureliani, & Corn. Nep. in Vitâ Thrasibuli, Justinus libr. 5. & Paul. Oros. l. 2. cap. 15. [g] Lamprid. in Vitâ Alexandri Cæsaris. [h] Idem ibidem.

DISSERTATIO IX.

De Historiæ utilitate.

Quamplures longissimè vixisse feruntur. Omnes, qui Historicorum præceptis non paruerunt in maximas inciderunt calamitates; nullos autem obtemperasse pœnituit. Spumam equi Nealces pictor casu, quam arte non potuerat, expressit. Panisci effigies casu effracto lapide extitit. Philippus Macedonicam phalangem ab Homero sumpsit. Cadmus primus Asylum aperuit; & quum eâ ratione ingentem convenarum turbam collegisset, fibs e terrâ editam stirpem est ementitus; & inde originem duxit fabula, satos e serpentis dentibus armatos viros Thebarum mœnia condidisse. Numa Ægeriam, Minos Jovem, Apollinem Lycurgus suarum legum auctores simularunt. Servius, quum Dianæ templum Romæ constituit, quod communiter a populis Latinis coleretur, expressit Latinis Romam caput esse; de quo toties armis certatum fuerat. Epaminondas, & Scipio Africanus commemoratione rerum a se gestarum accusatores eluserunt. Romanum Imperium omnibus aliis præstitit; nulla enim est gens, quam expedieris vincere, quæ a Romanis non fuerit victa. Quos Imperii fines esse voluerint Augustus, & alii Imperatores. Italia mille centum urbes olim continebat, nunc trecentas tantùm, easque exiguas. Ex Ægypto Romani annuo reditu viginti tria millia talentorum capiebant. Carthago, postquam multis cladibus diminuta fuerat, tamen, quum caperetur, octingenta hominum millia fertur habuisse.

SIcut est animi magni, & excellentis non solùm præsentis ævi famam consequi velle; sed etiam immortalitatem spectare, & futuri temporis memoriam quærere sempiternam; ita magni viri est, & prudentis non esse contentum documentis, quæ præsens ætas tulit; sed animum mittere in immensa spatia præteriti temporis, & historiæ beneficio interesse consiliis hominum, quos pace, belloque mirabiles antiqua sæcula extulerunt, & sententiam, mentemque suam eorum sapientiâ moderari. Nam exiguum vitæ spatium nobis a naturâ datum est, & longissimum tempus ætatis angustum est ad omnia, quibus est nobis opus, experiundo condiscenda; sed fac esse longius. Pictoreum [a] quemdam historiæ profanæ ferunt, ut sacras omittamus, annis vixisse trecentis; 1
Sibyllam [b] Erythræam mille, Dandonem Illyrium [c] quingentos, sexcentos [d] Regem quemdam Latinorum ætatis annos explevisse. Horum siquis ævum nobis Deus dederit, quid erit cum omnis ævi diuturnitate comparatum? Sed finge nobis, quemadmodum Tithono [e] poëtæ fabulantur, immortalitatem munere Deûm concessam; num idcirco minùs historiâ indigebimus? non enim omnes obire regiones, omnibus rebus interesse poterimus; quapropter plura auditu, ex aliorumque narratione, quàm visu, & experientiâ percipiemus. Idcirco historiæ cognitio inprimis est necessaria, quod ostendimus hesterno die, & hodierno maximè ostendemus admoniti Livii loco, ubi sic ait: *hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre, ac frugiferum, omnis te ævi documenta in illustri posita monumento intueri; inde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere, capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Et sanè quantum vitæ prosit historia, 2
illud argumento est, quod qui Historicorum præceptis obsequi, & exempla salutaria sequi recusarunt, in maximas calamitates accepimus incidisse. Præceperat Tacitus [f] Imperatoribus, qui novum susciperent principatum, donis milites conciliandos; idque Augustus exemplo docuerat, qui *militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit*; historici præcepto [g] Galba, & Pertinax [h] Imperatores multò severissimi, non obtemperarunt, & donativum militi pertinacissimè denegarunt; ergo a Prætorianis militibus interfecti pœnas avaritiæ, vel severitatis intempestivæ acerbissimas dederunt. Lacedæmonios prudentissimè [i] Lycurgus admonuit, ne sic hostes insequerentur, & cæderent, ut pugnare fortiter desperatione salutis cogerentur; idque [l] & Themistocles observavit, qui vetuit pontem, quem in Hellesponto Xerxes fecerat, interscindi, & spem fugæ Persis intercipi, ne desperatâ salute fortiores hostes evaderent: observavit [m] Agesilaus, qui sæpenumero circumventis hostibus exitum dandum censuit, aliique duces, quos nunquam consilii tam salubris pænituit. Quo si Manlius [n] imperator Romanus usus
quondam fuisset, non oppositis ad omnes ca- 3
strorum portas militum globis exitum Tuscis ademisset; quæ res illi exitio fuit, remque Romanam propemodum perdidit. Eodem

[a] Damastres apud Plin. libr. 7. cap. 48. [b] Phlegon in longævis, Ovid. Metamorph. libr. 14. v. 149. versus ejusdem Sibyllæ apud Zosimum libr. 2. [c] Val. Max. libr. 8. cap. 13. & Plin. libr. 7. c. 48. [d] Val. Max. & Plin. ibid. [e] Hom. in hymno Vener. [f] Corn. Tac. Ann. libr. 1. in princ. [g] Suet. in Vitâ Galbæ cap. 16. [h] Jul. Capit. in Vitâ Pertinac. [i] Plutarch. in Apophth. Lac. [l] Plutarch. in Vit. Themist. [m] Idem in Vit. Agesilai. [n] Tit. Livius libr. 2.

dem modo Xerxes malo suo satis ostenderat [a] vitandas locorum angustias ducibus, qui magnitudini copiarum fiderent; erravit ergo [b] Darius, & errati pœnas gravissimas dedit, qui multitudine suorum fretus in Tauri montis angustiis cum Alexandro Rege conflixit. Dies me deficiet exempla memorantem eorum, qui vel ex historiâ maximam utilitatem perceperunt, vel quòd exempla Veterum sequi noluerunt, & rem suam, & publicam afflixerunt; & quid opus est hæc longiùs persequi, quum hoc ipsum ratio persuadeat? Duæ sunt enim omnino res, quibus prudentia maximè continetur; præcepta, & exempla; præceptis abundat historia, quum, ut Cicero libro secundo de Oratore testatur, Historici boni sit consilia primùm, deinde acta, postea eventus explicare, & de consiliis significare, quid scriptor probet; exemplorum autem & si alia usu, alia doctrinâ percipiuntur, latissimè tamen patent ea, quæ doctrinam desiderant, quæ universa petuntur ab historiâ. Hinc Aristoteles Rhetoricorum
4 libro primo ait: Χρησιμοὶ πρὸς τὰς πολιτικὰς συμβουλὰς αἱ τῶν περὶ τὰς πράξεις γραφόντων ἱστορίαι; & [c] Cicero lucem veritatis, & vitæ magistram appellat historiam; & Polybius libro primo verissimam disciplinam, exercitationemque ad res civiles historiam vocat. Incredibilis est enim apud Historicos exemplorum copia; quum enim, ut [d] sapientissimus ille Regum ajebat, nihil accidat, quod planè novum dici possit; necesse est hominem historiæ peritum nullâ in re esse rudem, & peregrinum, & abundare consiliis non eorum modò, qui sunt, sed etiam, qui aliquando fuerunt; quare quid prohibet illum, accedente usu, & experientiâ rerum, esse quàm prudentissimum? Dicere verò fortunam in omnibus dominari, & inane prudentiæ nomen esse, & nihil stulto præstare intelligentem, hominis est impudentis magis, quàm imprudentis. Neque enim, si bene consulta malos aliquando exitus habuerunt, aut stulta consilia casus, aut Deus aliquis in melius vertit, idcirco nullam prudentiam esse dicemus. Nisi fortè putamus artem pingendi nullam, propterea quòd aliquando [e] Nealces meliùs casu, quàm arte spumam ex equi ore exeuntem expressit; aut [f] Statuariam nullam, quia, sicut Carneades apud Ciceronem testatur, in Chiorum lapicidinis, casu quondam effracto lapide, Panisci effigies extitit. Artem

casus imitatur aliquando, non semper; quod
& si frequentiùs, quàm in ceteris, accidit 5
in arte civitatum regendarum, ea tamen funditus tollenda nequaquam est; quum innumeris, iisdemque prudentissimis sit instructa præceptis, & exemplis, & rerum experimentis confirmata. Nam quod exemplis nihil profici posse contendunt, quòd nihil eodem modo accidat, &, si accidat quippiam eodem modo, non eosdem eventus habeat, id totum repudiandum est; quum sæpe numero multos exemplis profecisse videamus. Homerus [g] poëtarum maximus aciei firmissimæ, & ad impetus hostium sustinendos maximè accommodatæ exemplum nobis proposuerat; id primus dicitur imitatus Philippus [h] Alexandri Magni pater Macedonicam phalangem instituisse, quam quis neget Macedonum rebus, & salutis, & omnium victoriarum causam extitisse? Polybius prudens [i] in primis auctor valli struendi rationem, qua Romani utebantur, Græcis proponit imitandam, & argumentis nihil dubii relinquentibus probat vallum Romanorum longè firmius esse, quàm Græcorum. Quæro, siquis Grajus imperator aliquando Polybii consilio usus vallum Romano more struxisset, num exemplum ex historiâ petitum ei fuerit profuturum? dubitandum non est, quum valli firmitas ad exercituum
salutem, securitatemque pertineat. Eodem 6
modo Romani multas aliarum gentium artes, & instituta imitati Rempublicam prudentissimè constituerunt. Et ne a primordiis urbis abeamus, Veteres obscuram ad se conciendo plebem, quas fundabant, auxerant urbes; ejus rei Cadmus [l] inventor, qui quum Thebas conderet, primus Asylum aperuit, & quum eâ ratione ingentem convenarum turbam collegisset, auxissetque civitatem, sibi e terrâ editam stirpem esse mentitus; ex quo fabula originem duxit satos e serpentis dentibus armatos viros Thebarum mœnia condidisse. Id institutum [m] Romulus æmulatus Asylum constituit, quo quum ingens multitudo confluxisset, urbi, quam condebat, non mediocre incrementum addidit. Theseus [n] duodecim delevit oppida, ut eorum populus collectus in unius civitatis corpus coalesceret; id consilium Romulus, ceterique Romani Reges feliciter sequuti sunt, qui [o] Crustuminos, Antemnates, Cæninos, Albanos, aliosque populos in urbem receperunt. Numa,

a Herodot. libr. 7. Diodor. Sicul. libr. 11. Cornel. Nep. & Plutarch. in Vitâ Themist. b Plutarchus in Vit. Alexandri, & Arrianus de Expedit. Alex. libr. 2. c Cicero de Orator. d Salomon Eccles. cap. 1. e Plin. libr. 35. cap. 10 f Cic. de Divin. libr. 1. g Hom. Il. β. & δ. h Diod. Sic. Biblioth. Hist. libr. 16. i Polyb. Histor. libr. 17. l Alex. ab Alex. Dier. Genial. libr. 3. cap. 20. m T. Liv. libr. 1. Dion. Halic. libr. 2. Plutarch. in Vitâ Romuli, & D. August. de Civit. Dei libr 1. cap. 34. n Plutarch. in Vitâ Thesei. o T. Liv. libr. 1.

ma[a], quò suis legibus auctoritatem quan-
7 dam conciliaret, se Deæ Ægeriæ consilio
utentem eas condere simulavit; apparet sa-
pientissimum Regem[b] Minois, aut[c] Ly-
curgi, quorum alter Jovem, alter Apolli-
nem suarum legum se habere professus est
auctorem, aut alterius a vetustis legum la-
toribus exemplo profecisse. Profecit[d] &
Servius, quum exemplum sequutus Asiæ
civitatum, Dianæ templum Romæ consti-
tuit, quod communiter a populis Latinis
coleretur; quo consilio confessionem ex-
pressit Latinis Romam caput esse rerum; de
quo toties armis certatum fuerat: profece-
runt alii Reges, quum aliarum gentium mo-
res, & instituta sunt imitati; neque enim
ulla civitas libentius, quàm Romana, quæ
laudabilia apud Veteres, aut exteros vide-
bantur, amplexa est: profecerunt denique
omnes duces, & excellenti prudentiâ viri,
quum ex historiâ rei bene gerendæ exem-
pla petiverunt. Theseus[e], ne suos milites
8 in pugnâ hostes apprehenderent, imperavit
ipsis, ut capitis partem, quæ fronti immi-
net, detonderent; id consilium ex anti-
quâ memoriâ repetivit[f] Alexander, quum
eadem ratione motus Macedonibus, ut
barbam raderent, præcepit. Epaminondas,
quum[g] esset in judicium vocatus, com-
memoratione rerum a se gestarum pericu-
lum capitis dicitur depulisse; eadem arte
Scipio[h] Africanus accusatorum artes, &
criminationes elusit. Dionysius[i] quum
Carthaginienses prœlio devicisset, multos-
que Pœnos cepisset, Græcosque mercena-
rios; Græcos quidem sine pretio liberos es-
se jussit, & incolumes abire permisit; Car-
thaginienses autem non nisi magnâ acceptâ
mercede liberavit; quo consilio spectantem
jam Græciam bellum pacavit, & a Pœnis
disjunxit; id imitatus[l] Hannibal captos
bello Romanos injuriosè tractavit, & aspe-
rè, & hostiliter, & omni contumeliâ, fæ-
vit aque vexavit; Latinos autem, & Itali-
ci generis homines liberaliter, & indulgen-
ter habuit, & honorificè appellatos in Pa-
triam sine mercede dimisit. Thrasyllus[m]
classis præfectus, quum hostes ad prœlium
9 vellet evocare, & ipsis præbere speciem
paucarum navium, earum dimidiæ parti
malos, & vela detraxit, & carentem arma-
mentis navem alteri navi rudentibus alli-
gavit, ut duo navigia unum viderentur;
quum autem hostes ipsum dimidio paucio-
res naves habere credidissent, neque prœ-
lium committere abnuissent, nullo nego-
tio sunt profligati; eo Chabrias Athenien-
sium imperator exemplo doctus, quum di-
midium suarum navium occultasset, eli-
cuit ad certamen classem Spartanorum, &
elicitam pari felicitate superavit. Quum 10
discerpto Patrum manibus Romulo plebs
desiderio Regis amissi incensa contra Se-
natum conspiraret; Julius[n] Proculus vir
apud populum gratiosus, & singularis au-
ctoritatis, ut eam tempestatem compone-
ret, quæ recentem, & nondum firmiter
constitutam, fundatamque Rempublicam
submersura videbatur, advocatâ populi con-
cione, sibi Romulum in monte visum esse
augustiore, quàm humanâ specie affirma-
vit; sibique præcepisse, ut nunciaret ci-
vibus in Deorum numerum se esse transla-
tum; rem colerent militarem, in fatis esse
Romam rerum maximam evadere; qua o-
ratione tumentes plebis animos Julius Pro-
culus composuit, & ad concordiam revo-
cavit novæ civitati necessariam. Eodem
consilio Pisistrati Orchomenii filius, quum
ejus pater fuisset a Senatu trucidatus, & in
minutissimas partes dissectus, ut populi se-
ditionem componeret, quæ aliâ arte coër-
ceri non poterat, prodivit in concionem,
& sibi parentis oblatem esse formam am-
pliorem, pulchrioremque mortali, quæ di-
vino incessu, impetuque in Pisæum mon-
tem ferretur, asseveravit. Res justum vo-
lumen desideraret, si exemplorum simili- 11
tudines colligere conaremur, ex quibus
intelligi possit cognitione rerum gestarum
principes viros, ducesque prudentissimos
profecisse; tot enim sunt, ut nemo casu
in eas incidisse possit suspicari; sed nobis
satis fuerit pauca delibasse, ut ex paucis,
quid hoc argumento confici possit, osten-
datur. Prosunt ergo rectoribus civitatum,
ducibusque exempla ex Historicorum peti-
ta monumentis; quorum qui vim, utilita-
temque elevant, inconstantiam Fortunæ,
varietatemque casuum humanorum exagge-
rando, non animadvertunt etiam inter in-
certissima tamen arti, prudentiæque locum
esse. Quid enim incertius ventis, incon-
stantius mari, inconsultius tempestatibus, &
procellis? & tamen ars gubernatoris pro-
celloso mari, sævientibus ventis, turbidâ
tempestate dirigit navim, & turbinum vi-
ctrix, & tempestatum, & fluctuum, & procel-
larum salvam in portu collocat. Par est For-
tunæ, & maris inconstantia; neque in ci-
vita-

---

a Plutarch. in Vit. Numæ, T. Liv. libr. 1. Cic. libr. 1. de Legib. Valer. Max. libr. 1. cap. 3. Lactant. Firm. Divin. Instit. libr. 1. c. 22. b Plato in Minoë ex Homer. Odyss. τ. v. 179. Marsil. Ficin. in Argument. hujus Dialogi, & Strab. libr. 16. de Syriâ. c Valer. Max. libr. 1. cap. 3. & Plutarch. in Vit. Lycurgi. d T. Liv. libr. 1. & Plin. de Vir. Illustrib. cap. 7. e Plutarch. in Vitâ Thesei in princip. f Idem ibid. g Corn. Nep. in Vit. Epaminondæ cap. 8. h Valer. Max. libr. 3. cap. 7. & Plin. de Vir Illustrib. cap. 49. i Diod. Sic. Bibl. libr. 14. l T. Liv. libr. 22. m Polyæn Strateg. libr. 1. n Plutarch. in Vitâ Numæ in principio.

vitatibus desunt turbines, & tempestates, neque Syrtes, neque scopuli, quibus interdum cum privatæ, tum publicæ res allidun- tur; & ut Lyricus[a] ait,

..... futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus;

omnibus quidem, sed civitatum maximè rectoribus, & tamen in tantis vitæ tenebris, tantaque rerum caligine ad historiæ lucem, tanquam ad clarissimos septentriones, conversa prudentia ita dirigere gubernacula Reipublicæ potest, & eum tenere cursum, ut omnibus evitatis periculis ad portum communis otii, & publicæ felicitatis enaviget. O vitæ igitur historia lux, modera-
12 trixque prudentiæ! o temporum decus, o virtutis incitamentum, o memoriæ vindex! tu sola clarissimarum nationum, tu virorum excellentium gloriam, tu laudabilia populorum instituta, tu leges Antiquorum non finis interire: tu quæ locorum intervallis disjuncta quàm longissimè, tu quæ temporibus remota quàm maximè, beneficio litterarum, nostris mentibus admoves, ut res longinquis & temporibus, & locis gestas tantùm non oculis usurpare, & omnium interesse possimus ætatibus: sine te temporis omnis ignari, præteritorum nescii, præsentium rudes, futurorum incauti, neque præsentia cum laude disponere, neque ventura possumus providere. Quæ laudes & si verissimè de omni historiâ dicuntur, nescio tamen quo pacto magis conveniunt Livianæ, quæ ceteris longè præstat historiis; nam ejus populi res gestas persequitur, qui sicut animi magnitudine, ceterisque virtutibus populos universos, ita superavit Imperio. Imperium quippe Romanum, ut[b] Polybius, Dionysius Halicarnasseus[c], Appianus[d] Alexandrinus, gravissimi scriptores ostendunt, & opibus, & magnitudine, & rerum gestarum gloriâ Assyriorum[e], Medorum, Persarum Macedonum Imperiis longè præstitit; nulla siquidem gens fuit, quam expedierit vincere, quæ non Romanis armis vinceretur. Nam[f] Augustus Euphrate flumine, Danu-
13 bio, Rheno, Oceano Atlantico, Arabico freto, Africæ parte, quæ Solis exusta caloribus immodicis non hominum domiciliis, sed ferarum latibulis frequentatur, Imperium terminavit; & tamen hic, quum latissimos Imperio fines circumdedisset, innumerabiles populos liberos esse permisit, quos Romani duces bello superarunt. Nam immensa illa terrarum spatia, quibus Mithridates imperabat, quæ circa Pontum Euxinum, Mæoticamque paludem quadragies centenis millibus patuisse dicuntur, quæ[g] a viginti duabus gentibus linguâ diversis colebantur, hoc spatio non comprehenduntur; neque comprehenditur ex magnâ parte vastissimum Tigranis[h] Regnum, quem haudquaquam minorem Mithridate Regem fuisse accepimus; quas amplissimas, easdemque innumerabiles pæne provincias quum[i] Lucullus, Pompejusque[l] subegisset, Augustus reliquit, ratus tutiùs imperaturum, si angustiùs imperasset; Imperiumque longinquis amnibus, & inhabitabili propter æstum terrarum plagâ circumpsessisset. Sed non his finibus poste- 14
riores Principes contenti fuerunt; Britanniam[m], Insulasque Britannicas, &[n] Orchades Claudius, consequutique Principes Imperio adjecerunt; Petronius[o] Augusti temporibus Æthiopiam usque ad Insulam Meroën debellavit; Trajanus autem invictissimus Cæsar[p] Daciam, hoc est ingens illud terrarum spatium, quod Tibisco, Danubioque, & Tyrâ fluminibus, & Carpatho monte continetur, domuit, & Romanam provinciam fecit; & ad Orientem profectus invictâ ad eam diem Parthorum gentem profligavit, Imperiique Romani terminos usque ad Eoum Oceanum protulit; ut utrinque & ab Oriente, & ab Occidente Romanorum Imperium Oceano finiretur: Arabiam[q] Septimius Severus in provinciæ formam redegit. Sed nec aliæ gentes, quæ gloriantur se Romanorum jugum non pertulisse, Romanis armis invictas fuisse se verò possunt gloriari. Gloriatur
Germania se non universam in Populi Ro- 15
mani concessisse ditionem; & tamen a Germanico Cæsare, præter Germaniam, quæ Augusto imperante provancia fuerat Romanorum, quæ sitæ sunt inter Rhenum, Albimque nationes, hoc est magna pars Germaniæ, sunt debellatæ: quid[r] Probus Princeps? nonne Germaniam universam domuit cæsis quadringentis millibus Germanorum? quid alii duces Romani? nonne frequentissimos de eâ gente triumphos retulerunt? glorientur Sarmatæ se Romanis fascibus non paruisse; & tamen Sarmatas Antoninus Philosophus ingentibus prœliis contudit, &, nisi mors hominem re

[a] Horat. libr. 3. Od. 28. [b] Polyb. Histor. libr. 2. [c] Dion. Halicarn. libr. 1. in Procem. [d] Appian. Alexandr. in Præf. [e] Suid. in V. Ῥωμαίων ἀρχὴ. [f] Julian. in Menipp. de Cæsarib. V. Diss. 3. n. 12. [g] Plin. libr. 7. cap. 24. & libr. 25. cap. 2. Valer. Max. libr. 8. cap. 7. A. Gell. libr. 17. cap. 17. & Solin. cap. 7. [h] Strabo libr. 11. in fine Justin. libr. 40. & Memn. apud Photium in Bibl. n. 224.

[i] Plutarch. in Lucullo, & Plin. de Viris Illustrib. cap. 75. [l] Plutarch. in Vit. Pompeji, & Plin. de Vir. Ill. cap. 77. [m] Sueton. in Vitâ Claudii c. 17. [n] Euseb. in Chronic. & Corn. Tac. in Vit. Agric. n. 10. [o] Dio Cassius Histor. libr. 54. [p] Dion in Vit. Trajan. Eutrop. l. 8. c. 2. & Euseb. in Chron. [q] Æl. Spart. in Vitâ Sever. [r] Vop. in Vitâ Prob.

prope jam confectâ intercepisset, regiones eorum provincias Romanas fecisset: gloriantur denique Scythæ nunquam libertatis expertes fuisse; sed quàm magna Scythiæ pars, Mithridate devicto, succubuit armis Romanis? quocirca verè dici potest magis his gentibus propter earum inopiam noluisse, quàm non potuisse imperare populum ceteris imperantem. Quid enim Scythiæ inhospitales regiones, quid
26 Sarmatarum damnatam frigoribus sempiternis plagam, quid Germaniæ incultam vastitatem, quid æstuantes Africæ solitudines magnopere concupisceret? Quidquid aut ubertate soli, aut ingeniis incolarum, aut clementiâ Cœli, aut opibus laudatur, id pæne totum provincia Romanorum fuit; neque enim magis magnitudine, quàm felicitate regionum beatissimum Romanum Imperium prædicatur. Hispania, quæ nunc minùs incolis frequentatur, eo tempore tantâ hominum frequentiâ celebrabatur, ut Cicero, aliique scriptores tradiderint Hispanos multitudine gentibus universis præstitisse: Gallia provinciarum ditissima habebatur: Italia mille centum urbibus olim conspiciebatur, quæ nunc trecentis, iisque exiguis ex magnâ parte colitur: Græcia, quæ nunc pæne desolata est, dici vix potest, quantum & multitudine oppidorum, & nitore floruerit: Macedonia quàm eximiè & opibus, & populis abundaret, declarat Philippi, Perseique Regum potentia, qui postremi Macedoniæ Regum sunt a Romanis debellati; ne quid interea de Thraciâ dicam, quæ quantum & incolarum multitudine, & virtute valuerit, illud argumento est, quod a nemine, præterquam a Romanis, tota unquam potuit perdomari. Ingens illa peninsula, quæ
27 corrupto græco vocabulo Oriens nuncupatur, quæ nunc exceptâ maritimâ orâ pæne deserta est, eâ tempestate maximis, opulentissimisque urbibus frequentissima, immensùm opibus abundavit; tantaque populorum multitudine celebrata est, ut in eâ trium millium urbium dicantur extare vestigia. Jam Syriæ, reliquarumque Asiæ regionum Imperio Romano subjectarum quis divitias, oppidorum nitorem, magnitudinem, frequentiam persequi dicendo possit? Ex Ægypto annuo reditu Romani viginti tria millia talentorum capiebant; Africa ipsa florentissimis urbibus haudquaquam caruit. Declarat id Karthaginis magnitudo, quæ ingentibus attrita bellis, & frequentissimis cladibus diminuta, obsidione pressa diuturnâ, quum caperetur, octingenta hominum millis fertur habuisse. Hujus igitur Imperii, quod immensum terrarum spatium, innumerabiles, opulentissimasque nationes amplectebatur, majestatem vix possumus æstimare; cujus initia, causas, incrementa, summum fastigium quum historia Livii comprehendat, quis dubitat ceteris historiis anteponendam, sicut Imperium Romanum ceteris Imperiis anteponitur?

DISSERTATIO X.

Quæ laudes Historiæ Livianæ complectitur.

Cyri majora facinora ab Herodoto, & Xenophonte, quàm a Ctesia prædicantur; ut dubitandum sit, utrum tantus fuerit, quantus a Græcis dicitur: Cæsar Alexandro Magno est præferendus: Romanorum disciplina diutiùs incorrupta mansit, quàm Lacedæmonum. Respublica Romana ex regiâ potestate, Optimatum dominatu, & potentiâ populi composita erat; quidquid Cornelius Tacitus affirmet Rempublicam ex his tribus constantem non posse existere, aut esse diuturnam.

Quas diximus historiæ laudes habitis proximè sermonibus, eas maximè omnium historiæ Livianæ convenire, nemo est, quin intelligat; ea enim ceteris longè præstat historiis. Nam si, quod prudens ille pictor apud Ælianum præcipit, argumenta magna sunt eligenda; quod argumentum majus rebus populi Romani gestis? Enim- 1
verò si Græcorum, ceterarumque nationum acta cum gestis Romanorum conferamus, jacere quodammodo nobis videbuntur; nam quis unquam populus tam magna, tam varia, tamque multa, tantaque virtute bella confecit? cujus frequentiores triumphi memorantur? ubi tot obsidiones, expugnationesque oppidorum, tantorum exercituum clades, tot pugnæ navales leguntur, tam admirabiles eventus præliorum, tantarum nationum motus, tot discordiæ civiles? ubi tantum Imperii partum? ubi prudentiora ducum consilia, ubi præclariora facta, ubi reverentiorem justi imperii populum, graviorem senatum, quàm in historiâ Romanâ cognoscas? Persarum quondam Reges latissimè imperarunt, & tamen, si Cyrum excipias, vix quidquam a Persis gestum reperias, quod magnopere prædicandum videatur. Cyrus ipse, quum rudes bellorum Asiæ populos esset aggressus, facili victoriâ magnam quidem Asiæ partem subegit; sed Europam non attigit, & Africam intactam reliquit; hujus autem Regis majora facinora ab [a] Herodoto, & [b] Xenophonte, quàm a Cte-

[a] Herodot. libr. 1. & 3. [b] Xenophon. de Expeditione Cyri.

a [a] Ctesiâ prædicantur; ut dubitare liceat, utrum tantus fuerit, quantum ingenia Græcorum videri voluerunt. Macedonum ve-
2 rò res profectò Persarum rebus obscuritatem attulerunt; qui tamen nihil præter Philippum, Alexandrumque Reges, & paucissimos alios, præclarum habuerunt; quos quis putet cum Romanis ullo modo comparandos? unus mehercule Cæsar, ut ceteros interim duces Romanorum prætermittam, & multitudine, & varietate prœliorum, & urbium oppugnationibus, & prœliis navalibus, & prudentiâ Alexandrum longè superavit. Non ille Græcos longâ desidiâ [b] marcentes, non Persas effeminatos [c], non [d] Asianos molles, non Indos [e] imbelles; sed [f] Gallos, sed [g] Germanos ferocissimas nationes, sed Britannos indomitos, sed Hispanos [h] laboris, inediæ, & omnium incommodorum patientissimos, sagacissimos [i] Afros, Romanos ipsos omnium gentium victores debellavit. Neque ei res fuit cum Dario, qui semper exemplum fuit primus non fortiter dimicandi, sed effusè fugiendi; sed cum [l] Pompejis, cum Catonibus, cum Scipionibus fortissimis imperatoribus. Jam verò quæ
3 pacis decora, quas virtutes, quæ exempla, quæ documenta in historiâ Romanâ reperias? quis unquam populus amantior Patriæ, legum reverentior, veteris disciplinæ, prisci moris tenacior fuit? Lacedæmoniorum disciplina maximè omnium jure laudatur, iidemque putantur patrios mores diutissimè conservasse; cujus rei gratiâ urbe advenas [m] arcebant, ne quid peregrini moris inveherent; qua tamen tantâ religione vetera instituta retinendi vix usque ad trecentesimum sexagesimum annum incorrupti manserunt mores Lacedæmoniorum. Nam Lysander floruit olympiade nonagesimâ, quippe qui Olympiade nonagesima quartâ Athenienses ad [n] Ægospotamon ingenti prœlio navali profligarit; qui veluti fato nomen sortitus dissolvit virorum mores [o] antea minimè dissolutos; trecentis sexaginta annis post leges a Lycurgo constitutas, si credimus Aristoteli, qui Lycurgum [p] tradit cum Iphito Olympicos ludos constituisse; quamvis alii centum quinquaginta annis, alii centum Lycurgum faciant vetustiorem. Utcunque ea se res habet,
Romanorum disciplina diutiùs incorrupta 4
mansit, quàm Spartanorum; siquidem [q] ante Syllam parum mutati fuerant mores Romanorum, qui floruit anno ab urbe condita sexcentesimo septuagesimo; vel si velis eorum mutationem factam excisâ Carthagine, supra sexcentos annos incorruptos permansisse comperias; ideo meritò noster [r] Auctor sic ait: *ceterùm aut me amor gotii suscepti fallit, aut nulla unquam Respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit; nec in quàm tam serò avaritia, luxuriaque immigraverint; nec ubi tantus, ac tam diu paupertati, ac parsimoniæ honos fuerit.* Sed sicut justitiâ, animi magnitudine, ceterisque virtutibus populus Romanus populos universos præstitit; ita Romanæ Reipublicæ forma omnibus Rebuspublicis antecelluit. Nam quum sit a doctissimis viris proditum, tres præstantissimas esse e simplicibus Reipublicæ formas; regiam potestatem, Optimatum dominationem, & populi potentiam; sed [s] regiam potestatem quidem facilè in tyrannidem, Optimatum dominationem in paucorum dominatum, populi potentiam in multitudinis imperium degenerare, his omnibus autem diuturniorem, excellentioremque esse ex his tribus mixtam Reipublicæ formam; ex tribus his Rerumpublicarum generibus optimè composita est Respublica Romanorum. Nec facilè posses expedire, quodnam
genus in eâ præpolleret; nam si ad Con- 5
sulum potestatem respexisses, Regnum Romæ vigere dixisses; Consulibus enim omnes [t] reliqui magistratus præter tribunos obtemperabant: Consules legatis exterarum gentium senatum dabant: Consules ad Patres referebant de rebus, quæ ad Rempublicam pertinere videbantur: in Consulum manu totum Senatusconsulta conficiendi negotium: Consules populi concionem convocabant: Consules delectum habebant. In bello verò potestas Consulum summa fuit; quippe & sociis, quidquid libuisset, Consules imperabant, & Tribunos militum constituebant, & pœnas delinquentibus infligebant, & præmiis fortes viros

ros

[a] Ctesias de Rebus Persicis apud Photium in Bibl. n. 72. [b] Cicer. in 3. in Verr. act. & Ascon. Pædianus ad eum loc. [c] Ælian. Var. Histor. libr. 10. c. 13. [d] Jul. Firmicus libr. 1. cap. 1. [e] Ælian Var. Histor. libr. 10. cap. 13. [f] Cæsar de Bello Gallic. & Polybius libr. 2. [g] Corn. Tac. de Mor. Germ. [h] Justinus Histor. libr. 44. [i] Jul. Firmic. libr. 1. cap. 1. & Tit. Liv. libr. 23. [l] Plutarch. & Suetonius in Vitâ Cæsar. [m] Dionys. Halicarn. libr. 2. Cornel. Tac. Annal. libr. 11. Ælian. Var. Histor. libr. 13. cap. 16. Philostr. in Vitâ Apoll. libr. 6. cap. 10. Nicolaus περὶ ἐθῶν apud Stob. serm. 42. & Theophilus de Jure Nat. Gent. & Civil. [n] Cornel. Nep. & Plutarch. in Vitâ Lysandri, & Diodor. Sicul. Biblioth. Histor. libr. 13. [o] Plutarch. & Corn. Nep. in Vitâ Lysandri, & Ælianus libr. 14. cap. 29. [p] Aristotel. apud Plutarch. in Vit. Lycurgi in princ. [q] Plutarch. in Vit. Syllæ, & Sallust. in Catilin. [r] Tit. Livius in Proœmio. [s] Polyb. libr. 6. [t] Cicero libr. 3. de Legibus, & Polybius Histor. libr. 6.

ros afficiebant; quin & ipsis licebat impendere publicam pecuniam, & hujus rei gratiâ eos Quæstor sequebatur, qui non cunctanter imperata faciebat. Quæ qui repu-
6 tasset, regiâ potestate administrari Rempublicam credididisset; contra verò si quis perpendisset, quanta senatus esset auctoritas, Optimatum Imperium Romæ vigere putavisset; siquidem in potestate senatus ærarium [a] fuit; præterea senatus de publicis criminibus, velut proditione, veneficio, cædibus per dolum patratis, conjuratione cognoscebat; insuper, si quæ civitatis, aut privati hominis in Italiâ controversia esset dirimenda, vel objurganda delicta, vel auxilio, præsidioque defendenda securitas, earum omnium rerum ad senatum cura pertinebat. Idem legatos ad exteras gentes mittebat, qui vel lites componerent, vel cohortarentur, vel aliquid imperarent, vel bellum indicerent; quin & Oratoribus nationum responsa dabant Patres, & eorum postulata audiebant. Quæ si quis animadvertisset, imperium penes Optimates esse Romæ, nullamque Reipublicæ partem relictam populi potentiæ censuisset; & tamen non erat minor populi vis, & majestas, quàm senatus, & Consulum. Nam a populo [b] honores manda-
7 bantur, & a populo pœnæ irrogabantur; siquidem, qui majores gesserant magistratus, populo cognoscente causam dicebant; & per populum judicia capitis exercebantur, & leges ejusdem auctoritate sciscebantur, & bella indicebantur, & pacis fœdera feriebantur, & societatis. Quibus rebus fiebat, ut Consules essent in Patrum potestate; neque enim Consules aliquid gerere poterant adversum senatus voluntatem; quum nisi decernente senatu pecuniam, vel obsonium, vel vestem militum Consules non essent habituri; & esset [c] in arbitrio senatus exacto anno consulatus mittere successorem; vel ipsis imperium prorogare, & re bene gestâ decernere triumphum, vel negare; nec minus essent obnoxii populo Consules, quum ad populum pertineret, quæ Consules fœdera pepigissent, vel irrita facere, vel rata habere; & quod maximum est, Consules rerum a se gestarum rationem essent populo redditu-ri. Fiebat etiam, ut senatum populus ve-
8 reretur; quum enim quotannis Censores innumera opera publica facienda locarent, ea plerumque e plebe homines redimebant, vel spondebant pro redemptoribus, vel suas facultates obligabant, vel cum ipsis coibant societatem; quare quum in Senatus esset potestate vel proferre diem, vel aliquo casu accidente levare redemptores, vel locationem rescindere, multum vel damni, vel utilitatis afferre populo poterant senatores; quod etiam in vectigalibus eveniebat. Sed & Consulibus erat obnoxius populus, quum sub ipsis facere stipendia cogerentur, quo tempore Consules in populares habebant vitæ, necisque potestatem. Senatus verò populum observare compellebatur; neque enim gravissima delicta, quæ capitis pœnâ plectebantur, punire senatus poterat, nisi auctoritatem senatus populus comprobasset; & si quis legem ferre vellet, qua auctoritatem Patrum, vel dignitatem minueret, ejusmodi rogationem accipere, vel repudiare arbitrium populi fuit. Quod autem maximum est eorum, quæ diximus, si unus modò Tribunus auctoritati senatus intercederet, confici non poterat senatusconsultum, nec esse ratum. Quibus rebus quum
Consulum, Patrum, plebis potentia libraretur, nulla pars Reipublicæ insolescebat, & 9
mutuo metu membra civitatis inter se nectebantur, vinciebanturque, & ex tribus generibus mixtum, quasi quibusdam elementis, pulcherrimè erat Reipublicæ corpus constitutum. Quare miror, quid in mentem venerit [d] Cornelio Tacito, quum affirmavit constantem ex imperio regio, & populi potestate, & Optimatum potentia Rempublicam a sapientibus fingi, non posse existere, aut si existat, non esse posse diuturnam; nam Romana Respublica non hasce solùm formas amplexa est universas, verùm etiam diutissimè conservavit.



DIS-

[a] Polybius Histor. libr. 6. & Cicero in Vatinium, & pro domo suâ. [b] Dionysius Halicarnass. libr. 2. 4. & 6. [c] Polybius Histor. libr. 6. [d] Cornel. Tacit. Annal. libr. 4. n. 33.

DISSERTATIO XI.

De quibusdam Livii locis, quæ procemio continentur.

Quinam ante Livium res Romanas perscripserint, & qui condiderint primi historias. Cicero de historiâ scribendâ cogitavit. Verba ante condendam urbem *significant proximum tempus, non remotum.*

Sed [a] *fugit interea, fugit irreparabile tempus,*
Singula dum capti circumvectamur amore;

licet enim mihi iisdem versibus uti, quibus utitur ille præstantissimus [b] Vates,

...... cui virga dedit memorabile nomen Laurea......

Nam dum singulas elegantissimi procemii partes pulchritudine operis capti fusiùs explicare conamur, inconsultiùs, quàm rei magnitudo postulet, terimus tempus, & longo sermone vos moramur, Auditores ornatissimi; quum necesse sit alia non dico potiora, sed instituto operi magis necessaria præverti; quibus exequendis ut otium, viresque suppetant nobis, non omnia videntur copiosissimè pertractanda, sed summa rerum fastigia attingenda; quod deinceps, & hodierno die maximè faciemus; quo non unum, sed plures hujus procemii locos illustrabimus. Dubitat igitur noster [c] Au-
1 ctor, an utilitatis aliquid sit lectoribus allaturus, si res populi Romani composuerit; cur autem dubitet, in causâ est multitudo scriptorum, qui rem eandem sunt persequuti. Nam [d] & Pontifices Maximi res singulis annis gestas perscribebant, quam scripturam annales nuncuparunt; quos Gellius libro quarto capite quincto maximos vocat; quos Pontifex Maximus domi proponebat, ibique populo fiebat eorum copia; qui mos Numâ Pompilio imperante cœpit usurpari; & [e] Ennius poëta Romanam historiam versibus condidit; sicut Nævius [f] bellum Punicum, & post [g] Fabium Pictorem, quem antiquissimum scriptorem Livius appellat, per annos pæne trecentos multi rerum Romanarum scriptores floruerunt; ut Cincius [h] Alimentus, qui bello Punico secundo ab Hannibale captus est; &, ut inter omnes constare video, res gestas Populi Romani Græco sermone composuit; & [i] Cato Censorius, qui triplici 2
laude est insignitus; nam & senator optimus, & orator optimus, & optimus est habitus imperator; & Marcus [l] Fulvius Nobilior, qui fastos condidit; & [m] Libo, qui scripsit annales; & Postumius [n] Albinus, qui græcè, latineque res gestas populi Romani est persequutus; & [o] Piso, qui frugi est appellatus, annalium conditor; & Cassius [p] Hemina auctor ejusdem operis; & Quinctus [q] Fabius Maximus; & [r] Fannius historiæ scriptor, cui Sallustius [f] historici laudem multò maximam tribuit veritatem; & Sempronius [t] Tuditanus, & Cœlius Antipater, quem [u] Cicero testatur majorem historiæ sonum addidisse; & [x] Sisenna, & ipsi æqualis [y] Rutilius, & Claudius Quadrigarius, & Polybius, & Valerius [z] Antias, qui eodem tempore floruit; & omnium luculentissimus Auctor Sallustius, Latinus Thucydides, ad cujus gloriam Livius haudquaquam inani conatu aspiravit; aliique complures, quorum antiquitatem, & multitudinem respiciens Livius historiam rerum Romanarum cum veterem, tum vulgatam esse rem dicit. Multitudinis autem
scriptorum duas causas ponit, quarum al- 3
tera ad utilitatem, altera ad jucunditatem pertinet; nam quum omnes pæne scriptores, non solùm poetæ, ut ait [a] Horatius, aut prodesse velint, aut delectare,

Aut simul & jucunda, & idonea dicere vitæ,

historiæ quoque Romanæ conditores affirmat partim utilitatem, partim jucunditatem sequutos ad scribendum animum appulisse; quum aut in rebus certius aliquid

se se

[a] Virgil. Georg. libr, 3. [b] Calvus apud Cæl. Rhodigin. libr. 7. cap. 4. [c] T. Liv. in Procem. [d] Cic. de Oratore libr. 2. & libr. 1. de Legibus T. Livius libr. 1. & libr. 6. in principio, & Macrob. libr. 3. cap. 2. in fine. [e] Ennius in suo Epitaph. apud Cicer. Tuscul. libr. 1. Idem Cic. de Nat. Deor. libr. 2. Propert. libr. 3. Eleg. 2. Nonnius in Poës. & A. Gell. libr. 17. cap. 21. [f] Macrob Saturn. libr. 6. cap. 5. [g] Tit Livius libr. 1. & Plutarch. in Vitâ Romuli. [h] Idem Liv. libr. 6. & Macrob. libr. 1. cap. 12. [i] Plutarch. in Vitâ Caton. Tit. Liv. libr. 33. & 34. & Plin. de Vir. Illustr. cap. 47. Dionys. Halicarnass. libr. 1. in Procem. Cicer. de Oratore libr. 2. & A. Gell. libr. 2. cap. 14. [l] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 12. [m] Cicero in Epist. ad Atticum libr. 13. Epist. 30. [n] Cic. in Bruto, A Gell. libr. 11. cap. 8. Macrob. in Procem. Saturnal. & Plutarch. in Vit. Caton. [o] Cic. in Bruto, in Epist. ad Familiares libr. 9. Epist. 22. de Oratore libr. 2. [p] Plin. libr. 13. cap. 13. Macrob Saturn. libr. 1. cap. 16. [q] Dionys. Halicarn. libr. 1. in Procem. & Macrob. Saturn. libr 1. cap. 16. [r] Cic. in Bruto, de Legib. libr. 1. & de Orat. libr. 2. [f] Sallust. Hist. libr. 1. apud Marium Victorin. in prim. Cic. de Inventione. [t] A. Gell. libr. 6. cap. 4 & libr. 13. cap. 14. Asconius in Orat. pro Cornel. & Macrob. libr. 1. cap. 13 & 16 Saturnal. [u] Cic. libr. 2. de Oratore. [x] Corn. Tacit. Hist. libr. 3. n. 51. [y] Plutarch. in Vit. C. Marii. [z] Idem Plutarch. in Vitâ Romuli, & in Vitâ Numæ, & Dionys. Halicarnass. libr. 1. in Procemio, & Plinius libr. 13. cap. 13. [a] Horat. in Arte Poëtic.

Parthorum opes attererentur; ex diuturnitate autem imperii cupiditas oriebatur; ex magnitudine rerum gestarum potentia publicæ libertati gravis, & æquabilitati, qua

6 unà Respublica maximè continetur, haudquaquam opportuna. An verò [a] Magnus ille Pompejus exempli gratiâ, quum innumerabiles pæne victorias esset consequutus, quum tres de tribus terrarum Orbis partibus præclarissimos triumphos duxisset; inauditas ad eam diem Romanis nationes subegisset, Terras victoriis peragrasset, maria pacasset, Reges potentissimos domuisset, & supplices, & abjectos ad pedes imposito capiti diademate regnare jussisset; poterat, inquam, talis, ac tantus imperator, qui alia ex aliis bella gerendo, amplificandoque Romano imperio consenuerat, nihil inter ceteros eminere? eodemque, ac quilibet e mediâ plebe Quiritium, jure censeri? ille verò quamvis magnitudinem suam legibus submitteret, major tamen legibus habebatur. Itaque [b] quum in Italiam Mithridatico bello victor cum exercitu reverteretur, & regnum constituturus videretur, militibus Romæ sibi ad triumphum jussis occurrere, quum primùm Italiam attigit, dimisit exercitum; sed Romam venienti ex omnibus oppidis tanta se multitudo obviam effudit, ut non opus ei militibus fuisset, si regnare voluisset. Quam animi moderationem utinam ad extremum tempus ætatis conservare potuisset; & non aut secundis rebus elatus, aut inimicorum injuriis lacessitus æqualitatem ferre detrectasset, & soceri cupiditati incautiùs obtemperasset! non ipse ad extremum cum eâ, quam minuerat, libertate publicâ concidisset; adeo

7 ne boni quidem civis immodica magnitudo potuit esse non perniciosa Reipublicæ. Quid [c] Cinnæ, quid [d] Marii, quid [e] Syllæ potentia crudelissimorum hominum, cupidorumque dominationis, quantas Imperio clades attulit? quorum postremus non solùm vi, & armis obfuit civitati, sed etiam ambitione; nam quò sibi milites conciliaret, & haberet paratos ad omne facinus, exercitum indulgenter habuit, disciplinamque militarem [f] corrupit? quod exemplum multi sequuti Rempublicam funditus everterunt. Eodem modo Cæsarum imperio constituto, nimia quorundam potētia rem Romanā prorsus attrivit, qua nonnulli freti imperium affectabant; quorum discordiis civilibus quum essent accisæ opes, fluctuans Imperium invadebant, obruebantque Barbari. Quocirca verè dici potest Sarmatas, Alanos, Gepidas, Getas, Quados, Marcomannos, omnemque barbariem, quæ Italiæ spoliis gloriatur, cadaver Imperii, non ipsum Imperium lacerasse; nam Romana magnitudo a nullo alio, quàm a seipsâ superata est.

DISSERTATIO V.

De calamitatibus propter civiles Romanorum discordias.

Quintus Aurelius, quum se proscriptum reperisset exclamavit: heu prædium in Albano meum me persequitur, *& sic vociferans interfectus fuit. Sylla uno die, novem millia hominum interfici jussit.*

ANtiquitates Romanas, hoc est ad summam Imperii gloriam efflorescentis Reipublicæ res pace, belloque prosperè gestas libentiùs, quàm senescentis novas clades exequuturum se Livius [g] profitetur duabus de causis; & quòd felix illa materia tractatione sui scribentis animum paulisper avertat a conspectu malorū, quibus eo tempore afflictum Imperium pæne concidit, & eversum est; & quòd prisca illa tradenti nullam afferant curam, quæ, & si non flectere a vero animum, sollicitum tamen efficere possit. Quæ duo in principio operis artificiosissimè ponuntur a Livio; excitant enim lectorem ad cupiditatem cognoscendi ea, quæ propter vetustatem obsoleta videbantur, conciliantque magnæ historiæ parti fidem; quod erat in primis rem tantam exordienti faciendum. Neque enim magis proposita rei magnitudine attentum reddit lectorem, quum [h] ait: *res est præterea, & immensi operis, ut quæ supra septingentesimum annum repetatur, quæ ab exiguis profecta initiis eò creverit, ut jam magnitudine laboret suâ*; quàm quum pollicetur se ea scripturum, quibus animus relegendis a cogitatione malorum præsentium avertatur. Mirificè autem commendat opus ipsa materia, quam tractat Auctor; quum enim lectores ingentia bella, clarorum virorum exitus illustres, ac memorabiles, & res domi, forisque egregiè gestas, & exempla omnium virtutum legunt, non tam historiæ cognitione, quàm claritudine rerum delectantur; contra sæva jussa, mæstæ res, civium proscriptiones, & ut ait [i] Lucanus, jus datum sceleri cum animi contractione, & mœstitiâ quadam legun-

[a] Plutarch. in Vit. Pompeji, & Plin. libr. 7 cap. 26. [b] Plutarch. ibid. [c] L. Flor. libr. 3. cap. 21. Val. Max. libr. 2. cap. 3. & D Augnst. libr. 3. cap. 27. & 28. de Civit. Dei [d] Val. Maxim. ibid. & Plutarch. in Vitâ C. Marii. [e] Lucanus libr. 2. Pharf. Plutarch. in Vitâ Syllæ, & D. Aug. de Civ. Dei l. 3. c. 28. [f] Plut. in Vit Syll. [g] T. Liv. in Proœmio. [h] Idem ibid. [i] Lucan. l. 1. in princ.

guntur. Vidit hæc prudentissimus rerum gestarum scriptor Cornelius [a] Tacitus; quapropter libro quarto res hujusmodi narraturus suos annales cum eorum scripturâ componi vetat, qui res veteris populi Romani composuere; benignior illa materies, & lætior plus nimirum legentibus affert delectationis. Quod si quæ res fuerunt hujusmodi, ut ab earum cogitatione lector averti se gaudeat; illæ certè fuerunt, quæ extremis Reipublicæ temporibus acciderunt; quas repetere non fuerit supervacuum, ut intelligatur, a quorum cogitatione malorum animum Livius gaudeat avertere. Ergo fe-
2 nescente Republicâ, & gravioribus, quàm antea jam affecta morbis, duæ civitatis pestes [b] Marius, & [c] Sylla exstiterunt, qui quàm adversus hostes populi Romani fortes duces, & Patriæ salutares, tam adversùs cives acerbi hostes, & immanes tyranni fuerunt. Hi se invicem occeperunt gravissimo odio insectari, quòd Marius victorias, quas [d] Bocchus in Capitolio dedicarat, interque eas imaginem Bocchi Jugurtham Syllæ tradentis, obtrectatione gloriæ, quam Jugurtham recipiendo Sylla sibi paraverat, dejicere voluisset. Verùm adolescenti Syllæ potentiæ cessit infracta Marii virtus; qui quum in exilium pulsus indignos tanto viro casus pertulisset, Cinnæque, qui [e] ab Octavio superatus Urbe excesserat, se adjunxisset, Romam reversus est; ibi [f] interfecto Octavio, Catulo, Antonio, Publio Lentulo, Marco Bæbio, Anchario clarissimis civibus trucidatis, quas aliorum strages edidit! quàm immaniter debacchatus est! Non dignitas cuiquam, non res gestæ, non ætas, non honores profuerunt; polluta cædibus templa, hospitii jura passim violata, constratæ cadaveribus viæ, contemptum sanctissimum jus amicitiæ, objecta feris, alitibusque corpora civium insepultorum, sævitum in defunctos; nihil crudelitatis relictum videbatur, nisi Sylla immanitatem Marii novâ immanitate vindicasset. Is com-
3 positis in Asiâ rebus, & ad pacis conditiones compulso [g] Mithridate cum quadringentis cohortibus in Italiam venit; ibi quindecim adversarum partium exercitus fundit, fugatque, Româ potitur, ubi optabilem fecit Marii sævitiam; quod enim scelus, dum ulciscitur scelera, non admisit? innocentissimos [h] cives interfecit; qui proscriptos occultassent, eos pœnâ capitis affecit; duo talenta præmium constituit interfectoribus, parricidia præmiis ingentibus est remuneratus, quibus multi incitati sævissima scelera perpetrarunt; non Amicis Amici, non servi dominis, non fratres fratribus, non filii parentibus pepercerunt. Neque ob studium solum partium, quod crimen sævitiæ victoris prætendebatur, clarissimi homines occidebantur; si cui magnificæ ædes, fertilis ager, familia speciosa, uxor formosior, ad supplicium rapiebatur. Ferunt Quinctum [i] Aurelium hominem a discordiis civilibus alienissimum, quum in forum venisset, magis ut aliorum sortem miseraretur, quàm quòd Syllæ proscriptionem ad se putaret pertinere, se quoque proscriptum reperisse; & quum clamaret, heu prædium in Albano meum me persequitur, esse trucidatum, quod magnæ hominum multitudini tradunt accidisse.
Quamquam si nemo occideretur, nisi qui 4
Marii partes fovisset, & quem Sylla jussisset, immensa tamen illa cædes futura fuerat; siquidem uno [l] die Sylla sex hominum millia jussit interfici, quum ipse ad ædem Bellonæ in propinquo Senatum haberet; & quum gemitu tantæ morientis multitudinis senatus esset exterritus, dixisse ferunt Syllam: nolite commoveri, nam pauci meo jussu castigantur. Nec tot hominum supplicio satiatus destitit Romanum sanguinem exorbere; quadraginta senatores, mille, & sexcentos equites Romanos e medio sustulit; reliquas cædes quis exequatur? Quæ Syllæ crudelitas ce-
terorum bellorum civilium levavit invidiam, quæ frequenter deinde exarserunt; 5
nam & [m] Lepidus, quum post mortem Syllæ ejus honoribus adversaretur, cum Catulo conflixit, & in [n] Hispaniâ Sertorius ingens bellum concitavit, quod annos octo Romani vario marte gesserunt; Sertorio a suis interempto, bellum a Perpennâ redintegratum. Mox Catilina [o] Urbem incendere, & senatum delere conflatâ sævissimâ conjuratione molitus est; deinde [p] Cæsar, atque Pompejus dissidere cœperunt; sed Cæsaris mitis victoria, bellum funestum Reipublicæ, quo duo duces, quibus neque clariores alii, neque majores exstiterant, committebantur; eæ verò copiæ confligebant, quæ si mens melior fuisset Romanis, Parthorum, Indorumque Reges, & quidquid nondum parebat Imperio, domare potuissent.

[a] Corn. Tacit. libr. 4. Annal. n. 32. [b] Plutarch. in Vitâ C. Marii, & Plin. de Vir. Illustrib. cap. 67. [c] Idem Plutarch. in Vitâ Syllæ, & Valer. Maxim. libr. 2. cap. 3. [d] Plin. de Viris Illustrib. cap. 75. at Plutarch. in Vitâ Marii, & Syllæ aliam affert causam hujus odii, & aliam Plin. de Viris Illustr. cap. 67. & Luc. Flor. libr. 3. cap. 21. [e] L. Florus ibid. Lucan. libr. 2. & D. Augustin. libr. 3. c. 27. & 28. [f] Idem, qui supr. [g] Plutarch. in Vit. Syllæ. [h] Appian. Bell. Civil. libr. 1. [i] Plutarch. in Vitâ Syllæ. [l] Plutarch. ibid. Appian. l. 1. Oros. l. 5. c. 21. Eutrop. l. 5. c. 3. [m] L. Flor. l. 3. cap. 23. Appian. Bell. Civ. l. 1. Oros. libr. 5. cap. 22. [n] Plutarch. in Vit. Sertor. [o] Sallust. in Catilin. [p] Plutarch. in Vit. Cæsaris, & Pompeji, & Suet. in Cæsare.

sent. Nec morte Pompeji extinctum bellum; novæ rursus clades, nova belli moles in Africâ exurrexit, quam [a] Cato, & Scipio [b], & junior Pompejus ciebat; quo in bello fortuna Cæsaris paulisper nutavit, nec tamen ipsum destituit. Africâ pacatâ Cæsar, de quibus non oportebat, Romæ [c] triumphavit; & acerbior pæne populo Romano Cæsaris triumphus fuit, quàm victoria. Nec longa [d] requies a scelere, armisque civilibus intercessit; bellum iterum instaurantem Pompejum juniorem in Hispaniâ Cæsar debellavit. Constituta Respu-
6 blica videbatur, quum ecce aliæ clades; Cæsar a conjuratis [e] interemptus, ejus ultor Antonius hostis a senatu judicatus; bellum ingens conflatum, superatus [f] Antonius, Octavii perfidiâ oppressa Respublica; tunc illæ generis humani pestes [g] Lepidus, Antonius, Octavianus Orbis terrarum Imperium invaserunt: tunc bello victi [h] Brutus, & Cassius libertatis vindices ceciderunt: tunc proscriptione sævitum; tunc civitatis Principes crudelissimè interfecti: tunc optimorum civium, & optimè de Republicâ meritorum bona acerbissimæ voci subjecta præconia: tunc omnia, quæ miserrima Mortales putant, accidere; non enim unus, ut antea, sed tres Syllæ Rempublicam lacerabant; boni passim trucidati; & quod non minùs indignum est, præmiis ingentibus affecti impii, & conscelerati cives: nihil veteris disciplinæ, nihil antiqui moris relictum: oppleti cædibus campi, infecta maria, &, ut cum Poëtâ [i] loquar,

Quis gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes?
Quæ caret ora cruore nostro?

7 Nam post duplex naufragium, post interceptos Urbis commeatus, Urbisque famem, Pompejum juniorem [l] Cæsar ingenti prœlio navali inter Mylas, & Naulochum superavit; & quum suos hostes tres illæ furiæ civitatis universos sustulissent, inter se fatali rabie diffidere cœperunt. Sed Lepidi vincendi facilis ratio fuit; nam quamvis viginti subnixus legionibus, facilè ab Octavio exutus, & in ordinem coactus est; major moles adversùs duos Antonios superfuit. Nam Lucius [m] Antonius vix obsessâ Perusiâ, & extremâ fame laborante, ad deditionem compulsus est; Marcus Antonius [n] autem quum Ægyptum occupasset, & Orientis universi viribus niteretur, totius Occidentis opibus vix est debellatus. Quæ in tot civilibus bellis impia, nefanda, crudelia acciderunt, deflere non possunt; illud funestissimum vidit Orbis terrarum; Urbs urbium Regina a suis civibus capta, atque oppressa libertate spoliata est; & quæ Barbaris etiam omnis humanitatis magistra, & origo fuit, nihil humanum a suis civibus impetravit. Horum malorum
memoriam Livius exhorrescit, & refugit, 8
& in antiquis illis narrandis acquiescit; nam scribentis animus perinde afficitur, ut rei, quam tractat, natura postulat; ita enim Cicero in decima quartâ philippicâ scripsit: *refugit animus, Patres conscripti, eaque formidat dicere, quæ Lucius Antonius in Parmensium Liberis, & conjugibus effecerit*; ita & Cornelius [o] Tacitus ait: *quæ duabus ætatibus gesta conjunxi, quò requiesceret animus a domesticis malis*; perinde loquitur, ac si rebus iis interesset, quæ multis annis antequam Tacitus nasceretur, gerebantur.

DISSERTATIO VI.

De loco, ubi Livius sic ait: *omnis expers curæ, quæ scribentis animum, etsi non flectere a vero, sollicitum tam.n efficere possit.*

Historiam sui temporis conscribere periculosum maximè est. Historici ferè omnes neque odio, neque metu cujusquam, aut gratiâ se a veritate aberraturos polliceri solent. Augustus Livium Pompejanum vocabat. Caligulæ amatoriam potionem Cæsonia uxor præbuit, qua in insaniam incidit. Caligula Lunam assiduè ad concubitum invitabat; Senecam esse arenam sine calce dicebat. Refellitur Johannes Annius, qui Livium tanquam mendacem carpit. Itinerarium Antonini Philosophi confictum est a Johanne Annio.

CRemutium [p] Cordum ferunt historicum non ignobilem, quòd in historiâ Brutum laudasset, & Cassium ultimum Romanorum appellasset, in senatu ab Inimicis accusatum, quum ejus defensionem truci vultu excepisset Tiberius, voluntariâ morte Prin-

---

[a] Plutarch. in Vitâ Catonis. [b] Suetonius in Vitâ Cæsaris cap. 35 & Plutarch. in ejusdem Vitâ. [c] Suetonius, & Plutarch. ibid. [d] Idem Sueton. & Plutarch. ibid. [e] Sueton. in Vitâ Cæsaris cap. 82. [f] Plutarch. in Vit. Antonii. [g] Suetonius in Vitâ Augusti cap. 26. [h] Sueton. ibidem cap. 13. [i] Horat. libr. 2. Carmin. Od. 1. [l] Luc. Flor. libr. 4. cap. 8. Suetonius in Vitâ Augusti cap. 16. & Dio Cassius libr. 49. [m] Suetonius in Vit. Augusti cap. 14. & 15. [n] Plutarch. in Vitâ Antonii. [o] Cornel Tacit. libr. 6. num. 38. [p] Idem Corn. Tac. libr. 4. Annal. num. 33. & 34.

Principis crudelitatem effugisse. Ejus libros
1 per Ædiles conquisitos cremandos Patres
censuerunt; neque tamen Tiberii potentiâ, aut senatus auctoritate deleti sunt; sed iniquo Principi superstites auctori suo, cui mortem pepererant, diuturnam in memoriâ Posterorum vitam attulerunt; eos, Tiberio defuncto, Caligula [a] requiri, legitarique permisit; & Marcia Cremutii Cordi filia publicavit; ut Suetonius, & [b] Seneca memoriæ prodidit. Hoc etiam pœnæ genere jampridem affectus fuerat Labienus, cujus historias, propter libertatem viri, ejus Inimici comburendas curaverant, tam frustra, quàm Cremutii Cordi scripta Tiberius. Ea iniquitas multorum animos a scribendo deterruit; ideo Cornelius Tacitus [c] ait: *Tiberii, Cajique, & Claudii, ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsæ, postquam occiderant, recentibus odiis compositæ sunt*, magnâ temporum illorum ignominiâ, quibus laudanda facere perquam rarum, peccata proferre liberè periculosum fuit. Hoc metu quamquam Augusti sæculum
2 minùs laboravit; quo Principe, sicuti Suetonius [d] testatur, nemini libertas fraudi fuit; nunquam tamen scriptoribus, qui sui temporis memoriam mandare litteris, ac liberè Posteris prodere instituerunt, si non pericula, odium certè, & offensiones defuerunt. Idcirco [e] Sallustius arduum esse dicit historiam scribere; quo in loco Sallustius, ut [f] Gellio placet, accepit arduum pro incommodo; quod de omni historiâ a Sallustio dictum de eâ veriùs affirmatur, quæ memoriam rerum ab Auctoris ætate non remotarum complectitur; rationem hujus rei reddit [g] Cornelius Tacitus his verbis: *tum quòd antiquis scriptoribus rarus obtrectator; neque refert cujusquam Punicas, Romanasque acies lætiùs extulerit; at multorum, qui Tiberio regente pœnam, vel infamiam subiere, Posteri manent*. Quod si [h] Tacitus, qui Trajano rerum potiente res Tiberii perscribebat, nonullorum offensiones verebatur, quantò magis easdem vereantur, necesse est, qui sui temporis historiam exequuntur? Hic est ergo metus ille, vel cura, cujus expertem se Livius in priscis illis tradendis futurum esse confirmat, de quo loco breviter hodierno die differemus. Verba [i] Livii sunt hæc: *ego contra hoc quoque laboris præmium petam, ut me a conspectu malorum, quæ nostra tot per annos vidit ætas, tantisper certè, dum prisca illa totâ mente repeto, avertam, omnis expers curæ, quæ scribentis animum & si non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit*. Quo in loco Livius facit idem,
quod omnes pæne scriptores; etenim polli- 3
cetur, nihil odio cujusquam, nihil gratiâ, nihil metu aliter, quàm veritas postulet, traditurum. Eodem modo Sallustius, cujus immortalem, ut [l] Quintilianus ait velocitatem diversis Livius virtutibus est consequutus, se dicit eâ de causâ præcipuè ad scribendum animum appulisse, quòd causa, cur mentiretur, non esset: *statui*, [m] inquit, *res gestas populi Romani carptim, & ut quæque memoriâ digna videbantur, perscribere; eo magis, quòd mihi a spe, metu, partibus Reipublicæ animus liber erat*; & Tacitus [n] alter Sallustius ait: *inde consilium mihi pauca de Augusto, & extrema tradere; mox Tiberii principatum, & cetera sine irâ, & studio, quorum causas procul habeo*; & in historiis affirmat nihil se gratiæ, nihil odio cujusquam tributurum, sed omnia ex historiæ fide traditurum: *mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio, nec injuriâ cogniti; dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longiùs provectam non abnuerim; sed incorruptam fidem professis nec amore quisquam, & sine odio dicendus est*. Quibus ferme similia habet Dionysius [o] Halicarnasseus, qui nonnullos ait amore, vel odio plerumque mentitos; sibi autem utraque re, & præcipuè adulatione mentem liberam esse. Hæ igitur animi affectiones, quas
modò laudati scriptores nominant, spes vi- 4
delicet, metus, amor, odium afferunt animo curam, cujus expertem se Livius in priscis illis tradendis fore profitetur; itaque quum hæc verba ponit: *omnis [p] expers curæ, quæ scribentis animum & si non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit*; nihil sibi veritate antiquius esse confirmat. Et sanè Auctori nostro in omnibus fidem, ac veritatem constitisse cum multa declarant, tum illud inprimis, quod quum is Augusti amicitiâ [q] floreret, tantis tamen magnum Pompejum laudibus tulit, tamque liberè bellum civile perscripsit, ut Augustus Pompejanum ipsum solitus sit appellare. Idem Cassium, & Brutum sæpe laudavit, quum eorum uterque bellum acerrimum adversùs Augustum pro Patriæ libertate gessisset. Quòd si neque metu, neque gratiâ maximi post homines natos Principis, cujus Orbis terrarum horrebat nutum, & vim, potentiamque Parthorum, Indorumque Reges, & ultimi Seres pertimescebant, Livius moveri potuit, quominus om-

a Suetonius in Vitâ Caligulæ cap. 16. *b* Seneca de Consolatione ad Marciam. *c* Cornelius Tacitus libr. 1. Annal. n. 1. *d* Suetonius in Vitâ Augusti. *e* Sallustius in Catilinar. *f* A. Gell. libr. 4. c. 15. *g* Cornel. Tacit. libr. 4. Annal. n. 33. *h* Cornel. Tac. in Vitâ Agricolæ n. 44. *i* T. Liv. in Procemio. *l* Quintilian. libr. 10. cap. 1. Instit. Orat. *m* Sallust. in Catilin. in Procem. *n* Cornel. Tacit. libr. 1. Annal. in princip. *o* Dion. Halic. Antiq. Roman. libr. 1. *p* T. Liv. in Procemio. *q* Corn. Tacit. Annal. libr. 4. n. 34.

omnia, quæ etiam contra Cæsaris voluntatem sentiebat, audacter, libereque proferret, qui credi potest odio quarumdam nationum nonnihil a veritate deflexisse? quod miror nonnullos credidisse, atque prodere ausos. Quapropter irrideamus Johannem
5 illum Annium nobilem nugatorem, qui in commentario, quem in Fabium Pictorem, ut ipse appellat, edidit, Livium tanquam mendacem, verbosum, negligentemque carpit; idque [a] Caligulæ testimonio probat, qui Livium sicut omnes bonos, improbabat; perinde ac si hominis, illius indicium, & non deterrimæ, & inquinatissimæ pecudis deberet judicari. Caligula testis citatur adversùs Livium, ejusque sententiâ princeps historicorum in ordinem cogitur; ille Caligula, qui nihil habuit humani præter formam, qui optavit, ut populus [b] Romanus unam haberet cervicem, ut posset uno ictu omnes e medio tollere; qui [c] sororum stupris fœdus, quas contaminarat, aviæ [d] Antoniæ, fratris Tiberii, soceri Syllani, quos crudelissimè necaverat, furiis agitatus; qui tot innocentium, quos trucidaverat, pœnis cæcus, & amens non solùm bonis artibus vacare non poterat, sed ne mente quidem satis consistere, audietur? quum eadem dementiâ, qua dixit, & fecit omnia, ex illustrium scriptorum cœtu Livium tollat; quasi verò nesciamus Caligulam non mediocri insaniæ morbo laborasse, quod [e] Suetonius testatur his verbis: *mentis valetudinem & ipse senserat, ac subinde de secessu, deque purgando cerebro cogitavit; creditur potionatus a Cæsoniâ uxore amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit:* & [f] Cornelius Tacitus ait: *etiam Caii Cæsaris turbata mens*
6 *vim dicendi non corrupit*. Sed idem & Caligulæ facta declarant; quid enim dementius, quàm quòd adversùs Oceanum duxit [g] exercitum Caligula? & quum in Oceani litore directâ acie, tormentis, machinisque dispositis diu stetisset, nemine gnaro quid esset cepturus, repente, ut conchas legerent, galeasque, & sinus replerent, militibus imperavit? quid quod Lunam [h] assiduè amplexus, & concubitum invitabat? quid [i] quod se cum Jove colloqui simulabat, Jovi minabatur, Jovem maledictis incessebat? videntur ne hæc sanæ mentis argumenta? & hujus judicio Principis, quem monstrum Suetonius jure nuncupat, credendum putabimus? Parum absuit, quin scripta, statuasque [l] Titi Livii ex omnibus bibliothecis Caligula amoveret; quid? nonne meminimus quomodo [m] Jovis, quem tam superstitiosè metuebat, ut ad minima etiam tonitrua, & fulgura expavesceret, simulacrum, aliorumque Deorum tractare fuerit aggressus; quibus [n] caput demere, &
suum imponere cogitavit? nonne scimus, 7
quantâ invidiâ, livore, malivolentiâ omnes claros viros fuerit insectatus; quorum statuas evertit, atque disjecit? si quod Livium Caligula improbavit, de Livio minùs honorificè sentiemus, quid [o] Homero, quid Virgilio faciemus; quorum alterius carmina abolere, alterius imagines e bibliothecis tollere in animo habuit? tollamus e numero disertorum [p] Senecam, quem *commissiones meras edere, & arenam esse sine calce* Caligula affirmabat. Sed enim 8
Caligulæ auctoritas sanè levis habeatur; quid respondebimus Antonino Principi sapientissimo, cujus itinerarium citat Annius eo loco, ubi sic ait. *fano Juturnæ, vajus præclaris gestis invidet Livius*. Ex quo putat effici Livium utpote invidum in historiâ scribendâ parum sincerâ fide esse versatum. Ego verò, si putarem id ab Antonino Philosopho, vel alio quopiam vetusto Auctore dictum, sanè quàm commoverer, sed quum hoc Itinerarium non sit Antonini, sed ipsius Annii, ut ostendit pluribus in Italiâ suâ Cluverius, quid restat, nisi ut irrideamus hominis nugas sub clarorum virorum nominibus nobis illudentis? Nam sciendum est Annium vetustissimorum Auctorum nomine libros, quos ipse confinxerat, insignivisse, ac pro veris obtrusisse, ac fucum fecisse hominibus parum doctis, certè non satis prudentibus, ut doctissimis viris placuisse video, & res ipsa clamat; nam ut de aliis interea sileam, nihil hoc itinerario Antonini, quod evulgavit Annius, insulsius, atque ineptius. Præterea ab eo longè diversum est, quod Josias Simlerus edidit, & commentariis illustravit, e quo absunt illa verba, quæ Annii calumniam confirmant. Quàm igitur accusatio Livii levis est existimanda, quum ex duobus testibus, qui adversùs Livium citentur, alter sit ab accusatore fictus, alter intestabilis, ipse verò accusator mendacissimus?



DIS-

[a] Sueton. in Vitâ Caligulæ cap. 34. [b] Idem ibid. cap 30. [c] Idem ibid. cap. 24. [d] Idem cap. 23. [e] Idem Sueton. ibid. cap. 50. [f] Cornel. Tacitus Annal. libr. 13. cap. 3. [g] Sueton. in Caligul. cap. 46. [h] Idem ibid. cap. 22 [i] Idem eodem loco. [l] Idem cap. 34. [m] Idem ibid. cap. 51. [n] Idem Sueton. cap. 22. in Caligul. [o] Idem ibid. cap. 34. [p] Sueton. ibid. cap. 53.

DISSERTATIO VII.

Qua nonnullæ Henrici Glareani adversùs Livium calumniæ diluuntur.

Nationis cujusque propria sunt aliqua vitia. Cambysem septem annos regnasse tradit Herodotus; undeviginti autem Clemens Alexandrinus. Darius triginta septem annos regnasse fertur; sed Clemens Alexandrinus tradit sex, & quadraginta. Decem millia Græcorum duodecies centena millia Persarum devicerunt. Nationum mores sæpe mutantur; quin & ipsæ regiones maximas interdum suscipiunt mutationes. Hispaniam ab inopiâ dictam aliqui falsò putant. Romani nationibus omnibus humanitatis auctores extiterunt.

INsurgit alia calumniæ moles aduersùs Auctorem nostrum, quam Henricus Glareanus vir alioquin non ineruditus conflavit, qui Livium putat studio quibusdam nationibus obtrectandi parum sincerè quædam prodidisse; qui Glareanus homo transalpinus invidisse mihi videtur Italorum gloriæ; siquidem Latinos Auctores ubique reprehendit, Græcos extollit; & in illis redarguendis magis est, quàm illustrandis occupatus. Is quoniam in hac re Livium culpandum existimavit,
1 quoniamque eò devenimus, ut de Annio Livii obtrectatore diceremus, non abs re fuerit ejus dicta quam brevissimè refellere. In epistolâ igitur dedicatoriâ adnotarionum, quas in Livium scripsit, Auctorem suum damnat, quòd Gallis præcipuè obtrectaverit fortissimæ, nobilissimæque nationi, quum belluas eos appellarit, & stupidos, & corporibus diffluentes. Magnum sanè crimen, & Historico principe indignum, si maledicendi studio tam contumeliosè appellas florentissimam nationem; sed tamen si, quibus in locis hæc de Gallis dixerit Livius, consideremus, nihil odio nationis illius datum nobis apparebit. Nam belluas Gallos vocavit tribus, aut quatuor in locis omnino; in septimo libro M. Popilius Lænas Consul suas copias ad rem strenuè gerendam cohortans: *non cum Latino*, inquit, *Sabinoque hoste res est, quem victum armis socium ex hoste facias; in belluas strinximus ferrum*; & eodem libro Manlius adversùs Gallum provocantem singulari certamine pugnaturus ait: *si tu permittis, imperator, volo ego illi belluæ ostendere*; & M. Furius Camillus in oratione, qua Ardeates ad bellum gerendum adversùs Gallos adhortatus [a] est: *ubi nox appetit*, inquit, *prope rivos aquarum, sine munimento, sine stationibus, ac custodiis passim ferarum ritu sternuntur*; & paulò post: *nisi victos somno, veluti pecudes, trucidandos tradidero*; quibus in locis non ipse Auctor loquitur, neque sententiam expromit suam, sed alienæ sententiæ, personæque accommodat orationem. Quid ergo mirum, si Romanos duces, vel Manlium illum interfecto Gallo nobilem, vel ostentandi odii gratiâ, vel quò militum animos accenderent, in eam nationem contumeliosè loquentes inducit? quum verisimile sit ipsos multo fœdiora probra in Gallos congessisse. Quod si Historico non conceditur, non
mudò Livius accusandus est, quòd Gallos, 2
sed etiam quòd Romanos obtrectaverit; siquidem apud eundem lupos imperator hostium alludens, originemque respiciens, Romanos vocat; & excindendam gentem jactat; & Vibius Virrius Romanos feris bestiis comparat libro sexto belli Punici secundi. Jam verò avaritiæ, crudelitatis crimina innumeris in locis hostes Romanis exprobrantes facit; neque tamen quisquam, cui cor sapiat, dixerit odio Romanorum hæc Livium pronunciasse; quum vero propius esse videatur studuisse nimium, quam parum Romanis Livium; & appareat illa non ex Auctoris dici sententiâ, sed eorum, qui hostili animo de Romanis loquebantur; eodem modo Gallis non maledicit, quum hostes eorum contumeliosè de ipsis lo-
quentes inducit. At enim libro decimo 3
Gallorum corpora intolerantissima æstus, laboris fluere dicit; id enim Livio secundo loco Glareanus objicit; quod ipsum studio Gallos vituperandi neutiquam dixisse, sed veritate adductum intelliget, quicumque reputaverit hanc de Gallis opinionem fuisse vetustissimam, & omnium consensu confirmatam: Gallorum impetus acres, ac vehementes haudquaquam esse diuturnos, sed interposito brevi spatio languescere. Quare Polybius historiarum libro secundo Romanos tribunos laudat, quòd quum animadvertissent Gallos citò defatigari, nec perinde processu temporis, ac primo impetu, valere, milites viribus temperare jussissent; & initio certaminis arcere magis hostes, quàm inferre pugnam, ut mox fessos Gallos integri viribus adorirentur; quod consilium [b] Livius tribuit Q. Fabio Rutiliano, qui Gallos eâ ratione dicitur fatigasse. Quod mirum, nemini debet videri; scitum est enim, quod Lucius [c] Florus e-

a Tit. Livius libr. 5. b Idem libr. 10. c Luc. Florus libr. 2. cap. 4.

legens inprimis Auctor scribit, Gallorum primos congressus pluſquam virorum esse, postremos minùs, quàm feminarum; sed & Cæsar, quem Glareanus tanquam eximium Gallorum laudatorem unice laudat, eorum animum mollem, & minimè calamitatibus resistentem esse dicit. Quæ profectò non malevolentiâ, neque obtrectandi studio dicuntur a præstantissimis Auctoribus; quid enim minùs convenit, quàm veritatem professis odium, & obtrectatio? sed sicut
4 hominum, ita vitia quædam sunt propria cujusque nationis. Hispanos [a] Athenæus in victu sordidè parcos, nimiùm in vestitu splendidos esse tradit; eorumdem cerbereum supercilium, superbiamque [b] sugillat Scaliger: vino, epulisque deditos Germanos Cornelius [c] Tacitus asseverat; inhospitales Britannos [d] Horatius, Siculos [e] dicaces Tullius: Punicam [f] fraudem Romani scriptores damnant: Græcam [g] fidem Comici carpunt: Thebanos [h] ingenio hebetes vetus [i] proverbium declarat, quod aspexit [l] Pindarus, quum se Bœotiam suem effugisse glorietur: Ægypti superstitionem Juvenalis [m] irridet: nequissimos fuisse Phryges, & Lydos, improbissimos Cares Tullius asseverat: Ætolorum [n] avaritiam, injustitiamque Polybius reprehendit: Cretensium perpetuam [o] mentiendi libidinem notat Epimenides: Asianos [p] molles, Arabes rapaces, & prædatores, stolidos esse Getas clarissimi Auctores prodiderunt. Quid singu-
5 larum gentium vitia persequar? præclarè Venusinus Poëta [q] dixit:

...... vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,
Qui minimis urgetur .....

Quum autem unicuique genti aliquod vitium natura tribuisse videatur; quæ tandem invidia est, si & Gallorum natio suis vitiis dicitur laborasse? Accedit eodem, ut plerumque disciplina desit, & institutio, quod Gallis arbitror antiquitus accidisse; quum igitur ita naturâ comparatum sit, ut ceteræ animantes nullo doctore, naturâ duce teneant ea, quæ suo ad suum munus exequendum necessaria; homo autem solus omnium nihil planè sciat, nisi accedente cultu, & disciplinâ, miramur eas nationes, quæ indoctæ, incultæque vixerunt, moribus absonis, insignique stultitiâ fuisse? Quid tu mihi, Glareane, ex præsenti Gallorum solertiâ, industriâque singulari Livium mentitum judicas, quòd eos impetu magis, quàm ratione bella gerere confirmavit? quasi verò nunquam gentium mores, & instituta mutentur? & non pleræque nationes ex efferatissimis, & barbaris mitissimæ, ex fortibus molles, imbellesque, ex rudibus, atque impolitis omni humanitate perpolitæ, eruditæque soleant interdum evadere? Persæ [r] Rege Cyro temperantiâ insignes etiam bellicis laudibus præstiterunt; 6
consequutis temporibus effeminatissimi, & bellicæ virtutis expertes fuerunt; quòd eo mirabilius est, quod inter summam fortitudinem, & ignaviam Persarum non ita multæ ætates intercesserunt. Nam [s] Cyro, quum triginta annos imperasset, successit [t] Cambyses, qui septem, ut [u] Herodoto placet, annos rem Persarum administravit, quamvis Clemens [x] Alexandrinus annos undeviginti rerum potitum asseveret; post Cambysem regnum tenuit [y] Magus, qui septem menses Asiæ rexit Imperium, quo interfecto [z] Darius triginta sex annos obtinuit principatum, vel, ut [a] Clementi Alexandrino visum est, sex, & quadraginta, qui moriens Xerxi [b] regnum reliquit. Hic anno quinto Imperii quum arma Græciæ intulisset, adeo imbelles Persæ [c] fuerunt, ut a paucissimis Spartanis pecudum more trucidarentur; & quum solâ suâ multitudine Græcos obtriturі viderentur, a Græcis victi maria, & terras naufragiis, & stragibus impleverunt. Ex quo intelligi potest quinquaginta annis, vel summum septuaginta Persarum mores a Majorum virtutibus plurimum descivisse; quàm autem brevi præcipites iverint, ex his, quæ dicemus, apparebit. Nam Xerxes [d] expletis annis viginti sui regni decessit; post hunc per annos sexaginta Persarum Imperium administravit, Artabanus [e], Artaxerxes, Xerxes, Sogdianus, Darius Nothus; quo extincto [f] regnum suscepit Artaxerxes; adversùs hunc annum jam quartum imperantem Cyrus junior subnixus Græcorum auxiliis bellum gessit; quo [g] tempore tanta Persarum ignavia fuisse dicitur, ut hostium clamorem minimè sustinerent; & a decem millibus Græcorum centum viginti Persa-

rum

[a] Athen. libr. 2. cap. 6. [b] Scaliger. Poëtic. libr. 3. cap. 16. [c] Cornel. Tac. de Moribus Germanor. [d] Horat. libr. 3. Od. 4. [e] Cicer. in Verrem act. 6. & libr. 2. de Oratore. [f] Tit. Liv. libr. 26. & 30. [g] Plaut. in Asinariâ act. 1. sc. 3. [h] Athen. libr. 10. cap. 11. & Cornel. Nep. in Vit. Alcibiad. in fine. [i] Plutarch. de Esu carnium. [l] Pindar. Olymp. Od. 6. v. 152. [m] Juvenal. Satyr. 15. [n] Polybius Histor. libr. 2. [o] Epimenid. de Oracul. apud D. Paulum in Epistol. ad Titum cap. 1. & D. Hieronym. in Commentar. in hanc Epistol. [p] Jul. Firmicus libr. 1. cap. 1. [q] Hor. Satyr. libr. 1. Sat. 3.

[r] Xenoph. Cyri Instit. libr. 2. in princ. [s] Clem. Alexandr. Strom. l. 1. annos 29. juxtà Herodot. libr. 1. cap. 214. [t] Herod. l. 2. in princ. [u] Idem libr. 3. cap 66. [x] Clem. Alexandr. Strom. libr. 1. [y] Herod. libr. 3. cap. 67. [z] Idem l. 7. cap. 4. [a] Clem. Alex. Stromat. libr. 1. [b] Herod. libr. 7. cap. 5. [c] Herod. libr. 7. & 8. Corn. Nep. & Plutarch. in Vit. Themistocl. [d] Diodor. Sicul. libr. 11. pag. 278. [e] Ctesias de Rebus Persicis apud Photium Biblioth. 72. [f] Xenoph. de Exp. Cyri libr. 1. in princ. [g] Xenoph. Ibid. & Plutarch. in Vit. Artaxerxis.

rum myriades vincerentur. Quæ declarant seculi unius intervallo Persas a summâ virtute, solertiaque ad summam desidiam, animique mollitiem defluxisse. Jam Patchi ob-
7 scurissima natio, & nullâ virtute nobilis,
eò gloriâ, rebusque gestis processit, ut se Romanæ magnitudini propemodum adæquarit; Babylonii, Lydi, Etrusci veteres & luxuriæ sunt, & fortitudinis exemplum. Quid doctius antiquâ Græcia? quid indoctius novâ? quid magis abhorruit ab omni doctrinâ, & humanitate, quàm vetus Germania? quid doctius, aut humanius novâ dici potest? Aborigines, ut Sallustius [a] ait, *genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum, atque solutum*, quum in una mœnia convenissent, urbemque Romam condidissent, omnes Mortales regnandi artibus, & justitiâ, temperantiaque superarunt. Spartani [b] veteres ante conditas a Lycurgo leges solutis luxu moribus utebantur, vitaque deliciis affluente, nec finitimis bello pares propter animi mollitiem esse poterant; legibus constitutis, temperantiâ voluptatum, & virtute bellicâ omnes ferè gentes præstiterunt.
8 Neque nationum solùm
ingenia, moresque mutantur, sed ipsæ regiones incredibiles interdum suscipiunt mutationes. Germania, Tacito [c] teste, quondam in universum aut silvis horrida, aut paludibus fœda, terris informis, aspera cœlo, tristis cultu, aspectuque fuit; nunc & satis floret hominum cultu, & florentissimis oppidis nitet. Hispaniam veteres omnes feracissimam prodiderunt; Plinius omnibus, Italiâ exceptâ, terris anteponit; Justinus libro quadragesimo [e] quarto fertiliorem Galliâ dicit his verbis: *hæc inter Africam, & Galliam posita Oceani freto, & Pyreneis montibus clauditur: sicut minor utraque terrâ, ita utraque fertilior*. Quæ de Lusitaniæ, quæ Hispaniæ pars est, feracitate, & beatissimâ copiâ rerum, quibus antiquitus abundabat, apud Athenæum [f] Polybius tradit, vix credi posse videantur; nunc autem Hispania, & si ceteris laudibus floret, hac fertilitatis non magnopere gloriatur; ex quo nonnulli magis præsentem regionis naturam, quàm vetustam felicitatem respicientes Hispaniam ἀπὸ τῆς σπανίας id est ab *inopiâ* falsò putant nominatam. Longum, & supervacaneum fuerit enumerare nationes, quæ mutationem aliquam susceperunt; ipsi Galli immani corporum magnitudine dicuntur fuisse [g] Polybio, Cæsare [h], Livio [i], Ammiano [k] Marcellino auctoribus; nunc potiùs breviores Italis, quàm proceriores sunt. Quòd si tantæ in
moribus, animis, corporibusque, & re- 9
gionibus, gentium mutationes existunt; quis existimet ex præsenti Gallorum laude veterum ingenia, mores, instituta, naturam judicanda? Fuit illud olim tempus, Glareane, quum, siquid Polybio [m] Historico Græcorum omnium longè gravissimo credimus, Galli nullis urbibus conditis humi super strato gramine somnum capiebant; & omnis expertes disciplinæ nullas artes noverant præter bellicas, easque Barbarorum more, non mentis solertiâ, sed inconsulto quodam impetu exercebant; paulatim deinde commercio cum Romanis constituto, & eorum Imperio subjecti, & ingenia excoluerunt, & artes didicerunt, & ex barbaris, & indoctis doctissimi, humanissimique evaserunt. Hac ego de causâ existimo magis a Cæsare [n] solertiam Gallorum laudari, quàm a Livio, quòd Livius [o] in his, quos præ manibus habemus, libris res ab antiquioribus Gallis gestas perscribit; Cæsar autem de Gallis loquitur, qui jam assueverant quodammodo Romanis moribus, & ab illis artes acceperant, & aliquâ ex parte saltem barbariem antiquam exuerant. Neque id Gallis minùs honorificum debet judicari, quum omnes ferè nationes Romanos auctores morum, doctrinæ, artium, prudentiæ, legum, humanitatis agnoscant; non enim præclarè magis, quàm verè Plinius libro tertio capite quincto Italiam, atque adeo Romam ipsam laudat his verbis: *nec ignoro ingrati, ac segnis animi existimari posse meritò, si breviter, atque in transcursu ad hunc modum dicatur terra omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine Deûm electa, quæ Cælum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum discordes, ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium in toto Orbe Patria fieret*.



DIS-

[a] Sallust in Catilin. [b] Plutarch. in Vitâ Lycorgi. [c] Cornel. Tacit. de Morib. German. [d] Plin. libr. 3. cap. 1. [e] Justio. Histor. libr. 44. in principio. [f] Polybius Histor. libr. 34. apud Athen. libr. 8. in ipso princip. [g] Polyb. Histor. libr. 2. [h] Cæs. de Bello Gallico. [i] Tit. Livius libr. 5. 7. & 38. [k] Ammian. Marcellin. libr. 15. [m] Polyb. Histor. libr. 2. [n] Cæsar de Bello Gallico. [o] Tit. Livius ibidem, & alibi.

DISSERTATIO VIII.

De Historiæ laudibus.

Græcos pueros appellat Plato, quòd paucorum sæculorum historiam haberent. Reipublicæ administrandæ prudentia exemplis acquiritur, nec dissentire Plato dici potest. Cicero Atheniensium, ceterorumque Græcorum jus civile præ duodecim tabulis contemnit.

Ægyptius ille Sacerdos, qui multa memorans de rebus gestis Atheniensium in Timæo Platonis [a] inducitur, Græcos omnes poeros non dubitat appellare, non quòd illis matura virtus, & plurimarum cognitio rerum deesset; sed quòd omnem propemodum Antiquitatem ignorarent, neque historiam tenerent, nisi paucorum oppidò sæculorum. Existimavit nimirum Ægyptius ille sapiens, vel potiùs Plato omnium sapientissimus, hominem quamvis ad ultimam senectutem pervenisset, & ingenio præstaret, & usu rerum maximarum, parum tamen a puero differre, nisi historiæ beneficio omnis ævi memoriam complexus esset. Nec mehercule immeri-
1 to, nam quemadmodum pueros, & adolescentes imprudentes putamus, quòd propter ætatem parum multa videre, & audire potuerunt; quibus velut exemplis docti utilia a damnosis, a periculosis tuta secernant; ita quicunque historiam nescit, quàmvis multum ætate jam processerit, imperitus rerum meritò habebitur; siquidem ejus cognitio, & scientia humanæ vitæ terminis augustis sanè concluditur, necesse est. Quum enim præterita conferendo præsentibus de futuris conjecturam optimè capiamus; præteritorum ignoratione quicunque fuerit ignarus historiæ, neque futura poterit prospicere, & providere, neque cum laude regere, & administrare præsentia. Jure igitur historiam Livius laudat, quum in totius operis procemio sic ait: *hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre, ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri; inde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Quæ
2 verba propterea quod nihil habent obscuritatis omisissem libens, nisi ad instituti operis tractationem putassem pertinere; quum enim præstantissimam historiam, & præstantissimum historicorum explicandum susceperimus, operæpretium est exponere, quinam ex historia cognitione fructus capiatur, ne frustra a nobis omnis labor susceptus esse videatur. Simul & illud nos impulit, ut de historiæ utilitate verba faceremus; quòd video esse nonnullos, qui tantam ex cognitione rerum gestarum utilitatem percipi negent; neque enim exemplis, aut ullâ arte ad prudentiam perveniri posse putant; quòd quum tam varii casus humani, incostansque fortuna sit, nihil certi in hujusmodi rebus præcipi posse videatur, neque ullum exemplum, quod omnino sit alteri simile, reperiri; ac, si maximè possit, tantam esse vim fortunæ, ut ab iisdem initiis diversi, ac sæpe contrarii exitus consequantur. Quapropter meo quidem judicio prudentiam funditus tollunt, & rem omnem fortunæ, temeritatique committunt; & quemadmodum in studio sapientiæ philosophi [b] quidam extiterunt, qui universam Mundi molem non divino consilio regi; sed casu voluerunt; sic in hujusmodi studio sunt, & fuerunt nonnulli, qui res humanas non cujusquam prudentiâ gubernari; sed pro fortunæ libidine sus deque verti confirmant; ex quo versiculus ille a plerisque laudatus [c] est

..... *Vitam regit fortuna, non sapientia*

Ut minimè sit mirum, si, quod [d] Plinius ait, *sola fortuna in totâ ratione Mortalium utramque paginam facit.* Cujus opinionis Au- 3
ctores Platonem testem citant longè locupletissimum; qui in Protagora pluribus verbis ostendit prudentiam administrandæ Reipublicæ tradi arte non posse. Quod si consentaneum sit veritati, effici putant nihil ad Reipublicæ gubernandæ facultatem conferre historiæ cognitionem, exemplorumque copiam; nam si conferret, prudentia tradi disciplinâ posset, quemadmodum historiæ cognitio traditur. Sed Plato prudenter, hi stultissimè disputant; nam Plato in Protagora haudquaquam negat adhibito studio, & mentis agitatione perfici prudentiam; sed arrogantiam sophistarum confutat; qui quum essent omnium ignari, se doctos esse profitebantur Reipublicæ administrandæ rationem. Quo quidem in loco sapientissimè docet non satis esse ad prudentiam, virtutemque civilem comparandam præcepta doctorum, & ingenii magnitudinem, naturæque præstantiam; sed opus esse Deûm benignitate, & quadam benevolentiâ Numinis; hi verò dum historiæ utilitatem elevant, abjiciuntque dicendo, virtutem unam omnium excellentissimam prudentiam tollunt, & clarissimum vitæ lumen

a Plato in Timæo paulo post princip. b Cicer. de Nat. Deorum libr. 1. Stubæus Eclog. Physic. libr. 1. cap. 10. & Lucret. libr. 6. c Menander apud Cicer. libr. 5. Tuscul. & apud Stob. Eclog. Phys. libr. 1. cap. 10. de Fortun. d Plin. l. 2. cap. 7.

men extinctum volunt; nullam enim viam bene vivendi, rationemque Reipublicæ laudabiliter administrandæ nobis relinquunt, qui exempla nihil vitæ conducere opinantur; exemplis quippe sublatis prudentiæ interitus consequatur, necesse est. Quo
4 enim pacto quid utile, quid damnosum, quid petendum, fugiendumve sit, possimus condiscere, nisi nobis ostendatur exemplis? rudes enim nascimur, & bonorum, malorumque juxta ignari; ubi autem adolevimus, & cœpimus animadvertere ex aliis actionibus damnum, probrum, dedecus, ignominiam, ex aliis utilitatem, decus, gloriam nasci; paulatim utilia, & honesta petere discimus, aversarique contraria; quibus omnino rebus prudentia omnis, & ars vitæ continetur. Hinc [a] apud Horatium bonus ille pater filium ab omni turpitudine absterret exemplis,

..... *insuevit pater optimus hoc mi*
Ut fugerem exemplis vitiorum quæque notando,
Quum me hortaretur parcè, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset.
Nonne vides, Albi ut male vivat filius, utque
Barrus inops .....

cetera deinde persequitur diligenter, & singula notat exemplis; quod latius etiam patet; omnes enim artes docemur exemplis; sed ad civilem redeo. Num [b] Lycur-
5 gum putamus tam salubres Reipublicę Spartanorum leges conditurum fuisse, nisi eâ tempestate laudatissimas Cretensium leges inspexisset? num [c] decemviros illos, qui civitatem Romanam egregiè legibus temperarunt, id præstaturos, nisi universâ Græciâ peragratâ præstantissima quæque elegissent? ex quo Romanæ leges adeo ceteris præstiterunt, ut Cicero Atheniensium jus civile, ceterorumque Græcorum præ duodecim tabulis contemnat, & ridiculum vocet. Et ut ab universæ Reipublicæ ad partium ejus temperationem veniam; sæpenumero a magnis viris res domi, militiaque præclarè gestas exemplis ex historiâ petitis fuisse contendo. Testis est Luculli [d] mira solertia, & ingenii magnitudo, qui quum ad bellum Mithridaticum proficiscens rei militaris imperitus, & rudis haberetur, tantum historiæ cognitione profecit; ut duos potentissimos Reges Mithridatem, atque Tigranem ingentibus prœliis victos profligarit, urbes maximas ceperit, Asiamque totam belli terrore concusserit, subversurusque etiam videretur Imperium Parthorum, nisi milites nactus esset contumaces. Testis [e] Cicero- 6
nis prudentia, qui quum Respublica occiso Cæsare fluctuaret, Atheniensium exemplo, qui [f] exactis triginta tyrannis legem tulerant, quam ἀμνηστίαν appellarunt, ne quis eorum rationem reddere cogeretur, quæ tyrannis rerum potentibus fecisset, auctor senatui fuit, ut senatusconsulto caveret, ne quis eorum, quæ sub Cæsare, & in bello civili gessisset, reus arcesseretur, Rempublicam, quantum in ipso fuit, inductâ malorum oblivione stabilivit. Testis Alexandri [g] Cæsaris prudens consuetudo, qui Romanum Imperium, auctore Lampridio, singulari prudentiæ laude administravit; nec minùs in bello, devicto Artaxerxe Rege Persarum, fuit hostibus terribilis, quàm in pace, post illam Imperii pestem Heliogabalum Republicâ in pristinum splendorem restitutâ, suis civibus venerabilis, & humano generi salutaris. Is igitur [h] Princeps tot res prosperè gestas historiæ peritis acceptas referebat, quos circa se habebat plurimos; & si quid accidisset, quod curam Principis flagitaret, consulebat, quid in tali re Principes, ducesque clarissimi consilii cepissent, & eorum laudatis exemplis consilia sua moderabatur.



DIS-

[a] Horat. Satyr. libr. 1. satyr. 4. [b] Plutarch. in Vitâ Lycurg. [c] T. Livius libr. 3. Pompon. l. 2. ff. de Origine juris. [d] Plutarch. in Lucull. Vit. Cicer. Acad. quæst. libr. 2. seu 4. qui inscribitur *Lucullus* in princ. & Plin. de Vir. Illustrib. cap. 74. [e] Cic. Philipp. 1. in princ. [f] Valer. Max. libr. 4. cap. 1. Plutarch. in Polit. Flavius Vopiscus in Vitâ Aureliani, & Corn. Nep. in Vitâ Thrasibuli, Justinus libr. 5. & Paul. Oros. l. 2. cap. 15. [g] Lamprid. in Vitâ Alexandri Cæsaris. [h] Idem ibidem.

DISSERTATIO IX.

De Historiæ utilitate.

Quamplures longissimè vixisse feruntur. Omnes, qui Historicorum præceptis non paruerunt in maximas inciderunt calamitates; nullos autem obtemperasse pænituit. Spumam equi Nealces pictor casu, quam arte non potuerat, expressit. Panisci effigies casu effracto lapide extitit. Philippus Macedonicam phalangem ab Homero sumpsit. Cadmus primus Asylum aperuit; & quum eâ ratione ingentem convenarum turbam collegisset, sibi e terrâ editam stirpem est ementitus; & inde originem duxit fabula, satos e serpentis dentibus armatos viros Thebarum mœnia condidisse. Numa Ægeriam, Minos Jovem, Apollinem Lycurgus suarum legum auctores simularunt. Servius, quum Dianæ templum Romæ constituit, quod communiter a populis Latinis coleretur, expressit Latinis Romam caput esse; de quo toties armis certatum fuerat. Epaminondas, & Scipio Africanus commemoratione rerum a se gestarum accusatores eluserunt. Romanum Imperium omnibus aliis præstitit; nulla enim est gens, quam expedierit vincere, quæ a Romanis non fuerit victa. Quos Imperii fines esse voluerint Augustus, & alii Imperatores. Italia mille centum urbes olim continebat, nunc trecentas tantùm, easque exiguas. Ex Ægypto Romani annuo reditu viginti tria millia talentorum capiebant. Carthago, postquam multis cladibus diminuta fuerat, tamen, quum caperetur, octingenta hominum millia fertur habuisse.

Sicut est animi magni, & excellentis non solùm præsentis ævi famam consequi velle; sed etiam immortalitatem spectare, & futuri temporis memoriam quærere sempiternam; ita magni viri est, & prudentis non esse contentum documentis, quæ præsens ætas tulit; sed animum mittere in immensa spatia præteriti temporis, & historiæ beneficio interesse consiliis hominum, quos pace, belloque mirabiles antiqua sæcula extulerunt, & sententiam, mentemque suam eorum sapientiâ moderari. Nam exiguum vitæ spatium nobis a naturâ datum est, & longissimum tempus ætatis angustum est ad omnia, quibus est nobis opus, experiundo condiscenda; sed fac esse longius. Pictoreum [a] quemdam historiæ profanæ ferunt, ut sacras omittamus, annis vixisse trecentis; 1
Sibyllam [b] Erythræam mille, Dandonem Illyrium [c] quingentos, sexcentos [d] Regem quemdam Latinorum ætatis annos explevisse. Horum siquis ævum nobis Deus dederit, quid erit cum omnis ævi diuturnitate comparatum? Sed finge nobis, quemadmodum Tithono [e] poëtæ fabulantur, immortalitatem munere Deûm concessam; num idcirco minùs historiâ indigebimus? non enim omnes obire regiones, omnibus rebus interesse poterimus; quapropter plura auditu, ex aliorumque narratione, quàm visu, & experientiâ percipiemus. Idcirco historiæ cognitio inprimis est necessaria, quod ostendimus hesterno die, & hodierno maximè ostendemus admoniti Livii loco, ubi sic ait: *hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre, ac frugiferum, omnis te ævi documenta in illustri posita monumento intueri; inde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere, capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Et sanè quantum vitæ prosit historia, 2
illud argumento est, quod qui Historicorum præceptis obsequi, & exempla salutaria sequi recusarunt, in maximas calamitates accepimus incidisse. Præceperat Tacitus [f] Imperatoribus, qui novum susciperent principatum, donis milites conciliandos; idque Augustus exemplo docuerat, qui *militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit*; historici præcepto [g] Galba, & Pertinax [h] Imperatores multò severissimi, non obtemperarunt, & donativum militi pertinacissimè denegarunt; ergo a Prætorianis militibus interfecti pœnas avaritiæ, vel severitatis intempestivæ acerbissimas dederunt. Lacedæmonios prudentissimè [i] Lycurgus admonuit, ne sic hostes insequerentur, & cæderent, ut pugnare fortiter desperatione salutis cogerentur; idque [l] & Themistocles observavit, qui vetuit pontem, quem in Hellesponto Xerxes fecerat, interscindi, & spem fugæ Persis intercipi, ne desperatâ salute fortiores hostes evaderent: observavit [m] Agesilaus, qui sæpenumero circumventis hostibus exitum dandum censuit, aliique duces, quos nunquam consilii tam salubris pænituit. Quo si Manlius [n] imperator Romanus usus
quondam fuisset, non oppositis ad omnes ca- 3
strorum portas militum globis exitum Tuscis ademisset; quæ res illi exitio fuit, remque Romanam propemodum perdidit. Eodem

a Damastes apud Plin. libr. 7. cap. 48. b Phlegon in longævis, Ovid. Metamorph. libr. 14. v. 149. versus ejusdem Sibyllæ apud Zosimum libr. 2. c Val. Max. libr. 8. cap. 13. & Plin. libr. 7. c. 48. d Val. Max. & Plin. ibid. e Hom. in hymno Vener. f Corn. Tac. Ann. libr. 1. in princ. g Suet. in Vitâ Galbæ cap. 16. h Jul. Capit. in Vitâ Pertinac. i Plutarch. in Apophth. Lac. l Plutarch. in Vit. Themist. m Idem in Vit. Agesilai. n Tit. Livius libr. 2.

dem modo Xerxes malo suo satis ostenderat [a] vitandas locorum angustias ducibus, qui magnitudini copiarum fiderent; erravit ergo [b] Darius, & errati pœnas gravissimas dedit, qui multitudine suorum fretus in Tauri montis angustiis cum Alexandro Rege conflixit. Dies me deficiet exempla memorantem eorum, qoi vel ex historiâ maximam utilitatem perceperunt, vel quòd exempla Veterum sequi noluerunt, & rem suam, & publicam afflixerunt; & quid opus est hæc longiùs persequi, quum hoc ipsum ratio persuadeat? Duæ sunt enim omnino res, quibus prudentia maximè continetur; præcepta, & exempla; præceptis abundat historia, quum, ut Cicero libro secundo de Oratore testatur, Historici boni sit consilia primùm, deinde acta, postea eventus explicare, & de consiliis significare, qoid scriptor probet; exemplorum autem & si alia osu, alia doctrinâ percipiuntur, latissimè tamen patent ea, quæ doctrinam desiderant, quæ universa petuntur ab historiâ. Hinc Aristoteles Rhetoricorum
4 libro primo ait: χρήσιμοι πρὸς τὰς πολιτικὰς συμβουλὰς αἱ τῶν περὶ τὰς πράξεις γραφόντων ἱστορίαι; & [c] Cicero lucem veritatis, & vitæ magistram appellat historiam; & Polybius libro primo verissimam disciplinam, exercitationemque ad res civiles historiam vocat. Incredibilis est enim apod Historicos exemplorum copia; quum enim, ut [d] sapientissimus ille Regum ajebat, nihil accidat, quod planè novum dici possit; necesse est hominem historiæ peritum nullâ in re esse rudem, & peregrinum, & abundare consiliis non eorum modò, qui sunt, sed etiam, qui aliquando fuerunt; quare quid prohibet illum, accedente osu, & experientiâ rerum, esse quàm prudentissimum? Dicere verò fortunam in omnibus dominari, & inane prudentiæ nomen esse, & nihil stulto præstare intelligentem, hominis est impudentia magis, quàm imprudentis. Neque enim, si bene consulta malos aliquando exitus habuerunt, aut stulta consilia casus, aut Deus aliquis in melius vertit, idcirco nullam prudentiam esse dicemus. Nisi fortè putamus artem pingendi nullam, propterea quòd aliquando [e] Nealces meliùs casu, quàm arte spumam ex equi ore exeuntem expressit; aut [f] Statuariam nullam, quia, sicut Carneades apud Ciceronem testatur, in Chiorum lapicidinis, casu quondam effracto lapide, Panisci effigies extitit. Artem

casus imitatur aliqoando, non semper; quod
& si frequentius, quàm in ceteris, accidit 5
in arte civitatum regendarum, ea tamen funditus tollenda nequaquam est; quum innumeris, iisdemque prudentissimis sit instructa præceptis, & exemplis, & rerum experimentis confirmata. Nam quod exemplis nihil profici posse contendunt, quòd nihil eodeio modo accidat, &, si accidat quippiam eodem modo, non eosdem eventus habeat, id totum repudiandum est; quum sæpe numero multos exemplis profecisse videamus. Homerus [g] poëtarum maximus aciei firmissimæ, & ad impetus hostium sustinendos maxime accommodatæ exemplum nobis propoluerat; id primus dicitur imitatus Philippus [h] Alexandri Magni pater Macedonicam phalangem instituisse, quam quis neget Macedonum rebus, & salutis, & omnium victoriarum causam extitisse? Polybius prudens [i] inprimis auctor valli struendi rationem, qua Romani utebantur, Græcis proponit imitandam, & argumentis nihil dubii relinqoentibus probat vallum Romanorum longè firmius esse, quàm Græcorum. Quæro, siquis Grajus imperator aliqoando Polybii consilio usus vallum Romano more struxisset, num exemplum ex historiâ petitum ei fuerit profuturum? dubitandum non est, qoum illi firmitas ad exercituum
salutem, securitatemque pertineat. Eodem 6
modo Romani multas aliarum gentium artes, & instituta imitati Rempublicam prudentissimè constituerunt. Et ne a primordiis urbis abeamus, Veteres obscuram ad se conciendo plebem, quas fundabant, auxerant urbes; ejus rei Cadmus [l] inventor, qui quum Thebas conderet, primus Asylum aperuit, & quum eâ ratione ingentem convenarum turbam collegisset, auxissetque civitatem, sibi e terrâ editam stirpem esse mentitus; ex quo fabula originem duxit satos e serpentis dentibus armatos viros Thebarum mœnia condidisse. Id institutum [m] Romulus æmulatus Asylum constituit, qoo quum ingens moltitudo confluxisset, urbi, quam condebat, non mediocre incrementum addidit. Theseus [n] duodecim delevit oppida, ut eorum populus collectus in unios civitatis corpus coalesceret; id consilium Romulus, ceterique Romani Reges feliciter sequuti sunt, qui [o] Crustuminos, Antemnates, Cæninos, Albanos, aliosque populos in urbem receperunt. Numa,

[a] Herodot. libr. 7. Diodor. Sicul. libr. 11. Cornel. Nep. & Plutarch. in Vitâ Themist. [b] Plutarchus in Vit. Alexandri, & Arrianus de Expedit. Alex. libr. 2. [c] Cicero de Orator. [d] Salomon Eccles. cap. 1. [e] Plin. libr. 35. cap. 10 [f] Cic. de Divin. libr. 1. [g] Hom. Il. β. & δ. [h] Diod. Sic. Biblioth. Hist. libr. 16. [i] Polyb. Histor. libr. 17. [l] Alex. ab Alex. Dier. Genial. libr. 3. cap. 20. [m] T. Liv. libr. 1. Dion. Halic. libr. 2. Plutarch. in Vitâ Romuli, & D. August. de Civit. Dei libr. 1. cap. 34. [n] Plutarch. in Vitâ Thesei. [o] T. Liv. libr. 1.

ma[a], quò suis legibus auctoritatem quan-
7 dam conciliaret, se Deæ Ægeriæ consilio utentem eas condere simulavit; apparet sapientissimum Regem[b] Minois, aut[c] Lycurgi, quorum alter Jovem, alter Apollinem suarum legum se habere professus est auctorem, aut alterius e vetustis legum latoribus exemplo profecisse. Profecit[d] & Servius, quum exemplum sequutus Asiæ civitatum, Dianæ templum Romæ constituit, quod communiter a populis Latinis coleretur; quo consilio confessionem expressit Latinis Romam caput esse rerum; de quo toties armis certatum fuerat: profecerunt alii Reges, quum aliarum gentium mores, & instituta sunt imitati; neque enim ulla civitas libentiùs, quàm Romana, quæ laudabilia apud Veteres, aut exteros videbantur, amplexa est: profecerunt denique omnes duces, & excellenti prudentiâ viri, quum ex historiâ rei bene gerendæ exempla petiverunt. Theseus[e], ne suos milites
8 in pugnâ hostes apprehenderent, imperavit ipsis, ut capitis partem, quæ fronti imminet, detonderent; id consilium ex antiquâ memoriâ repetivit[f] Alexander, quum eadem ratione motus Macedonibus, ut barbam raderent, præcepit. Epaminondas, quum[g] esset in judicium vocatus, commemoratione rerum a se gestarum periculum capitis dicitur depulisse; eadem arte Scipio[h] Africanus accusatorum artes, & criminationes elusit. Dionysius[i] quum Carthaginienses prœlio devicisset, multosque Pœnos cepisset, Græcosque mercenarios; Græcos quidem sine pretio liberos esse jussit, & incolumes abire permisit; Carthaginienses autem non nisi magnâ acceptâ mercede liberavit; quo consilio spectantem jam Græciam bellum pacavit, & a Pœnis disjunxit; id imitatus[l] Hannibal captos bello Romanos injuriosè tractavit, & asperè, & hostiliter, & omni contumeliâ, sævitiaque vexavit; Latinos autem, & Italici generis homines liberaliter, & indulgenter habuit, & honorificè appellatos in Patriam sine mercede dimisit: Thrasyllus[m]
9 classis præfectus, quum hostes ad prœlium vellet evocare, & ipsis præbere speciem paucarum navium, earum dimidiæ parti malos, & vela detraxit, & carentem armamentis navem alteri navi rudentibus alligavit, ut duo navigia unum viderentur; quum autem hostes ipsum dimidio pauciores naves habere credidissent, neque prœlium committere abnuissent, nullo negotio sunt profligati; eo Chabrias Atheniensium imperator exemplo doctus, quum dimidium suarum navium occultasset, elicuit ad certamen classem Spartanorum, & elicitam pari felicitate superavit. Quum
discerpto Patrum manibus Romulo plebs 10
desiderio Regis amissi incensa contra Senatum conspiraret; Julius[n] Proculus vir apud populum gratiosus, & singularis auctoritatis, ut eam tempestatem componeret, quæ recens erat, & nondum firmiter constitutam, fundatamque Rempublicam submersura videbatur, advocatâ populi concione, sibi Romulum in monte visum esse augustiore, quàm humanâ specie affirmavit; sibique præcepisse, ut nunciaret civibus in Deorum numerum se esse translatum; rem colerent militarem, in fatis esse Romam rerum maximam evadere; qua oratione tumentes plebis animos Julius Proculus composuit, & ad concordiam revocavit novæ civitati necessariam. Eodem consilio Pisistrati Orchomenii filius, quum ejus pater fuisset a Senatu trucidatus, & in minutissimas partes dissectus, ut populi seditionem componeret, quæ aliâ arte coërceri non poterat, prodivit in concionem, & sibi parentis oblatam asse formam ampliorem, pulchrioremque mortali, quæ divino incessu, impetuque in Pisæum montem ferretur, asseveravit. Res justum vo-
lumen desideraret, si exemplorum simili- 11
tudines colligere conaremur, ex quibus intelligi possit cognitione rerum gestarum principes viros, ducesque prudentissimos profecisse: tot enim sunt, ut nemo casu in eas incidisse possit suspicari; sed nobis satis fuerit pauca delibasse, ut ex paucis, quid hoc argumento confici possit, ostendatur. Prosunt ergo rectoribus civitatum, ducibusque exempla ex Historicorum petita monumentis; quorum qui vim, utilitatemque elevant, inconstantiam Fortunæ, varietatemque casuum humanorum exaggerando, non animadvertunt etiam inter incertissima tamen arti, prudentiæque locum esse. Quid enim incertius ventis, inconstantius mari, inconsultius tempestatibus, & procellis? & tamen ars gubernatoris procelloso mari, sævientibus ventis, turbidâ tempestate dirigit navim, & turbinum victrix, & tempestatum, & fluctuum, & procellarum salvam in portu collocat. Par est Fortunæ, & maris inconstantis; neque in civita-

[a] Plutarch. in Vit. Numæ, T. Liv. libr. 1. Cic. libr. 1. de Legib. Valer. Max. libr. 1. cap. 3. Lactant. Firm. Divin. Instit. libr. 1. c. 22. [b] Plato in Minoë ex Homer. Odyss. τ. v. 179. Marsil. Ficin. in Argument. hujus Dialogi, & Strab. libr. 16. de Syriâ. [c] Valer. Max. libr. 1. cap. 3. & Plutarch. in Vit. Lycurgi. [d] T. Liv. libr. 1. & Plin. de Vir. Illustrib. cap. 7. [e] Plutarch. in Vitâ Thesei in princip. [f] Idem ibid. [g] Corn. Nep. in Vit. Epaminondæ cap. 8. [h] Valer. Max. libr. 3. cap. 7. & Plin. de Vir Illustrib. cap. 49. [i] Diod. Sic. Bibl. libr. 14. [l] T. Liv. libr. 22. [m] Polyæn Strateg. libr. 1. [n] Plutarch. in Vitâ Numæ in principio.

vitatibus desunt turbines, & tempestates,
neque Syrtes, neque scopuli, quibus inter-
dum cum privatæ, tum publicæ res allidun-
tur; & ut Lyricus [a] ait,

..... futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus;

omnibus quidem, sed civitatum maximè
rectoribus, & tamen in tantis vitæ tenebris,
tantaque rerum caligine ad historiæ lucem,
tanquam ad clarissimos septentriones, con-
versa prudentia ita dirigere gubernacula
Reipublicæ potest, & eum tenere cursum,
ut omnibus evitatis periculis ad portum
communis otii, & publicæ felicitatis ena-
viget. O vitæ igitur historia lux, modera-
12 trixque prudentiæ! o temporum decus, o
virtutis incitamentum, o memoriæ vin-
dex! tu sola clarissimarum nationum, tu
virorum excellentium gloriam, tu lauda-
bilia populorum instituta, tu leges Anti-
quorum non sinis interire: tu quæ loco-
rum intervallis disjuncta quàm longissimè,
tu quæ temporibus remota quàm maximè,
beneficio litterarum, nostris mentibus ad-
moves, ut res longinquis & temporibus,
& locis gestas tantum non oculis usurpa-
re, & omnium interesse possimus ætatibus:
sine te temporis omnis ignari, præterito-
rum nescii, præsentium rudes, futurorum
incauti, neque præsentia cum laude dispo-
nere, neque ventura possumus providere.
Quæ laudes & si verissimè de omni historiâ
dicuntur, nescio tamen quo pacto magis
conveniunt Livianæ, quæ ceteris longè
præstat historiis; nam ejus populi res ge-
stas persequitur, qui sicut animi magnitu-
dine, ceterisque virtutibus populos univer-
sos, ita superavit Imperio. Imperium quip-
pe Romanum, ut [b] Polybius, Dionysius Ha-
licarnasseus [c], Appianus [d] Alexandrinus,
gravissimi scriptores ostendunt, & opibus,
& magnitudine, & rerum gestarum gloriâ
Assyriorum [e], Medorum, Persarum Mace-
donum Imperiis longè præstitit; nulla si-
quidem gens fuit, quam expedierit vince-
re, quæ non Romanis armis vinceretur.
Nam [f] Augustus Euphrate flumine, Danu-
13 bio, Rheno, Oceano Atlantico, Arabico
freto, Africæ parte, quæ Solis exusta calo-
ribus immodicis non hominum domici-
liis, sed ferarum latibulis frequentatur, Im-
perium terminavit; & tamen hic, quum
latissimos Imperio fines circumdedisset, in-
numerabiles populos liberos esse permisit,
quos Romani duces bello superarunt. Nam
immensa illa terrarum spatia, quibus Mi-
thridates imperabat, quæ circa Pontum
Euxinum, Mæoticamque paludem quadra-
gies centenis millibus patuisse dicuntur,
quæ [g] a viginti duabus gentibus linguâ
diversis colebantur, hoc spatio non com-
prehenduntur; neque comprehenditur ex
magnâ parte vastissimum Tigranis [h] Re-
gnum, quem haudquaquam minorem Mi-
thridate Regem fuisse accepimus; quas am-
plissimas, easdemque innumerabiles pæne
provincias quum [i] Lucullus, Pompejus-
que [l] subegisset, Augustus reliquit, ratus
tutiùs imperaturum, si angustiùs imperas-
set; Imperiumque longinquis amnibus, &
inhabitabili propter æstum terrarum plagâ
circumpsessisset. Sed non his finibus poste- 14
riores Principes contenti fuerunt; Britan-
niam [m], Insulasque Britannicas, & [n] Orcha-
des Claudius, consequutique Principes Im-
perio adjecerunt; Petronius [o] Augusti tem-
poribus Æthiopiam usque ad Insulam
Meroën debellavit; Trajanus autem invi-
ctissimus Cæsar [p] Daciam, hoc est ingens
illud terrarum spatium, quod Tibisco, Da-
nubioque, & Tyrâ fluminibus, & Carpa-
tho monte continetur, domuit, & Roma-
nam provinciam fecit; & ad Orientem pro-
fectus invictâ ad eam diem Parthorum gen-
tem profligavit, Imperiique Romani termi-
nos usque ad Eoum Oceanum protulit;
ut utrinque & ab Oriente, & ab Occiden-
te Romanorum Imperium Oceano finira-
tur: Arabiam [q] Septimius Severus in pro-
vinciæ formam redegit. Sed nec aliæ gen-
tes, quæ gloriantur se Romanorum jugum
non pertulisse, Romanis armis invictas fuis-
se se se verè possunt gloriari. Gloriatur
Germania se non universam in Populi Ro- 15
mani concessisse ditionem; & tamen a Ger-
manico Cæsare, præter Germaniam, quæ
Augusto imperante provincia fuerat Ro-
manorum, quæ sitæ sunt inter Rhenum,
Albimque nationes, hoc est magna pars
Germaniæ, sunt debellatæ: quid [r] Probus
Princeps? nonne Germaniam universam
domuit cæsis quadringentis millibus Ger-
manorum? quid alii duces Romani? non-
ne frequentissimos de eâ gente triumphos
retulerunt? gloriantur Sarmatæ se Roma-
nis fascibus non paruisse; & tamen Sarma-
tas Antoninus Philosophus ingentibus præ-
liis contudit, &, nisi mors hominem re

[a] Horat. libr. 3. Od. 28. [b] Polyb. Histor. libr. 1. [c] Dion. Halicarn. libr. 1. in Procem. [d] Appian. Alexandr. in Præf. [e] Suid. in V. Ῥωμαίων ἀρχή. [f] Julian. in Menipp. de Cæsarib. V. Diss. 1. n. 12. [g] Plin. libr. 7. cap. 24. & libr. 25. cap. 2. Valer. Max. libr. 8. cap. 7. A. Gell. libr. 17. cap. 17. & Solin. cap. 7. [h] Strabo libr. 11. in fine Justin. libr. 40. & Memn. apud Photium in Bibl. n. 224.

[i] Plutarch. in Lucullo, & Plin. de Viris Illustrib. cap. 75. [l] Plutarch. in Vit. Pompeji, & Plin. de Vir. Ill. cap. 77. [m] Sueton. in Vitâ Claudii c. 17. [n] Euseb. in Chronic. & Corn. Tac. in Vit. Agric. n. 10. [o] Dio Cassius Histor. libr. 54. [p] Dion in Vit. Trajan. Eutrop. l. 8. c. 2. & Euseb. in Chron. [q] Æl. Spart. in Vitâ Sever. [r] Vop. in Vitâ Prob.

prope jam confectâ intercepisset, regiones eorum provincias Romanas fecisset: glorientur denique Scythæ nunquam libertatis expertes fuisse; sed quàm magna Scythiæ pars, Mithridate devicto, succubuit armis Romanis? quocirca verè dici potest magis his gentibus propter earum inopiam noluisse, quàm non potuisse imperare populum ceteris imperantem. Quid enim Scythiæ inhospitales regiones, quid
36 Sarmatarum damnatam frigoribus sempiternis plagam, quid Germaniæ incultam vastitatem, quid æstuantes Africæ solitudines magnopere concupisceret? Quidquid aut ubertate soli, aut ingeniis incolarum, aut clementiâ Cœli, aut opibus laudatur, id pæne totum provincia Romanorum fuit; neque enim magis magnitudine, quàm felicitate regionum beatissimum Romanum Imperium prædicatur. Hispania, quæ nunc minùs incolis frequentatur, eo tempore tantâ hominum frequentiâ celebrabatur, ut Cicero, aliique scriptores tradiderint Hispanos multitudine gentibus universis præstitisse: Gallia provinciarum ditissima habebatur: Italia mille centum urbibus olim conspiciebatur, quæ nunc trecentis, iisque exiguis ex magnâ parte colitur: Græcia, quæ nunc pæne desolata est, dici vix potest, quantum & multitudine oppidorum, & nitore floruerit: Macedonia quàm eximiè & opibus, & populis abundaret, declarat Philippi, Perseique Regum potentia, qui postremi Macedoniæ Regum sunt a Romanis debellati; ne quid interea de Thraciâ dicam, quæ quantum & incolarum multitudine, & virtute valuerit, illud argumento est, quod a nemine, præterquam a Romanis, tota unquam potuit perdomari. Ingens illa peninsula, quæ
37 corrupto græco vocabulo Oriens nuncupatur, quæ nunc exceptâ maritimâ orâ pæne deserta est, eâ tempestate maximis, opulentissimisque urbibus frequentissima, immensùm opibus abundavit; tantaque populorum multitudine celebrata est, ut in eâ trium millium urbium dicantur extare vestigia. Jam Syriæ, reliquarumque Asiæ regionum Imperio Romano subjectarum quis divitias, oppidorum nitorem, magnitudinem, frequentiam persequi dicendo possit? Ex Ægypto annuo reditu Romani viginti tria millia talentorum capiebant; Africa ipsa florentissimis urbibus haudquaquam caruit. Declarat id Karthaginis magnitudo, quæ ingentibus attrita bellis, & frequentissimis cladibus diminuta, obsidione pressa diuturnâ, quum caperetur, octingenta hominum millia fertur habuisse. Hujus igitur Imperii, quod immensum terrarum spatium, innumerabiles, opulentissimasque nationes amplectebatur, majestatem vix possumus æstimare; cujus initia, caussas, incrementa, summum fastigium quum historia Livii comprehendat, quis dubitat ceteris historiis anteponendam, sicut Imperium Romanum ceteris Imperiis anteponitur?

DISSERTATIO X.

Quæ laudes Historiæ Livianæ complectitur.

Cyri majora facinora ab Herodoto, & Xenophonte, quàm a Ctesia prædicantur: ut dubitandum sit, utrum tantus fuerit, quantus a Græcis dicitur. Cæsar Alexandro Magno est præferendus. Romanorum disciplina diutiùs incorrupta mansit, quàm Lacedæmoniorum. Respublica Romana ex regiâ potestate, Optimatum dominatu, & potentiâ populi composita erat, quidquid Cornelius Tacitus affirmet Rempublicam ex his tribus constantem non posse existere, aut esse diuturnam.

QUas diximus historiæ laudes habitis proximè sermonibus, eas maximè omnium historiæ Livianæ convenire, nemo est, quin intelligat; ea enim ceteris longè præstat historiis. Nam si, quod prudens ille pictor apud Ælianum præcipit, argumenta magna sunt eligenda; quod argumentum
majus rebus populi Romani gestis? Enim- 1
verò si Græcorum, ceterarumque nationum acta cum gestis Romanorum conferamus, jacere quodammodo nobis videbuntur; nam quis unquam populus tam magna, tam varia, tamque multa, tantaque virtute bella confecit? cujus frequentiores triumphi memorantur? ubi tot obsidiones, expugnationesque oppidorum, tantorum exercituum clades, tot pugnæ navales leguntur, tam admirabiles eventus præliorum, tantarum nationum motus, tot discordiæ civiles? ubi tantum Imperii partum? ubi prudentiora ducum consilia, ubi præclariora facta, ubi reverentiorem justi imperii populum, graviorem senatum, quàm in historiâ Romanâ cognoscas? Persarum quondam Reges latissimè imperarunt, & tamen, si Cyrum excipias, vix quidquam a Persis gestum reperias, quod magnopere prædicandum videatur. Cyrus ipse, quum rudes bellorum Asiæ populos esset aggressus, facili victoriâ magnam quidem Asiæ partem subegit; sed Europam non attigit, & Africam intactam reliquit; hujus autem Regis majora facinora ab [a] Herodoto, & [b] Xenophonte, quàm

a Cte-

[a] Herodot. libr. 1. & 3. [b] Xenophon. de Expeditione Cyri.

a [a] Ctesiâ prædicantur; ut dubitare liceat,
utrum tantus fuerit, quantum ingenia Græ-
corum videri voluerunt. Macedonum ve-
2 rò res profectò Persarum rebus obscurita-
tem attulerunt; qui tamen nihil præter Phi-
lippum, Alexandrumque Reges, & paucis-
simos alios, præclarum habuerunt; quos
quis putet cum Romanis ullo modo com-
parandos? unus mehercule Cæsar, ut ce-
teros interim duces Romanorum prætet-
mittam, & multitudine, & varietate præ-
liorum, & urbium oppugnationibus, & præ-
liis navalibus, & prudentiâ Alexandrum
longè superavit. Non ille Græcos longâ
desidiâ [b] marcentes, non Persas effemi-
natos [c], non [d] Asianos molles, non In-
dos [e] imbelles; sed [f] Gallos, sed [g] Ger-
manos ferocissimas nationes, sed Britan-
nos indomitos, sed Hispanos [h] laboris, ine-
diæ, & omnium incommodorum patien-
tissimos, sagacissimos [i] Afros, Romanos
ipsos omnium gentium victores debellavit.
Neque ei res fuit cum Dario, qui sempar e-
xemplum fuit primus non fortiter dimican-
di, sed effusè fugiendi; sed cum [l] Pom-
pejis, cum Catonibus, cum Scipionibus
fortissimis imperatoribus. Jam verò quæ
3 pacis decora, quas virtutes, quæ exempla,
quæ documenta in historiâ Romanâ repe-
rias? quis unquam populus amantior Pa-
triæ, legum reverentior, veteris disciplinæ,
prisci moris tenacior fuit? Lacedæmonio-
rum disciplina maximè omnium jure lau-
datur, iidemque putantur patrios mores diu-
tissimè conservasse; cujus rei gratiâ urbe
advenas [m] arcebant, ne quid peregrini mo-
ris inveherent; qua tamen tantâ religione
vetera instituta retinendi vix usque ad tre-
centesimum sexagesimum annum incorru-
pti manserunt mores Lacedæmoniorum.
Nam Lysander floruit olympiade nonagesi-
mâ, quippe qui Olympiade nonagesima
quartâ Athenienses ad [n] Ægospotamon in-
genti prœlio navali profligarit; qui veluti
fato nomen sortitus dissolvit virorum mo-
res [o] antea minimè dissolutos; trecentis se-
xaginta annis post leges a Lycurgo consti-
tutas, si credimus Aristoteli, qui Lycur-
gum [p] tradit cum Iphito Olympicos ludos
constituisse; quamvis alii centum quinqua-
ginta annis, alii centum Lycurgum faciant
vetustiorem. Utcunque ea se res habet,
Romanorum disciplina diutiùs incorrupta 4
mansit, quàm Spartanorum; siquidem [q] an-
te Syllam parum mutati fuerant mores Ro-
manorum, qui floruit anno ab urbe con-
dita sexcentesimo septuagesimo; vel si ve-
lis eorum mutationem factam excisâ Car-
thagine, supra sexcentos annos incorru-
ptos permansisse comperias; ideo meritò no-
ster [r] Auctor sic ait: *ceterùm aut me amor
gotii suscepti fallit, aut nulla unquam Respubli-
ca nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis di-
tior fuit; nec in quàm tam serò avaritia, lu-
xuriaque immigraverint; nec ubi tantus, ac
tam diu paupertati, ac parsimoniæ honos fuerit.*
Sed sicut justitiâ, animi magnitudine, cete-
risque virtutibus populus Romanus popu-
los universos præstitit; ita Romanæ Reipu-
blicæ forma omnibus Rebuspublicis ante-
celluit. Nam quum sit a doctissimis viris
proditum, tres præstantissimas esse e sim-
plicibus Reipublicæ formas; regiam pote-
statem, Optimatum dominationem, & po-
puli potentiam; sed [f] regiam potestatem
quidem facilè in tyrannidem, Optimatum
dominationem in paucorum dominatum,
populi potentiam in multitudinis impe-
perium degenerare, his omnibus autem diu-
turniorem, excellentioremque esse ex his
tribus mixtam Reipublicæ formam; ex tri-
bus his Rerumpublicarum generibus op-
timè composita est Respublica Romano-
rum. Nec facilè posses expedire, quodnam 5
genus in eâ præpolleret; nam si ad Con-
sulum potestatem respexisses, Regnum Ro-
mæ vigere dixisses; Consulibus enim om-
nes [t] reliqui magistratus præter tribunos
obtemperabant: Consules legatis extera-
rum gentium senatum dabant: Consules
ad Patres referebant de rebus, quæ ad Rem-
publicam pertinere videbantur: in Con-
sulum manu totum Senatus consulta confi-
ciendi negotium: Consules populi con-
cionem convocabant: Consules delectum
habebant. In bello verò potestas Consu-
lum summa fuit; quippe & sociis, quidquid
libuisset, Consules imperabant, & Tribu-
nos militum constituebant, & pœnas delin-
quentibus infligebant, & præmiis fortes vi-

ros

[a] Ctesias de Rebus Persicis apud Photium in Bibl. n. 72. [b] Cicer. in 3. in Verr. act. & Ascon. Pædianus ad eum loc. [c] Ælian. Var. Histor. libr. 10. c. 53. [d] Jul. Firmicus libr. 1. cap. 1. [e] Ælian Var. Histor. libr. 10. cap. 13. [f] Cæsar de Bello Gallic. & Polybius libr. 2. [g] Corn. Tac. de Mor. Germ. [h] Justinus Histor. libr. 44. [i] Jul. Firmic. libr. 5. cap. 1. & Tit. Liv. libr. 23. [l] Plutarch. & Suetonius in Vitâ Cæsar. [m] Dionys. Halicarn. libr. 2. Cornel. Tac. Annal. libr. 11. Ælian. Var. Histor. libr. 13. cap. 16. Philostr. in Vitâ Apoll. libr. 6. cap. 10. Nicolaus περὶ ἐθῶν apud Stob. serm. 42. & Theophilus de Jure Nat. Genr. & Civil. [n] Cornel. Nep. & Plutarch. in Vitâ Lysandri, & Diodor. Sicul. Biblioth. Histor. libr. 13. [o] Plutarch. & Corn. Nep. in Vitâ Lysandri, & Ælianus libr. 14. cap. 29. [p] Aristotel. apud Plutarch. in Vit. Lycurgi in princ. [q] Plutarch. in Vit. Syllæ, & Sallust. in Catilin. [r] Tit. Livius in Procemio. [f] Polyb. libr. 6. [t] Cicero libr. 3. de Legibus, & Polybius Histor. libr. 6.

ros aſficiebant; quin & ipſis licebat impen-
dere publicam pecuniam, & hujus rei gra-
tiâ eos Quæſtor ſequebatur, qui non cun-
ctanter imperata faciebat. Quæ qui repu-
6 taſſet, regiâ poteſtate adminiſtrari Rempu-
blicam credididiſſet; contra verò ſi quis
perpendiſſet, quanta ſenatus eſſet auctori-
tas, Optimatum Imperium Romæ vigere
putaviſſet; ſiquidem in poteſtate ſenatus æ-
rarium [a] fuit; prætetea ſenatus de publicis
criminibus, velut proditione, veneficio,
cædibus per dolum patratis, conjuratione
cognoſcebat; inſuper, ſi quæ civitatis, aut
privati hominis in Italiâ controverſia eſſet
dirimenda, vel objurganda delicta, vel auxi-
lio, præſidioque defendenda ſecuritas, earum
omnium rerum ad ſenatum cura pertinebat.
Idem legatos ad exteras gentes mittebat, qui
vel lites componerent, vel cohortarentur,
vel aliquid imperarent, vel bellum indice-
rent; quin & Oratoribus nationum reſponſa
dabant Patres, & eorum poſtulata audiebant.
Quæ ſi quis animadvertiſſet, imperium pe-
nes Optimates eſſe Romæ, nullamque Rei-
publicæ partem relictam populi potentiæ
cenſuiſſet; & tamen non erat minor po-
puli vis, & majeſtas, quàm ſenatus, & Con-
ſulum. Nam a populo [b] honores manda-
7 bantur, & a populo pœnæ irrogabantur;
ſiquidem, qui majores geſſerant magiſtra-
tus, populo cognoſcente cauſam dicebant;
& per populum judicia capitis exercebantur,
& leges ejusdem auctoritate ſciſcebantur,
& bella indicebantur, & pacis fœdera fe-
riebantur, & ſocietatis. Quibus rebus fie-
bat, ut Conſules eſſent in Patrum poteſta-
te; neque enim Conſules aliquid gerere
poterant adverſum ſenatus voluntatem;
quum niſi decernente ſenatu pecuniam,
vel obſonium, vel veſtem militum Conſu-
les non eſſent habituri; & eſſet [c] in ar-
bitrio ſenatus exacto anno conſulatus mit-
tere ſucceſſorem; vel ipſis imperium pro-
rogare, & re bene geſtâ decernere trium-
phum, vel negare; nec minus eſſent ob-
noxii populo Conſules, quum ad populum
pertineret, quæ Conſules fœdera pepigiſ-
ſent, vel irrita facere, vel rata habere; &
quod maximum eſt, Conſules rerum a ſe
geſtarum rationem eſſent populo redditu-
ri. Fiebat etiam, ut ſenatum populus ve-
8 reretur; quum enim quotannis Cenſores
innumera opera publica facienda locarent,
ea plerumque e plebe homines redimebant,
vel ſpondebant pro redemptoribus, vel ſuas
facultates obligabant, vel cum ipſis coibant
ſocietatem; quare quum in Senatus eſſet
poteſtate vel proferre diem, vel aliquo ca-
ſu accidente levare redemptores, vel loca-
tionem reſcindere, multum vel damni, vel
utilitatis afferre populo poterant ſenatores;
quod etiam in vectigalibus eveniebat. Sed
& Conſulibus erat obnoxius populus, quum
ſub ipſis facere ſtipendia cogerentur, quo
tempore Conſules in populares habebant
vitæ, neciſque poteſtatem. Senatus verò po-
pulum obſervare compellebatur; neque
enim graviſſima delicta, quæ capitis pœnâ
plectebantur, punire ſenatus poterat, niſi
auctoritatem ſenatus populus comprobaſſet;
& ſiquis legem ferre vellet, qua auctorita-
tem Patrum, vel dignitatem minueret, e-
jusmodi rogationem accipere, vel repu-
diare arbitrium populi fuit. Quod autem
maximum eſt eorum, quæ diximus, ſi u-
nus modò Tribunus auctoritati ſenatus in-
tercederet, confici non poterat ſenatuscon-
ſultum, nec eſſe ratum. Quibus rebus quum 9
Conſulum, Patrum, plebis potentia libraré-
tur, nulla pars Reipublicæ inſoleſcebat, &
mutuo metu membra civitatis inter ſe ne-
ctebantur, vinciebanturque, & ex tribus ge-
neribus mixtum, quaſi quibusdam elemen-
tis, pulcherrimè erat Reipublicæ corpus
conſtitutum. Quare miror, quid in men-
tem venerit [d] Cornelio Tacito, quum af-
firmavit conſtantem ex imperio regio, &
populi poteſtate, & Optimatum potentiâ
Rempublicam a ſapientibus fingi, non poſ-
ſe exiſtere, aut ſi exiſtat, non eſſe poſſe diu-
turnam; nam Romana Reſpublica non haſ-
ce ſolùm formas amplexa eſt univerſas,
verùm etiam diutiſſimè conſervavit.



D I S-

[a] Polybius Hiſtor. libr. 6. & Cicero in Vatinium, & pro domo ſuâ. [b] Dionyſius Halicarnaſſ. libr. 2. 4. & 6. [c] Polybius Hiſtor. libr. 6. [d] Cornel. Tacit. Annal. libr. 4. n. 33.

DISSERTATIO XI.

De quibusdam Livii locis, quæ proœmio continentur.

Quinam ante Livium res Romanas perscripserint, & qui condiderint primi historias. Cicero de historiâ scribendâ cogitavit. Verba ante condendam urbem *significant proximum tempus, non remotum.*

SEd [a] *fugit interea, fugit irreparabile tempus,*
Singula dum capti circumvectamur amore;

licet enim mihi iisdem versibus uti, quibus utitur ille præstantissimus [b] Vates,

...... cui virga dedit memorabile nomen
Laurea......

Nam dum singulas elegantissimi proœmii partes pulchritudine operis capti fusiùs explicare conamur, inconsultiùs, quàm rei magnitudo postulet, terimus tempus, & longo sermone vos moramur, Auditores ornatissimi; quum necesse sit alia non dico potiora, sed instituto operi magis necessaria præverti; quibus exequendis ut otium, viresque suppetant nobis, non omnia videntur copiosissimè pertractanda, sed summa rerum fastigia attingenda; quod deinceps, & hodierno die maximè faciemus; quo non unum, sed plures hujus proœmii locos illustrabimus. Dubitat igitur noster [c] Au-
1 ctor, an utilitatis aliquid sit lectoribus allaturus, si res populi Romani composuerit; cur autem dubitet, in causâ est multitudo scriptorum, qui rem eandem sunt persequuti. Nam [d] & Pontifices Maximi res singulis annis gestas perscribebant, quam scripturam annales nuncuparunt; quos Gellius libro quarto capite quincto maximos vocat; quos Pontifex Maximus domi proponebat, ibique populo fiebat eorum copia; qui mos Numâ Pompilio imperante cœpit usurpari; & [e] Ennius poëta Romanam historiam versibus condidit; sicut Nævius [f] bellum Punicum, & post [g] Fabium Pictorem, quem antiquissimum scriptorem Livius appellat, per annos pæne trecentos multi rerum Romanarum scriptores floruerunt; ut Cincius [h] Alimentus, qui bello Punico secundo ab Hannibale captus est; &, ut inter omnes constare video, res gestas Populi Romani Græco sermone composuit; & [i] Cato Censorius, qui triplici 2
laude est insignitus; nam & senator optimus, & orator optimus, & optimus est habitus imperator; & Marcus [l] Fulvius Nobilior, qui fastos condidit; & [m] Libo, qui scripsit annales; & Postumius [n] Albinus, qui græcè, latineque res gestas populi Romani est persequutus; & [o] Piso, qui frugi est appellatus, annalium conditor; & Cassius [p] Hemina auctor ejusdem operis; & Quinctus [q] Fabius Maximus; & [r] Fannius historiæ scriptor, cui Sallustius [s] historici laudem multò maximam tribuit veritatem; & Sempronius [t] Tuditanus, & Cœlius Antipater, quem [u] Cicero testatur majorem historiæ sonum addidisse; & [x] Sisenna, & ipsi æqualis [y] Rutilius, & Claudius Quadrigatius, & Polybius, & Valerius [z] Antias, qui eodem tempore floruit; & omnium luculentissimus Auctor Sallustius, Latinus Thucydides, ad cujus gloriam Livius haudquaquam inani conatu aspiravit; alique complures, quorum antiquitatem, & multitudinem respiciens Livius historiam rerum Romanarum cum veterem, tum vulgatam esse rem dicit. Multitudinis autem 3
scriptorum duas causas ponit, quarum altera ad utilitatem, altera ad jucunditatem pertinet; nam quum omnes pæne scriptores, non solùm poetæ, ut ait [a] Horatius, aut prodesse velint, aut delectare,

Aut simul & jucunda, & idonea dicere vitæ,

historiæ quoque Romanæ conditores affirmat partim utilitatem, partim jucunditatem sequutos ad scribendum animum appulisse; quum aut in rebus certius aliquid se se

[a] Virgil. Georg. libr. 3. [b] Calvus apud Cæl. Rhodigin. libr. 7. cap. 4. [c] T. Liv. in Proœm. [d] Cic. de Oratore libr. 2. & libr. 1. de Legibus T. Livius libr. 1. & libr. 6. in principio, & Macrob. libr. 3. cap. 2. in fine. [e] Ennius in suo Epitaph. apud Cicer. Tuscul. libr 1. Idem Cic. de Nat. Deor. libr. 2. Properr. libr. 3. Eleg. 2. Nonnius in Poët. & A. Gell. libr. 17. cap. 21. [f] Macrob Saturn. libr. 6. cap. 5. [g] Tit. Livius libr. 1. & Plutarch. in Vitâ Romuli. [h] Idem Liv. libr. 6. & Macrob. libr. 1. cap. 12. [i] Plotarch. in Vitâ Caton. Tit. Liv. libr. 33. & 34. & Plin. de Vir. Illustr. cap. 47. Dionys. Halicarnass. libr. 1. in Proœm. Cicer. de Oratore libr. 2. & A. Gell. libr. 2. cap. 14. [l] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 12. [m] Cicero in Epist. ad Atticum libr. 13. Epist. 10. [n] Cic. in Bruto, A. Gell. libr. 11. cap. 8. Macrob. in Proœm. Saturnal. & Plotarch. in Vit Caton. [o] Cic. in Bruto, in Epist. ad Familiares libr. 9. Epist. 22. de Oratore libr. 2. [p] Plin. libr. 13. cap. 13. Macrob Saturn. libr. 1. cap. 16. [q] Dionys. Halicarn. libr. 1. in Proœm. & Macrob. Saturn. libr 1. cap. 16. [r] Cic. in Bruto, de Legib. libr. 1. & de Orat. libr. 2. [s] Sallust. Hist. libr. 1. apud Marium Victorin. in prim. Cic. de Inventione. [t] A. Gell. libr. 6. cap. 4 & libr. 13. cap. 14. Asconius in Orat. pro Cornel. & Macrob. libr. 1. cap. 13 & 16 Saturnal. [u] Cic. libr. 2. de Oratore. [x] Corn. Tacit. Hist. libr. 3. n. 51. [y] Plutarch. in Vit. C. Marii. [z] Idem Plutarch. in Vitâ Romuli, & in Vitâ Numæ, & Dionys. Halicarnass. libr. 1. in Proœmio, & Plinius libr. 13. cap. 13. [a] Horat. in Arte Poëtic.

sese allaturos, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos esse crederent. Nam rerum veritas, & certa cognitio utilitatem legentibus; dicendi genus elegans, & perpolitum affert voluptatem. Rudem autem vetustatem appellat, non quia omnis vetustas rudis, quum in plerisque artibus, & disciplinis nihil antiquis Auctoribus fieri perfectius possit, sed quia illa maximè rudis, qua primùm res inventæ sunt, in lucemque prolatæ. Quapropter Vellejus [a] Pater-
4 culus meritò asseverat nullum rerum inventorem præter Homerum, extitisse in suo genere perfectum; ipse etiam [b] Homerus,

...... *si credere dignum est*,

sui operis inventor haudquaquam fuisse dicitur; siquidem multa sumpsit a [c] Phemonoë, quæ princeps heroicum carmen commenta est; & ante Homerum [d] Orpheus, & Musæus, &, ut Ælianus [e] tradit, Phrygius Dares, Orœbantius, Melisander floruerunt, qui bellum Trojanum versibus celebrarunt; Hephæstion autem [f] apud Photium tradit Homerum carminis argumentum, & alia nonnulla ab Helenâ poëtriâ mutuatum, quæ bellum Trojanum carminibus epicis persequuta est. Adeo etiam ille, qui artem suam primus & invenisse dicitur, & perfecisse, aliorum inventa profecisse deprehenditur. Omnis igitur facultas rudis
5 a suis inventoribus, & impolita prolata est; nam, ut ceteras omittamus, & ad historiam, de qua loquitur Livius, veniamus, & apud Græcos [g] Pherecydes, Hellanicus [h], Acusilaus [i], qui primi genus hoc illustrarunt, non satis ornati fuisse perhibentur; & apud Latinos adeo rerum scriptores dicendi laude caruerunt, ut etiam Ciceronis ætate, qua eloquentia perfecta est, historia, ipso Cicerone teste, nullâ aliâ re commendaretur, quàm veritate; de cujus ætatis historicis, & de superioribus idem Tullius ait secundo libro de Oratore: *neque tenent, quibus rebus ornetur oratio; modò enim huc ista sunt importata; & dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant brevitatem*. Qua de causâ Tullius excitatus dicitur ad historiam scribendam; qui si quod cogitavit, effecisset, profectò, quæ fuit hominis in dicendi genere divinitas, nihil fuisset, cur Historici scribendi arte se rudem vetustatem superaturos crederent; sed ille Reipublicæ curâ, & eorum, quæ composuit, multitudine impeditus hoc scribendi genus non attigit, & acta Romanorum

...... *aliis post se memoranda reliquit*.

Quod autem Tullius cogitavit, Livius præstitit, qui utramque rem mirificè est consequutus; nam quamquam nihil fieri potest brevitate Sallustii, neque gravitate perfectius; Livius tamen admirabili candore, beatissimâ dicendi copiâ superavit omnes ejusdem operis auctores. Hujus lacteam ubertatem [l] beatus Hieronymus, præcipuam fidem Cornelius [m] Tacitus, eloquentiam Seneca [n], & Vopiscus [o] laudat; hunc Quintilianus [p] Herodoto historiæ principi, parentique audacter opponit: hic denique memoriæ rerum gestarum principis terrarum populi præstantissimè consuluit; nam quum Sallustius carptim Romanam historiam perscripsisset, ipse ad sua tempora perpetuam narrationem deduxit. Quapropter verissimè prædicat, se rem supra septingentesimum annum repetiturum; nam, utque ad consulatum, mortemque [q] Drusi Cæsaris historiam persequutus est, quæ incidit in [r] annum septingentesimum quadragesimum primum ab Urbe conditâ; ipse autem quintò post id tempus anno decessit. Proposito deinde qua de re sit scripturus, & 7
ejus magnitudine ob oculos positâ sic paulo post [s] pergit: *quæ ante conditam, condendamve urbem poëticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est*. Quibus in verbis illud animadvertendum est, non idem esse ante conditam, & ante condendam; nam ante conditam tempus omne signat, quod antequam Urbs conderetur, fuit; ante condendam illud, quod Urbis primordia exiguo intervallo antecessit. Ac de priore quidem significatu nemini potest esse dubium; posteriorem autem ita se habere intelligi potest ex illis [t] Virgilii verbis in Georgicis:

...... *namque ante domandum*
Ingentes tollent animos.....

Non enim tauri, de quibus Virgilius loquitur, simul atque nascuntur, vel toto tempore, quod inter natalem, domandique tempus intercedit, sed paulo ante, quàm domentur, animos tollunt. Eodem modo, 8
quæ ante Urbem condendam acciderunt, non sunt ea, quæ longo tempore Urbis primordia antecesserunt; sed quæ prope tempus ipsum, quo Urbs est condita, propiora fabulis evenerunt; cujusmodi sunt Martis [u] cum Iliâ virgine Vestali concubitus, Romuli a Lupâ nutriti miraculum; &, si

[a] Vellejus Patercul. Histor. libr. 1. cap. 5. [b] Virg. Georgic libr. 3. [c] Photius in Procli Chrestomathia 239. & Clem. Alexandrin libr. 1. Stromat. [d] Clem. Alexandrin. libr. 6. Stromat. [e] Ælianus Var. Hist. libr. 11. cap. 2. [f] Photius in Biblioth. n. 190. ex Ptolem. Hephæstionis Nov. Hist. l. 4. [g] Suid. in V. Φερεκύδης. [h] A. Gell. libr. 15. cap. 23. [i] Suid. in V. Ἀκουσίλαος. [l] D. Hieronymus in Epistol. ad Paulinum tom. 3. [m] Cornel. Tacit. libr. 4. Ann. n. 34. [n] Seneca libr. 1. cap. 16. de Irâ. [o] Flavius Vopiscus. [p] Quintilian. libr. 10. cap. 1. [q] T. Liv. Epitom. l. 142. [r] Dio l. 55. in fine. [s] T. Liv. in Procem. [t] Virg. Georg. l. 3. [u] T. Livius libr. 1. & Dionysius Halicarn. libr. 1.

& si quæ memorabantur hujusmodi; quæ verò ante Urbem conditam accidisse dicuntur, ea sunt Trojæ excidium, Herculis in Italiam adventus, error Æneæ, et si qua alia permixta fabulis possunt videri; quæ Livius neque refellit, neque affirmat; ne vel Urbis augustissimæ minuat majestatem, vel receptæ religioni detrahat fidem, & sic boni civis desit officio; vel affirmando falsa malus Historicus censeatur.

DISSERTATIO XII.

Quomodo Romanorum mores paulatim degeneraverint, & deinde præcipites ire cœperint.

Plato animum a Deo genitum affirmavit, corpus verò a Diis minoribus. Camillus quòd albis equis triumphasset, seque Romulo æquasset, in exilium ejectus est. Valerius Publicola, qui Patriam a regio dominatu liberaverat, ædificium in eminenti loco demoliri coactus est; alii etiam quamplures, licet maximis populum Romanum beneficiis affecissent, mulctati fuerunt, eo quod regnum affectasse viderentur.

HAnc admirabilem Mundi molem, humanumque genus, & ceteras animantes a Deo Principe, & architectatore, & parente condita, & procreata plerique philosophorum prodiderunt. Nam & Plato [a] Mundi fabricatorem induxit Deum, ab eoque animos hominum genitos; corpora verò a Diis minoribus facta confirmavit; & Stoici [b] divinâ providentiâ Mundum constitutum asseverant, eademque regi, & gubernari; & semina quædam, & quasi scintillas divinorum in terras decidisse, ex quibus humanum genus nasceretur. Sicut autem magnam hanc Deorum, hominumque civitatem a Deo conditam sapientes esse voluerunt; ita minores urbes a minoribus Diis vulgus constitutas arbitrabatur; & ut omnium hominum cœtus a Deo maximo duxit originem; ità multorum hominum in unum locum congregatorum cœtus, quos civitates appellamus, a quibusdam numinibus ortum habuisse. Ideo

1

Livius dicit licere vetustati origines urbium consecrare, & ad Deos referre auctores. Verba scriptoris florentissimi sunt hæc [c]: *& si cui populo licere oportet consecrare origines suas, & ad Deos referre auctores &c.* Et sanè is est vetustissimus mos, & maximè a gentibus usurpatus, ut Dii urbium, & populorum prædicentur auctores; sic [d] Germani Mannum, & Tuistonem terrâ editos Deos; sic Ditem [e] Patrem Galli, quidam Indiæ [f] populi Liberum, Lacedæmonii Herculem, eundem Scythæ, Athenienses [g] Minervam suæ gentis auctores ferebant. Nec solùm Deos urbium conditores prodiderunt, sed suos conditores Deorum immortalium honoribus consecrarunt; ut [h] Tenum Tenedii, Alabandenses [i] Alabandum; quem adeo sanctè coluerunt, ut nobilissimis Deorum anteponerent; ex quo jocus ille celebratur Stratonici [l] hominis cum primis acuti, & perfaceti; cui quum Alabandensis quidam Herculem Deum esse pernegaret, Alabandum verò diceret: tibi inquit, Hercules; mihi Alabandus iratus sit. Sed hæc utcumque notata, aut animadversa fuerint, Livius ait non se magnopere laboraturum; & hortatur, ut potiùs quibus artibus Imperium creverit, observemus, & quo pacto disciplina corrupta sit, his [m] verbis: *labente deinde paulatim disciplinâ velùti desidentes primò mores sequatur animo, deinde ut magis, magisque lapsi sint, tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est.* Quæ verba quò faciliùs intelligi possint, quærendum esse visum est, quo tempore mores Romanorum cœperint desidere, quove magis labi, aut quo demum præcipites ire. Ac mihi quidem Auctorum consensum, & rem ipsam intuenti videntur tum primùm mores esse mutati, quum Antiocho devicto Asiâ Romani potiti sunt. Nam posteaquam Lucius [n] Scipio ex Asiâ ad triumphum decessit, ei successor datus Manlius exercitum luxuriosè, nimiumque liberaliter habuit, militaremque disciplinam corrupit; corrupti verò militum mores iisdem vitiis infecerunt civitatem. Siquidem, ut Livius ait librò trigesimo nono, *luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est; primùm lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum munificæ supellectiles habebantur, monopodia, & abacos Romam advexerunt.* Enumerat deinde alia instrumenta voluptatis, & luxuriæ apparatum,

2

3

4

a Senec. Epist. 65. b Seneca de Provident. & Cic. de Nat. Deor. libr. 3. c Tit. Livius in Procemio. d Cornel. Tacit. de Moribus German. e Cæs. de Bell. Gall. libr. 6 f Arrian. de Reb. Indic. & Hygin. fab. 275. g Hygin. fab. 164. & Strabo l. 9.

h Cic. Verrin. 3. & de Nat. Deor. libr. 3. Strabo libr. 13. Diodor. Sicul. libr. 6. i Cic. libr. 3. de Nat. Deor. l Cic. ibid. m T. Liv. in Procemio. n T. Liv. libr. 39. & Plin. libr. 33. c. 11.

tum, additque tamen illa, quæ tum conspiciebantur, vix futuræ luxuriæ semina posse appellari. Nonnihil etiam Syracusis captis moribus Romanorum Marcellus offecit; qui signa, tabulasque pictas, pretiosamque Siciliæ Regum supellectilem Romam transtulit. Quocirca de Marcelli victoriâ gravissimè queritur apud Livium Cato libro [a] trigesimo quarto; *infesta mihi credite signa a Syracusis illata sunt huic urbi; jam nimis multos audio Corinthi, & Athenarum ornamenta laudantes, mirantesque, & antefixa fictilia Deorum Romanorum ridentes*. Cete-
5 rùm Syracusis captis nulla morum mutatio consequuta est, Asiâ verò devictâ, maxima; hinc [b] Plinius, *Asia*, inquit, *primùm devicta luxuriam misit in Italiam*; & libro vigesimo quarto capite septimo: *mirumque mihi videtur, quum statuarum origo tam vetus in Italiâ sit, lignea potiùs, aut fictilia Deorum simulacra in delubris dicata usque ad devictam Asiam, unde luxuria*. Sed & alii complures idem testantur, quorum sententias referre supersedeo; quum ex his, quæ diximus, intelligatur satis Asiâ devictâ cœpisse luxuriari Romanos. Ex eo autem tempore mores magis, magisque lapsi sunt, quod historiam Romanam accuratè legentibus apparebit; nam quum antea magistratus Romani insigni justitiâ provincias rexissent; tum primùm Prætores, quòd avarè, crudeliterque provincias administrassent, damnati sunt Lucius Furius Philus, Marcus Matienus: tunc ab Hortensio Romano duce urbes sine causâ direptæ, Abdera, & Coronea: tum disciplina militaris corrupta; quod in obsidione Carthaginis deprehensum est, in qua, Catone teste, solus Scipio sapere dictus est, cæteri ut umbræ volitare. Sed hæc erant exigua futurorum malorum semina;
6 nam eversâ Carthagine mores præcipites ire cœperunt; ut loco, quem explicandum suscepimus, Livius loquitur; quod tertium tempus mihi videtur [c] Livius denotare, quum ait: *ire cœperint præcipites*; quod Livius, nisi fallor, a Sallustio sumpsit; citat locum Sallustii Beatus [d] Augustinus libro secundo de Civitate Dei, ubi sic Historicus loquitur: *at discordia, & avaritia, atque ambitio, & cetera secundis rebus oriri sueta mala post Carthaginis excidium maximè aucta sunt*; & alibi, sicut idem refert, sic ait: *excisâ Karthagine mores non paulatim, ut ante, sed torrentis more cœperunt præcipites ferri*. Quem locum imitatum reor Livium, nec aliud sanè tempus respexisse; siquidem, ut Vellejus [e] Paterculus ait: *remoto Karthaginis metu, sublataque Imperii æmulâ non gradu, sed præcipiti cursu a virtute descitum est; ad vitia transcursum, vetus disciplina deserta, nova inducta, in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conversa civitas*. Quæ mutatio morum tam præceps [f] Gracchanas seditiones excitavit, qua tempesta- 7
te primùm discordiæ Romanæ civili sanguine redundarunt, mox [g] Glauciæ, Saturninique [h] furores, & Drusus [i] populi concitator; & primus ausus inferre Patriæ bellum [l] Cinna, Mariusque [m] crudelitatis exemplum, & Sylla victoriâ, quàm bello cruentior, extiterunt; qui perfectò nunquam tam fœdè Rempublicam lacerassent, si moribus antiquis ageretur; non enim Prisci illi augendæ privatæ potentiæ, sed publicæ studuerunt. Scipio [n] Africanus, quum admiratione virtutis Rex ab Hispanis esset salutatus, regnum constantissimè recusavit; quum occupatâ Punico bello Republicâ id consequi facillimè posset, & conservare. Sed etsi maximè voluissent Romani cives privatam potentiam, dominationemque moliri, id nunquam incorruptis moribus populus Romanus permisisset.
Declarat id [o] Manlius ille pulsis e Capito- 8
lio Gallis nobilis; qui meritis ingens, & servatâ Patriâ clarissimus, quum insuper Plebem Romanam beneficiis ingentibus obligasset, & [p] nexos ære alieno solveret, postquam visus est regnum affectare, plebe ipsâ non repugnante, e capitolino saxo dejectus, quo in loco Patriam ab immanissimo hoste defenderat, supplicium invenit: declarat Spurius [q] Melius, qui quum in summâ annonæ caritate plebem Romanam frumento privatis sumptibus comparato deliniret, ubi regnum affectare compertum est, statim reus accersitus, statim damnatus est, & supplicio affectus capitali: declarant alii, quos res novas ambitiosè molientes populus Romanus, licet ingentibus illectus beneficiis, e medio sustulit. Neque enim solùm scelera, sed mediocrem superbiam, aut superbiæ speciem severissimè vindicavit. Camillum [r], quo imperatore stabat sa- 9
lus nixa civitatis, quòd albis equis triumphasset, seque Romulo æquasset Urbis conditori; cœpit suspectare, & ad extremum in exilium pepulit, quod Patriæ, quàm exuli, multò luctuosius fuit: Publicolam [s] Valerium, qui urbem regio dominatu liberarat,

quod

[a] Tit. Livius libr. 34. in princ. [b] Plin. libr. 33. cap. 11. [c] Tit. Liv. in Procœmio. [d] Div. Augusti. de Civit. Dei cap. 18. [e] Vellejus Patercul. Histor. [f] Luc. Flor libr. 3. cap. 15. [g] Plutarch. in Vitâ Marii. [h] Plin. de Vir. Illustrib. cap. 73. [i] Luc. Flor. libr. 3. cap. 17. [l] Appian. de Bell Civil. libr. 1. L. Flor. libr. 3. cap. 21. Plin. de Vir. Illustr. cap. 69. [m] Plutarch. in Vit. Marii. [n] T. Livius libr. 27. [o] Idem libr. 5. [p] Idem Livius libr. 6. [q] Idem libr. 4. [r] T. Livius libr. 5. Plin. de Viris Illustr. c. 23. & Plutarch. in Vita Camilli. [s] Plutarch. in Vit. Publicolæ, & Plinius de Viris Illustribus cap. 15.

quòd in eminenti loco ædificabat, tanquam gravem libertati criminatus est liberatorem suum; quibus ille criminibus coactus est ædificium demoliri, & in humiliore loco domum extruendam locare.

DISSERTATIO XIII.

In qua agitur de Urbis origine ad illa Livii verba: *Primùm omnium satis constat &c.*

Ægyptii annorum quadragintaocto millium memoriam publicis monumentis habere perscriptam affirmabant. Neapolim a Cumanis conditam Vellejus Paterculus asseverat; Diodorus, & Oppianus ab Hercule, a Phalereo Tzetzes. Romam alii Pelasgos condidisse, & appellasse a robore affirmant; alii Trojanos, & a Româ muliere, quæ eorum naves incenderat, dixisse; sunt & qui tradant filium Creusæ filiæ Erecthei Regis Atheniensium Janiculum condidisse, unde originem habuit Roma; Xenagoras tamen auctor est ex Ulysse, & Circe Romum, Antiam, & Ardeam procreatos; a quibus tres urbes cognomines fuerint ædificatæ; sed alii Romum Æneæ filium faciunt, alii Ascanii, alii Itali, Æmathionis alii; Livius autem sequitur eorum sententiam, qui Romulum, ac Remum Romæ fuisse conditores tradunt. Dionysius Halicarnasseus tres Romas enumerat.

NEscio quonam fato, vel potiùs qua voluntate Numinis effectum fuisse dicam, ut clarissimæ gentes, urbesque nobilissimæ obscurissimis initiis orirentur. Athenarum origo, quæ civitas Græciæ lumen fuit, in tantis inscientiæ tenebris, atque obscuritate versatur, ut [a] humo editum Atheniensium populum Veteres affirmarent; quum unde profectus fuisset, aut
1 quo casu ea loca tenuisset, penitus ignoraretur: Ægyptii, populus ingenii solertiâ, & rerum scientiâ clarissimus, adeo suas origines nescierunt, ut faciliùs posset Ægyptus sui fluminis fontes, quàm suæ Gentis primordia repetire; hinc illæ fabulæ defluxerunt, quibus affirmabant Ægyptii se [b] Mortalium esse vetustissimos, & annorum [c] quadraginta octo millium memoriam publicis monumentis habere perscriptam, & consignatam: nobilissimam bello Germanorum nationem quis nescit adeo suas origines ignorasse, ut gentis auctorem terrâ editum ferret [d] Tuistonem? eadem ignoratio vetustatis fecit, ut quisnam Neapolis urbis nobilissimæ, opulentissimæque conditor fuerit, nesciremus, quum Vellejus [e] Paterculus a Cumanis conditam Neapolim, Diodorus, & Oppianus [f] ab Hercule, Tzetzes [g] a Phalero tyranno asseve-
ret. Sed quid opus est pluribus exemplis? 2
quid urbe Româ præclarius? quid obscurius ejus initiis? quæ neque quo tempore condita fuerit, nec a quibus constat; de eaque tam multæ sunt, discrepantesque scriptorum sententiæ, ut statui vix possit quænam earum propiùs accedat ad veritatem. Ac mihi videtur fortuna, quæ cum virtute semper ad augendam Romani Imperii majestatem conspiravit, deditâ operâ tantæ urbis principium occuluisse; ut quæri posset, aliquando cœperit, an sicut perpetuò mansuram Veteres opinabantur, ita & semper fuerit, & Mundo æqualis duraverit; tanta quippe varietas opinionum affert causam dubitandi, an ulla earum vera sit existimanda. Nam alii tradunt [h] Pelasgos, quum
magnam terrarum partem peragrassent, 3
multosque Mortalium bello devicissent, urbem condidisse; ac propter invictum robur in armis; ac potentiam Romam, quæ vox robur significat, apppellasse. Nec [i] desunt Auctores, qui memoriæ prodiderunt nonnullos Trojanos domo profugos coactos ventorum vi Tyrrhenis litoribus appulisse; quum autem mulieres eorum molestè, graviterque ferrent itineris laborem, palamque quererentur, tantum incommodorum, tantumque viæ miseris, defessisque superesse, unam earum, quæ Roma vocabatur, ceteris persuasisse, ut naves incenderent; quo facto quum viri necessitate coacti in illis regionibus consedissent, & opinione meliorem soli naturam, & accolarum ingenia essent experti, amore locorum captos urbem constituisse; quam in ejus honorem, quæ naves combusserat, Romam nominarunt. Hanc opinionem Virgilius libro quincto tangit alludens, ubi Junonis jussu Iris in Beroës mutata formam matres Troianas ad incendendas naves compellit. Sed ab eâ longè dissentiunt illi, qui Creu-
sam ferunt Erecthei Regis Atheniensium 4
filiam formâ elegantissimâ Apollinis com-

---

a Diss. 4. in Thuc. n. 7. b Herod. l. 2. in princ. Justin. l. 1. & Photius in Biblioth. n. 242. ex Isidori Philosophi Vitâ. c Pompon. Mela libr. 1. cap. 9. d Cornel. Tacit. de Morib. German. in principio. e Vellejus Paterc. Hist. f Oppianus in Cyneget. g Tzetzes ad Lycophronem. h Dionys. Halic. libr. 1. & Plutarch. in Vitâ Romuli in principio. i Damastes Sigensis apud Dionys. Halic. libr. 1. cap. 9. & Plutarch. in Vit. Romuli.

pressu gravidam filium peperisse, quem Delphos miserit educandum; quum autem a patre ejus rei nescio Xiphio cuidam esset in matrimonium collocata, nec ullos Liberos procrearet; & Xiphius esset profectus ad oraculum Delphicum consulendum, quo pacto posset fieri pater, accepisse responsum, quo eum, qui sibi obvius fuisset, adoptare jubebatur; Xiphium exisse, & obvium habuisse puerum, quem Apollo genuerat, eumque filium instituisse; eum porrò, quum adulevisset, non contentum patrio Regno classe in Italiam venisse, & oppidum ædificasse, quod Janiculum nuncupavit; unde origo Urbis Romæ fuisse dicitur. Sed hi decus urbis conditæ a Ro-
5 mulo ad alios auctores transferunt; qui verò aut Romulum, aut ejus fratrem tradunt Romæ conditorem fuisse, & ipsi in magnâ sententiarum varietate versantur. Nam Xenagoras [a] historicus, ut Dionysius Halicarnasseus refert, auctor est ex Ulysse, & Circe Romum, Antiam, & Ardeam procreatos; a quibus tres urbes Antium, Ardea, & Roma nomen acceperint: alii Romum [b] Æneæ filium fecerunt, alii Ascanii, alii Itali, alii Æmathionis, alii verò fabulam hujusmodi tradiderunt; Tarchetium [c] Albanorum fuisse Regem summâ injustitiâ, & immanitate; hujus autem in domo portentum divinitus extitisse, visum in foco speciem membri virilis; editamque Oraculo Thetidis vocem, qua Dea præcipiebat, ut virgo cum illo ostento misceretur; hominem quippe virtute clarissimum nasciturum; imperasse Tarchetium filiæ, ut se ab illo prodigio iniri pateretur; Virginem obsequium tanquam turpe detractasse, & ancillam misisse, quæ divinitus oblatâ conditione frueretur; quod quum Tarchetius rescivisset, in animo habuisse & ancillam, & filiam ad capitale supplicium duci jubere; sed a Vestâ prohibitum in somnis, utramque alio pœnæ genere punivisse; quum autem ancilla ex illo coitu gravida geminos peperisset, Tarchetium Teratio cuidam infantes occidendos tradidisse; quod quum ille misericordiâ motus facere non sustinuisset; pueros humi posuisse, quibus expositis advenisse lupam, & infantibus ubera præbuisse; varias præterea volucres alimenta certatim ministrasse; hujus rei miraculum admiratum bubulcum pueros sustulisse, ac diligenter educasse; eosque adultos Tarchetium vitâ, regnoque
6 spoliasse. Quæ diversitas opinionum fecit, ut a Dionysio [d] Halicarnasseo tres urbes Romæ statuerentur; quarum prima Trojanis temporibus fuerit antiquior; alia paulò post condita, quàm Troja caperetur; tertia quintadecimâ ætate post bellum Trojanum. Sed noster Auctor, qui ad alia festinat, neque solas antiquitates Romæ susceperit enarrandas, omittit alias opiniones; & eam sequitur, quam Diocles [e] Peparethius, & Fabius [f] Pictor, aliorumque scriptorum consensus comprobavit; Æneam videlicet Ilio capto in Italiam venisse, ac Lavinium oppidum condidisse; Ascanium deinde Æneæ filium Albam constituisse; e cujus stirpe Romulum, ac Remum procreatos Urbis conditores. Verumtamen quia non omnino certum videbatur, & explurarum, quod a plerisque de origine Urbis affirmabatur; ideo sententiam suam non penitus affirmavit, sed usus est verbis, quibus & non liquere planè ostenderet, quis nam fuerit Urbis conditor, & eam opinionem, quam ceteris anteposuit, verisimiliorem videri; sic enim præclarissimam historiam [g] exorditur. *Jam primùm omnium satis constat Trojâ captâ in ceteros sævitum esse Trojanos, duobus Ænea, Antenoreque & vetusti jure hospitii, & quia pacis, reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse*. Non enim planè constare dixit, non ita se rem habere, non certum esse, & nullo modo dubium; sed constare satis, hoc est, satis, ut in tantâ obscuritate rerum, & antiquitate temporum, esse fidei historiæ, quam est narraturus. Cur autem & rectè loquutus sit Livius, & non planè certam putaverit historiam, quæ de origine Urbis vulgò ferebatur, ex his, quæ diximus, colligi potest.



DIS-

[a] Xenagor. Historicus apud Dionys. Halic. libr. 1. cap. 9. [b] Dionys. Halicarn. ibid. [c] Plutarch. in Vitâ Romuli in princip. [d] Dionys. Halicarnass. libr. 1. cap. 9. [e] Apud Plutarch. in Vitâ Romuli. [f] Apud eundem eodem loc. [g] T. Livius libr. 1. in principio.

DISSERTATIO XIV.

Eadem Livii verba pergit explicare.

Dio Chrysostomus refert historiâ Ægyptiorum tradi, quod Achilles ab Hectore fuerit interfectus. Ælianus prodidit Græcos, quum Trojam cepissent, permisisse Trojanis, ut quisque rem, quam vellet, secum auferret; quare Æneas Penates comportabat; proinde ipsi concesserunt, ut secum ferret aliam rem, quam sibi carissimam duceret; ille autem patrem sustulit; tum verò ipsi permissum, ut res suas omnes baberet. Æneas Trojâ captâ arcem occupavit; deinde in Idæ montem se contulit; ibique quum se diutiùs defendisset, cum Græcis convenit, ut cum rebus suis discederet.

NOn possum mihi temperare, quin in hoc loco Græcorum in suis rebus tradendis negligentiam reprehendam; Assyriorum historiam a Nino usque inchoarunt [a]: res a Semiramide gestas non ignoramus; quos illa populos, & quæ regna subegerit, & quibus nationibus imperarit, in Veterum monumentis posita cognoscimus ceterorum [b] Regum Orientis, quamquam plerique silentio vitam transegerunt, mores in tantâ antiquitate satis compertos habemus. Quum autem Græci nihil antiquitus præclarius gesserint, quàm bellum Trojanum id a fabulis repetendum est, omniaque in eo sunt incerta, tenebris involuta, mendaciis plena poëtarum; alterum
1 decus Græciæ veteris, quo Græci magis, quàm suis rebus bello prosperè gestis possint gloriari, fuit Urbis ceteris gentibus imperaturæ primordium; quod Græcis acceptum referri debere plerique omnes prodiderunt; sed quia ea tempora caruerunt scriptoribus rerum gestarum, & ipsum in magnâ ignoratione, & opinionum discrepantiâ versatur. Ac de sententiarum quidem varietate, quæ super origine Urbis proditæ sunt, superiore dissertatione diximus; idcirco Livium non prorsus affirmasse vulgatam opinionem asseveravimus.
2 Nunc de varietate, ac dissensione famæ, quæ de bello Trojano didita est, verba faciemus; nam & excidium Trojæ non prorsus affirmavit [c] Livius; neque enim planè constare dixit, sed satis constare Trojâ captâ in ceteros sævitum esse Trojanos, & ea quæ sequuntur; quæ sunt omnia perobscura, & incomperta, quum Dio Chrysostomus [d] longâ oratione contendat; neque Trojam a Græcis captam, neque Græcos fuisse victores; qui tradit Ægyptiorum monumentis historiam contineri, qua traditum est Alexandrum non dolo raptam, sed a Tyndareo patre sibi in matrimonium collocatam Helenam habuisse; quum ceteros Helenæ procos opibus, & virtute superaret; sed invidiâ Græcorum, qui molestè ferebant adeo præclaras nuptias Peregrino contigisse, bellum conflatum; quod ita gesserint Græci, ut semper a Trojanis vincerentur; neque ab Achille Hectorem interfectum, sed contra Achillem ab Hectore; neque Æneam, neque Antenorem, neque Helenum domo profugos Italiam, & Græciam occupasse, sed accisis opibus Græcorum missos ad deducendas colonias, imperiumque in Europâ fundandum; ideo tantum virium habuisse, ut Helenus quidem Græciâ potiretur; unde illud [e] Virgilii:

Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes
Conjugio Æacidæ Pyrrhi, sceptrisque potitum;


& Æneas inter ferocissimos accolas in Italiâ validissimum regnum stabiliret. Sed
haec opinio licet quandam veri præseferat 3
similitudinem, tamen abhorret, & discrepat a famâ, quæ Græcorum ingeniis aucta, & vulgata fabulis poëtarum semper obtinuit. Ceteri scriptores laborant afferre causas, cur Æneam, & Antenorem cum tantâ Trojanorum manu Græci victores emiserint; & Livius [f] quidem ait id beneficium fuisse Græcorum, qui Æneæ, Antenorique pepercerint; quia pacis, reddendæque Helenæ semper auctores fuerant. Sed Ælianus [g] in Variâ Historiâ fabulam narrat hujusmodi; Græcos quum Trojam cepissent, satis clementer usos victoriâ; itaque permisisse Trojanis, ut quisque rem unam, quam cordi maximè haberet, auferret secum. Quapropter alii pretiosam vestem, alii argentea, aut aurea vasa, alii pecuniam sustulerunt; solus Æneas relictis omnibus Deos Penates humeris comportabat. Quam viri pietatem etiã hostes aliquo præmio afficiendam rati, rursus Æneæ concesserunt, ut secum ferret, quod unum e suis rebus carissimũ sibi esse duceret; ille non aurum, non gemmas elegit, non parvulum filium, non uxorem ætate, formâque florentem, sed confe-
ctum

[a] Herodotus libr. 1. & Justinus libr. 1. ex Trogo. [b] Herodot in suâ Histor. [c] T. Liv. l. 1. in princ. [d] Dio in Trojanâ. [e] Virgilius Æneid. 3. [f] Tit. Livius libr. primo in principio. [g] Ælianus Var. Histor. libr. 3. cap. 22.

ctum senio patrem. Id verò mirabile visum, & omnibus præmiis dignissimum; quare permissum Æneæ, ut res suas omnes haberet, & cum quibus maximè vellet, abiret. Hæc Æneæ pietas a scriptoribus celebrata
4 facit, ut minùs verisimilis fabula videatur, quæ [a] tradit Æneam Patriæ fuisse proditorem, & cum eo Antenorem conspirasse; id autem nonnulli volunt Græcis causam attulisse Æneam, & Antenorem incolumes dimittendi, quò Servius [b] aspexisse Virgilium [c] putat, quum dixit:

Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis;

sed non animadvertit eo carmine non infidelitatem Æneæ, sed audaciam, virtutemque declarari; non enim Achivorum proceribus Æneas permixtus erat, ut Patriam proderet, sed ut defenderet, inter hostium te a versabatur. Sic & Homerus, a quo carmen sumpsit Virgilius, inter hostium primos pugnantes fortissimos viros facit. Neque in eo, solùm fallitur Servius, sed etiam in eo, quod Livium citat hujus opinionis auctorem; quum Livius hoc in loco non scribat Æneam Patriam prodidisse, sed ejus saluti consuluisse, quæ reddendâ Helenâ continebatur. Conon autem apud Pho-
5 tium [d] Trojæ proditæ culpam ab Ænea in Helenum transfert; nam scribit Helenum post Alexandri mortem cum Deiphobo de Helenæ matrimonio contendisse; Deiphobi verò potentiâ victum in Idam montem secessisse; ubi quum auctore Chalcante a Græcis captus esset, partim minis, partim pollicitationibus, partim irâ, quæ Trojanorum commota injuriâ ejus animum exulcerabat, inductum, hostibus aperuisse fatum esse, ut Troja caperetur, quum Palladio Græci potirentur. Id negotii Ulyssi, & Diomedi datum, quum illi strenuè confecissent; & raptum Palladium, & captivitatem Trojæ, & excidium esse consequu-
6 tum. Sed alii non proditos in Idâ [e] monte, sed servatos fuisse Trojanos arbitrantur; neque enim Helenum, sed Æneam in Idam se contulisse, remque ita esse gestam; Trojâ captâ Æneam cum iis, qui captæ urbi supererant, in arcem se recepisse, in qua & Regni opes, & patrii servabantur Dii; sed quum arx a Græcis obsidione premeretur, seque jam tutari posse diffideret, clam exire senioribus jussis, & invalidâ plebe ipse cum globo ferocissimorum juvenum, postes Neoptolemo muros arcis jam inscendente, aversâ portâ evasit, & in Idæ montis loca munita concessit, quò senes, & mulieres, & vulgus invalidum jusserat convenire, ibi quum ad eum ingens Trojanorum multitudo, quæ hostium sævitiam variis casibus, & artibus evaserat, confluxisset, & naturâ, & ingenio munita loca tenuisset, Græcos infestos egregiè Trojani repellebant, seque, resque suas constantissimè tutabantur; sed quum res diutius protraheretur, utrique autem cuperent finem imponere gravi bello, & diuturno, in eas conditiones convenerunt; ut Æneas, Trojanique discederent cum Liberis, & conjugibus, rebusque suis, & publicis thesauris, & Diis patriis, & Palladio, Græci autem Troade potirentur; ita Trojanorum multitudinem inter hostes incolumem ex Asiâ profectam, & Æneam tantum virium habuisse, ut non unam modò, sed plures urbes condere, & in Italiâ constituere Regnum validissimum posset.



DIS-

[a] Menecrates Xanthius apud Dionys. Halicarn libr. 1. capit. 6 Dares Phryg. de Bello Trojan. & Dyct. Cretensis libr. 4. & 5. [b] Servius ad librum primum Æneid. Virgil. v. *Antenor potuit mediis elapsus Achivis*. [c] Virgil. Æneid. libr. 1. [d] Conon 28. narratione apud Photium in Biblioth. n. 186. [e] Dion. Halicarn. libr. 1. cap. 6.

DISSERTATIO XV.

In eundem Livii locum de Antenore Patavii conditore, & Æneæ erroribus.

Livius Cornelium Nepotem, & Sophoclem sequutus tradit Venetos ab Henetis originem duxisse, quare verisimile est Henetos *cum aspiratione scribendos; id tamen Suidas negat; quin etiam Strabo putat Venetos esse dictos non ab Henetis Paphlagoniæ populis sed ab Enetis Galliæ. Patavium appellatum est ab avium volatu, vel a Pado, ut Servius prodit. Æneam non venisse in Italiam perhibent nonnulli; quorum aliqui volunt Æneæ Regiam Scepsim fuisse, ibique post Trojam captam mansisse, & imperasse Trojanis; alii Ascanium cum Hectoris filiis Scepsi regnasse prodiderunt; quin etiam Antandrum appellatam putant, quòd quum Ascanius a Pelasgis fuisset captus, pretium sui capitis urbem ipsis dederit; alii verò in Crusæâ terrâ Æneam urbem condidisse tradunt, quæ priùs Ænea, deinde Ænos fuerit appellata; finitimos autem populos ipsi Regnum detulisse. Anchisem in Phrygiâ mortuum nonnulli ferunt, Pausanias in Laconicâ, Virgilius in Siciliâ; sed Cato in Italiam pervenisse refert. Dionysius Halicarnasseus Trojanos cum Ænea in insulam Cythera advectos templum Veneri ædificasse tradit, at Herodotus Phœnices. Promontorium Athenæum dicebatur antiquitus, quod nunc portus Veneris. Trojani quum apium cibis substratum juxta Dionysium Halicarnasseum; juxta verò alios crustula panis comedissent, oraculum implevisse censuerunt; quod ipsis responderat errores finituros, quum mensas consumpsissent. Æneas nunquam Libyam attigit, nec Didonis hospes fuit, quæ trecentis annis post excidium Trojæ Carthaginem condidit; ceterùm Dido non amore capta, sed pudicitiæ servandæ causâ sibi mortem conscivit. Turnus Mezentium ad ferendam sibi opem vini mercede fertur illexisse. Opes maximæ Etruscorum, qui totam ferè Italiam occuparant.*

EGregius rerum Romanarum Conditor [a] pergit explicare, quo pacto Trojani pervenerint in Italiam, & quæ fortuna domo profugos, & in alienam terram delatos exceperit; & Antenorem quidem tradit cum Henetis, Trojanisque intimum maris Adriatici sinum penetrasse, & Euganeis pulsis eorum sedes occupasse, totamque gentem ab Henetis, quos habebat secum Venetos appellasse; Æneam verò, quum ante in Macedoniâ aliquandiu consedisset, in Siciliam delatum classe Laurentem agrum tenuisse; & quum prædam ex agris ageret, concurrisse Aborigines 1
ad arcendam vim advenarum; sed vel prœlio victos, vel nomine ipso tanti viri deterritos pacem junxisse cum Trojanis; & Latinum Regem Latinorum Æneæ in matrimonium dedisse Laviniam filiam; cujus honori datum, ut quod oppidum a Trojanis conderetur, Lavinii nomen acciperet; Ascanium deinde ex Laviniâ natum; bellumque a Turno Rege Rutulorum, cui ante adventum Æneæ pacta Lavinia fuerat, Latinis, & Trojanis illatum; in eo certamine Regem Latinum cecidisse; Turnum acie victum ad Mezentium, & florentes Etruscorum opes confugisse; mota Etruscorum arma (de quorum potentiâ Livius [b] nonnulla tradit) profligatos Etruscos, Æneam inter Mortales esse desiisse. Hæc initio operis breviter narrantur a Livio, quæ nos compendii fecimus, & breviùs enarravimus, de quibus hodierno die, quàm paucissimis potero, differam; & de Antenore, Æneæque fugâ varias Auctorum opiniones in medium afferam; & si quid illustrandum videbitur, illustrabo. Atque illud animadvertendum Pylæmenis, cujus meminit Livius, apud Home- 2
rum [c] mentionem reperiri, qui Iliados libro secundo sic ait:

Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ
Ἐ'ξ Ἐ'νετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων,
Οἵ ῥα Κύτωρον ἔχον, καὶ Σήσαμον ἀμφενέμοντο,
Ἀ'μφίτε Παρθένιον ποταμὸν κλυτὰ δώματ' ἔναιον
Κρῶμνάντ', Αἰγιαλόντε, καὶ ὑψηλὰς Ἐ'ρυθίνας

Ex quibus versibus constat Paphlagoniæ Henetos fuisse gentem; Strabo [d] scribit Amisum Enetum olim appellatam, quod & [e] Zenodotus apud Eustathium tradit; in Enetâ [f] verò regione gigni ferunt equas præstantissimas, unde Ἐ'νετίδες ἵπποι ab Euripide celebrantur, ex eo quod Leon Lacedæmonius Olympiade octogesima quinctâ quum Enetas equas ad currum adjunxisset, vicit Olympia. Sed & illud adnotandum, quum Livius tradit Venetos Italiæ populos ab Enetis duxisse originem, Auctorem sequi Cornelium Nepotem, & Sophoclem [g]; quorum si vera sententia est, verisimile est hanc vocem cum aspiratione scribendam, quod multis placuisse video; nam Latini solent aliquando in

---

[a] Tit. Liv. libr. 1. [b] Idem Liv. ibid. [c] Hom. Iliad. β v. 851. [d] Strabo libr. 12. de Ponto. [e] Zenodot. apud Strabonem ibid. [f] Strab. libr. 5. [g] Sophocl. apud Strab. libr. 13. de Troad.

V consonum græcam aspirationem convertere; sic [a] Veliam Servius dictam putat a voce Ἐλη: sic Vesper [b] ab Hespero, est appellatus: sic Ἑςία Græcorum Vesta facta est; Suidas tamen aspirandam negat, quem multi sequuti sunt; quin etiam Strabo putat [c] Venetos esse dictos non ab Enetis Paphlagoniæ populis, sed ab Enetis Galliæ.
3 De Antenore autem præter ea, quæ [d] Livius narrat, illa [e] traduntur, in Thraciam venisse primum, deinde Adriatici maris litoribus appulisse, & urbem Patavium condidisse; ex quo Pomponius Mela Patavium Antenoris esse dicit; & Virgilius postquam illa de Antenore [f] cecinit:

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi

paulo [g] post adjecit

Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit;
Teucrorum & genti nomen dedit . . . . . .

& [h] Martialis Patavium appellat Antenoreum larem:

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenorei spes, & alumne laris

Quin & ipsi Patavini Servio [i] teste Antenor dæ vocabantur, urbs autem dicta fertur Patavium; vel ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι *ab avium volatu*, propterea quod suspicatò condita est, vel quòd avem telo petiit Antenor, ibique urbem constituit, vel ab ipso Pado flumine, si credere libet [l] Servio. Sed de Antenore utpote minùs claræ, minusque celebris auctore civitatis, minùs variant scriptorum opiniones; in tradendis autem Æneæ casibus, atque erroribus Historicorum magna dissensio est. Siquidem non-
4 nulli [m] volunt Æneæ Scepsim fuisse Regiam, ibique Æneam post captam mansisse Trojam, ac Trojanis imperasse; quò pertinere putant versus [n] Homeri

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοίκεν μετόπισθε γένωνται

qui versus ita convertuntur

Nunc verò Æneæ reget alta potentia Troas,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis

Quod alii de Ascanio tradunt, qui Eurileon nonnullis [o] dicitur, quem Scepsi consenuisse, & cum Hectoris [p] filiis regnasse memoriæ prodiderunt; quin etiam ab Ascanio Antandrum dictam volunt, quòd quum a Pelasgis captus esset Ascanius, pretium sui capitis urbem ipsis dederit, quæ quia ἀντὶ ἀνδρὸς, *pro viro* data fuerit Antandros est appellata. Quos audire si volumus, alios Lavinii, & Albæ, atque adeo ipsius Romæ quæramus, oportet, conditores. Nec illi 5
quidem Æneam perducunt in Italiam, qui Oxynium [q], & Scamandrum fuisse tradunt Hectoris filios, quos in Lydiam, quum Troja a Græcis obsidione premeretur, furtim Priamus educandos miserat, ne cum ceteris interficerentur, aut caperentur; hos, quum adolevissent, in Phrygiam revertisse, & Æneam, qui in Idâ monte Trojanis imperabat discedere coëgisse, paternumque regnum sibi vindicasse; Æneam verò, quum Anchisem patrem fugæ comitem assumpsisset, multosque Trojanos, & Hellespontum trajectâ multitudine in eum sinum, qui Thermus dicitur, pervenisset, patrem amisisse, & eo in loco sepelisse, regnumque, quum ipsi ab indigenis deferretur, recusasse; sed quum in [r] Bruniadem terram venisset, admonitum bovis mugitu, quæ ipsum sequebatur (ita enim Venus præceperat) urbem condidisse, quæ priùs Ænea [s], deinde Aenos [t] fuerit appellata; finitimos autem populos (tanta vis fuit maternæ gratiæ) ipsi regnum detulisse. Sed 6
errores Æneæ longiùs provehunt, qui circa [u] Mantineam in Arcadiâ scribunt Capuam condidisse; & illi, qui [x] in Siciliâ Egestam, in Italiæ litore Cajetam, quam vel a [y] nutrice Cajetâ, vel [z] ἀπὸ τοῦ καίειν *ab incendendo* sic appellarit, & Misenum [a] a Miseno navis gubernatore, vel tibicine extruxisse; quæ multitudo opinionum ex eo emanavit, quod multis in locis Æneæ sepulcra visebantur. Quâ de causâ accidit, ut etiam in Anchisæ morte tradendâ adeo Auctores inter se discrepent, quum & in Phrygiâ nonnulli prodiderint fato concessisse; ostendique ejus in Ida monte sepulturam, ubi pastores, & bubulci quotannis Anchisæ parentabant; & [b] Pausanias referat in Laconicâ mortuum, & sepulcro donatum in eo monte, qui Anchisias vocabatur; & Virgilius [c] in Siciliâ fato functum asse-

a Serv. ad libr. 6. Æneid. Virgil ad illud: *portusque require Velinos*. *b* Terentian. Maurus cap. de Syllabis. *c* Strabo libr. 5. *d* T. Liv. libr. 1. in princip. *e* Sophocl. apud Strabon. libr. 13 *f* Virg. Æneid. 1. *g* Virgil. ibid. *h* Martial. libr. 1. Epigr. 77. *i* Servius in primum Æneid. Virg. ad illud: *& genti nomen dedit*. *l* Servius ibid. ad illud: *hic tamen ille urbem Patavi &c.* *m* Strabo libr. 13. *n* Homer. Iliad. υ. v. 308. *o* Dionys. Halicarn. libr. 1. cap. 7. *p* Strabo libr. 13. *q* Conon narratione 46. apud Photium in Biblioth. 186. *r* Photios. *s* Dionys. Halic. libr. 1. cap. 6. *t* Pompon. Melâ libr. 2. cap. 2. & Pausan. libr. Eliacor. 1 sive libr. 5. in fine. *u* Dionysius Halicarnass. libr. 1. cap. 6. & Strabo libr. 13. *x* Strabo ibid. *y* Virgil. Æneid. libr. 7. in princip. *z* Serv. ad Æneid. libr. 7. *a* Virgil. Æneid. libr. 6. & Solin. cap. 8. & Dion. Halicarn. libr. 1. cap 6. *b* Pauf. in Arcadic. sive libr. 8. *c* Virgilius Æneid. libr. 3. in fine.

asseveret, & Cato [a] in Italiam pervenisse.
Multi nimirum populi monumenta viris
tam illustribus excitarunt, vel ut claro-
rum hominum memoriam honorarent,
vel ut eorum sepulcro suas regiones ho-
nestarent. Quare opiniones variæ scri-
7 ptorum minùs in hac re elevant eorum fi-
dem, quæ de adventu Æneæ in Italiam a
claris sunt Auctoribus memorata; qui mul-
tum errasse, multas adiisse gentes, multa
maris, terræque pericula Æneam volunt
exhausisse. Quos errores, quia & ad Virgi-
lium, & ad hunc Livii locum illustrandum
pertinent, operæ pretium fuerit hodierno
die recensere. Dionysius [b] igitur Halicarnas-
seus, quem ego diligentissimum rerum ve-
tustarum Auctorem arbitror, Æneam e Phry-
giâ profectum in Thraciam ad Peninsulam
Pallenen affirmat pervenisse; & Veneri
genitrici templum extruxisse, & oppidum
a se conditum Æneam nuncupasse; quum
autem e Pallene discessisset, in insulam
Delum esse delatum, qua Anius ille pro-
pter vaticinandi peritiam a [c] Virgilio cele-
bratus potiebatur; deinde Cythera insulam
juxta Peloponnesum, & Laconicam sitam
Trojani classe tenuerunt, ubi templum Ve-
neris ædificarunt. Quamquam [d] Herodo-
tus templum in hac insulâ Veneri condi-
tum a Phœnicibus fuisse testatur; quo Cy-
thera sunt Veneri consecrata. Mox quum
8 non procul a Peloponeso navigarent Æ-
neæ socium quemdam Cinæthum defun-
ctum in promontorio sepeliverunt, quod
ab eo Cinæthum nominatur. Sed & in
Zacyntho, & in Leucade monumenta sui
adventus duo Veneris templa reliquerunt,
& Ambraciam attigerunt, & Veneri tem-
plum, & Æneæ sacellum condiderunt; &
quum Buthroti portum Anchises tenuisset,
Æneas profectus est ad oraculum Dodonæi
Jovis consulendum; quo peracto Trojani
Epiri oram prætervecti ad eum locum, qui
dictus est Anchisæ portus, appulerunt; ibi
quoque monumentum sui Veneris tem-
plum extare voluerunt; hinc quum Jo-
nium trajecissent, Salentinos, & promon-
torium, quod Athenæum dicebatur anti-
quitus, nunc Veneris portus dicitur, te-
nuerunt; deinde sunt in Siciliam tempe-
state delati; ubi Egestam, & Elyma urbes
condiderunt; tandem in Italiam pervenere,
& a Palinuro [e] navis gubernatore ibi se-
pulto, Palinurum portum, & a Leucasiâ
Æneæ consobrinâ [f] Leucasiam insulam, &
a Miseni sepulturâ Misenum portum voca-
verunt. Nec Prochyta insula, nec promon-
torium Epityches nominibus trojanis ca- 9
ruerunt; denique classe Laurentem agrum
petierunt; ubi quum apium fortè substra-
tum cibis, ut auctor est Dionysius, vel ut
alii [g] tradiderunt, panis crustula subjecta
epulis comedissent, oraculi sortem se im-
plevisse crediderunt, & urbis condendæ
tempus advenisse; etenim [h] ab oraculo re-
sponsum acceperant errorem stabili, cer-
taque sede tunc esse finituros, quum fame
coacti mensas consumpsissent. Hic est ille
famâ, poëtarumque carminibus celebratus
error Æneæ; hos ille populos adiit; has
regiones, hæc maria peragravit; neque e-
nim Libyam unquam attigit; neque, ut
Virgilius voluit, [i] Didonis hospes unquam
fuit; quam [l] trecentis annis post bellum
Trojanum constat in Africâ Carthaginem
condidisse; ideo Ausonius inducit Dido-
nem de Virgilio querentem in illo Epi-
grammate, cujus extremi versus ita [m] se ha-
bent;

Invida, cur in me stimulasti, Musa, Maronem,
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ?
Vos magis historicis, Lectores, credite de me,
Quàm qui furta Deûm, concubitusque canunt.
Falsidici vates, temerant qui carmine verum,
Humanisque Deos assimulant vitiis;

& incertus auctor in [n] Anthologiâ sic Di-
donem querentem facit

Πιερίδες τί μοι ἁγνὸν ἐφωπλίσσασθε Μάρωνα;
Τοῖα καθ᾽ ἡμετέρης ψεύσατο σωφροσύνης

hoc est

Musa quid armasti castum in mea damna Maronem
Talia mentitum de probitate meâ?

Et jure queritur, non enim amoris incen- 10
dio Dido concitata, sed pudicitiæ retinens
mortem sibi conscivit; quum enim ab Jar-
bâ, qui nuptias ejus flagitabat, Carthago
obsideretur, maluit mori constantissimæ ca-
stitatis femina, quàm Sichæo mortuo pro-
missam fidem violare, & secundas nuptias
perpeti; itaque in viscera adacto ferro vi-
tam cum morte commutavit. Sed ut ad
Æneam revertamur; vix oppidum Lavi- 11
nium [o] condiderat Æneas, quum Turnus
Rex Rutulorum & juventâ ferox, & erep-
tâ conjuge irritatus bellum Trojanis, &
Latinis intulit; sed magnâ pugnâ victus
Mezen-

[a] Cato apud Servium ad libr. 3. Æn. v. *hic me, Pater optime, fessum deseris.* [b] Dionys. Halicarn. libr. 1. cap. 6. [c] Virg. Æn. libr. 3. v. 80. [d] Herod. l. 1. cap. 105. [e] Virgil. libr. 5. Æneid. in fine, & libr. 6. [f] Solin. c. 8. [g] Virg. Æn. libr. 7. & Strabo libr. 13. [h] Virgil. Æneid. libr. 3. & Strab. ibidem.

[i] Virgil. libr. 1. Æneid. [l] Justin. libr. 18. Vellejus Paterculus Histor. libr. 1. Euseb. in Chronic. [m] Auson. epigramm. 111. [n] Antholog. libr. 4. εἰς ἡρωΐδας epigr. ultim. [o] Dionysius Halicarn. libr. 1. cap. 7.

Mezentium Regem Etruscorum ad ferendam sibi opem vini mercede traditur illexisse; de quorum potentiâ quoniam mentionem facit Livius, notandum est Etruscos antiquitus latissimè imperasse; nam excepto Venetorum angulo Galliam omnem Cisalpinam ab Apennino usque ad Alpes habuerunt; & [a] Rhætis inalpinæ genti originem præbuerunt; & ut auctor est Plinius [b], trecenta Umbrorum oppida exciderunt; & Adriæ litus deductis coloniis frequentarunt; & [c] Capuam, antequam eâ Samnites potirentur, possederunt. Ex quibus intelligi potest, cur Livius dicat tantam opibus fuisse Etruriam, ut non terras modò, sed & mare per totam Italiæ longitudinem ab Alpibus ad fretum Siculum famâ nominis sui impleret.

DISSERTATIO XVI.

In illa Livii verba: *Ænea, Antenoreque & vetusti jure hospitii &c.*

Legati Romanorum, qui Hannibalem petebant a Prusia, justam ejus excusationem censuerunt, ne se hospitii jus violare cogerent. Piso, quum contra Neronem conjurasset, nullo pacto induci potuit, ut in villâ suâ ipsum interficeret. Antenorem, quia Græcorum legatos a Trojanorum furore defenderat, incolumem Græci dimiserunt, non quia Trojam ipsis prodiderit, ut quidam suspicantur. Proxeni dicuntur hospites publici; & hinc fortè proxenetæ, qui latinè pararii dicuntur; & proxenetria, quæ nuptias conciliat; hinc etiam Virgilius Thraciam Trojæ hospitium appellat. Coloniæ populos, a quibus deductæ fuerant, vocabant patres; ideo Virgilius Albanos patres dixit.

Hospitii jura inter privatos antiquitus fuisse multò sanctissima pervulgatum est; ideo Prusias Rex Bithyniæ, quum legati Romanorum, ut sibi Hannibalem dederet, postularent, hospitium excusavit; ac ne se hospiti tantam inferre cogerent injuriam, deprecatus est, visaque est legatis justa Regis deprecatio; itaque libenter Prusiæ permiserunt, ut eo maleficio prorsus abstineret. Eadem de causâ Piso, quum ad Neronem tollendum cum aliquot principibus civitatis conjurasset, postquam in villâ suâ hominem facilè trucidare, ubi Nero corporis custodibus remotis, & depositâ fortunæ suæ mole solebat crebrò, jucundeque versari, id facere constantissimè recusavit; ne, ut ait [d] Cornelius Tacitus, *sacra mensæ, Diique hospitales cæde qualiscunque Principis cruentarentur*; & [e] Ammianus Marcellinus eorum scelus execratur, qui Param Armeniæ Regem inter epulas nihil jus hospitii veriti obtruncarunt; & affirmat id facinus Barbaros Euxini Ponti accolas perhorrescere. Sed hospitii, quod inter civitatem, aut nationem, & privatum hominem intercedit, quod publicum dicitur, quodque etiam inter hostes sanctissimum habebatur, exemplum proponit noster Auctor; cujus hæc verba hodierno die suscepimus [f] illustranda: *Ænea, Antenoreque & vetusti jure hospitii, & quia pacis, reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse.* [g] Antenorem igitur hospitio Grajorum excepisse Legatos constat ex Homero; qui tertio Iliadis libro missos ab Achivorum exercitu ad Helenam repetendam Ulyssem, & Menelaum apud Antenorem esse diversatos, & ejus hospitio publico usos testatur his verbis: [h]

Τήνδ' αὖτ' Ἀντήνωρ πεπνυμένος ἀντίον ηὔδα,
Ὦ γύναι, ἦ μάλα τοῦτο ἔπος νημερτὲς ἔειπες,
Ἤδη γὰρ καὶ δεῦρο ποτ' ἤλυθε δῖος Ὀδυσσεὺς
Σεῦ ἕνεκ' ἀγγελίης σὺν ἀρηϊφίλῳ Μενελάῳ,
Τοὺς δ' ἐγὼ ἐξείνισσα, καὶ ἐν μεγάροισι φίλησα

Id autem hospitium Antenori saluti fuit; nam, ut [i] Eustathius tradit, quum Græci Trojam cepissent, Agamemnon, ne militum ad prædam, incendendamque urbem discurrentium licentiâ Antenoris quoque domus diriperetur, ejus januæ [l] pantheræ pellem jussit appendi; edictoque vetuit, ne quis auderet ædes violare, ubi pantheræ pellem conspexisset; ita servatam Antenoris domum, nec illatam a Græcis injuriam dumino ferunt. Id autem tributum non solùm hospitii religioni, quæ magna habebatur, sed etiam Antenoris beneficio, quo Grajorum proceres, & multitudinem sibi devinxerat; quum enim legati Achivorum Antenoris hospitio uterentur, Trojanorum multitudo instigante Alexandro,

[a] Plin. libr. 3. cap. 20. [b] Idem Pl. libr. 3. cap. 14. [c] Pompon. Mela libr. 2. cap. 4. [d] Cornel. Tacit. Annal. libr. 15 num. 52. [e] Ammian. Marcellin. Histor. [f] Tit. Liv. libr. 1. in princip. [g] Pausan. in Phocic. sive libr. 10. [h] Hom. Iliad. γ. v. 203. [i] Eustath. in hunc Homeri loc. [l] Pausan. ibid. & Sophocles apud Strabonem libr. 13.

dro, & iis, qui cum eo sentiebant, consilium cepit legatos trucidandi; sed Antenoris operâ, qui obviam ivit furori Trojanorum, servati sunt, incolumesque dimissi Græcorum oratores. Quapropter Antenor non proditione, & malis artibus, ut quidam suspicantur, sed fide erga legatos, & gentium, & hospitii jure tuendo, ut servaretur ab hostibus, est consequutus. Neque Trojani queri poterant de necessitudine, quæ inter Antenorem, & Græcos intercedebat, cujus auctores ipsi fuerant; nam hospitia legatis publico consilio, & auctoritate tribuebantur; idcirco [a] Herodotus notat inter cetera munia, quibus Reges Lacedæmoniorum fungebantur, id non in postremis fuisse, quod legatis exterarum gentium, vel aliis hospitibus, qui publico munere fungerentur, hospitia assignabant; qui verò legatos, aut magistratum alicujus civitatis domo excepisset, hospes ejus civitatis dicebatur; quare liquet, cur Livius dicat inter Antenorem, & Græcos fuisse jus hospitii constitutum. Hi verò publici ho-
4 spites [b] πρόξενοι græco vocabulo vocabantur; eorum munus legatos lautè, & liberaliter habere, in populi concionem, vel senatum deducere. Atque haud scio, an quia hi proxeni legatis populum conciliarent, ideo [c] omnes conciliatores πρόξενοι dicantur, & προξενεῖν sit *conciliare*, unde proxenetæ, qui conciliant alicui mutuam pecuniā, qui latinâ voce pararii appellantur [d] Senecâ teste, qui libro secundo de beneficiis ita loquitur: *quidam nolunt nomina secum fieri, nec interponi pararios, nec signatores advocari;* omninoque proxenetæ sunt hi, qui se inter eos interponunt, qui contrahunt; & proxenetics præmia, quæ proxenetis tribuuntur; & proxenetria apud Interpretem Aristophanis, quæ conciliat nuptias. Sed, ut ad publi-
5 cos hospites revertamur, interdum pro magnis in Rempublicam meritis hospitii honos principibus viris a populo deferebatur. Quapropter [e] Demosthenes tradit Athenienses affectos ingentibus a Macedoniæ Rege beneficiis hospitium esse Regi cum Atheniensi civitate decrevisse; erat quippe magna necessitudo civitati cum eo, qui ejus proxenos haberetur. Ideo [f] Thucydides inducit Alcibiadem apud Lacedæmonios commemorantem προξενίαν, idest hospitium, quod suis Majoribus erat cum Spartanâ Republicâ constitutum, eoque nomine crimen diluentem alienæ ab illâ civitate voluntatis. Hoc autem hospitium publicum

respicit Virgilius Æneidos libro tertio, quum Thraciam appellat hospitium Trojæ; sic enim loquitur:

Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo,
Hospitium antiquum Trojæ, sociique penates

& Plautus [g] Amphitruone, qui sic ait:

...... *ita*
Peregrè adveniens hospitio publicitus accipiar

Nec verò mirari debemus privatæ necessi- 6
tudinis nomen ad civitates, Resque publicas esse translatum; siquidem nulla fuit inter privatos necessitudo, quæ non inter civitates intercedere crederetur. Hedui Romanorum [h] fratres appellati sunt; & coloniæ populos, a quibus fuerant deductæ, Patrum loco venerabantur; hinc [i] illud Virgilii:

Albanique patres......

Albanos Patres vocat Romanorum, quia Roma fuit Albanorum colonia; & Marcelli [l] sunt habiti Siciliæ patroni, omninoque provinciæ eos patronos adoptabant, quorum vi, & armis in potestatem populi Romani redactæ fuerant.



[a] Ita refert Cæl. Rhodig. libr. 11 cap. 10. [b] Suid. in V. Προξένους, & Ælius Dionys. apud Cæl. Rhodigin. libr. 11. cap. 10. [c] V. Brod. in Comment. Ling. Græc. in V. οἱ προξενοῦντες. [d] Seneca de Benef. libr. 2. c. 22. [e] Demosthen. in Philippic. [f] Thucyd. l. 6. [g] Plaut. Act. 1. sc. 1. Amphitr. [h] Strabo libr. 4. de Galliâ. [i] Virgil. Æneid. libr. 1. in princip. [l] T. Liv. libr. 26.

DISSERTATIO XVII.

De Romuli origine.

Aborigines e truncis, & roboribus natos fama est propter vitæ duritiam; licet autem Græci Italorum luxum reprehendant, de eâ Italiæ parte, quæ Magna Græcia appellatur, id est accipiendum. Plerique philosophi veteres existimabant esse quasdam sempiternas mentes corporis omnino expertes, & summi Dei administras, quas pariter Deos nuncupabant, & pro diversitate numerum diversis nominibus distinguebant; nam eam, quæ Terram administrat, Rheam, seu Vestam nominabant; quæ Mare, Neptunum, & sic deinceps. His subjectos esse genios ferebant, & nomine eorum Numinum, quibus subjiciebantur, nuncupari; quorum triginta millia Terris oberrare tradit Hesiodus. Hos corpus habere quidem, sed subtile, & nonnisi, quum ipsi volunt, aspectabile opinabantur; adeout cum feminis miscerentur; & eorum alios esse immortales, alios mortales, auditamque vocem ferebant nunciantem mortuum esse Pana. Ex his genitos semideos, & heroas, aliosque virtute præcellentes viros arbitrabantur, & præcipuè urbium, gentiumque auctores; h ac heroës ab amore Numinum dici Plato existimat. Nostri etiam Patres admiserunt Dæmones, quos vocant Incubos, & Succubos; nonnulli etiam tradiderunt, mentes illas Summi Numinis administras, quæ ab Auctore suo defecerunt, gigantes procreasse, quod Sacris Litteris indicari voluerunt. Nec defuerunt, qui putarent Angelos habere quoddam corpus æthereum, quale etiam animæ tribuunt sectatores Platonis; quin etiam Tertullianus ipsum Deum corpus esse existimavit. Alii verò philosophi absurdum existimarunt, ex homine, Deoque heroas genitos; esse tamen quandam Numinum benevolentiam erga homines virtute præstantes dixerunt, eorumque curam gerere, quam patris nomine volunt significatam; & hac ratione Romulus ex Marte procreatus dicebatur, & quamplures alii ab aliis Diis. Socratem Deus a fugiendis deterrebat; quod etiam contigisse ferunt Plotino, & superiore sæculo epico Poëtæ præcellentissimo.

QUum duabus [a] ex partibus constent homines alterâ immortali, ac pæne divinâ; alterâ mortali, nobisque communi cum mutis animantibus non desunt, neque defuerunt unquam Mortales, in quibus alterutrius partis natura, & vis ita prævaleret, ut vel Deo, vel teterrimæ belluæ simillimi viderentur; & quia facilior est in deteriora lapsus, plerique ita corporis naturam amplectuntur, ut nihil altum sapiant; & quasi mutæ pecudes nullam cœlestis animi indolem præseferant. Sed non ita sibi omnia deterior pars nostri vindicat, ut non existant aliquando homines, qui in excolendo animo occupati corpus quodammodo relinquant, vel potiùs consecrent, & divini propemodum videantur. Id animadversum præbuit occasionem credendi 1
præclarissimos viros Deorum satu procreatos; sic Galli [b] suæ gentis auctores a Dite Patre genitos existimabant; ideo [c] natales dies, & mensium, & annorum initia sic observabant, ut dies noctem subsequeretur: sic [d] Aristomenis Messenii, sic [e] Aristodamæ Sicyonii originem consecrabant: sic Alexandrum [f] Macedonem, sic [g] Scipionem Africanum Jove, sic [h] Augustum Apolline natum ex Antiquis nonnulli crediderunt. Et ne longiùs ab Auctore nostro discedamus, sic [i] Romulum Marte satum ferunt, quòd ipse ingens factis, & animi altitudine, & robore corporis, & prudentiâ mirabilis divinum quid præseferre videretur; neque enim aut humana origo, aut nascendi conditio, qua furtim editus, & abjectus ad mortem fuerat, aut educationis ratio, qua inter pecora nutritus, inter pastores adoleverat, tantæ indoli congruebant. Quapropter quum tantas virtutes aliunde haurire non potuisset, divinitus accepisse credebatur; & quia præ ceteris animi dotibus, in eo se fortitudo altiùs efferebat, a Marte genitum prodiderunt; & alioquin gens Ita-
lorum eâ tempestate belli studiis apprime 2
dedita quidquid egregium videbatur, id Marti, quem unicè colebat, acceptum libens referebat. Quod Italorum studium bellicæ rei fuisse acerrimum Poëtæ testimonio credi convenit, qui [l] cecinit:

Durum a stirpe genus Natos ad flumina primùm
Deferimus, sævoque gelu duramus, & undis;
Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant;
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.

& paulo post [m] ait:

Canitiem galeâ premimus, semperque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.

Neque

a Sall. in procem. Catilin. b Jul. Cæs. de Bello Gall. libr. 6. c Idem ibid. d Pauf. in Messen. sive l. 4. e Idem eod. loc. f Idem Paul. ibid. & Plutarch. in Vitâ Alexandr. g T. Liv. libr. 6. Dec. 3. Aul. Gell. l. 7. cap. 1. & Valer. Max. l. 1. c. 2. h Suet. in Vitâ Augusti c. 94. i Plutarch. in Vit. Romuli, Tit. Liv. libr. 1. l Virgil. Æneid. 9. m Idem Virgil. ibid.

Neque aliâ causâ fama est Aborigines Italicam [a] gentem e truncis, & Roboribus natam, nisi propter duritiam vitæ, patientiamque laborum. Quamquam non me fu-
3 git a Græcis [b] Italorum delicias, opiparasque mensas, & vitam luxu diffluentem reprehendi; sed id de Italiæ parte, quæ Magna [c] Græcia vocabatur, esse capiendum non dubitaverim; quæ propter urbium opulentiam, & excellentem soli ubertatem, & beatissimam omnium rerum affluentiam, ad voluptates incolas incitabat. Nam in ceteris Italiæ partibus plerunque vita abhorrens a luxu, & bellicæ artes colebantur; confirmavit & hanc opinionem Romana virtus, quæ ceteras longè supergressa nationes auctorem sibi Martem meritò vindicabat. Neque enim justiùs [d] Athenienses Minervam propter urbis eximiam sapientiam; neque [e] Scythæ Herculem propter vitæ genus vagum, laboriosum, exercitum, avidum belli, servitutis inimicum; neque Thraces eundem Martem ob feritatem ejus nationis, Persæ [f] Perseum Jovis filium ob regalem ejus gentis potentiam, & splendorem, quàm Romani Martem suum conditorem esse prædicabant. Quis enim populus justiore ti-
4 tulo auctorem suum bellorum Deum esse gloriatus est, quàm illa gens, quæ plures numeravit triumphos, quàm annos; pluribus est ornata victoriis, quàm simul omnes nationes; plures vincendo regiones cognovit, quàm quisquam ante peregrinando; quam [g]

..... neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Durataque solo nives

a felicissimo victoriarum cursu abegerunt; quæ Europam, Asiam, Africam subigendo nihil esse invictum Romanæ potentiæ declaravit? Neque verò philosophorum placita opinioni vulgi consecrantis originem populi Romani, & miscentis humana divinis magnopere repugnabant; nam quamquam summum illum naturæ principem, & omnium rerum architectatorem Deum tantæ majestatis esse [h] voluerunt, ut secretus ab omnibus licet omnibus infusus nulli misceatur, nedum [i] Liberos procreare, aut habere commercium cum feminis possit; tamen inter illam divinam, supremam, immortalemque naturam, & humanam esse nonnullas interjectas naturas. Nam secundùm Deum summâ virtu-
te, præstantiaque prædıtas esse mentes illas 5
ab omni corporis contagione separatas, sempiternas administras Dei summi, quas Deos Antiqui nuncupabant, & pro diversitate munerum diversis nominibus [l] distinguebant; his verò subjectos esse genios immortales quidem, ut superiores, corpore verò utentes, ut homines, licet id sit admodum subtile, & nisi quum ipsi volunt, haudquaquam aspectabile. Horum multa genera esse per omnes terras, totumque Cœlum sparsa, disparemque naturam censebant; adeo ut alii ad superarum mentium præstantiam accedere, alii verò non longè ab humanâ imbecillitate remoti crederentur. Quin & eorum non paucos esse mortales ferebant, auditamque Panos [m] morientis aliquando vocem; sed etiam eos qui morti non sunt obnoxii, utpote constantes corpore, humanis affectionibus non carere. Quapropter [n] Apulejus, & [o] Psellus eum mulieribus misceri, venereâ voluptate perfundi, & Liberos procreare tradiderunt. Sed & [p] nostri Patres
Dæmones, quos vocant incubos, & suc- 6
cubos, agnovere; longiùs progrediuntur nonnulli, & etiam mentes illas summi Numinis administras, quum ab Auctore suo aliquando defecissent, ad cupiditatem generandi [q] prolapsas Gigantes procreasse; idque sacris litteris indicari Lactantius Firmianus [r], Philo, Josephus historicus, aliique complures voluerunt. Quæ sententia [s] ab eorum opinione manavit, qui eas mentes, quas Angelos Christiani vocant, habere quoddam corpus æthereum, tenue, pellucidum, igneâ mobilitate præditum (cujusmodi corpus animæ, quasi vehiculum, sectatores Platonis tribuunt) putaverunt; quam sententiam Basilius ille Magnus, & plerique Patres Græci sequuti sunt, & Tertullianus; sed Tertullianus alio modo; nam & [t] mentes, & Deum ipsum corpora esse [u] Tertullianus existimavit. Verumtamen plerique, ut dicebamus, cœle-
stes illos Deos corpore, materiaque care- 7
re, &

---

[a] Virgil. Æneid. libr. 8. vid. Diss. 4. in Thucydid. n. 10. [b] Plato in Epist. apud Athen. libr. 12. cap. 6. [c] Plin. libr. 3. cap. 5. & 10. [d] Plato in Critia, & Lactantius Firmian. libr. 1. de Falsâ Relig. cap. 15. [e] Herodot. libr. 4. cap. 8. [f] Idem libr. 7. cap. 150. [g] Horat. libr. 3. Od. 24. [h] Aratus in Phænomen. & Virgil. Eclog. 3. Seneca de Benef. libr. 4. cap. 8. & idem Virgil. libr. 6. Æneid. & Seneca Epistol. 95. [i] Lactant. Firmian. libr. 1. de Falsâ Rel. cap. 16. [l] Plato in Timæo, & in Convivio, & Apulejus de Deo Socrat. [m] Lil. Greg. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 17. in fin. pagin. 437. vers. 29. [n] Apulejus ibid. [o] Michaël Psellus de Dæmonib. [p] Div. Augustin. de Civit. Dei libr. 15. cap. 23. [q] Div. Augustin. ibid. [r] Lactantius Firmian. de Orig. Error. libr. 2. cap. 15. [s] Origin. libr. 2. de Principiis cap. 2. [t] Tertull. de Habitu muliebr. cap. 2. [u] Idem Apolog. cap. 47. Lil. Greg. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 15. pag. 421. vers. 10.

re, & vitiis, quæ proficiscuntur a corpore, censuerunt; omnium autem horum expertes non esse genios, qui quasi minorum gentium Dii habebantur, quos medioxumos Comicus [a] appellavit. Non absurdum autem omnino putant posse misceri cum feminis hujus generis Numina, & filios gignere; qui naturâ ex homine, Deoque mixtâ semidei, & heroës vocabantur; & heroica quidem tempora, quibus [b]

...... domos invisere custos
Cælicolæ spretâ nondum pietate solebant,

multos hujus generis habuerunt; consequutæ verò ætates, quasi ea consuetudo jam exolevisset, paucissimos; tamen & Aratum [c] ab Æsculapio genitum, & [d] Platonem Apollinis semine procreatum, & Alexandrum [e] Jovis Hammonis editum stirpe percrebuit; non ex illius Jovis, aut Apollinis stirpe [f] nimirum

.... qui templa Cæli summa sonitu concutit

vel [g]

.... qui terrarum flammis opera omnia lustrat;

8 sed ex alicujus genii, qui Jovem sequeretur, aut Apollinem. Nam mentes illas supremi Numinis nuncias, & administras a rerum Principe alias aliis muneribus esse præpositas, quæ pro diversis officiis diversa nomina sortitæ sint; nam [h] quæ Terram administret, Rheam, vel Vestam nominari; quæ mare, Neptunum; quæ [i] aërem, Junonem; quæ lucidissimum Ætherem, Minervam, & eodem modo deinceps; his autem subditos esse genios, quam plurimos, quum Hesiodus [l] tradiderit eorum millia triginta terris oberrare

Τρὶς γὰρ μυρίοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς φύλακες θνητῶν Ἀνθρώπων

Hos eorom nomine, quorum Numini, ac potestati subjiciuntur, appellari; atque hos etiam [m] amore tangi, cum feminis congredi, & heroës procreare; quos dictos Plato putat [n] ἀπὸ τοῦ Ἔρωτος, ab amore Numinum erga homines. Aliis autem absurdum videtur

9 tur mortalia cum immortalibus commiscere, ac perinde facere eos, qui ex homine, Deoque heroas genitos esse commemorant, ac fecerunt poëtæ, qui [o] Hippocentaurum, & [p] Chimæram, aliaque monstra e diversis conflata naturis confinxerunt; esse tamen quandam benevolentiam Numinum erga homines justitiæ, virtutisque cultores, & sceleris puros, & innocentes. Quare verisimile videri Deos horum hominum præcipuam curam gerere; sic Ulyssi Minervam, Achilli Thetidem, Agamemnoni Junonem semper affuisse consultissimus rerum divinarum vates Homerus tradidit; eodemque modo [q] Hippolytum propter castitatem Dianæ fuisse gratum Tragicorum scena declarat. Et ut a poëtis, & 10
fabulis abeamus, quis nescit omnes, qui de Socratis vitâ aliquid litteris mandaverunt, affirmasse [r] Deum Socrati præsentem semper fuisse, qui a fugiendis ipsum deterreret? quod superiore sæculo Epico Poëtæ præcellentissimo tradunt contigisse, qui usus dicitur summâ familiaritate cujusdam genii; & Plotinum Porphyrius in ejus vitâ hujusmodi numen amicum, quod ejus tutelam gerebat, habuisse testatur. Quam paternam in homines virtute præstantes benevolentiam Numinum patris nomine volunt significatam; ut ejus Dei filii dicerentur, cujus Numen semper experiebantur propitium. Qua ratione [s] Pompeji Magni filius, dum mari plurimum poterat, 11
Neptuni filius dicebatur; eodemque modo Æneas [t] Veneris filius est appellatus, quòd incredibili vi polleret animos hominum sibi conciliandi, amoremque omnium alliciendi; semperque Venerem habuerit amicam, & obsequentem, & ad maximas res consequendas adjutricem. Cujus editus stirpe Romulus Martem [u] Patrem nuncupavit, quòd Martis hoc est virium beneficio omnia adeptus videretur; nam vi fratrem a morte liberavit, & materno avo regnum restituit, & vi Amulii ultus est injuriam; & per vim Sabinas rapuit, & sibi, suisque civibus matrimonia acquisivit, nullamque aliam Venerem novit, quàm armatam; & vi finitimas urbes in suam redegit potestatem, & vi agrum Romanum paravit, & Imperium dilatavit; nihil denique persuadendo, omnia bellando est consequutus; & incredibili est usus Martis benevolentiâ, quum nunquam in tot prœliis, & expeditionibus offenderit.

DIS-

[a] Plaut. Cist. Act. 2. sc. 1. Lil. Gregor Gyr. de Deis Gent. Synt. 15. pag. 421. v. 8. [b] Catull. de Nupt. Pel. & Therid. [c] Pans. in Cor. sive l. 2. [d] Diog. Laërt. l. 3. in princ. in Vit. Platon. & D. Hieron. l. 1. contra Jovinianum. [e] Paus. in Messen. sive libr. 4. [f] Terent. Eunuch. Act. 3. sc. 5. [g] Virgil. Æneid. 4. [h] Lactant. Firmian. de Origin. Error. libr. 2. cap. 7. [i] Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 4. [l] Hesiod. Op. & Dieb. v. 250. [m] Plato in Cratyl. [n] Plato ibid. [o] Hom. Odyss. Φ. & Ovid. Metam. libr. 12. [p] Hygin. fab. 57. [q] Eurip. & Senec. in Hippolyt. [r] Apulejus de Deo Socrat. Plutarch. & Max. Tyrius de Gen. Socratis, Plato in Theage, & in Theæteto, Xenoph. in Apologiâ, Cicer. libr. 1. de Divinat. D. Cyprian. de Idolorum Vanitate, Clem. Alexandr. Stromat. libr. 1. Tertull. de Animâ, & Diogen. Laërt. libr. 2. in Vitâ Socratis. [s] Dion Cass. Histor. libr. 48. [t] Virgil. Æneid. Lactant. Firmian. de Fals. Relig. libr. 1. cap. 17. [u] Tit. Livius libr. 1. & Plutarch. in Vitâ Romuli.

DISSERTATIO XVIII.

De Romulo a Lupâ nutrito.

Apollo Lycius, & λύκος a luce dictus est; quæ antiquitus λύκη dicebatur, non quòd ei sacer esset lupus; Marti enim consecratus erat; Argivi tamen lupum numismatis imprimebant. Multi a feris nutriti dicuntur; verisimilius autem est, nominis ambiguitatem locum fabulis fecisse, ut multis exemplis docemur. Animalia quædam inter se societatem ineunt. Portenta indicarunt, quales futuri essent multi infantes. Meretrices a Latinis lupæ dicebantur, inde lupanar. Olympiadem cum milite, qui Draco dicebatur, corpus miscuisse ferunt; hinc fabula manavit, eam cum Jove concubuisse.

QUi Deo natum Romulum memoriæ prodiderunt, non contenti ejus ortum opinione tantæ originis consecrasse nutritum etiam providentiâ Deûm tradiderunt; ut non genitus modò, sed & altus, educatusque divinitus videretur. Siquidem ferunt, quum Romulum, & Remum paulò ante natos ii, quibus [a] id negotii datum fuerat, in alluvie Tiberini fluminis exposuissent, venisse lupam sitientem e montibus, & inventis pueris mammas præbuisse; ita Romæ conditores ferino lacte diu nu-
1 tritos, donec eos Faustulus regii pecoris Magister sustulerit, ac pro suis educarit. Hoc autem commentum a fabularum avidâ antiquitate non sine causâ videtur excogitatum; nam consentaneum erat a Marte genitos infantes omni humanâ ope destitutos, & in vastas solitudines deportatos ab eo potissimum animali nutriri, quod Marti sacrum habebatur; ut ejus Dei providentiâ alti crederentur, cujus e stirpe fuerant procreati. Lupos autem Martis esse famulos antiquitas autumavit; hujus rei Virgilius [b] testis locupletissimus; qui lupum Martium vocat hoc Hemistichio

Martius a stabulis rapuit lupus. . .

Alludit & [c] Plautus, apud quem servus acutissimè argutatur, qui quum videret duos heriles filios viventis patris bona dilapidare, & cum scortis nequissimè viventes consumere, ait oportere hero suo inimicum esse Martem, cujus bona lupæ devorent, & absorbeant; qui duo loci ex Plutarcho in vitâ Romuli explicantur, ubi tradit lupum esse Marti consecratum. Quamquam 2
non me fugit ex vetusto Sophoclis [d] Interprete quosdam affirmare lupos esse dedicatos Apollini; quam opinionem confirmavit [e] Lycopolitana Thebaidos civitas, quæ lupum simul, & Apollinem adorabat; quin & [f] Macrobius affirmat Solem λύκον, hoc est *lupum*, nominari. Sed hujus appellationis ratio est, quòd lux antiquitus Græco sermone λύκη dicebatur, unde [g] Latinum lucis vocabulum deductum esse constat. Dictus est autem Apollo λύκος non quia lupus Apollini consecratus fuerit, sed quia lucis est Apollo pater, ex quo Lycius est etiam appellatus. Ambiguum autem vocis fecit, ut Lupus Apollini sacer crederetur; ideo Argivi lupos Apollini sacrificabant, quò Sophocles respexit, quum eundem Deum λυκόκτονον in Electrâ nuncupavit, quasi dicas *luporum interfectorem*; idemque [h] populus numismatis lupi formam imprimebat; & Argis fuit forum Lycæum, quod ex eadem causâ nomen accepit, ut ex Electrâ Sophoclis intelligi potest. Sed ut ad Au-
ctorem nostrum revertamur, non confutat 3
hanc historiam, sive fabulam de Romulo a lupâ nutrito [i] Livius, ne receptæ religionis fidem argumentis elevet; quod consilium etiam [l] Straboni, & [m] Justino, & Plinio [n] fuit, qui eam rem magnitudini fatorum, non ferarum naturæ acceptam ferri putat oportere. Et sanè multi longè clarissimi viri a feris, vel ab avibus, quum infantes essent in desertis locis expositi, nutriti memorantur. Nam [o] Semiramidem feminam spoliis totius Orientis illustrem columbæ recens natam dicuntur aluisse; idcirco Syris antiquitus religio fuit columbas occidere, quod [p] Tibullus his versibus testatur:

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?

& Cyrum [q] superiorem a cane, quum esset infans feris objectus, nutritum plerique 4
tradiderunt; Darii [r] quoque equam altricem fuisse Hephæstion memoriæ prodidit; & [s] Hieronem Syracusanum puerum ab omnibus destitutum apes mellis alimento sustentarunt; quod [t] & de Jove traditum est a poëtis, Virgilio [u] teste, qui dixit

Nunc age naturas apibus, quas Juppiter ipse
Addidit, expediam pro qua mercede canoros

Cure-

---

a Tit. Liv. libr. 1. *b* Virgil. Æneid. 9. *c* Plaut. in Pœnul. Act. 3. sc. 3. *d* Scholiast. ad Sophocl. Electram. *e* Macrobius Saturnal. libr. 1. cap. 17. *f* Macrob. ibid. *g* Idem ibid. *h* Scholiastes Sophocl. ad Electram. *i* Tit. Liv. libr. 1. *l* Strabo libr. 5. *m* Justin. libr. 43. *n* Plin. libr. 8. c. 17. *o* Diodor. Sicul. Biblioth. Histor. libr. 3. cap. 2.

p Tibull. libr. 1. Eleg. 7. *q* Herod. libr. 1. cap. 110. Justin. L. 1. Lucian. de Sacrificiis, & Ælianus Var. Hist. l. 12. c. 42. *r* Ptolem. Hephæst. l. 3. apud Phot. in Biblioth. n. 190. *s* Justin. Histor. libr. 23. *t* Serv. ad 3. Æneid. libr. V. *Creta Jovis Magni medio jacet insula Ponto.* *u* Virgilius Georgic. 4.

Curetum sonitus, crepitantiaque æra sequutæ
Dictæo Cœli Regem pavere sub antro

Habin autem [a] Regem Tartessiorum cerva servavit, quæ mammas infanti præbuit, quod & [b] Telepho memorant accidisse. Nutrix etiam [c] Ægisthi fuit capra, Æoli [d], & Boëthi vacca, [e] Hippothoi, & [f] Peliæ equa, ursa Paridis, Antilochi verò canis, Harpalices vacca. Quæ
5 historiæ quoniam Porphyrio breviter attinguntur libro tertio de abstinentiâ ab esu animalium; & is locus non mediocrem ab his historiis lucem mutuatur, eundem in latinum sermonem a nobis translatum subjecimus; sic igitur Philosophus loquitur. *Quisquis autem e Veteribus nutritus est ab animalibus, non tam parentibus, quàm altoribus gloriatur; & alius quidem nutricem jactat lupam, alius cervam, alius capram, alius apes; Semiramis verò columbas, Cyrus canem, Cycnum verò Thrax ille, qui nutritoris nomen tulit.* His historiis adductus fortasse Livius non est ausus veterem fabulam confutare; præsertim quum ratio probabilis possit afferri, cur homines interdum a feris nutriantur; vel enim uberibus lacte distentis belluæ, quò se molesto onere allevarent, infantibus ubera admoverunt; & mutua utilitas homines feris conciliavit eo modo, quo feras inter se jungit ad vitæ societatem. Sic [g] pinnam pinnoteres semper co-
6 mitatur, quia nutritur a pinnâ, ipse verò pinnæ vicem præstat oculorum; nam quum pinna luminibus careat, pandit se se, ut pisciculos capiat; adnatant pisces, nescio qua ludendi dulcedine, implentque patentem pinnam; observat id pinnoteres, & levi morsu pinnam admonet; illa compresso ore pisces elisos necat, partemque socio tribuit: sic trochilus avicula cum crocodilo societatem init, quia trochilus crocodilum periculo mortis liberat, & servat incolumem, excitando dormientem, ubi Ichneumonem videt in eum magno impetu irruentem; & a [h] crocodilo trochilus alitur, dum in os crocodili involat, & reliquias cibi dentibus inhærentes detrahit: sic serpenti cum vulpe convenire dicitur, quia se se invicem ab aquilâ communi hoste defendunt. Quare quum utilitas mutas ani-
7 mantes inter se consociet, potuit & cum hominibus copulare, ut ab ipsis homines alerentur; vel Numinis providentiâ magnarum exordia rerum molientis est factum, ut infantes in clarissimos viros evasuri, quùm exponerentur ab hominibus, mirabiliter alerentur a belluis. Hæc mutis animantibus sensum dedit humanitatis, & pietatem, quam homines exuerant, induit feris; hæc hominum sævas cogitationes eludit, & tristibus initiis lætissimos tribuit eventus: huic nihil arduum est, nihilque magis usitatum, quàm sæva consilia in auctoris caput convertere; sicut hoc Amulii inhumanum, crudele, nefarium consilium convertit in ejus exitium; quem fratris nepotes, quibus molitus fuerat necem, ob hoc ipsum facinus & regno, & vitâ exuerunt. Nec absurdum fuerit affirmare divinum Numen hoc omen esse voluisse futuræ Romuli magnitudinis; quum soleant interdum in claris infantibus indicia quædam futuræ vitæ apparere. Sic [i] Cœlestis ignis capiti Servii jacentis in cunis circum- 8
fusus indicium fuit eximiæ claritatis: sic luscinia, quæ [l] in ore Stesichori infantis cecinit, hominis in pangendo carmine suavitatem indicavit; & [m] formicæ, quæ in ore Midæ frumentum congesserunt, hominis avaritiam, & opes præmonstrarunt; & in Zoroastre [n], quum nasceretur, insolitus, mirusque risus argumentum potuit esse felicitatis, quam Zoroaster erat sapientiæ beneficio consequuturus: & [o] in Numâ puero canities futuram viri prudentiam declaravit: eloquentiam [p] Platonis, & [q] Pindari, quæ in eorum infantium ore apes favos confinxerunt, dicuntur ostendisse: in Mithridatis ortu quarta Cœli pars ardere visa rerum ab ipso gestarum splendorem significavit: in [r] Cyro visa sibi in somnis Mandane ejus mater ex utero vitem producere, quæ totam Asiam obumbraret, indicium fuit Imperii totius Asiæ, quod Cyrus occupavit; Solque visus e manibus Cyri ter elabi triginta annos regni, quibus Cyrus rerum potitus est, indicavit. His de causis arbitror Li- 9
vium vulgi opinionem non refutasse Romulum, fratremque a lupâ nutritos affirmantis, quæ multis Romanorum ritibus comprobabatur; nam [s] ideo inter signa legionum Romani lupos receperunt, quòd Romæ conditor alumnus lupæ crederetur: ideo ficum, juxta [t] quam Romulus, Remusque expositi fuerant, Ruminalem vocabant a rumâ, quæ [u] antiquo sermone mammam si-

gnifi-

[a] Justin. Histor. libr. 44. [b] Ælian. Var. Hist. libr. 12. cap. 42. & Lucian. de Sacrificiis. [c] Ælianus ibid. & Hygin. fab. 87. [d] Hyg. fab. 252. [e] Hygin. ibid. [f] Ælian. Var. Histor. libr. 12. cap. 42. & Apollod. libr. 1. [g] Plin. libr. 9. c. 42. [h] Plin. libr. 8. cap. 25. [i] Cicer. libr. 1. de Divinat. Val. Maxim. libr. 1. cap. 6. Plin. libr. 2. cap. 107. & libr. 36. cap. 27. & Plin. de Vir. Illustrib. cap. 7. [l] Plin. libr. 10. cap. 29. [m] Valer. Maxim. libr. 1. cap. 6. [n] Plin. libr. 7. cap. 16. [o] Serv. ad illud Virg. Æneid. libr. 6. *Nosco crines, incanaque menta*. [p] Ælian. Var. Hist. libr. 10. cap. 21. & Val. Max. libr. 1. cap. 6. [q] Ælian. libr. 12. cap. 45. Philostrat. in Iconibus libr. 2. Pausan. in Bœot. [r] Herodot. libr. 1. Justin. libr. 1. & Valer. Max libr. 1. cap. 7. [s] Plin. libr. 10. cap. 4. [t] T. Liv. libr. 10. & Plin. de libr. 15. cap. 18. [u] Plin. ibid. & Varro de R. R. libr. 2. cap. 1.

gnificabat; a quo vocabulo [a] Rumina, vel Rumia Dea, quæ infantibus præerat, est appellata, [b] cui Romani lacte faciebant; & lactentes agni subrumi, quòd sub rumam, idest mammam essent, Varrone [c] teste, vocabantur. Nec tamen veritatis amicissimus Auctor prætermittit esse nonnullos, qui tradant Laurentiã vulgato corpore inter pastores lupam appellatam (nam meretrices Latinis dicuntur lupæ, Satyrico teste, qui sic [d] ait

Ite quibus grata est pictâ lupa barbara mitrâ;

unde lupanar originem duxit, qua voce significatur locus, ubi meretrices vulgant corpus [e] Juvenalis:

Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem;

& lupari cum [f] scortis rem habere; a rapacitate videlicet [g] scorta lupæ nomen acceperant) ab eâ [h] susceptos, & altos esse Romulum, & Remum; ideo famam obtinuisse Romuli, Remique lupam fuisse nutricem. Eodem [i] modo Jovem Melissi fi-
10 liæ paverunt infantem; sed quia *Apes μέλισσαι* græco sermone dicuntur, ideo proditum Jovem ab apibus melle nutritum: sic Cyro, ut auctor est [l] Herodotus, non canis præbuit mammas, sed mulier, quæ *Spaco* vocabatur, quæ vox *canem* Medo sermone significat; multis enim fabulis ambiguitas nominum locum fecit. Olympiadem Magni Alexandri matrem [m] Hephæstion apud Photium tradit cum milite, qui Draco dicebatur, corpus miscuisse; ex eo natum Alexandrum; unde fabula emanavit Olympiadem cum Jove concubuisse, qui specie draconis delitescebat: ὦα [n] Græcia
11 vetus appellavit superiores ædium contignationes, quæ postea ὑπερῷα sunt appellatæ; quia eâ voce *ova* quoque dicebantur, fama obtinuit Helenam ex ovo natam propterea quod in illâ ædium parte quotidie versari soleret: anus [o] Molossorum linguâ πελειάδες nuncupabantur, sicuti senes πέλιοι; quum oraculum Dodonæum anus duæ ex Ægypto profectæ tenuissent, & cœpissent responsa reddere, ex eo fama profluxit in oraculo Dodonæo columbas [p] futura prædicere. Solebant Veteres nomina fluminum hominibus imponere; cujus moris mentionem facit Silius libro primo, ubi de Rege Tago, quem injustè Hasdrubal interfecit, loquitur: idem indicat [q] Photius, qui tradit Herculem, nisi fallor, Ægyptium, Nilum appellatum. Ex hoc autem more multæ fabulæ originem habuerunt, quæ multos a fluviis procreatos, multa a fluviis gesta esse finxerunt; omninoque abundat his exemplis antiquitas; quapropter minimè mirum est, si vocis ambiguum fecit incertum, utrum sit habenda Romuli nutrix mulier, an fera.

DISSERTATIO XIX.

In ea Livii verba: *Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt &c.*

Templa a tuendo dicta sunt; erant autem loca, quæ augures animo designabant. Primi Phoroneus, & Merops templa, & aras extruxerunt; antiquitus enim sepulcra pro templis colebantur; postea verò heroibus foci, Manibus, & subterraneis Numinibus fossæ, & megara, idest ædes, attributa sunt; hinc explicatur Homerus. Mos sepeliendi Mortuos in templis ab ultimâ origine repetitus est. Germani, & Persæ nefas arbitrabantur parietibus Deos cohibere, quum Deus hunc Mundum sibi pro templo ædificarit. Lævam partem Plinius ex augurum disciplinâ censet Orientem; Septemtrionem verò Livius, & Dionysius Halicarnasseus respectu orantium, qui Orientem spectabant; sed Ægyptii, Homerus, & Aristoteles lævam partem esse Occidentem putabant; ideo lyricus chorus, qui quum strophas caneret, motum inerrantium stellarum ab Oriente in Occidentem repræsentabat, movebatur a dextrâ in sinistram; quum autem antistrophas, a sinistrâ in dexteram, quia errantium siderum motum ab Occidente in Orientem imitabatur; demum quum epodos caneret, consistebat Terræ stabilitatem significans; Auctor autem libri de Mundo lævam esse Meridiem probat; ex qua sententiâ facilis est Lucani interpretatio; & ex his intelligitur, quæ sint partes anticæ, & posticæ. Fulgura, & tonitrua a lævâ parte auspicatissima. Quæ nam essent Numina læva. Dionysius Halicarnasseus tradit Romulo, quum regnum esset suscepturus, auspicium fuisse fulgur a lævâ; duodecim verò vultures Livius. Augures avium alias dicebant Oscines; Alites alias, quæ dividebantur in Præpetes, & Inebras. De augurum dignitate, & numera.

PRincipia rerum agendarum a Deo optimo maximo esse ducenda, nihilque gerendum, quod non divinæ illi sapientiæ probaretur, quum Antiqui viderent, antequam aliquid negotii susciperent, explorandam sibi du-

[a] D. August. de Civ. Dei libr. 6. cap. 8. & Plutarch. Probl. cap. 57. [b] Plutarch. ibid. & Varro de Re Rust. libr. 2. c. 11. [c] Varro de R. R. libr. 2. c. 1. & cap. 11. [d] Juven. Sat. 3. v. 66. [e] Juv. Sat. 6. v. 231. [f] Non. Marcellus. [g] Isidor. l. 10. [h] T. Liv. libr. 1. [i] Lactant. Firm. libr. 1. de Fals. Rel. cap. 22. [l] Herod. libr. 1. cap 110. [m] Hephæst. libr. 3. apud Phot. Biblioth. 190. [n] Athen. l. 2. [o] Servius ad Eclog. 9. Virgil paulo post princip. [p] Herod l. 2. Strabo l. 7 Dion. Halic. l. 1. & Ov. Metam. l. 13. [q] Hephæstion l. 2. apud Photium Biblioth. n. 190. & Cic. libr. 3. de Nat. Deor.

bi ducebant Numinis voluntatem; & quoniam a Majoribus acceperant avium occen-
1 tu, volatuque, & fulgurum, fulminumque monitu, & extis victimarum Deorum immortalium mentem præcipuè declarari, nullam rem majoris momenti aggrediebantur, quin priùs auspicia captassent, & aves consuluissent. Hujus exemplum rei in Auctore nostro reperitur, qui Romulum, & Remum tradit, quum inter se de Regno disceptarent, augurio litem diremisse, & Romulum auspicatò Regnum suscepisse; his autem verbis clarissimus Auctor exponit hanc [a] historiam: *Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt; priori Remo augurium venisse fertur sex vultures; jamque nunciato augurio quum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumque Regem sua multitudo consalutaverat; tempore illi præcepto, at hi numero avium Regnum trahebant.* Quæ verba ut illustremus, nobis convenit explicare, quidnam sit templum capere, & quid templum antiquitus diceretur, & quanta fides auguriis apud Antiquos fuerit, & quomodo Romulus augurium peregerit. Templum a tuendo esse dictum [b] Var-
2 roni placet; qua de causâ Cœlum a poëtis templum est appellatum; sic vetus [c] Poëta Cœlum vocat in hoc versu:

Unus erit, quem tu tolles ad cærula Cæli
Templa....

Eodem modo, & Inferi Acherontis templa dicuntur a poëtis; cujus rei testis est Poëta tragicus apud Ciceronem libro secundo Tusculanarum [d] quæstionum:

Acherusia templa alta Orci
Pallida, obnubila, obsita tenebris loca

& Lucretius, qui sic [e] ait:

Et si præterea tamen esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus edens.

Quum autem a tuendo templum diceretur;
3 ideo [f] augures loca, quæ conspectu finivissent, templa appellabant; sumpto quippe lituo (is autem fuit baculus a summo leviter inflexus) augur peragebat verbis, intra quos fines mitti sibi vellet augurium. Constituebat autem pro terminis arbores, ut ex verbis [g] Varronis intelligi potest; quibus ille testatur augures uti solitos in templis designandis; quæ, ut Scaliger emendat, sunt hujusmodi *tesca damecta sunto quoad ego casdè linguâ nuncupavero; olla veter arbor, quisquis est, quam me sentio templum, tectumque esto in sinisterum: olla veter arbor, quisquis est, quidquid est, quod me sentio dixisse, templum, tectumque esto in dexterum.*

Illud etiam observabatur, ut locus, unde augur templum finiebat, esset hujusmodi, ut nulla res auguris prospicientis aspectum posset impedire; quapropter loca edita eligebantur; ideo Romulus Palatinum, Remus Aventinum colles ad inaugurandum templa ceperunt. Ex his ergo constat templum capere apud Livium non aliud esse, quàm locum, ubi quis augurio agendo regiones determinet, atque designet, capere; nec aliud esse templum, quàm spatium animo, visuque definitum, & Numini alicui dedicatum. Quare non oportet commoveri,
siquando legimus templum dicatum, neque 4
ædem protinus Deo conditam; vetustissimis nimirum temporibus non superbas in honorem Deûm moles extruebant, sed agros consecrabant. Quocirca templa sunt Græco [h] sermone τεμένη appellata a verbo τέμνειν, quod significat *seco*; id autem perinde est, ac si dicas loca abscissa ab aliis, & separata, quæ poëtæ Græci etiam ἄλση nuncupant; nam licet ἄλσος *lucus* propriè dicatur, tamen, Strabone teste, poëtæ suo more eo vocabulo abutuntur ad significandum quodlibet spatium Deo consecratum. [i] Principes
Phoroneus, & [l] Merops dicuntur templa 5
Diis constituisse, & aras erexisse; sed initio etiam sepulcra pro templis colebantur; immo quædam templa nihil aliud, quàm sepulcra fuerunt; ideo [m] Clemens Alexandrinus putat Larissæ in Minervæ delubro sepulcrum Acrisii fuisse; & Athenis [n] in arce parentatum Cecropi; Erichthonio verò in templo Poliadis monumentum constitutum; sicut Immarado in templo Cereris Eleusiniæ; Hyperoche, & Laodice in insulâ Delo in Artemisio sepultæ perhibentur; aliaque templa defunctorum cineri, & cultibus patuerunt; ut mirari non possimus tanquam novum morem, qui superioribus sæculis vulgò increbuit, sepeliendi mortuos in templis; est enim ab ultimâ vetustate repetitus. Nec minùs intelligi potest, cur sepulcra templi nomine a poëtis honestentur, ut notat Nonius [o] Marcellus, quo in loco recitat illos Virgilii [p] versus:

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat.

Nam forsitan Priscis non satis ex dignita-
te Deûm visum est septa parietibus loca 6
Cœlesti Numini dedicare; sed ea Manibus consecrabant, quasi domos quasdam mortuorum; sed quum antiquato vetusto ritu Diis templa cœpissent erigi, aræque religiosè constitui, tunc, Porphyrio teste, heroibus

---

[a] T. Liv. libr. 1. [b] Varr de L. L. libr. 6. [c] Ennius Annal. libr. 1. apud Varr libr. 6. de L. L. [d] Varro libr. 9 de L. L. aliter hos versus refert. [e] Lucret. libr 1. [f] Cicer. de Divinat. libr. 1. T. Liv. libr. 1 Plutarch. in Vit. Romuli, & Serv. ad Ecl. 9. Virg. v. *Ante sinistra cavâ &c.* & ad libr. 6. Æn. v. *Ipsa sub ora viri &c.* [g] Varro de Ling. L. libr. 6. [h] Voss. Etymol. in v. Contemplari. [i] Hyg. fab. 237. [l] Clem. Alex. in Protr. [m] Clem. Al. ibid. [n] Idem ibid. [o] Non. Marcell. cap. 6. num. 9. [p] Virgil. Æneid. libr. 4.

bus foci, Manibus, & subterraneis numinibus fossæ, & megara, ideft ædes, funt attributa. Qui Porphyrii locus apertè nos docet, cur apud Homerum Inferos aditurus, manesque placaturus foveam Ulysses fodiat. Neque tamen etiam consequutis temporibus gentes defuerunt, quibus indignum majestate Numinum videretur parietibus, & tecto divinum cultum continere; siquidem Germanos testatur [a] Cornelius Tacitus nefas existimasse cohibere parietibus Deos; lucos, & nemora Cœlestibus consecrasse, & Deorum nominibus appellasse; & in [b] monte Carmelo Syri Deum colebant, cujus nullum templum, nullumque simulacrum visebatur; & Persæ [c] Diis immortalibus templa condere scelus arbitrabantur. Idcirco [d] Xerxes quum in Græciam venisset, Magorum suasu templa Græcorum dicitur inflammasse, quæ Græci instaurare noluerunt; ut ita semiusta accenderent animos hominum in eam nationem, quæ vel templis Deorum non pepercisset; quum tamen Persæ non impietate, sed patriâ religione ducti delubris ignes admovissent. Existimabat nimirum a sapientiæ studiis non aliena
7 natio non esse dignas Deo manibus hominum constructas moles; & ædificia angustis inclusa parietibus tantam non capere majestatem; quum ipse Deus hunc [e] Mundum augustissimum, ornatissimum, pulcherrimum templum sibi ædificarit; in eoque Solem simulacrum lucidissimum posuerit suæ divinitatis; reliqua templa vetustate collabi, hominum vi, casuque prosterni, inundationibus, & terræmotibus labefactari; hoc unius, & immortalis Dei unum, & immortale templum esse non signis manu factis refertum, sed ipsius immensâ majestate [f] plenissimum;

..... *Deum namque ire per omnes*
Terrasque, tractusque maris, Cœlumque profundum

& sapientibus placuit, & poëtæ verissimè cecinerunt. In hac sententiâ non Persæ tantùm fuerunt; sed & Zeno [g] Stoicæ sectæ conditor in libro de Republicâ vetat templum Deo condi, aut statui simulacrum;
8 & augurum [h] disciplina, quæ templum hoc in quatuor divisit partes, lævas ad Orientem esse voluit, dexteras ad Occidentem, anticas ad Meridiem, posticas ad Septemtrionem; idcirco tonitru a lævis auditum partibus, & fulmen ab iisdem ruens auspicatissimum habebatur; quo sensu Virgilius [i] dixit:

Intonuit lævum, & de Cœlo lapsa per umbras
Stella facem ducens multâ cum luce cucurrit

& [l] Ennius:

Quum tonuit lævum bene tempestate serenâ

Et Plinius [m] refert ab Oriente fulmen profectum, quum in Orientem concesserit, maximæ felicitatis argumentum esse; quod genus dicitur [n] Syllæ fortunæ felicitatem summam portendisse. Atque haud scio, an quia partes Orientis, quæ lævæ habentur in auguriis, essent auspicatæ, & summam rerum prosperitatem indicarent, ideo Virgilius læva Numina appellet ea, quæ rem fortunant, & ad exitus optatos, bonos, felicesque perducunt, ubi [o] sic ait:

.... *si quem*
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo

Quamquam [p] alii id dictum acceperunt de Numinibus, quorum maligna via, atque natura est placanda, ne noceat, ne sit impedimento, ne adversetur; sed, utut ea se res habet, in auguriis certè, quæ læva se ostendebant, præstantissima judicabantur, præcipueque fulgura, & fulmina. Hujusmodi auspicium & Romulum captasse, 9
quum regnum esset suscepturus, & fulgur a lævâ emicuisse Dionysius [q] Halicarnasseus refert; idemque [r] moris tradit ceteris fuisse Romanis, quum essent inituri magistratum; sed [s] postea vetustate rem obsolevisse, & dumtaxat imaginem quandam moris antiqui remansisse; nam Auroræ [t] exortu surgere candidatos, & quasdam preces peragere sub dio; adesse verò aliquem ex augurum collegio, qui fulgura sinistrâ, quamvis nullum apparuerit, nunciet. Hoc auspicio usum Romulum, quum esset regnum suscepturus, Dionysius [u] tradit; Livius [x] autem non fulgur, sed duodecim vultures memoriæ prodidit se Romulo ostendisse, quod felicissimum credebatur augurium; nam [y] Herculem quoque gavisum ferunt, si quando aliquam rem aggredienti vultur apparuisset. Hujus rei Plutarchus [z] reddit ratio-

[a] Corn. Tac. de Mor. Germ. [b] Corn. Tac. l. 2. n. 78. Hist. [c] Herod. libr. 1. c. 131. Strab. libr. 15. [d] Cic. libr. 2. de Leg. [e] Macr. in Somn. Scip. libr. 1. c. 14. [f] Virgil. Georg. libr. 4. [g] Diog. Laërt. libr. 7. segm. 33. in Vitâ Zenon. & Plutarch. de Stoicorum repugnantiis, Origen. contra Celsum libr. 1. Clem. Alex. Stromat. libr. 5. & Theodoritus serm. 3. [h] Varro libr. 6. de L. Lat. non multo post princip. Plin. libr. 2. cap. 54. & Dion. Halic. libr. 2. cap. 1. [i] Virgil. Æneid. libr. 2. [l] Ennius libr. 1. Annal. apud Cicer. libr. 2. de Divinatione.

[m] Plin. libr. 2. cap. 54. [n] Plin. ibid. [o] Virgilius Georgic. libr. 4. in princ. [p] A. Gell. libr. 5. cap. 12. [q] Dionys. Halicarn. libr. 2. cap. 1. [r] Cicer. libr. 2. de Divinat. [s] Cic. ibid. & libr. 2. de Leg. & Dionys. Halicarn. libr. 2. cap. 1. [t] Dion. Halicarnass. ibid. [u] Dion. Halic. ibid. [x] Tit. Liv. libr. 1. [y] Plutarch. ex Herodot. Quæst. Roman. [z] Plutarch. ibid.

tionem, quod vultur nihil eorum lædat,
10 quibus homines vescuntur, fruunturque, neque animal attingat, nisi mortuum; ideoque nulli animantium damnum, aut perniciem afferre videatur; ad hæc perquam rarò conspiciatur, ut videri possit a Deo missus; non ergo mirum, si ea avis Romulo omnia præclara visa est portendere. Nam avium apud Veteres in divinatione ingens auctoritas; earum duo genera Oscines, & [a] Alites; Oscines, quæ cantu augurium faciebant, ab occinendo sic appellatæ [b] Horatius:

Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu

Alites autem, quæ volatu; quæ rursus in Præpetes, & Inebras dividuntur; Præpetes, quæ auspicantem præcedunt, omenque firmant; Inebræ [c], vel Inibræ, quæ adversæ feruntur, & impedimento sunt rebus; dicuntur etiam [d] Servio teste Præpetes, quæ superiora petunt, quæ verò inferiora, Inferæ. Vultures igitur, quos vidit Romulus, Alites fuerunt, & Præpetes, nam volando augurium fecerunt; ideo Propertius [e] cecinit:

Ire palatinas non bene vidit aves.

Quod erat inprimis adnotandum, ut sciri posset, quomodo peractum sit augurium, quod hoc loco narratur a [f] Livio. Ceterùm,
11 quod diximus Orientis partes esse lævas videtur adversari Livio, apud quem eo loco, ubi Numa captat augurium, augur partes ad Meridiem esse dexteras jubet, lævas ad Septemtriones. In eo autem non consentiunt Auctores; nam Plinius Etruscorum [g] disciplinam sequutus in quatuor partes dividit Mundum, quarum primam a Septemtrione ad æquinoctialem exortum pertinere tradit; secundam ab æquinoctiali ad meridiem; tertiam, a meridie ad æquinoctialem occasum; quartam ab eodem ad Septemtrionem; singulas autem quatuor partium in quatuor partes dividi rursus, effici que sexdecim partes; quarum octo, quæ pertinent ad Ortum, sint lævæ; octo quæ pertinent ad Occasum, sint dexteræ. Sed Dionysius [h] Halicarnasseus videtur cum Livio consentire, vel potiùs a se ipso dissentire; nam quum statuat Orientis partes esse lævas, eò sermone delabitur, ut dicat, quia orantes Orientem spectare debeant, partem videlicet Mundi nobilissimam, unde initium motus; & quia Orientem spectantibus a lævâ sint Septemtriones, Septemtriones Mundi partem esse lævam; quoniamque Oriens Occidente præstantior, & Septemtrio Meridie (nam Arcticus vertex semper attollitur, deprimitur contrarius) ideo præstantissimas esse partes Orientis, quæ pertinent ad Septemtriones. Hanc rationem Livius sequutus boreales Mundi partes lævas esse dixit, & omnium præstantissimas; sed Plinius cum Dionysio Halicarnasseo concillari potest, si dicamus Plinium Orientem Mundi lævam appellasse partem, respectu ipsius Mundi, & ex augurum disciplinâ, quæ ita statuebat; Dionysium, & Livium lævas affirmasse partes boreales respectu orantium, qui ad Orientem convertebantur. Sed ab hac opinione dissentiebant Ægyptii; qui Meridiem 12
cœlestibus Diis attributum arbitrabantur, ob eamque causam tempus meridianum Deo putebant consecratum; & meridie templa non introibant, propterea quia eo tempore templa soli Deo patere censebant. Horum sapientiâ Homerus eruditus meridiem esse Mundi faciem confirmavit; itaque partes Orientis dexteras esse censuit, lævas Occidentis; id lyricus chorus occultè significabat, qui quum strophas canebat, a dexterâ in sinistram movebatur; quum autem antistrophas, a sinistrâ in dexteram, quum epodos verò, consistebat; motus quippe chori, qui primus erat a dexterâ ad lævam, motum siderum inerrantium exprimebat ab Oriente in Occidentem; motus a lævâ ad dexteram errantium siderum motum, ab Occasu in Ortum; quies autem chori epodos concinentis, Terræ stabilitatem in medio quiescentis. Nec verò hujusmodi sententia populari consensu tantùm 13
nitebatur, sed philosophorum etiam rationibus, quas Aristoteles affert libro secundo περὶ οὐρανοῦ; Mundum quippe esse animans omnes animantes intra se complexum; animantes verò universas dexteras, & sinistras habere partes; & dexteras esse quidem, unde incipit a loco in locum motus, sinistras verò contrarias; siquando autem Cœli motus incepisset, ab Ortu fuisse profectò inceptum; ex quo consequatur Orientis partes esse dexteras, lævas Occidentis. Sed Auctor ille, qui librum de Mundo conscripsit, qui sub Aristotelis nomine circumfertur, eodem usus argumento, quod sit Mundus animans, ait in eo partes anticas, & posticas concedi oportere; item dexteras, & sinistras; inferas, & superas; sed in animanti postica esse, unde animans movetur, antica, quò movetur; & in Mundo igi-

[a] Cicer. de Nat. Deor. libr. 2. & de Divinat. libr. 1. & Epist. 6. libr. 6. ad Cecinnam, & Plin. libr. 10. cap. 19. Aliter has distinxit Serv. ad libr. 1. Æn. Virgil. v. *Aspice bis senos lætantes agmine cycnos*, & ad libr. 3. Æneid. v. *Et volucrum linguas &c.* [b] Horat. libr. 3. Od. 27. [c] Festus. [d] Servius ad Æn. libr. 3. v. *Et volucrum linguas &c.* A. Gell. l. 6. c. 6. [e] Prop. l. 4. El. 6. [f] T. Liv. l. 1. [g] Plin. libr. 2. cap. 54. [h] Dionys. Halicarn. libr. 2. cap. 1.

do igitur Orientem, unde motus oxordium, posticarum partium loco asse; Occidentem anticarum; sinistræ Meridiem; dextræ Septemtrionem locum obtinere. Quo constituto liquet, quid sibi [a] Lucanus voluerit, quum dixit:

Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.

Quum enim in eâ Arabiæ parte, quæ ultra Cancri circulum sita est, tempore æstatis umbræ jaciantur in meridiem, hoc est in partes lævas, jure mirabantur Arabes, quum in nostrum venissent orbem, ubi umbræ jaciuntur in Septemtrionem, umbras nemorum non ire sinistras, hoc est in meridiem non jaci. Atque hæ fuerunt a philoso-
14 phis usurpatæ divisiones; illa verò vulgò celebratior, quam augurum fuisse diximus, propter summam augurum apud Romanos auctoritatem. Siquidem tanta fuit hujus collegii dignitas, & amplitudo, ut viri amplissimis honoribus functi augurum disciplinæ præessent, initio a Romulo ducto, qui [b] optimus augur fuisse perhibetur; nullaque res majoris momenti gereretur, ubi aves non addixissent; & primarios viros auguratus artem exercuisse vel ex eo potest intelligi, quòd [c] Cicero cum Pompejo, & Quincto Hortensio gessit auguratum; & Germanicus Cæsar auguratu præditus fuit, ut [d] Cornelius Tacitus memoriæ prodidit. Neque id sacerdotium antiquitus nisi hominibus, qui [e] multum ætate jam processerant, & summos magistratus gesserant, mandabatur. Quapropter in Fabio Maximo tanquam summæ senectutis argumentum Livius [f] adnotat annos duos; & quadraginta augurem fuisse. Neque iis mandabatur id sacerdotium, qui ære alieno oppressi non essent solvendo; constat id ex Cicerone, qui secundâ Philippicâ confirmat Antonium non potuisse petere auguratum, quia solvendo non esset. Neque augurum multitudine auguratus dignitas vulgabatur; nam [g] initio tres tantum
15 augures fuisse accepimus, ut singulis tribubus singuli augures tribuerentur; postea verò, quamvis esset auctus numerus [h] tribuum, & triginta quinque tribus censerentur; novem duntaxat [i] augures creari placuit usque ad [l] Syllæ tempora, qui quindecim creari voluit; qui numerus augurum semper postea mansit. Ii, quum candidati in magistratum inibant, statuebant candidatos velato capite; lituus erat in manu, quo regiones eo modo, quo diximus, definiebant, & peractis precibus auguria observabant; atque hoc modo Romulus auspicatò regnum suscepit, de quo nos esse dicturos polliciti fueramus.

DISSERTATIO XX.

De Insignibus, quibus Romulus regiam majestatem augustiorem fecit.

Rectiùs omnino sensisse Livium conjectare licet, qui Romulum, dum Regni Insignia, fascesque, & lictores assumpsit, prudentissimè egisse censet, quàm Plutarchum, qui superbiâ elatum fecisse existimat. Vononem Parthi, quod non fastu, sed obviâ in omnes comitate uteretur, regno privarunt. Tigranes administris Regibus utebatur, & quatuor ex eis servientium habitu ipsi jus dicenti astabant.

Romulum [a] Plutarchus Auctor alioquin gravissimus tradit secundis rebus elatum animi moderationem, qua initio regni fuerat usus, extremo vitæ tempore servare non potuisse; & cum multa superbiùs, insolentiusque fecisse, tùm habitu, cultuque corporis insigniorem se se reddidisse, & duodecim lictores cum fascibus, & securibus apparere sibi jussisse; ob eamque causam a Patribus, qui superbiam ipsius ferre non possent, interfectum. Ego verò, pace dixerim tanti viri, non existimo superbiæ Romuli tribuendum, quod ille Imperii majestatem summæ potestatis Insignibus fecerit augustiorem; sed potiùs prudentiam tanti Regis admiror, quòd quum ingentium virtutum, rerumque gestarum gloriâ se se prudentibus venerabilem præstitisset, etiam inanium specie valere apud multitudinem imperitam voluerit. Nam si in commentitiâ illa Platonis Republicâ, quam ex sapientibus, pleneque perfectis hominibus constare sapientissimus ille philosophorum finxit, tale quippiam Romulus designasset, reprehensione dignus meritò duceretur. Quum enim Sapientes non rebus externis, & ambitioso magnæ fortunæ appa-

---

[a] Lucan. libr. 3. Pharsal. [b] Cicer. de Divinat. Tit. Liv. libr. 1. & Plutarch. in Vitâ Romuli. [c] Cicer. in Bruto in princip. [d] Cornel. Tacit. Ann. libr. 2. n. 83. [e] Idem Histor. libr. 1. n. 77. [f] Tit. Liv. libr. 30. aliter Plin. libr. 7. cap. 48. & Val. Max. libr. 8. cap. 14. [g] Tit. Livius libr. 10. [h] Cicer. Orat. 2. de Lege Agrariâ, in Verr. 3. T. Liv. libr. 1. Val. Maxim. libr. 2. cap. 4. & Plutarch. in Vitâ Tiberii Gracchi. [i] T. Liv. libr. 10. [l] Luc. Flor. in Epit. Tit. Liv. libr. 89. [m] Cic. libr. 2. de Leg. & libr. 2. de Divinat. & Dion. Halicarnass. libr. 2. [n] Plutarch. in Vitâ Romuli.

apparatu, ſed internis animi bonis, & virtutum ſplendore, ac pulchritudine moveantur, nihil opus certè fuiſſet ad conciliandam Regi populi venerationem, oculos inanibus regiæ poteſtatis Inſignibus, & purpuræ fulgore perſtringere. Sed quum in eâ civitate regiam dignitatem nactus eſſet, quæ ex hominum genere conſtaret magnâ ex parte agreſti, & imperito, nemo vitio jure verterit præſtantiſſimo Regi, ſi populum, qui inania, & ſpecioſa plerumque miratur, hac etiam ratione in officio continere aggreſſus ſit; & legum majeſtatem, quas ipſe ſanxerat, majorem efficere, auguſtioremque, augendo ſuam, molitus ſit. Quamo-
2 brem, quid de hoc Romuli facto [a] judicarint,

Qui tunc vivebant homines atque ævum agitabant,

neſcio; illud certè me poſſe video ſine ullâ dubitatione defendere conſilium tanti Regis ex omni parte laudandum fuiſſe; quin etiam, ſi quis in tam obſcuria, & vetuſtate ſepultis rebus conjecturæ locus, neque eo tempore, quo res agebatur, nimis inſolens, aut ſuperbum Romuli factum viſum fuiſſe crediderim. Nam ſi intolerandum oculis Romanorum ſpectaculum fuiſſet, videre Regem purpurâ indutum, ſtipatumque lictoribus, & lictores ipſos cum faſcibus turbam ſubmoventes; atque ea res Romulo exitii cauſam attuliſſet, nunquam profectò id conſilium, quod pernicioſum Romulo fuiſſet, conſequuti Reges uſurpaſſent; præſertim ille, qui maximè omnium moderatus, & ab omni arrogantiâ alienus habitus eſt, Numa [b] Pompilius Romuli ſucceſſor non tam poteſtate Romanæ Rex civitatis, quàm virtute, & ſapientiâ princeps; neque ſi maximè Reges judicia Patrum, & populi contempſiſſent, eadem deinde Conſules contemnere potuiſſent, & [c] Brutus, & Lucretius, quibus auctoribus ſuperbiæ Regum obviam itum eſt; qui certè nunquam iiſdem, quibus illi regni, conſulatus eſſent uſi Inſignibus; ſi id ſuperbum, intolerandumque etiam in Regi-
3 bus videretur. Quamobrem rectiùs, ut opinor, Livius [d] de Romulo judicavit; qui non illum tradit ſuperbiâ elatum purpuream tunicam, & prætextam purpurâ togam induiſſe, & duodecim lictores præcedere ſibi voluiſſe; ſed ut legum, quas tulerat, majeſtatem augeret, dum ſe venerabilem ſummi imperii Inſignibus facit; verba ſcriptoris florentiſſimi ſunt hæc: *vocataque ad concilium multitudine, quæ coaleſcere in populi unius corpus nullâ re, præter quam legibus, poterat, jura dedit, quæ ita ſancta generi hominum agreſti fore ratus, ſi ſe ipſe venerabilem Inſignibus imperii feciſſet, cum cetero habitu ſe auguſtiorem, tum maximè lictoribus duodecim ſumptis fecit*. Quibus in verbis adnoto Romulum non ſuperbiâ, ſed conſilio, habitu, & aliis Inſignibus auxiſſe regiam majeſtatem; neque id facturum fortaſſe fuiſſe, ſi prudentiorem populum, aut moribus cultiorem nactus eſſet; qualis fuit Græcorum natio, quæ magnitudinem Regum virtute, non faſtu metiebatur, offendebaturque eorum inſolentiâ; ſed apud imperitos, & bonarum artium expertes id prudentiſſimè inſtituiſſe. Nam, ut idem notat, apud homines agreſtes, & rudes nihil interdum tam validum eſt, tamque potens, quàm externa ſpecies, & pompa rerum, quibus magis vulgus hominum commovetur, quàm admiratione virtutis. Quod a 4
Livio veriſſimè dictum intelligemus, ſi reputabimus apud Barbaros, qui imperiti bonarum artium fuerunt, honori ſemper fuiſſe immodicum luxum, ſuperbiamque, & arrogantiam, & inſanam aulæ magnificentiam Regibus popularium animos mirificè conciliaſſe. Quocirca [e] Cornelius Tacitus memoriæ prodidit Vononem Regem Parthorum, quòd Romæ educatus Barbarorum vitia exuiſſet, & obviâ in omnes comitate uteretur, facilemque ſe ſe, moderatumque præberet, contemptui Parthis habitum, regnoque privatum fuiſſe. Barbari nimirum faſtum pro virtute habent, & in aliorum contemptu potentiam ponunt; & nihil excelſum, magnificumque arbitrantur, niſi quod æqualitatem, moderationemque excedit; ex quo licet animadvertere barbaros omnes Principes incredibili oſtentatione potentiæ ſemper uſos fuiſſe. Quocirca [f] Tigranem accepimus Armeniæ Regem tantâ elatum ſuperbiâ, ut adminiſtris Regibus uteretur; & quatuor circa ſe tanquam ſtipatores habuerit, qui jus dicenti manibus inter ſe conſertis aſtarent, qui ſervientium habitus abjectiſſimus habebatur; & ſine regiis Inſignibus equitantem pedites ſequerentur.
Reges autem Indorum [g] quum prodibant, 5
cultu Deorum affici ſolitos memoriæ proditum eſt; ſiquidem miniſtri complures cultu corporis maximè inſignes cum argenteis turibulis lecticam ſtipabant, qua Rex vehebatur; & iter omne, quacumque ille geſtabatur, ture, pretioſiſſimorumque ſuffitu odorum vaporabant; ipſe ingens viſu, vultuque, & toto corpore ſuperbiam maximè præferens, ornatu tanto, quantum Barbarorum

[a] Ennius apud Cicer. de Seneɕt. [b] Plutarch. in Numâ, & Tit. Liv. libr. 1. [c] T. Liv. ibid. & Plin. de Vir. Illuſtr. cap. 10. [d] Tit. Liv. libr. 1. [e] Corn. Tac. libr. 2. Ann. in princ. [f] Plutarch. in Vit. Luculli. [g] Cæl. Rhod. libr. 8. cap. 2.

rorum absurdæ luxuriæ conjuncta superbia excogitare maximum potuit, se visendum populis venerantibus, & ad omne obsequium se submittentibus præbebat.

DISSERTATIO XXI.

De consilio Romuli, quo sumptis Insignibus Regni auxit regiam majestatem.

Romulus primus in Europâ regiam auxit majestatem. Ante Perdiccam Regum uxores panem conficiebant. Cella erat super caput Regis Persarum, in qua quinque millia aureorum talentorum recondebantur, & Cervical Regis dicebatur; sub pedibus verò tria millia asservabantur, & Scabellum vocabatur; crater etiam aureus erat, ex quo solus Rex, ejusque filius natu maximus bibebat. Crœsum Cambyses, & Demaratum Darius interfici jusserunt ob consilium salutare quidem, sed abhorrens ab eorum voluntate. Tachos Ægyptiorum Rex Agesilaum claudum, & exiguâ staturâ derisit; quare ab eo regno spoliatus est, qui opem ei laturus advenerat. Ptolemæus Ceraumi cognomine gloriabatur. Sapor Lunæ, Solisque fratrem se appellabat.

Consilium Romuli, quo duodecim lictoribus, tunicaque purpureâ, prætextaque purpurâ togâ conspectiorem fecit regiam majestatem,
quod accusante Plutarcho [a], Livio [b] approbante suscepimus hesterno die defendendom, eo magis admiratione dignum existimo, quòd Romulus videtur in Europâ primus dum inprimis excogitasse rationem, qua regia dignitas augustior appareret. Nam He-
1 rodotus [c] tradit ante Perdiccam, qui multis annis post Romulum regnavit, Macedoniæ Reges vitam coluisse tam parum a vulgi victu, & consuetudine abhorrentem, ut Regis uxor panem ipsa conficeret; & operis, quas vir conduxerat, cenam appararet. Ante Romulum verò adeo in regiâ fortunâ nihil splendidum fuit, aut magnificum, ut Reges cenam sibi ipsis procurarent; qua de causâ Homerus inducit Achillem, & Patroclum hospitibus ministrantes, & statuit ad cyathos Menelai filium Megapenthem; Nausicaam verò Alcinoi Regis Phæacom filiam, ut vestes lavaret, ex urbe cum ancillis exeuntem; Ulyssem verò gloriantem facit sese & ligna secare, & ignem accendere, & scissoris optimè fungi scire ministerio; quod in Homero Julius Scaliger sine causâ immodicè reprehendit; quum eâ tempestate nihil hujusmodi Regibus esset indecorum; & hæc, prout est usus, & consuetudo, vel turpia, vel honesta habeantur. Consuetudo autem ferebat, ut Reges obirent ea munera, quæ nunc homine libero indigna videantur; qui a populis creati justitiæ fruendæ causâ leges quidem tuebantur, scelera suppliciis coërcebant, res bellicas administrabant; in ceteris nihil eminens habebant, nihil præclarum, nec privatam fortunam regale fastigium excedebat.
Sed Romulus primus vidit, aut inprimis, 2
principatum etiam inanibus valere; neque posse legum, quas tulerat, auctoritatem sanctam esse, nisi lator earum venerabilis haberetur; & sibi quidem vel avo a fraternâ injuriâ vindicato, vel Urbe conditâ, & legibus temperatâ, vel finitimis omnibus profligatis, satis partum veræ gloriæ; unum deesse internis animi bonis, & solidis laudibus affluenti externum quemdam splendorem, speciemque dignitatis assumere; eam porrò sibi comparandam. Non enim Populum Romanum regebat talem, qualis postea fuit, qui, Tacito teste, vim magni faciebat, inania transmittebat; sed colluviem pastorum, sed e finitimis populis affluentem cujusquemodi plebem. Nam quamquam Dionysius [d] Halicarnasseos, Plutarchusque [e] conetur ostendere primos Romæ colonos fuisse Pelasgos, & Arcades, & alios Græcos honestâ origine, nec ingeniis absonis; tamen inficias ire non possumus ad Urbem condendam omnis generis plebem confluxisse; ea rudis bonarum artium, agrestis, & barbara etiam inanium admiratione erat ad obsequium sui Regis pertrahenda; nam rudes homines his præcipuè rebus commoventur; ideo barbaros Reges diximus semper usos regali magnificentiâ, aulæque splendidissimo apparatu, & fortunæ suæ pompâ, cultuque mirifico, & superbiâ, fastuque erga populares; quæ apud eruditiores, cultioresque nationes odio semper laboraront. Quo consilio Cy-
rum superiorem accepimus Asiæ regnum 3
consequutum, quibus rebus poterat, Barbaros ad sui coltum, venerationemque perpulisse; nam [f] quà Cyrus curru vehebatur, populus arcebatur, patentesque viæ transeunti Regi præbebantur; ipse verò progrediebatur cum rectâ tiarâ, indutus tunicâ porpureâ, albo distinctâ, quàm nemini licebat usurpare; ipsius verò currum quum

mode-

a Plutarch. in Vitâ Romuli. b Tit. Livius libr. 1. c Herodot. libr. 8. cap. 138. d Dion. Halicarn. libr. 1. e Plutarch. in Vitâ Romuli. f Xenoph. de Instit. Cyri libr. 8.

moderaretur auriga procerâ staturâ, ipse ita collocatus erat, ut procerior videretur, quem præcedebant duo millia hastatorum; exinde tauri ducebantur Jovi, aliisque Cœlestibus immolandi; deinceps equi Solis, currusque Jovis cum jugo aureo, qui candidis equis trahebatur; hunc Solis currus, equis albentibus aureo jugo sequebatur; post quem alius currus, quem purpurâ intecti equi trahebant, quo sacer ignis, quem adorabant Persæ, vehebatur; post ipse Cyrus, pone trecenti sceptrum ferentes. His adjungebantur equi ducenti, qui nullum alium, quàm Cyrum, sessorem noverant, aureis frenis, insignes; præterea duo millia militum contis armatorum, quos consequebantur equitum quadraginta millia; præterea Medorum, Armeniorum, Sacarum, Hyrcanorum, Cadusiorumque equitatus; atque omnes hi vestitu luculento, splendidoque corporis fulgebant ornatu. Huic autem adeo magnificæ pompæ a Cyro
4 institutæ & reliqua congruebant; nam & in solio aureo Persarum Reges jura dicebant, circa quod columnæ quatuor aureæ pretiosissimis distinctæ gemmis consurgebant; super torum Magni Regis aurea vitis gemmis ornata lucidissimis ramos diffundebat, cujus racemi e pretiosissimis lapillis constabant; superque caput Magni Regis cella quædam, in qua quinque millia aureorum talentorum recondebantur, quæ cervical Regis vocabatur; sub pedibus verò tria millia talentorum asservabantur, & scabellum ejusdem dicebatur; non procul autem crater aureus erat constitutus, ex quo solus Rex, ejusque filius major natu bibebat. Sed & veneratio, quam Persarum Regibus populares exhibebant, a tanto splendore non
5 discrepabat; nam Reges adire nemini licebat, qui non eos priùs Deos immortales adorantium ritu coluisset; a quibus in consilio dando vix erat permissum dissentire; nam [a] qui consilium quantumvis prudens afferret, & regno salutare, si tamen a sententiâ Regis dissideret, super aureum laterem stans dicere sententiam jubebatur; & quum sententiam peregisset, auro quidem donabatur ob consilium sapiens, atque laudabile; sed quia a Rege dissenserat, verberibus plectebatur. Crœsum verò, quòd ausus esset abire in sententiam ei, quam Cambyses probabat, contrariam, non verberibus affici, sed morte Cambyses affici imperavit; quod etiam Demarato Corinthio accidit, quem Darius duci jussit ad supplicium ob consilium salutare quidem, sed abhorrens ab ejus voluntate; adeo fastus illis Regibus suis commodis antiquior, ut his consulere, quum ipsi dissentirent, nefas haberetur. Jam verò quanto etiam in expeditionibus, belloque luxuriæ apparatu, & ostentatione magnificentiæ uterentur, quid attinet dicere? est in manibus Quincti [b] Curtii perelegantis historici liber, quo luculentissimè pompam describit Darii ducentis exercitum; quam adeo magnificam, & barbaricæ superbiæ plenam fuisse perhibet, ut ipsum speciem triumphantis magis, quàm bellum gerentis affirmet præbuisse. Eodem modo & ceteri bar- 6
bari Reges, quò suis popularibus augustiores viderentur, suas opes, & magnitudine sumptuum, & fastu erga subjectos, & Aulæ insanâ magnificentiâ ostentabant. Quod eos ego non tam insitâ animo superbiâ fecisse autumo, quàm quia animadverterent hac ratione se se Barbaris gratiores, venerabilioresque futuros. Eaque res illos haudquaquam falsos habuit; nam apud barbaras nationes Regum nomen sanctissimum habebatur, quam venerationem Reges non aliâ ratione crediderim consequutos, quàm elatione animi, & externis regiæ majestatis ornamentis; & contemnendo, ne contemni possent, effecisse; nam Barbarorum animi ignari, quæ sit species veræ magnitudinis, insolitis amplitudinis regiæ fulgoribus perstringuntur, & obstupescunt. Vidit hoc 7
Magnus ille Alexander omnium omnis memoriæ Regum magnitudine rerum gestarum, & prudentiâ facilè princeps; quocirca laudatur a Polyæno, quòd posteaquam Dario interfecto Persarum Imperium occupavit, & in solio Darii sedit jura Barbaris dicturus, omni magnificentiæ apparatu populos in admirationem sui traxit. Siquidem tabernaculum habebat, quod aureæ columnæ quinquaginta sustinebant; omnem verò locum columnis interjectum Cœlum tegebat aureum miro artificio distinctum, ac variegatum; circa tribunal, quod ex auro solido constabat, quingenti Persæ, quos melophoros nuncupant, consistebant, omnes purpureis induti vestibus; præter hos totidem numero milites diversorum colorum veste præfulgebant; nam alii flammeis, alii cæruleis, alii coccineis indumentis insignes visebantur. Par numerus astabat Macedonum magnitudine corporis, & formâ præstantium; qui ex eo, quod argentea scuta gestarent, sunt [c] argyraspides appellati. Jam utrumque Regis latus corporis custodibus cingebatur, qui corporis ornatu quàm præstantissimo spectabiles Regibus erant similiores, quàm stipatoribus Regis. Præterea circa tabernaculum elephantorum agmen, & mille Macedones Macedonicis induti stolis, & quingenti Sogdiani purpureis indumentis conspicui spectabantur;

qui-

[a] Ælian. Var. Histor. libr. 12. cap. 62. [b] Q. Curt. libr. 3. cap. 3. [c] Justin. libr. 12.

quibus undique circumfundebantur decem Persarum millia hominum, qui magnitudine corporis, & pulchritudine excellebant; quorum tantus erat ornatus, tanta species, ut nihil magnificentius, splendidiusque ulla unquam ætas conspexerit.
8 Atque hic, quum Macedonibus responsa dabat, tali abstinuisse dicitur cultu; quin etiam ipsum accepimus nullam rem magis, quàm tenuem, & parabilem, & a vulgatis non abhorrentem corporis cultum suis popularibus ostentasse; neque mehercule injuriâ; prudentissima quippe Macedonum natio, quemadmodum ceteri Græci, a Barbarorum moribus diffidebat, neque iisdem, quibus illi, rebus lætabatur; & magnitudinem sui Regis non in altitudine solii auro, gemmisque fulgentis, aut in multitudine stipatorum, & ceterarum rerum magnifico apparatu; sed in animo, quo Regum ille fortissimus universum propemodum Orbem terrarum vicerat, sitam intelligebat. Quam naturam, ingeniumque Græcorum si Pausanias [a] Lacedæmonius perspexisset, in maximas calamitates, exitumque adeo tristem, miserabilemque non incidisset; sed dum ille Persis, quorum studebat rebus, venditare se vult; dum animi moderationem simul cum fide exuit, & pristinâ consuetudine, institutoque mutato Barbarorum superbiam æmulatur, & superbo utitur apparatu, comitatuque amplio- re, & veste, corporisque cultu splendidiore, quàm Græcorum consuetudo ferret, in odium suorum popularium incurrit; & proditionis accusatus Patriæ quidem leras, sed debitas pœnas dependit. Quanto [b] rectiùs
9 Agesilaus ejusdem Spartæ Rex, quum res maximas gessisset, & belli, pacisque artibus clarissimus haberetur, non modò nihil de consueto cultu Spartanorum, institutoque mutavit, sed etiam vestitu usus est humili, atque obsoleto; adeo ut nihil a gregario milite differre videretur; quo factum est, ut quum a [c] Tacho Ægyptiorum Rege potentissimo legati venissent munera ipsi ferentes amplissima; & ille, sicuti consueverat, inter suos milites versaretur, nullâ fortunæ suæ circumfusus pompâ, vestituque, corporisque cultu nihil a vulgatis abhorrente, percunctantibus legatis ubi Agesilaus esset, vix fidem fecerit se eum esse, cujus res gestæ per totum terrarum Orbem famâ celebrarentur. Atque hîc intelligi facilè potuit, quid inter Græcos, hoc est prudentes homines, & inter Barbaros, & stultos ad judicandum interesset; nam idem ille Agesilaus, qui Græciæ universæ fuerat admirationi, & qui prudentissimæ Spartanorum civitati in rebus gerendis Deus videbatur, a Barbaris ludibrio habitus dicitur. Itaque quum Tachos illum Rex Ægyptiorum vidisset nullis rebus insignem, quibus Regum majestas ornari solet; ad hæc exiguâ staturâ, claudum, & facie præterea haudquaquam liberali ridens Græcum proverbium fertur usurpasse ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν hoc est: *parturiit mons, Juppiter pertimuit, ille murem peperit*. Murem appellavit virum, quem ob hoc dictum magno cum malo generosissimum leonem expertus est; nam hoc Barbari contemptu irritatus Agesilaus ipsi bellum intulit, cui opem laturus advenerat, & expulsum regno coëgit Persarum auxilium implorare. Hanc ille Rex impru- 10
dens pœnam dedit intempestivæ dicacitatis; sed ut eò, unde profecta est, revertatur oratio, ex hoc, quod attulimus, exemplo intelligi potest prudentes populos in suis Regibus non splendidum corporis ornatum, aut eximium aulæ splendorem desiderare; & rudes, & imperitos animos talibus rebus commoveri; simplicem, ac parabilem corporis cultum, rationemque vitæ a stultis plerumque solere contemni; ob eamque caulam Romulum injuriâ a Plutarcho [d] esse reprehensum, quòd purpuream tunicam sumpserit, & prætextam purpurâ togam, & lictores sibi cum fascibus jusserit præcedere, & feroeissimis juvenum stipatus incederet; imperabat enim Romulus non Romanis illis omnium populorum prudentissimis, sed agresti multitudini, & pastoribus indomitis, & facinorosis; quibus ut simul tutus, & venerabilis imperaret, & regiis Insignibus ornanda, & stipatoribus armatis custodienda majestas erat. Qua quidem in 11
re prudentiùs fortasse reprehendisset Plutarchus Imperatores Romanos, quàm Romulum; qui quum populum regerent sapientiâ, ac virtute principem, tamen Persarum superbiam sunt imitati; nam illorum sequuti morem diadema sumpserunt; quod Cæsari [e] non protinus rejecisse recenti adhuc memoriâ libertatis exitiosum fuerat; & ignem [f] sibi præferri voluerunt, quasi quoddam non imperii, sed divinitatis Insigne; quòd & feminas principes usurpare sunt passi; quasi non satis esset, quod viri, & Imperatores per fastum, & contumeliam populi Romani patientiâ abuterentur, nisi etiam eorum uxores, & [g] matres, sororesque rebus humanis illuderent; itaque Lucillæ Commodi sorori, quamvis privato nuptæ, Herodianus ignem prælatum esse memoriæ prodidit. Quam superbiam subobscurè quodammodo carpit Cæ- 12
sarum sapientissimus Antoninus, ac magni-

[a] Cornel. Nep. in Pausan. cap. 3. [b] Cornel. Nepos in Vitâ Agesilai. [c] Idem cap. 8. [d] Plutarch. in Vitâ Romuli. [e] Suet. in Vit. Cæs. [f] Herodian. libr. 1. & 2. & alibi. [g] Herodian. libr. 1.

ficè gloriatur fefe ad Imperii majeftatem tuendam neque ftipatoribus, neque purpurâ, neque ftatuis, neque lampadibus, aut fimili luxu quidquam indigere; verba fapientiffimi Imperatoris funt hæc in libro, quem de fuâ vitâ ipfe confcripfit: *δυνατόν ἐςι τὸν ἐν αὐλῆ βιοῦντα μήτε δορυφορήσεως χρήζειν, μήτε ἐσθήτων σημειωτῶν, μήτε λαμπάδων, μήτε ἀγαλμάτων, μήτε τοιῶνδε τινῶν, κ̀ τοῦ ὁμοίου κόμπου.* Atque hic imperatoriæ pompæ contemptor fe maximè omnium venerandum fuis, & hoftibus formidabilem præbuit; nam [a] & confilio, aufpicioque fuo Parthorum exercitus profligavit, & attrivit opes Orientis, & ductu Sarmatarum ferociam debellavit. Confer nunc cum tam moderato Principe [b] Neronis faftum, aut infolentiam Caligulæ; quorum uterque Orbis terrarum opes profudit, dum fpectaculis, comitatu, infanis planè fubftructionibus, omni luxuriæ genere potentiam fuam oftentare conantur: confer ceterorum Regum
13 fuperbiam, Alexandri [c] Macedonis ementiendæ ftirpis vanitatem; Antigoni [d] fe Liberum Patrem dici jubentis, & divinos honores affectantis arrogantiam; [e] Demetrii ftultitiam Atticis adulatoribus aures præbentis, & divinum fibi cultum vindicantis; Ptolemæi Regis [f] faftum fuperbo Cerauni cognomine gloriantis; Saporis [g] Perfarum Regis vecordiam fe Lunæ, Solifque fratrem appellantis; jam intelliges hujus etiam fibi debitos honores afpernantis modeftiam omnibus longè gratiorem, admirabilioremque, quàm ab aliis ufurpatam fuæ magnitudinis oftentationem fuiffe. Etenim nifi præftantiffimo Imperatori aderat ftipatorum multitudo fubmoventium turbam, præftò erat longè fplendidior virtutum comitatus; quæ non illum modò hominum vulgo, fed & Principum eximebant: fi non ignis, ut ceteris Romanis Imperatoribus, prælucebat; at facem longè clariorem gloria, qua Orbem terrarum impleverat, præferebat: denique non purpurâ, non ceteris imperatoriis Infignibus, fed temperantiâ, fed gravitate vitæ, fed juftitiâ, animi magnitudine, modeftiâ, pietate, manfuetudine, omnibus antiftabat. Verumtamen
14 illi propter eximias animi dotes, excellentemque virtutem folitâ Regibus pompâ uti non fuit neceffe; ceteris non item, quibus planè concedendum eft, ut quoniam fortunâ aliis hominibus præftant, etiam corporis cultu, ceterifque rebus, quibus augeri majeftas, & magna fortuna fignificari folet, omnibus antecellant. Quod apud omnes nationes ufu receptum videmus; neque mehercule injuriâ; non enim omnes fapientes fumus, ut nihil rebus hifce, quæ magnificæ cenfentur, moveamur. Quocirca quum principibus viris fua dignitas conftare debeat; quid prohibet illos ad augendam Imperii majeftatem eas res adhibere, quas vulgus hominum admiratur? Quod fi apud populos prudentiores, & ab humanitate, & doctrinâ non alienos licet; qui rerum vim, atque naturam penitus introfpiciunt, & non externâ fpecie tantopere commoventur; his larvis, hifque tragœdiis multitudinis animos ad admirationem fui, venerationẽque compellere; quanto magis Romulo licuit, qui multitudinem rudem, & agreftem regebat; cujus ea natura eft, quemadmodum initio diximus, ut Principum vim, & majeftatem pompâ, & fplendore comitatus, habituque, & Aulæ magnificentiâ metiatur?



DIS-

[a] Julius Capitolinus in Vitâ Antonin. Philofoph. [b] Suetonius in Vitâ Caligulæ cap. 37. & Neron. cap. 29. [c] Plutarch. in Vitâ Alexandri. [d] Plin. libr. 16. cap. 4. & Herodian. libr. 1. [e] Clem. Alexandrin. in Protreptico. [f] Paufanias in Atticis, five libr. 1. [g] Ammian. Marcellinus libr. 17. & Cæl. Rhodigin. libr. 8. cap. 2.

DISSERTATIO XXII.

De Insignibus Regum Romanorum, Consulum, Cæsarum in eundem Livii locum.



Tunica palmata, & toga picta triumphantium vestes erant. Romulum illis usum non fuisse verius est, licet Propertius contrarium innuere videatur. Lictores a ligando appellatos Agellius, Pompejus Festus, & Nonius Marcellus tradunt; Tiro Tullius a lino, vel a licio; Plutarchus autem a voce græcâ λαὸς, vel λήιτος. Titus Lartius primus Dictator creatus est. Secures Romæ Consules non habebant, sed tantùm in provinciis. Decipi videtur Valerius Maximus, qui vigintiquatuor fasces duobus tribuit Consulibus, quum Livius id apertè neget. Fabius Ambustus legem tulit, ut alter Consul e plebe crearetur, ut filiam, quæ plebejo nupta erat, consolaretur. Pompejus Posidonio id honoris tribuit, ut, quum ad eum veniret, fores fascibus pulsari vetuerit. Fasces, secures, sella curulis, lictores, purpura, & conchylia pro honoribus, & magistratibus accipiuntur; ebur autem pro sellâ curuli, quæ videtur esse eadem, ac ἀνάκλιτος θρόνος, quo Plutarchus Romulum usum esse tradit, nil refragante Dionysio Halicarnasseo, qui Torquinio missam esse ab Etruscis sellam curulem affirmat. Dictum Romanarum matronarum habetur; margaritas esse feminis pro lictoribus. *Ædiles curules Varrone teste apud Gellium neque vocare, neque prehendere poterant; ideoque nec lictores, nec Viatores videntur habuisse, licet aliter sentiat Panvinius. Quodnam esset munus Accensi, Viatorum, & Celerum; & unde appellati fuerint. Tunica cur Palmata diceretur. Salmasius tradit Consules diebus dumtaxat festis, & in triumphis gessisse Scipionem eburneum; sed adversari videtur Dionysio Halicarnasseo. Consul gerebat calceos auratos, Principes purpureos, Senatores verò sericeos. An Diocletianus calceos gemmatos primus habuerit, ut Eusebius asserit. Aurelianus primus diadema sumpsit; quidquid tradat de Caligulâ Aurelius Victor.*

ROmulum tradit luculentissimus Romanæ a scriptor historiæ, quo summi Imperii majestatem augeret, cum cetero habitu se augustiorem fecisse, tum comitatu; & comitatus quidem quis nam fuerit, exponit, duodecim scilicet Lictores, quos ille sumpsit Etruscos Reges imitatus; qui quoniam a duodecim populis communi consensu crearentur, a quibus singulis singuli Lictores præberentur, duodecim circa se ministros habuerunt cum fascibus virgarum, & securibus; reliquo verò habitu quonam fuerit usus, non tradit; sed id facilè ex Dionysio b Halicarnasseo, Plutarchoque c cognoscitur. Nam Plutarchus 1
refert purpuream tunicam, & prætextam purpurâ togam illum induisse; Dionysius Halicarnasseus d addit tribunal in loco fori maximè conspicuo jussisse poni; in quo sedens jus populo Romano diceret juvenum fortissimorum globo stipatus. Propertius autem elegantissimus elegiarum scriptor Romulum non solùm purpurâ conspicuum facit, sed etiam togâ pictâ, quum sic e ait:

Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

Quod ipsum non mediocre discrimen est, siquidem togæ picta habitus est triumphantium; quocirca Lucanus Pompeji funus describens refert Corneliam Magni conjugem inter cetera, quæ Pompeji pyrâ Priscorum more combussit, & pictas togas concremasse, quas appellat velamina ter conspecta Jovi; quia Pompejus f tres de tribus terrarum partibus præclarissimos triumphos egerat; ideoque togam pictam ter ostenderat Jovi Capitolino; carmina Poëtæ sunt g hæc:

Collegit vestes, miserique insignia Magni,
Armaque, & impressas auro, quas gesserat olim,
Exuvias, pictasque togas velamina summo
Ter conspecta Jovi.....

Sed Propertius poëticâ figurâ utitur, nam
etiam triumphantes antiquitus purpureâ to- 2
gâ utebantur; toga picta, & tunica palmata postea a triumphantibus usurpata est; quamquam & toga picta palmata dicitur, quod ostendit his verbis h Martialis:

Palmataque ducem sed citò redde togæ

Et i Ausonius in actione gratiarum ad Gratianum, qui sic ait: *palmatam, inquit, tibi misi, in qua Divus Constantius parens noster in-*

a Tit. Livius libr. 1. b Dionys. Halicarn. libr. 2. c Plutarch. in Vit. Romuli. d Dionys. Halicarn. libr. 2. cap. 4. in fine. e Propert. Eleg. 4. libr. 4. f Plutarch. in Vitâ Pompeji, & Plin. libr. 7. cap. 26. g Lucan. libr. 9. h Martial. libr. 7. epigr. 1. ad Loricam Domitiani. i Ausonius in Gratiar. Actione num. 15.

textus est; me beatum, cujus Insignibus talis cura præstatur: hæc planè, hæc est picta, ut dicitur, vestis non magis auro suo, quàm tuis verbis. Verumtamen sive Romulus habitu triumphali, quemadmodum Consules ævo recentiore, sive, ut vetustiores, tunicâ purpureâ, prætextaque purpurâ togâ duntaxat usus est; hæc, quæ hactenus enumeravimus, sunt ferè Insignia, quibus ornari solebat eorum majestas, qui summum apud Romanos imperium obtinebant; de quibus, quoniam loquitur Livius, & nobis præbet occasionem differendi, hodierno die, & deinceps pauca dicemus; nec si quæ Romani Cæsares ornamenta vetustioribus addiderunt, omittemus. Erit autem, nisi me opinio fallit, non injucundum vobis, Auditores ornatissimi, neque non dignum studio vestro his de rebus audire, quibus certè nihil potest esse præclarius, aut illustrius. Nam si, quod inter omnes constat, nihil unquam majus, præstantius, admirabilius Romanorum Imperio fuit; profectò cum omnia, quæ ad ejus notitiam quoquo modo pertinent, cognitione dignissima debent judicari, tum hæc de Insignibus Imperii Romanorum suscepta disputatio, de splendidissimâ re suscipi videatur, necesse est; quæ maximam secundùm Deorum opes potestatem splendidiorem, augustioremque faciebant. 3 Lictorum igitur, ut ab his, quæ [a] Livius præcipuè recenset, exordiar, multiplex est, & varia notatio, quam ἐτυμολογίαν Græci vocant. Nam [b] Agelius libro duodecimo noctium Atticarum Valgium Rufum citat, qui Lictores a ligando, sicut a legendo lectores, dictos arbitratur; cui [c] Festus Pompejus in Voce *Lictores*, & Nonius Marcellus de compendiosâ doctrinâ astipulatur; sed Tiro Tullius [d] Ciceronis libertus, eodem teste a lino, vel liciô, quo præcincti erant, qui magistatibus præministrabant, appellatos putavit. Plutarchus autem in vitâ Romuli Lictorum nomen a Græco sermone deducit; quum enim λαὸς, vel λῆϊτος Græcis populus dicatur, Lictores adjectione litteræ unius dictos existimat, quasi populi ministros. Hi, quacumque de causâ tali nomine nuncupati, Regibus, & Consulibus duodecim [e] ministrabant, Prætoribus [f] autem sex; Dictatoribus [g] viginti quatuor apparebant, ut Alexander ab Alexandro Dierum genialium libro primo capite vigesimo septimo notat; Quæstores [h] autem, & minores magistratus, & Tribuni plebis, nisi in provinciis, nullum habuere Lictorem; Legatis [i] autem duos Lictores aliquando tributos ex Dionis historiâ constat. Præterea Lictores decretos etiam a senatu his, qui 4 nullum magistratum gerebant, neque ullo publico munere fungebantur, animadvertimus; quem honorem habitum constat Armeniæ Regi, qui quum Romam venisset, ut Insignia regni a Cæsare acciperet, iisdem ornamentis, & honoribus affectus est, quibus Consules; Virginibus [l] etiam Vestalibus Lictor honoris ergo datus, sicut & Principibus feminis. Quocirca Agrippinæ matri Neronis etiam duo Lictores decreti sunt, quemadmodum Tacitus [m] libro decimotertio testatur; sed hoc Neroni tributum, qui quum beneficio matris principatum esset adeptus, pietatem in eam initio regni ambitiosè ostentabat; nam aliis Principibus feminis unus dumtaxat Lictor tribuebatur, quemadmodum Vestalibus. Quapropter Tacitus [n] Tiberium reprehendit, quòd Liviæ parenti suæ, cujus munere pervenerat ad principatum, Lictorem decerni non sit passus; *ceterùm, inquit, anxius invidiâ, & muliebre fastigium in diminutionem sui accipiens, ne Lictorem quidem ei decerni passus est.* Flamini [o] quoque Diali Lictor unus est attributus; hunc autem honorem [p] Flamini 5 permissum est usurpare, quia quum minimè liceret ei sacerdoti petere magistratum, hoc perpetuo solatio placuit tantam honorum jacturam compensare; qua de causâ Diali Flamini concessum etiam uti sellâ curuli, qua tantùm Consules, & majores magistratus utebantur. Decemviris [q] quoque, qui legum ferendarum causâ creati sunt, duodecim Lictores habere licuit, qui ei, qui fasces habebat, apparebant; idque Insigne regium in orbem per omnes ibat; sed quum legitima eorum potestas in intolerandam tyrannidem, dominationemque vertisset, subitò omnes cum duodenis fascibus prodiere, & centum viginti Lictoribus forum impleverunt; & quod terribilius visum est, omnes secures fascibus illigatas habebant; neque enim omnibus magistratibus secures præferebantur. Quamobrem 6 quum Titus Lartius primus dictator creatus est, terrori fuisse plebi dictatoris secures, tanquam insuetatum oculis populi spectaculum Livius [r] tradit his verbis: *creato dictatore primùm Romæ, postquam præferri secures*

[a] Tit. Liv. libr. 1. [b] A. Gell. libr. 12. cap. 3. [c] Festus Pompejus libr. 10. [d] Tiro apud Aul Gell. libr. 12. cap. 3. [e] Dionys. Halicarnass libr. 5. & 10. [f] L. 14. ff. de officio Proconsulis; at Censorin. de die natali cap. 24. duo lictores Prætoribus tribuit. [g] Appian. de Bello Civil. libr. 1. ubi de Syllâ loquitur Plutarch. in Vitâ Fabii, & Dio Cassius libr. 54. in princip. [h] A. Gell. libr. 13. cap. 12. & 13. [i] Spartianus in Vitâ Septimii Severi. [l] Plutarch. in Vitâ Numæ, & Dio libr. 47. Hist. [m] Corn. Tacit. libr. 13. Annal. n. 2. [n] Idem Tacit. libr. 1. Annal. n. 14. [o] Plutarch. Probl. cap. 13. & Festus Pomp. libr. 5. [p] Rosin. libr. 3. Antiquit. Roman. cap. 5. [q] T. Liv. libr. 3. [r] Idem libr. 2.

cures viderunt, magnus plebem metus incessit. Quo quidem in loco dubitari potest, cur tantùm secures Dictatoris terrorem plebi attulisse dicat Historicus; an[a] verò non & Consulibus secures præferebantur? certè, quum, ut idem testatur libro secundo, eadem Consulum potestas, & Regum fuerit, iisdemque Reges, & Consules uterentur Insignibus, Reges autem secures habuerint, fatendum videtur etiam Consules habuisse; quod idem confirmat Isidorus libro decimo octavo: *secures*, inquit, *signa sunt, quæ ante Consules ferebantur*. Sed omnem dubitationem tollit[b] Dionysius Halicarnasseus, qui tradit initio quidem Consules usos esse securibus, sed Valerium Publicolam instituisse, ut fascibus tantùm Consules essent contenti; securibus autem non Romæ, sed in provinciâ uterentur. Fasces igitur duo-
7 decim virgarum, ut Plinius[c] refert, ex betullâ arbore, siquid hoc ad rem pertinet, Consulibus præferebantur; neque tamen utrique simul, sed[d] qui prior Consul fuerat renunciatus, fasces quoque prior habebat; neque diutiùs, quàm uno mense, quo exacto ad alterum Consulem transferebantur; & sic vicissim pari temporis intervallo ad priorem Consulem redibant, iterumque ad posteriorem; ita fiebat, ut sex mensibus fasces uterque Consul haberet; sed cui[e] fasces non præferebantur, eum præcedebat Accensus, Lictores subsequebantur; quem morem a Veteribus usurpatum, & longo tempore intermissum retulit Julius Cæsar, quum primùm Consul est factus, ut Suetonio[f] credi convenit; cujus autem Consulis Lictores fasces non habebant, ii pro fascibus bacillos gestabant, & ita Consulem sectabantur. Quocirca miror
8 quid in mentem venerit Valerio[g] Maximo, qui libro primo capite primo vigintiquatuor fasces duobus tribuit Consulibus his verbis: *laudabile duodecim fascium religiosum obsequium, laudabilior quatuor, & viginti in consimili re obedientia*, scilicet duorum Consulum, qui augurum monitu, jussuque senatus magistratu se abdicaverunt. Nam disertè Livius libro secundo negat utrumque Consulem duodenos fasces habuisse; nec alibi reperias duobus Consulibus viginti, quatuor fuisse fasces. Laudabili autem instituto cautum est, ne uterque Consul simul fasces haberet; ne quum Reges duodecim habuissent, si Consules viginti quatuor uterentur, multiplicatus terror videretur; erant quippe terrori populo fasces, quia Regibus administrantibus Rempublicam, ac deinde Bruto, & Collatino Consulibus secures ipsis illigabantur; ceteris autem Consulibus, etsi demptæ fascibus erant secures, virgas fascibus illigatas expediri Consules, cædique[b] delinquentes jubebant; & ad hunc usum loris incincti Lictores ambulabant, ut vincirent eos, quos verberibus affici Consules jussissent; quemadmodum ex Plutarcho in Romuli vitâ colligi potest. Alius autem usus erat fascium, quòd[i] Lictores turbam submove- 9
bant, ne magistratus populi turbâ confictarentur; præterea quotiescumque Consules in aliquam domum ingredi vellent, fores fascibus Lictores percutiebant; quò Statius epithalamio Stellæ respexit[l] his verbis:

...... dum fervent agmine postes,
Atriaque, & multâ pulsantur limina virgâ.

Quæ[m] res causa fuit, ut consulatus cum plebe communicaretur; nam quum Fabius Ambustus duas filias haberet, & earum alteram patricio, alteram plebejo in matrimonium collocasset; fortè fortunâ accidit, ut quæ plebeio nupta erat, in sororis ædibus versaretur, quum sororis vir Servius Sulpicius Consul domum se recepit; quum autem Lictor fores de more pulsasset, illa improvisò sono conterrita surrexit, sorore multum irridente; qua re illa commota cum patre questa est, se impari nuptam non eosdem honores domi videre, quos aspiceret soror. Fabius quò filiæ mærorem non sine causâ susceptum consolaretur, legem tulit, de qua toties inter Patres fuerat, plebemque certatum, ut alter utique Consul
e plebe crearetur. Hanc tamen consuetu- 10
dinem pulsandi fascibus fores non semper Consules usurpabant; sed interdum honori dabant ejus, ad quem ventitabant, ut fores a Lictoribus tangi prohiberent; cujus exemplum rei Pompejus ille[n] Magnus cum ingenti suâ laude instituit; qui quum ad ædes Posidonii inclyti sapientiâ viri venisset, ut audiret disputantem, pulsari vetuit a Lictoribus fores, fascesque trium Orbis partium victores philosophiæ submisit. Jam[o] verò partâ victoriâ laurum fascibus addi solitam; sicut[p] litteris, quas ad senatum mitterent imperatores, notius est, quàm ut de-

[a] Dionys. Halicarnass. libr. 3. cap. 11. [b] Idem Dionys. Halicarnass. libr. 5. Plutarch. in Vitâ Publicolæ, & Valer. Maxim libr. 4. cap. 1. [c] Plin. libr. 16. cap. 18. [d] Plutarch. in Publicolâ, A. Gell. libr. 2. cap. 15. & Valer. Maxim. libr. 4. cap. 1. [e] Sueton. in Vitâ Cæsaris cap. 20. [f] Sueton. ibid. [g] Valer. Max. libr. 1. cap. 1. de Tiberio Gracch. §. 4. [b] Tit. Liv. libr. 2. & libr. 25. [i] Idem libr. 8. [l] Statius Silvar. libr. 1. [m] Tit. Livius libr. 6. [n] Plin. libr. 7. cap. 30. & Solin. cap. 7. [o] Cicer. de Divinatione, & Epistol. ad Att. libr. 8. & Philipp. 2. Cæs. libr. 3. Bell. Civil. Tacit. Annal. libr. 13. num. 9. Plutarchus in Lucullo, & Jul. Obsequens in libr. Prodigior. [p] T. Liv. libr. 5. Plin. libr. 15. cap. ultim. Jul. Capitolin. in Vitâ Maximini, Lampridius in Vitâ Alexandri, & Pers. Sat. 6. v. 43.

ut debeat a nobis indicari: jam a fascibus,
11 securibus, Lictoribus multa loquendi genera esse deducta quivis non omnino alienus a lectione Veterum potest observare; hinc submittere fasces pro cedere in Bruto Cicero dixit: *quum tibi ætas nostra jam cederet, fascesque submitteret*: hinc fasces, secures, purpura pro honoribus usurpata, vel magistratibus, ut a Juvenale, qui fasces accipit pro magistratu, ubi sic [a] ait:

...... *namque & titulis, & fascibus olim*
Major habebatur donandi gloria......

& alio [b] in loco

...... *quid confert purpura majus?*

& alio in loco conchylia pro purpurâ, videlicet consulatu, usurpavit his [c] verbis:

Horum ego non fugiam conchylia?....

Hinc apud [d] Ciceronem dibaphum cogitare, est consulatus petitionem meditari: hinc Horatius [e] ait:

Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Hinc denique factum est, ut Lictores acciperentur pro dignitate, & pro eo, quod affert ornamentum; unde manavit illud matronarum Romanarum elegans dictum, quod Plinius [f] libro nono refert; margaritas feminis esse pro Lictoribus; hinc alia sexcenta, quæ recensere longum, & supervacaneum foret. Non omittendum tamen,
12 quoniam de Lictoribus verba fecimus, tribunis plebis, quibus habere Lictores non licebat, viatores [g] apparuisse; qui dicti sunt ex eo, quod, quum antiquitus Romani poceres in agris degerent [h] vitam, publici ministri ad eos in concilium accersendos mittebantur; qui propterea quod frequentius essent in viâ, quàm in Urbe, sunt appellati viatores, ut docet [i] Festus Pompejus, & [l] Columella, qui in præfatione sic ait: *illis enim temporibus, ut ante jam diximus, proceres civitatis in agris morabantur; & quum consilium publicum desiderabatur, a villis accersebantur in senatum, ex quo qui eos evocabant, viatores nominati sunt*. Sed id nomen postea ad Tribunorum [m] plebis ministros translatum est; qui viatores eos, quos Tribuni plebis [n] jussissent, prehendebant; vocare autem Tribunis plebis non licebat, & his magistratibus, qui viatorem habebant; qui verò Lictores, & prehendere poterant, & vocare; qui neque viatorem, neque Lictores, & vocationis, & prehensionis jure destituebantur. Quare quum Ædiles curules, Varrone [o] teste apud Gellium, utroque 13
jure carerent, neque Lictores, neque viatorem videntur habuisse, licet aliter sentiat Panvinius. Veruntamen antiquitus Ædiles curules viatore fortasse non sunt usi, sed postea & viatorem, & servos alios publicos assumpserunt, quum [p] Aulus Gellius, de Ædilibus ita loquatur: *Nunc stipati servis publicis non modò prehendi non possunt, sed etiam ultro submovent populum*; nomen tamen viatoris interdum ad Lictores transfertur, ut ex antiquis lapidibus Panvinius docet. Illud etiam adnotandum Consuli præstò fuisse præconem, qui [q] silentium, quum Consul habere concionem vellet, indicebat; Livius tertiæ Decadis libro septimo: *tum Scipio silentio per præconem facto*. Atque hi quidem stipatores, ministrique Consu- 14
les, reliquosque magistratus comitabantur; Romulum autem etiam trecenti ferocissimi juvenes ex singulis curiis deni lecti præcipuâ nobilitate stipabant; qui [r] sunt Celeres appellati vel a celeritate imperata faciendi, vel a Celere viro strenuo, qui Remum interfecit; qua de causâ creatus est a Romulo suorum corporis custodum Tribunus, ab eoque Celeres nominati sunt; quorum prætoriam cohortem Numa [s] sustulit, se benevolentiâ civium satis tutum arbitratus. Sed jam a stipatoribus, & ministris Consulum ad cetera ornamenta, vestemque veniamus; Reges, & Consules igitur, & reliqui majores magistratus curuli sellâ 15
utebantur; quæ sic est appallata, quia [t] in curru collocaretur, quo Consules, Censores, Prætores, Ædilesque curules vehebantur, ut Festus docet; ea ebore secto contecta; ideo Sidonius Apollinaris libro octavo epistolâ octavâ curules eboratas dixit; poëtæ verò curulem sellam ebur curule passim vocant; ita Statius [u] Epithalamio Stellæ, & Violantillæ dixit:

Jamque parens Latius (cujus prænoscere mentem
Fas mihi) purpureos habitus, juvenique curule
Indulgebit ebur.....

& [x] Horatius

..... *eripietque curule*
Cui volet importunus ebur.....

& Au-

[a] Juvenal. Sat. 5. [b] Idem Sat. 1. v. 106. [c] Idem Sat. 3. [d] Cicer. Epistolar. ad Famil. libr. 2. Epist. 16. [e] Horat. libr. 3. Od. 2. [f] Plin. libr. 9. c. 35. [g] Cic. de Senectute, Plin. libr. 18. cap. 3. [h] Columella libr. 1. in Præfat. [i] Fest. Pomp. libr. ult. [l] Colum. ibid. [m] T. Liv. libr. 2. [n] L. magis puto §. ne tamen ff. de reb. eor. Cicer. in Vatinium. [o] Varro libr. 21. rer. humanar. apud A. Gell. libr. 13. cap. 13. [p] Aul. Gellius ibid. [q] Plaut. in Pœnulo in Procem. & Appian. Alexandr. libr. 4. Bell. Civil. [r] Tit. Liv. libr. 1. & Dion. Halic. libr. 2. Plutarch. in Vitâ Romuli, & Numæ, Fest. Pomp. libr. 3. & Serv. ad illud Virgil. libr. 9. *Terecentum scutati omnes &c.* & ad libr. 11. v. *Necnon Messapus contra, celeresque Latini*. [s] Plutarch. in Vitâ Numæ. [t] A. Gell. libr. 3. cap. 18. [u] Statius Silvar. libr. 1. [x] Horat. Epistol. libr. 1. Epist. 6. ad Numicium.

& Ausonius:

Præcessit nostrum sella curulis ebur

16 Hinc [a] Græci sellam curulem ἐλεφαντινὸν θρόνον, ἐλεφαντινὸν δίφρον appellant, ea curvos habuit pedes, quapropter ἀγκυλόπους a [b] Plutarcho dicitur; nec ea levis fuit, sed signis aspera; quapropter [c] Ovidius dixit:

Signa quoque in sellâ nossem formata curuli,
Et totum Numidæ sculptile dentis opus

Dubitari verò potest an ἀνάκλιτος θρόνος, quo Plutarchus in Romuli vitâ Romulum tradit usum, sit idem, ac sella curulis; quum tamen Dionysius [d] Halicarnasseus Tarquinio Regi missam ab Etruscis curulem sellam testetur; consentaneum est Romuli sellam a curuli fuisse diversam; neque tamen id ausim affirmare; nam quum Romulus duodecim [e] Lictores sumpserit ab Etruscis, non video, cur & sellam curulem non sumpserit, quæ præcipuum Insigne regni. Neque ex eo, quod a Tyrrhenis Tarquinio Regi missa curulis fuerit sella, colligi potest Romulum sellâ curuli non usum. Nam [f] & fasces Etrusci misere Tarquinio, & tamen constat Romulum fasces habuisse; neque enim illud simplex donum fuit, sed argumentum subjecti animi; Etrusci quippe Tarquinium Insignibus Regni donaverunt, ut se ei subjectos esse faterentur Tunicâ [g] præterea purpureâ, &
17 prætextâ purpurâ togâ [h] Consules usi sunt usque ad Imperatorum tempora; qui quantum de potentiâ, ac majestate Consulum detraxerant, tantum Insignibus, & inani pompæ addiderunt; & quum materiam ipsis triumphandi eripuissent, triumphalem vestem conoesserunt; illis enim auctoribus Consules togam pictam induerunt, quæ fuerat antea triumphantium. Vestis hæc autem etiam palmata, ut initio sermonis hujus diximus, vocabatur; sed propriè tamen tunica triumphantium palmata, toga verò picta dicebatur; quod intelligi potest ex his Capitolini verbis in Gordianis. *Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit; quum ante Imperatores etiam de Capitolio, vel Palatio acciperent*; & ex Vopisci loco in Aureliani vitâ, ubi sic historicus ait: *cape igitur tibi pro rebus gestis tuis coronas murales quatuor, coronas vallares quinque, coronas navales duas, coronas civicas duas, hastas puras decem, vexilla bicolora quatuor, tunicas ducales russas quatuor, pallia proconsularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam.* Hactenus Vopiscus, cujus verba declarant togam propiè pictam, tunicam palmatam appellari. Utraque autem vestis triumphan-
tium fuit, dicta verò est palmata vestis, pro- 18
pterea quod palmas, & victorias intextas haberet, ut Petavius in [i] Themistium notat, & Isidorus [l] libro decimo nono testatur. Hæ verò palmæ non ex qualibet materiâ, sed ex auro texebantur; quocirca Plinius [m] libro nono Naturalis Historiæ sic de purpurâ loquitur: *omnem vestem illuminat; in triumphali miscetur auro*; & Ausonius Panegyricâ ad Gratianum oratione: *hæc planè, hæc est picta, ut dicitur, vestis non magis auro suo, quàm tuis verbis*; & Silius Italicus triumphum describens Scipionis Africani cecinit:

Ipse astans curru, atque auro decoratus, & ostro
Martia præbebat spectanda Quiritibus ora.

Quibus verbis nihil aliud significat, quàm tunicam [n] palmatam, quæ ex auro constaret, & purpurâ; nam Dionysius [o] Halicarnasseus tunicam palmatam vocat tunicam purpuream auro insignitam, & togam pictam, purpureum amiculum varium. Tar-
quinius Priscus tamen, sicut Plinius libro 19
trigesimo tertio capite tertio scribit, non palmatâ veste, sed tunicâ ex auro totâ indutus triumphavit. Quod minùs mirum est, propterea quia nondum inveteraverat mos in triumphis utendi veste palmatâ; siquidem Macrobius [p] vera narrat, qui Tullum Hostilium tradit primum instituisse, ut togam pictam triumphantes gestarent; veruntamen hoc est incertum, sicut illud, quo tempore cœperint Consules etiam in pace usurpare vestem triumphalem; nam antiquitus, ut diximus, tantummodo triumphantes eâ utebantur, aut ludos edentes, ut [q] notat Lipsius in Tacitum; & si quibus præterea concessum erat, ut ludos in triumphali veste spectarent. Neque verò sub vetustioribus illis Imperatoribus palmata vestis ab aliis, quàm a triumphantibus usurpari solebat; nam [r] Plinius togam pictam habitum tantummodo triumphantium agnoscit, & triumphalem vestem semper appellat; & Tertullianus Apologetico: *hic est*, inquit, *habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis tali curru triumphantus*; & Statius [s] in Consulatum Domitiani purpu-
ræ dumtaxat, & prætextæ meminit. Veri- 20
simile tamen arbitror hunc morem circa Gor-

[a] Dionysius Halicarnass. libr. 3. & Vossius in Etymolog. in v. Curulis. [b] Plutarchus in Vitâ Romuli. [c] Ovid. libr. 4. de Ponto Eleg. 9. [d] Dionys. Halicarn. libr. 3. cap. 11 [e] Plutarch. in Vitâ Romuli, & T. Liv. libr. 1. [f] Dion Halicarn. libr. 3. cap. 11. [g] Plutarch. in Vitâ Pompeji, & T. Liv. libr. 34. [h] Auson. in Panegyr. [i] Dion. Petavius ad Orat. 11. Themistii. [l] Isidor. libr. 19. cap. 24 [m] Plin. libr. 9. cap. 36. [n] Plutarch. in Paulo Æmilio. [o] Dion. Halic. libr. 10. [p] Macr. Sat. libr. 1. cap. 6. [q] Lipsius ad libr. 1. Ann. Cornel. Tac. ex Dione, & Juvenal. Sat. 11. v. 193. [r] Plin. libr. 8. cap. 48. [s] Stat. Sylv.

Gordiani fenioris tempora cœpiſſe eelebrari; qui primus, ut Julius [a] Capitolinus refert, togam pictam tunicamque palmatam privatus habuit; quum antea Imperatores quoque de Capitolio acciperent; unde a Juvenale Tunica Jovis appellatur his verbis [b]:

Quod ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis
Extantem, & medio ſublimem in pulvere Circi
In tunicâ Jovis, & pictæ ſarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ ......

Gratiano certè imperante Conſules uſi ſunt veſte palmatâ; Auſonius in Actione gratiarum ad Gratianum: *in procinctu, & maximè dimicaturus palmatæ veſtis meæ ornamenta diſponis feliciter, & bono cum omine; nam iſte habitus, ut in pace Conſulis eſt, ſic in victoriâ triumphantis*. Gerebat præterea Con-
21 ſul [c] Scipionem eburneum, licet, ut Salmaſius in Vopiſcum notat, non ſemper geſſiſſe videatur, ſed tantummodo diebus feſtis, & quum triumpharet; in Scipionis ejus extremâ parte aquila viſebatur; ideo Juvenalis [d] cecinit:

Da nunc & volucrem, ſceptro quæ ſurgit eburno;

& [e] Dionyſius Halicarnaſſeus refert Etruſcos, quum eos Tarquinius Priſcus perdomuiſſet; ut ſe ab eo victos declararent, ipſumque ſuum Regem, moderatoremque agnoſcerent, dono miſiſſe Tarquinio cum cetera, quibus ornari poteſtas regia, ac deinde conſularis ſolebat, tum Scipionem ex ebore cujus verticem aquila exornabat. Qui Dionyſii locus adverſari Salmaſio videtur neganti Scipionem ſemper geſſiſſe Conſules; nam Dionyſius affirmat omnia, quæ miſerunt Etruſci Tarquinio, ſcilicet ſellam curulem, faſces, coronam, Scipionem eburnum, tunicam palmatam, & togam pictam ſemper Conſules uſurpaſſe præter auream coronam, & togam, tunicamque palmatam, quibus uſos tradit in triumphis. Gerebat & Conſul cal-
22 ceos auratos ſicuti Principes purpureos, ſenatores ſericeos; de calceis auratis mentio eſt apud Caſſiodorum libro ſexto Epiſtolarum: *validam manum victoriali Scipione nobilita, lares proprios calceis auratis egredere*. Hæc autem Inſignia conſulatus Regibus amicis mittebantur a ſenatu pro eximio munere. Is mos a ſenatu bello Punico ſecundo eſt inſtitutus; qui Ptolemæum Ægypti Regem conſulatus Inſignibus donavit; & a Scipione [f] Africano uſurpatus, qui auctore Livio Maſiniſſam in concione laudatum Regem appellavit, & aureâ coronâ aurea paterâ, ſellâ curuli eburneâ, & Scipione eburneo, togâ pictâ, tunicaque palmatâ donavit; ut ſcilicet mærorem ſolaretur, quem Maſiniſſa Sophonisbæ morte ſuſceperat, cui venenum coactus miſerat. Ex eo tempore frequentiſſimè cœperunt ea munera Regibus mitti; quapropter ſæpiſſimè legimus apud Livium Ægypti, Cappadociæ, Bithyniæ Regibus prætextam, Scipionem eburneum, ſellam curulem a ſenatu Romano miſſa; quem morem vetuſtate jam deſitum uſurpari retulit [g] Tiberius, qui Reges amicos hujuſmodi muneribus ornavit. Quem morem mittendi Regibus cu- 23
rulem ſellam, trabeamque libro undecimo Æneidos tangit Virgilius, ubi Latinus Rex Latinis, Rutuliſque magnâ pugnâ devictis affirmat ſe ſe cum Trojanis pacem eſſe facturum, conceſſurumque regionem, quæ alat multitudinem Trojanorum, & Æneæ dona miſſurum; quo loco ſic loquitur:

Præterea qui dicta ferant, & fœdera firment,
Centum Oratores primâ de gente Latinos
Ire placet; pacíſque manu prætendere ramos,
Munera portantes, aurique, eboriſque talenta,
Et ſellam Regni, trabeamque Inſignia noſtri.

Ubi Poeta recenſet ea, quæ Regibus a populo Romano mitti ſolebant, prætermiſſo tamen eburneo Scipione, quem alio loco numerat; ubi Ilioneus offert dona Regi Latino, quo in loco ſic [h] ait:

Dat tibi præterea fortunæ parva prioris
Munera, relliquias Trojâ ex ardente receptas.
Hoc pater Anchiſes auro libabat ad aras;
Hoc Priami geſtamen erat, quum jura vocatis
More daret populis, ſceptrumque, ſacerque tiaras,
Iliadumque labor veſtes......

Nec verò ſine causâ eſt inſtitutum, ut Re-
ges conſulatus Inſignibus donarentur; 24
quum enim eædem conſulatus Inſignia, & Regni forent, ut ex Dionyſio [i] Halicarnaſſeo, & Livio [l] conſtat, eademque poteſtas Conſulum eſſet, & Regum Romanorum; quibus conſulatus Inſignia mittebantur, digni regno a ſenatu judicari, appellarique quodammodo Reges a ſenatu videbantur; quod pro magnis in Rempublicam meritis, ut alicubi Livius [m] ait, tribuebatur. Quam cauſam arbitror fuiſſe Principibus Romanis utendi Lictoribus & faſcibus laureatis, ut regia nimirum poteſtas, majeſtaſque in illis tacitè ſine regio nomine declararetur. Purpurâ tamen, ut notat in Tacitum [n] Lipſius, priores Cæſares abſtinuere, ne habitu nihil a Regibus diſcrepa-

[a] Julius Capitolin in Gordian. [b] Juven Satyr. 10. [c] Caſſiodor. 6. Variar. in formulâ Conſul. [d] Juvenal. Satyr. 10. v 43. [e] Dionyſ. Halicarn. libr. 3. cap. 11. [f] T. Liv. Decad. 3. libr. 10. [g] Cornel. Tacit. libr. 4. n. 26. [h] Virgil. Æn. 7. [i] Dionyſ. Halicarnaſs. libr. 3. cap. 11. [l] Tit. Liv. libr. 1. [m] Tit. Livius libr. 31. paulo poſt init. [n] Juſtus Lipſius in Comment. ad libr. primum Annal. Cornel. Tacit.

parent, quòd Regum nomen invisum, intolerandumque populo Romano videretur; sequenti autem ævo, quum jam Roma assueverat jugo, & Regnum Regina illa gentium ferre didicerat, non solùm purpuram Imperatores, verùm [a] etiam diadema sumpserunt, ignemque sibi [b] præferri Persarum more, statuasque jusserunt.
25 Quocirca constat gravi pœnâ a [c] Theodosio sancitum, ne quis præter Imperatores purpurâ uteretur; & Beatus Hieronymus testatur ante Diocletianum purpurâ solùm a privato vestis habitu distingui Cæsares consuevisse; verba sanctissimi, doctissimique viri sunt hæc: *Primus Diocletianus adorari se, ut Deum, & gemmas vestibus, calciamentisque inseri jussit, quum ante eum omnes Imperatores in modum Judicum salutarentur, & chlamydem purpuream a privato habitu plus haberent*: idem testatur & Eusebius [d]. Διοκλητιανὸς προσκυνεῖσθαι ὑπὸ τῶν συγκλητικῶν, καὶ οὐ προσαγορεύεσθαι κατὰ τὸ πρότερον σχῆμα ἀπῄτησε, ἐκαλλώπισε δὲ καὶ τὸ ὑπόδημα χρυσῷ, καὶ μαργαρίταις, καὶ λίθοις τιμίοις, οἱ πρώην γὰρ βασιλεῖς κατὰ τοὺς ὑπάτους τετίμηντο, καὶ τῆς βασιλείας παράσημον μόνον εἶχον πορφυροῦν περιβόλαιον, quem locum ita sumus interpretati: *Diocletianus adorari se, non salutari a senatoribus eo modo, quo priores consueverant, jussit; calceos autem ornavit auro unionibusque, & pretiosis lapillis; priores enim Cæsares iisdem, quibus Consules, honoribus ornabantur, & insigne Regni dumtaxat purpuream chlamydem habebant*. Qui Eusebii locus non ita est ac-
26 cipiendus, quasi nemo ante Diocletianum calceos gemmatos habuerit (nam Carinus Augustus gemmas calceis insertas gesserat, ut Vopiscus in ejus vitâ testatur) sed quasi Diocletianus id exemplum primus instituerit, quod posteriores Augusti secuti sunt. Ex his autem verbis, sicut intelligi potest, Cæsares ante Diocletianum purpuram gessisse, ita ignotum est, quis primus usus fuerit; quemadmodum latet eruditos, quis ignem sibi præferri princeps jusserit; præferri tamen solitum constat ex Herodiano, apud quem ea leguntur in Pertinace: *descendit in Curiam, quum neque ignem sibi præferri permisisset, neque ullum aliud imperatorium insigne extolli*; & ex [e] Antonini Philosophi libris, qui sic ait: *rerum natura patitur in Aulâ viventem neque stipatoribus indigere, neque insigni veste, neque lampadibus, & statuis certis, similique fastu*. Diadema ve-
27 rò primus, Aurelio [f] Victore teste, sumpsisse dicitur Aurelianus Imperator; & tamen ex eodem auctore cognoscimus Caligulam diadema gessisse primum; sed eo loco Victor profectò memoriâ lapsus est; quum revera Caligula, Suetonio [g] teste, diadema sumere cogitarit, sed ab Amicis deterritus non sumpserit.

DISSERTATIO XXIII.

De tempore, quo Urbs condita est, deque ejus incrementis, & magnitudine.

Roma ædificata est Olympiadis sextæ anno tertio, aut quarto, & decimooctavo, vel decimonono ætatis Romuli; quum Senacherib Assyriis, Candaules Lydis imperarent; & quidem mense Aprili, quoniam Plutarchus diem Romæ natalem fuisse XII. ante Calendas Majas tradit; Tarrutius verò, quum arte Chaldæorum Urbis natalem indagare juberetur, V. Idus Apriles pronunciavit; verùm qui siderum positum prodiderunt, quem ipse Natali Romæ attribuit, decipiuntur, quum scribant Venerem signorum sex intervallo a Sole abfuisse, quum ipsa non longiùs quadraginta sex gradibus abscedat; alii tamen Autumno ædificatam tradunt. Cinctus Gabinus quid sit, & unde originem duxerit; ex eo præliaturi dicuntur in procinctu esse; & Veteres cincti appellati sunt. Urbes ab urbo curvaturâ aratri dictæ sunt, & in quo differant ab oppidis. Ambitus Urbis quantus initio, & consequutis temporibus fuerit. Quot cives Romæ ætate Romuli, necnon aliis seculis censerentur. Unde Pomœrium sit appellatum. Quos quisque colles Romæ adjecerit.

Absurdum fuerit, Auditores, Romanas antiquitates illustrantem, & in Auctore summo historiæ latinæ prælegendo versantem prætermittere, quo tempore Urbs ceteris urbibus imperatura condita fuerit, ac rem tantam silentio involutam pati; præsertim quum ea res plurimùm lucis afferat Latinis Auctoribus, qui, sicut Græci Olympiadum numero tempora notare solent, annis ab Urbe conditâ significant tempus rerum gestarum, seriemque distinguunt ætatum. Quod quum exposuero, quo ritu urbes conderentur, explicabo; his autem de magnitudine Urbis, & quibus temporibus aucta ea fuerit, prolatumque pomœtium nonuulla scitu non inju-

[a] Victor. in Aurelian. [b] Herodian. in Vitâ Comm. & Pertin. [c] Libr. 11. Cod. Just. Tit. 8 l. 3. & l. 4. [d] Euseb. in Chronic. [e] Antonin. in suamet Vitâ.

[f] Aurel. Victor. in Vitâ Aureliani. [g] Sueton. in Vitâ Caligulæ cap. 22.

injucunda subtexam. Olympiadis [a] igitur
1 sextæ anno tertio, vel quarto Romulum fundamenta Urbis jecisse Auctores ferè consentiunt; eo tempore decimum octavum, vel decimum nonum ætatis annum Romulus [b] expleverat; siquidem natus est anno primo Olympiadis secundæ; agebatur tunc annus post Olympicos ludos institutos vigesimus tertius, aut, ut [c] Dionysio placet, vigesimus quartus; ante restitutam verò salutem septingetesimus quinquagesimus quartus. Eâ tempestate Senacherib Assyriis, Isidoro teste, Candaules Lydis imperabat. Aprili mense conditam plerique memoriæ [d] prodiderunt; Plutarchus addit diem Romæ natalem fuisse duodecimum ante Kalendas Majas, quo [e] die Palilia pastorale festum celebrabatur; de quibus Tibullus ita [f] loquitur:

At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet; a stabulis tum procul esse lupi.
Ille levis stipulæ solennes potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras

& [g] Propertius:

Annuaque accenso celebrare Palilia fœno,
Qualia nunc curto lustra novantur equo

In Palilibus autem solitus videtur equus
2 immolari caudâ priùs amputatâ, quæ caviaris hostia nuncupabatur; quod etiam in sacro lustrali fiebat, sed [h] lustrale sacrum quinctо quoque anno peragebatur, Palilia verò quotannis; sed Propertius Palilia cum lustrali sacro comparat, & affirmat curtum equum [i] sacrificari, quòd ejus pars omnis præter caudam Deo dicaretur. Alii tamen natalem Urbis in autumnum transferunt; quocirca Manilius [l] cecinit:

Hesperiam sua libra tenet, qua condita Roma est.

Ut quemadmodum Auctores dubitant, natalis Orbis terrarum dies autumno, an veri debeatur; ita urbs illa, quæ compendium Orbis terrarum habebatur, autumno, an verè sit constituta, dubitatur. Tarrutius [m], qui temporibus Varronis floruit, insignis astrorum contemplator, quum arte Chaldæorum Urbis natalem indagare juberetur, quinctо Idus Apriles horâ tertiâ Romam conditam pronunciavit. Sed qui siderum positum, quem Tarrutius attribuit Romæ natali, prodiderunt, in magno errore versantur, quum scribant Venerem signorum sex intervallo a Sole abfuisse; est enim certissimum Venerem a Sole non longiùs quadraginta sex partibus abscedere. Utcun- 3
que ea se res habet, Romulum Urbis jecisse fundamenta eo, quo diximus tempore diligentissimi rerum vetustarum [n] scriptores Dionysius Halicarnasseus, [o] Plutarchusque consentiunt; quadratam autem [p] ædificasse memoriæ proditum est; his autem ritibus usus est in ædificandâ, quos in condendis urbibus Romani servaverunt; quum [q] Diis rem divinam fecisset, idemque ut ceteri facerent, imperasset; flammas circa tentoria succensas expiationis causâ novæ urbis colonos transilire jussit; unde mos mansit, ut in festo Palilium pastores flammam saltu transcenderent; quem morem quarto libro Fastorum [r] Ovidius respicit, ubi sic ait:

Certè ego transilii positas ter in ordine flammas,
Udaque roratas laurea misit aquas.

Quibus rite perfectis, ipse incinctus Ga- 4
bino cinctu urbis conditor aratro oppidi locum circumscripsit (fit autem cinctus Gabinus, ut [f] Servius docet, ex togâ sic in tergus rejectâ, ut ima ejus lacinia a tergo revocata hominem cingat) eo prœliantes utebantur; unde in procinctu esse dicuntur, qui sunt prœliaturi; ideo [t] Livius de Decio ita loquitur: *ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios immisit.* Et sanè origo ejus a prœliis; quum enim [u] Gabii sacris operarentur, nunciatum est Campanos in armis esse, ac civitatem sacrificiis intentam jam jam oppressuros; quum res moram interponi non pateretur, Gabini, ut erant induti togis, hostibus adventantibus occurrerunt; & ne sibi vestis pugnantibus esset impedimento, eo cinctu sunt usi, qui Gabinus postea est appellatus; quum autem hostes magno prœlio devicissent, deinde instituerunt, ut ita cincti pugnarent; qui mos ad Romanos antiquitus transiit, quos auctor est Polybius [x] consuevisse cinctutos prœliari; qua de causâ Veteres cinctuti sunt appellati, Horatio [y] teste, qui dixit:

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis.

Neque solùm dimicantibus in usu Gabi-
nus cinctus, verùm etiam sacra facientibus; 5
quapropter [z] Lucanus ait;

Turba

[a] Paul. Diacon. Histor. Miscell. libr. 1. ex Eutrop. libr. 1. v. Lips. ad Vellejum Paterculum. [b] Plutarch. in Vit. Romuli. [c] Dionys. Halicarn. libr. 1. cap. 9. & libr. 2. [d] Plutarch. in Vitâ Numæ p. 61. [e] Varro de R. R. libr. 2. cap. 1. Plin. libr. 18. cap. 26. Censorin. de die Natali cap. 21. Euseb. in Chronic. Propert. libr. 4. Eleg. 4 & Cic. libr. 2. de Divinatione. [f] Tibull. libr. 2. El. 5. [g] Propert. Eleg. 1. libr. 4. [h] Varro de L. L. libr. 5. & & Fest. in V. *Lustra*. [i] Festus libr. 5. & 13. & Joseph. Scalig. ad hunc. locum Propert. [l] Manilius libr. 4. Astron. [m] Cic. libr. 2. de Divin. [n] Dionys. Halicarn. libr. 1. cap. 9. [o] Plutarch. in Vitâ Numæ, [p] Solin. Polyhist. cap. 2. [q] Plutarch. in Problem. & in Vitâ Romuli. [r] Ovid. Fast. libr. 4. [f] Serv. ad libr. 7. Æneid. Virg. & Isidor. libr. 19. cap. 24. [t] Tit. Liv. libr. 8. [u] Serv. ad illud Virgil. Æneid. 7. v. *Ipse Quirinali trabeâ, cinctuque gabino*. [x] Polybius libr. 6. [y] Horat. in Arte Poët. [z] Lucanus libr. 1.

Turba minor ritu sequitur succincta Gabino;
& Consulibus, quum indicturi bellum Jani templum aperiebant. Quocirca [a] Virgilius cecinit:

Sunt geminæ belli portæ, sic nomine dicunt,
Relligione sacræ, & sævi formidine Martis.
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora, nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet Patribus sententia pugnæ,
Ipse quirinali trabeâ, cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul

Hoc igitur cinctu Romulus, ut eò, unde
6 sumus digressi, revertamur, incinctus æreo vomere in aratrum injecto, juncto [b] cum vaccâ tauro, sulcum designavit, quà muros duci oportebat; cavebatur [c] autem summâ diligentiâ, ne qua gleba extra caderet; ubi autem portas urbis fieri placuisset, vomerem ex humo extraxit; nam quà sulcus ductus fuerat sacer locus habebatur, neque transcendi poterat; ideo muros urbium sanctos esse Jurisconsulti voluerunt: [d] ut autem pateret in urbem aditus, eâ de causâ portis aratrum non imprimebatur. Hoc ritu Urbis condendæ usus est Romulus, quem Romani semper coluerunt; hinc [e] Varrone teste oppida urbes dixere ab *urbo*, vel *urvo* aratri curvaturâ, quæ etiam buris appellatur auctore Virgilio, qui [f] sic ait:

Continuò in silvis magnâ vi flexa domatur
In burim, & curvi formam accipit ulmus aratri.

Urbis [g] autem nomine colonias omnes Ro-
7 manorum nominarunt, quia omnes, ut Roma, conditæ sunt circumacto aratro; reliquas verò oppida placuit appellari, licet id discrimen plerunque non observetur; itaque Plautus Amphitruone Teleboarum oppidum vocat, & urbem; nam sic [h] ait:

...... *Contra Teleboæ ex oppido*
Legiones educunt suas nimis pulchris armis præditas;

& paulo post de Telebois ita [i] loquitur:
Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes Principes;

& Cornelius Nepos Alcibiade Athenas oppidum appellavit, urbes verò, quæ sunt a Græcis in Asiâ oppida constituta. Hoc ma-
8 ximè modo, & hac tempestate maximæ in terris urbis jacta sunt fundamenta; quæ initio [l] adeo futuræ magnitudini non respondebat, ut in eâ mille tantùm foci recenserentur, tria millia peditum, trecenti [m] equites habitarent; licet is numerus brevi nimiùm adoleverit; siquidem antequam Romulus excederet vitâ, quadraginta sex millia peditum, mille equites Romæ censebantur, ut appareret maximam urbium aliquando futuram, quæ tam brevi tantum suscepisset incrementi, & cum magnis jam posset urbibus comparari. Sed Urbis ambitus principio ita est a Romulo designatus; a foro, ubi æreum tauri simulacrum cernebatur, quia eo genere animalium usus est Romulus, sulcus est ceptus duci, ut Magnam Herculis aram amplecteretur; inde per ima montis Palatini ad Aram Consi, hinc ad curias veteres, & sacellum Larium Roma pertinebat. Quum autem non admodum magnum spatium Roma complectere- 9
rur, nullum habuit ædificium splendidum, nullum ædium altitudinem, quum ipse Romulus pastoralem casam habitaret; de qua Vitruvius libro secundo sic loquitur: *Item in Capitolio commonefacere potest, & significare mores vetustatis Romuli casa in arce sacrorum stramentis tecta*. Alludit & Poëta, qui dixit [n]:

Tunc casa Martigenam capiebat parva Quirinum

& qui [o] cecinit:

Atque utinam Romæ nemo esset dives, & ipse
Straminea posset dux habitare casâ.

Sed non diu mansit hic Urbis modus; nam ascitis [p] in civitatem Sabinis, Romanum forum, & Capitolium Titus Tatius addidit; quo tempore primùm prolatum est pomœrium, de quo vocabulo, quoniam de Urbis incrementis loquimur, quæ nunquam augebatur, quin pomœrium [q] proferretur, nonnulla sunt dicenda. Pomœrium lo- 10
cus ædificiis vacuus prope urbis muros est appellatus; qui certis [r] quibusdam ritibus, & cæremoniis consecrari solebat; ex eo autem nomen [s] accepit, quod post murum sit, & quod murus post ipsum, qui antiquo sermone mœrus dicebatur, ut intelligi potest ex Virgilio, qui libro decimo [t] sic ait:

Quin intra portas, atque ipsis prœlia miscet
Aggeribus mœrorum, & inundant sanguine fossæ

Quare [u] videtur dictum pomœrium, quasi post mœrum, eodem modo, quo ex propositione post, & voce meridies, dicitur pomeridianus. Negant [x] autem augures id spatium aratro proscindi, aut habitari fas esse; id tum demum arabatur, quum ur-

[a] Virgil. Æneid 7. [b] Ovid. libr. 4. Fastor. [c] Plutarch. in Vitâ Romuli. [d] M. Cato in fragment. [e] Varro de L. L. libr. 4. [f] Virgil. Georgic. libr. 1. [g] Varro libr. 4. L. L. [h] Plaut. Amphitr. Act. 1. sc. 1. v. 62. [i] Idem ibid. v. 100. [l] Plutarch. in Vitâ Romuli, T. Liv. libr. 1. & Dionys. Halic. libr. 1. Antiq. Rom. & Onuphr. Panvin. in Urbe Roma. [m] Plut. de Vir. Illustr. in Vitâ Romuli. [n] Ovid. Fastor. libr. 1. [o] Propert. libr. 2. El. 16. [p] Tit. Livius libr. 1. [q] A. Gell. libr. 13. cap. 14. [r] Tit. Liv. libr. 1. & Dion. Halicarn. libr. 1. Antiq. Roman. [s] Varro libr. 4. de L. L. & Plutarch. in Vitâ Romuli. [t] Virg. Æneid. 10. [u] Jul. Cæs. Scaliger. de causis L. L. cap. 21. [x] Tit. Livius libr. 1.

bes evertebantur; quò respicit [a] Horatius his verbis:

Iræ Thyesten exitio gravi
Stravere, & altis urbibus ultimæ
Stetere causæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Nam sicut urbes aratro condebantur, ex quo Virgilius [b] ait:

Interea Æneas urbem designat aratro;

ita & evertebantur aratro. Pomœrium verò muris esse conjunctum, & totum urbis ambitum circumplecti, vel Lucanus [c] his verbis ostenderit:

Mox jubet, & totam pavidis a civibus urbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro
Longa per extremos pomœria cingere fines;

& Apulejus, qui sic ait: *prorsus quasi possent tanti facinoris evadere supplicium tacitâ profectione adhuc luce dubiâ pomœrium pervaserint.*

11 Sed ut a pomœrio ad eos, qui pomœrium protulerunt, redeamus; Tullus [d] Cœlium, Ancus [e] Martius Aventinum, & Janiculum; Viminalem, Quirinalem, Exquilinumque collem [f] Servius Tullius adjecit; ita Roma septem complexa colles victorem Orbis terrarum populum cepit. Longo deinde temporis intervallo Sylla auxit Urbis amplitudinem; quem imitati sunt Cæsar, & Augustus, qui teste [g] Dione magnitudinem Romæ longiùs porrexerunt; & [h] Claudius, quum Britanniam, insulasque Britannicas Imperio adjecisset, majore ambitu Urbem terminavit; nam iis demum licebat Urbis terminos proferre, qui Imperii terminos protulissent. Et sanè augeri oportebat Ur-
12 bem sub Claudio, quo imperante censa civium sunt sexagies novies centena millia; etiam a Nerone auctum Urbis modum Lipsius [i] putat. Flavius Vopiscus memoriæ prodidit Aurelianum Urbis muros eò promovisse, ut quinquaginta millia passuum comprehenderent. Olympiodorus historicus [l] apud Photium refert Urbis muros uno & viginti milliaribus patuisse, quum capta est; quod si verum statuatur, oportet, quum Constantinus Byzantium migravit, eoque opes Imperii transtulit, Romam esse valde diminutam; vel certè id non de ambitu, sed de intervallo inter mœnia interjecto capiendum est. Utconque ea se res habet, certè satis constat & Urbem, & suburbia quinquaginta, vel etiam sexaginta millium ambitum esse complexa; *quo si quis*, inquit [m] Plinius, *altitudinem tectorum addas; dignam profectò æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto Orbe potuisse ei comparari.*

DISSERTATIO XXIV.

De Romuli Triumpho, Triumphisque Romanorum.

Trophæa e quercu suspendebantur; quia ea Jovi sacra erant; conficiebantur autem plerumque ex ligno; ne inimicitiarum memoria esset perpetua; ea tamen tollere nefas habebatur, quia adorabantur; Macedones verò inhumanum putabant per trophæa hostibus insultare. Unde trophæum dictum sit. Falsum est id, quod Lucius Florus tradit Domitium Ænobarbum, & Fabium Maximum primos Romanorum trophæa constituisse. Romulum, quum triumphavit, curru in Urbem invectum auctor est Dionysius Halicarnasseus, cui astipulatur Propertius, Plutarchus tamen putat pedibus incessisse. Ovatio unde dicta sit, dissentiunt inter se Plutarchus, Festus, & alii. An verum sit, quod Valerius Maximus tradit, oportuisse triumphaturos aliquid adjecisse imperio.

Omnium, quæ spectata sunt in terris, magnificentissimum spectaculum, quo Romana virtus maximè gloriata est, & insignita, adeoque aucta, & pæne egressa modum humanarum virium, aggredior explicare; id est triumphus ille Veterum monumentis celebratus; magnorum ducum speciosissimum decus, fortissimorum militum honestamentum, præmium virtutis, & incitamentum, victoriarum specimen, luculentissimum bene gestæ Reipublicæ testimonium; quo sola Respublica Romanorum est usa, quia sola summum virtutis adepta fastigium summam triumphi gloriam merita est, ac de omnium populorum virtute triumphavit. Hunc primus [n] instituit
Romulus, qui Cæninensibus victis, eorum- 1
que Rege obtruncato, quandam triumphi speciem invenit, quam auxere Posteri, & ad summam magnificentiam provexerunt. Nam quamvis [o] Bacchus dicatur Asiâ peragratâ, Indisque subactis princeps triumphasse, haud sanè crediderim triumphum illum Indicum similem fuisse Romanis; sed tan-

[a] Horat. libr. 1. Od. 16. [b] Virgil. Æneid. 5. [c] Lucanus libr. 1. [d] Tit. Liv. libr. 1. & Plin. de Viris Illustr. cap 4. [e] Plin. ibid. cap. 5. [f] Idem Plin. cap. 7. de Vir Illustrib. [g] Dio libr. 55. Histor. [h] Sueton. in Vit. Claud. & A Gell. libr 13. cap. 14. [i] Just. Lips. de Magnitudin. Roman. libr. 3. cap 2. [l] Olympiod. apud Photium in Bibl. n. 80. [m] Plin. libr. 3. cap. 5. [n] Tit. Liv. libr. primo, & Plutarchus in Vitâ Romuli. [o] Suidas in Voce Θρίαμβος, Avienus de Baccho, & Arrian. de Expedit. Alex. libr. 6.

tantummodo Bacchi comites lascivià solità quædam carmina in Bacchum victorem cecinisse. Itaque appellatum [a] triumphum θρίαμβον Græco vocabulo a verbo θρόειν, καὶ ἰαμβίζειν quod est *vociferari* & *jambos jacere*; vel, si fuit similis, eodemque modo celebratus, quo Romani triumphi, certè a nemine post Bacchum est usurpatus. Neque enim Cyrus devictà Asià, neque ante Cyrum Semiramis, aut Ninus eo pompæ genere suas victorias cohonestarunt. Græci autem, aliæque nationes nonnullæ devictis hostibus suæ gloriæ monumentum trophæa erigebant, quorum formam Virgilius [b] his versibus describit pereleganter:

Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias, tibi, magne, tropæum,
Bellipotens, aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum,
Perfossumque locis, clypeumque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

2 Quæ Virgilii verba declarant in trophæis expressam hominis imaginem; quapropter Minutius Felix in Octavio sic loquitur: *tropæa vestra victricia non tantùm simplicis crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur.* Nam quum (Tertulliano [c] teste, qui sic ait: *Victorias adoratis, quum in tropæis, cruces intestina sint tropæorum*;) stipiti in modum crucis deformato arma hominis imponerentur, & caput, & pectus, & brachia, & femora exprimebantur. Ex his autem Tertulliani verbis, ex quibus constat tropæa solita adorari, intelligi potest, cur tropæa dejicere, atque violare nefas haberetur; adeo ut neque illi ipsi, de quibus tropæa fuerant constituta, ea tollere auderent. Quapropter [d] quum Artemisia Regina Cariæ dolo Rhodum occupasset, & in urbe captâ magnificè tropæum statuisset, Rhodienses, quum id evertere impium ducerent, neque tamen æquo animo videre possent in urbe mediâ excitatum publici dedecoris monimentum, ædificium magno sumptu extruxerunt, quo illa tropæa tegerentur, quod ἄβατον nuncuparunt. Quam formam testan-
3 dæ victoriæ, qua sunt usæ multæ nationes, est aliquâ Romulus imitatus; nam, interfecto Cæninensium Rege, spolia cæsi ducis quercu suspendit in [e] Capitolio, sicut noster Auctor tradit his verbis: *ibique ea quum ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designavit templo Jovis fines.* In quibus verbis adnotandum est consuevisse Veteres quercubus hostium spolia suspendere; eâ fortasse de causâ, quod arbor illa Principi Deorum sacra haberetur; cui omnes victorias acceptas Veteres præcipuè referebant; quod ex citatis etiam Virgilii versibus intelligi potest; in quibus etiam observatur, quomodo credibile sit Romulum illam quercum sacram pastoribus adornasse. Sed & Lucanus exuvias, & Imperatorum dona quercubus appendi solita testatur [f] his verbis:

Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias veteres populi, sacrataque gestans
Dona ducum, nec jam validis radicibus hærens,
Pondere fixa suo est, nudosque per aëra ramos
Effundens, trunco, non frondibus efficit umbram.

Nec verò sæculi paupertati tribuere debe- 4
mus, quod Romulus non e marmore, nec ex ære, sed e ligno suæ victoriæ monumentum constare voluerit. Nam antiquitus e ligno trophæa constituebant, quod ut facerent, inducti sunt humanissimâ quadam ratione; nolebant enim inimicitiarum, & odii monumenta extare sempiterna, neque cuiquam quamvis acerrimo hosti perpetuò calamitatem exprobrari. Testatur id Siculus [g] Diodorus, qui sic ait: τίνος γὰρ χάριν οἱ πρόγονοι πάντων τῶν Ἑλλήνων ἐν ταῖς κατὰ πόλεμον νίκαις κατέδειξαν οὐ διὰ λίθων, διὰ δὲ τυχόντων ξύλων ἱστάναι τὰ τροπαῖα; ἆρ' οὐχ ὅπως ὀλίγον χρόνον διαμένοντα, ταχέως ἀφανίζηται τὰ τῆς ἐχθρᾶς ὑπομνήματα: hoc est: *cujus rei gratiâ omnium Græcorum Majores instituerunt, ut trophæa non e lapide, sed e vulgaribus lignis ponerentur? nonne ut ad breve tempus permanentibus iis inimicitiarum monumenta deleantur?* Macedones [h] verò inhumanum
putabant per trophæa, quantumvis fluxa, 5
& brevi peritura victis hostibus insultare; quapropter neque Philippum, neque Alexandrum, neque alium Macedonem, quamvis Orbem terrarum victoriis complevetint, excitasse trophæum comperimus. Hac autem de causâ Macedones eo victoriæ honestamento semper abstinuisse dicuntur; quum [i] Caranus, qui fuit unus ex antiquissimis Macedoniæ Regibus, Cusseo finitimo Rege devicto trophæum more Græcorum statuisset, extemplo ex Olympo monte leo immani magnitudine dicitur descendisse, qui trophæum dejecit, afflixit, disjecit, dissipavit; id habitum prodigii loco, & Macedonibus incessit religio trophæa statuendi; ceteris Græcis non item, qui quamvis frequentiùs ex materiâ minùs

[a] Varro de Ling. Lat. libr. 5. & Isidor. libr. 18. cap. 15. [b] Virgil. Æneid. 11. in princip. [c] Tertull. in Apologet. cap. 16. [d] Vitruvius libr. 2. cap. 8. [e] Tit. Livius libr. 1. [f] Lucan. libr. 1. [g] Diodor. Sicul. libr. 13. [h] Pausanias libr. 9. sive in Bœoticis circa finem. [i] Pausan. ibidem.

nùs durabili trophæa plerumque constituerent, tamen & ex marmore, & ex ære monumenta victoriæ confecerunt; ideo Pausanias [a] ait: τῦ τάφυ δὲ ἔμπροσθεν τρόπαιον λίθυ πεποίηται κατ' ἀνδρὸς Ἀργείυ Λαφάυς: hoc est: *ante sepulcrum trophæum e lapide confectum est de Laphae viro Argivo constitutum*; & alio in loco: τρόπαιόν ἐςὶν ἐκ λίθυ πεποιημένον ἀπὸ Λακεδαιμονίων τε, καὶ Ἀγίδος: *trophæum ex lapide factum a Lacedæmoniis, & Agide*; & Eliacorum libro priore tradit in Elide trophæum ex ære fuisse. Po-
6 nebantur autem trophæa statim victoriâ partâ; soli [b] Thebani, antequam cum Spartanis in Leuctris prælium committerent, ex oraculi monitu trophæum de Lacedæmoniis erexerunt; & id omen fuit certissimum Leuctricæ victoriæ. Trophæa verò plerumque Jovi dicabantur; ideo tradit Eustathius Jovem Tropæum appellatum; quare minimè mirum est, si Livius Romulum scribit trophæa de Cæninensium Rege Pheretrio Jovi consecrasse. Dio tamen historiarum libro quadragesimo secundo memoriæ prodidit Cæsarem trophæa Mithridatis de Triario constituta, utpote sacra bellicis Diis non dejecisse. Quo verò in loco fusi, fugatique fuerant hostes, trophæa erigebantur, si credimus Eustachio, & tropæa ἀπὸ τῆς τροπῆς, *ab hostium* scilicet *fugâ*, nominabantur, ut [d] Varro, Etymologicum magnum, Eustathiusque testantur. Pompejus [e] Magnus tamen Hispanico bello victor in Pirenæis montibus trophæum excitavit, & Mithridate debellato, in triumpho tulit de Orbe terrarum trophæum. Nec
7 magnâ victoriâ trophæi decus parabatur; itaque sæpe accidebat, ut quum duo exercitus infesti concurrissent, utrique trophæum quasi victores excitarent. Exemplum est apud Thucydidem libro primo; quo in loco Historicus tradit Corinthios cum Corcyræis classe conflixisse, & majorem quidem navium numerum cepisse Corinthios, vel depressisse; præterea Corinthios potitos ex magnâ parte naufragiis; verumtamen, quia postero die Corcyræis lacessentibus Corinthii prælium detrectarant, utrosque trophæum statuisse. Plerumque tamen, qui hostibus in prælio cæsos concessissent ad sepulturam, trophæi jus habere putabantur; interdum verò qui plures cecidissent; sic apud [f] Thucydidem Bottiaci quum adversus Athenienses dimicassent, & ex Atheniensium copiis plures essent desiderati, licet Athenienses amissos in eâ pugnâ cives, non impetratâ ab hostibus sepulturâ, humassent, trophæum potuerunt. Sed ut ad Romulum revertamur, quum omnia, quæ 8
ubique egregia videbantur, imitaretur, etiam trophæa statuendi morem sumpsit a Græcis. Quapropter Lucius [g] Florus haudquaquam est audiendus, qui putat Domitium Ænobarbum, & Fabium Maximum Romanorum primos trophæa statuisse, qui saxeas turres, quibus locis dimicaverant, extructas trophæis exornarunt. Verumtamen ea forma ostentandæ victoriæ non satis habere visa est dignitatis; itaque, etsi eam censuit Romulus retinendam, augustius tamen decus, honoremque speciosiorem victoribus addendum existimavit, quem vel ipse, vel Posteri triumphum appellarunt. Nam quòd [h] sequentibus militibus victoriâ ovantibus, plaudente populo, & admi- 9
rante, hostis cæsi spolia ferens incessit per Urbem cum acclamationibus, carminibusque militum, & popularium, videtur pompam triumphi primus ostendisse; quamvis ea potius ovatio, quàm triumphus posset nominari; nisi fortè Dionysii [i] Halicarnassei libet auctoritatem sequi, qui ipsum in Urbem curru invectum esse tradit; cui [l] Propertius astipulatur his verbis:

Hinc Tatiens, Ramnesque viri, Luceresque coloni,

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Quos audire si volumus nihil illi ad veri speciem triumphi defuit; sed [m] Plutarchus repugnat, & pedibus incessisse per Urbem putat, eo ductus argumento, quod statuæ Romuli trophæum ferentes non in equo, curruve, sed pedestres omnes cernerentur; Tarquiniumque affirmat, aut Publicolam principem in curru triumphasse; multaque addidisse, quibus ejus pompa spectaculi augeretur. De qua quoniam Livius ubique loquitur, de eâ dicendum esse visum est; 10
ac primùm explicabo, quibus hominibus, quibusque de causis in Urbem liceret invehi triumphantibus; deinde nonnulla subtexam, quibus triumphorum forma ob oculos ponetur, & enarrabitur. Et ut hinc potissimùm exordium sumam, videntur in hoc Romani a Lacedæmoniis magnopere discrepasse; nam Lacedæmoniorum fuit institutum magis honorare duces, qui sine cruore bellum confecissent, quàm eos, qui magnos exercitus cecidissent; siquidem Lycurgi [n] lege cautum est, ut si quis hostes vi, manuque profligasset, Gallum; siquis consilio præclarè Rempublicam gessisset, & do-
lo

---

a Paus. in Corinth. sive l. 2. *b* Idem in Messen sive libr. 4. *c* T. Liv. libr. 1. & Plutarch. in Vit. Romul. *d* Varr. Dimarg. apud Nonn. *e* Sall. apud Serv. in 11. libr. Æneid. Virg. Strabo libr. 3. & libr. 4. & Plin. libr. 3. cap. 3. & libr. 7. cap. 26. & libr. 37. cap. 2. *f* Thucydid. libr. 2. *g* Luc. Florus libr. 2. cap. 2. *h* Plutarch. in Vit. Romuli, & Tit. Livius libr. 1. *i* Dionys. Halicarnass. libr. *l* Propertius libr. 4 Eleg. 1. *m* Plutarch. in Vitâ Romuli. *n* Plutarch. in Vitâ Marcelli.

lo grassatus esset, & victoriam consequutus, bovem immolaret. Contra [a] autem Romani non concesserunt ducibus, ut triumpharent, qui nullis hostium copiis cæsis rem transegerant, licet aliquem populum, aut urbem subegissent; ut exempli gratiâ [b] Camillus, quum sibi a magistro proditos nobiles pueros ultro Faleriis reddidisset, & admiratione virtutis, & justitiæ, & beneficio, non armis victum eum populum ad deditionem compulisset, non triumphavit. Nec illi quoque triumpha-
11 bant, qui pauciores hostes ceciderant, aut cum hoste non justo conflixerant, aut humilis ille fuerat, & non satis dignus, de quo triumpharetur; his permissum dumtaxat, ut [c] ovantes Urbem ingrederentur, quibus neque curru invehi licebat, neque lauro coronari, sed myrto. Quapropter [d] Crassus fugitivorum bello confecto, a senatu pro magno beneficio impetravit, ut ovans laureâ coronâ insigniretur. Nec [e] sceptrum gestabant, ut triumphantes, nec togâ pictâ, sed [f] purpureâ induebantur; nec [g] tubicines comitabantur, sed tibicines; quod triumphi genus ovatio dicebatur, quæ Græcis [h] minor, vel pedestris triumphus apppellatur. Quod nomen nonnulli [i] putant e Græciâ profectum, ubi Olympiæ victoribus acclamari solebat: ὀλυμπιονίκα ὔα, ὀλυμπιονίκα ὔα, ac dictam ovationem, quasi uvationem. Festo [l] verò placet ovare esse lætari, expressamque ovandi verbo eam, quæ triumphantem comitabatur, lætitiam militarem; sed [m] Plutarchus veriùs existimat ab ove dictam, quam ovantes immolabant, non taurum, quemadmodum triumphantes. Triumphi verò glo-
12 riam concedebant iis, qui cum justo hoste pugnaverant, qui magnas copias deleverant, qui vi Rempublicam auxerant; quæ si omnia concurrerent, triumphus a senatu decernebatur. Senatus autem iis, qui a bello ad triumphum revertissent, ad Ædem Bellonæ [n] dabatur; sed illud inprimis cavebatur, ne cuiquam triumphus decerneretur, qui civem devicisset; ea res magnam invidiam habebat. Quapropter [o] Septimii Severi moderatio jure laudatur, qui quum oppresso Nigro, etiam Parthos compressisset, & Adiabenos, Arabasque subegisset, triumphum, quem ducere poterat præclarissimum, recusavit; ne triumphare de cive, non de hostibus videretur. Nam de cive, quantumvis impio, impium ducebant triumphare; quocirca Lucanus [p] de bello civili Cæsaris, & Pompeji cecinit:

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Et sanè Cæsar suso Magno Pompejo, victorque bello Pharsalico triumphum non duxit, sed [q] de Pompeji Liberis duxit; quem ego triumphum arbitror funestum Reipublicæ, Populo Romano luctuosum fuisse; quo, clade tot cæsorum civium, tanquam aliquo insigni bono, Patria exultare, festosque dies agere cogebatur: quo ejus viri Liberi tanquam hostes tractabantur, qui de tribus terrarum partibus ductis præclarissimis tribus triumphis, populum Romanum victorem Orbis terrarum esse victoriâ testatus fuerat. Nec satis ipsi fuit de civibus triumphare; etiam Q. Fabium Maximum, & Quinctum Ciceronem, qui nullum aliud bellum, quàm adversùs civem gesserant, honore triumphi cohonestavit; ita tres ducti triumphi propter eam victoriam, ob quam unus duci sine nefario scelere non potuisset. Ceterum hæc flagitia amissâ libertate Roma vidit; nam antea neque Sylla de Mario, neque de Catalinâ Antonius, neque alii perniciosis Reipublicæ civibus profligatis triumpharant. Sed & illud requirebatur [r], ut qui fudisset hostes, & eo- 13
rum non pauciores quinque millibus cecidisset, cum imperio esset, nec alterius auspiciis militaret. Qua de causâ [s] Dio Cæsarem irridendum putavit, quòd Pedio, Fabioque suis legatis triumphum decerni curavisset; erat quippe absurdum eum, qui non suis auspiciis uteretur, triumphare. L. Martius eques [t] Romanus interfectis cum exercitu in Hispaniâ Scipionibus militum consensu dux creatus, duos punicos exercitus victores fugaverat, Pœnorum ingentem numerum trucidarat, remque Romanam in Hispaniâ labantem sustinuerat, & in pristinum statum restituerat; nihil actum de ejus triumpho, quia eques Romanus auctoritate non publicâ rem gesserat; & quod majus est, Scipio [u] ipse quum in Hispaniâ quatuor punicos exercitus delesset, Hispanos rebellantes contudisset, provinciamque pacatam successori reliquisset; quod non Consul, non Prætor administrasset Rempublicam, triumphum a senatu non impetravit. Aliâ verò de [x] causâ Marcello denegatus est honos triumphandi, quum 14
captis Syracusis, rebusque præclarè gestis, e Siciliâ decessisset; quod hostes adhuc superesse dicerentur, & non omnino pacatam provinciam esse ejus obtrectatores objicerent.

---

[a] Valer Maxim. libr. 2. cap. 3. [b] Tit. Liv. libr. 5. [c] Plin. libr. 15. cap 29. & A. Gell. libr. 5. cap. 6. [d] Plutarch. in Vit. Crassi. [e] Dionys. Halicarnass. libr. 9. cap. 6. [f] Sueton. in Vit. Neron. cap. 25. [g] Plutarch. in Vit. Marcelli. [h] Dionys. Halicarnass. libr. 5. cap. 6. [i] Xiphilin pag. 181. [l] Fest. libr. 13. [m] Plutarch. in Vit. Marcelli. [n] T. Liv. libr. 26. & 28. & 33. & alibi sæpe. [o] Æl. Spart. in Vit. Severi Imper. & Herodian. l. 3. [p] Lucanus libr. 1. [q] Sueton. in Vitâ Cæsaris cap. 37 & Plutarch. in Vitâ ejusdem. [r] Valer. Maximus libr. 2. cap. 3. [s] Dio Hist. libr. 43. [t] Tit. Liv. libr. 25. [u] Val. Max. libr. 2. c. 3. & T. Liv. libr. 28. [x] Idem ibid. & Plutarch. in Vit. Marcelli.

cerent. Ex quo conjici potest, non nisi ei, qui bellum confecisset, triumphum Patres decrevisse; qui tamen Marcellus, more *a* multis usurpato, in Albano monte triumphavit, ovans in urbem ingressus est. Offecit etiam Marcelli triompho, quod jam bis antea triumpharat, & invidiosum admodum videbatur ter eundem triumphare; & quod Seniores Marcellum corrupisse Romanam disciplinam arguebant; quum ornamenta Syracusarum Romam transferendo populum magnorum artificum signa, tabulasque pictas mirari docuisset; sed invidia, qua Marcellus laborabat, minus pertinet ad justas causas triumphi denegandi. Adjicit autem *b* Valerius Maximus oportere triumphaturos aliquid Imperio adjecisse, & non amissa recuperasse, aut parta, quantumvis insigni victoriâ, custodisse; ideo Q. Fulvium *c* captâ Capuâ non triumphasse; sed mihi ambigua videtur hæc conjectatio, quum & Camillum *d* Urbe recuperatâ, & Duilium *e* navalem victoriam consequutum, & Livium *f* Salinatorem fusis Pœnis, & *g* Marium Teutonum, & Cimbrorum exercitu deleto ingentis quidem victoriæ compotes, sed non prolatis Imperii finibus triumphasse comperiamus. Quid ergo est? meminisse oportet in arbitrio senatus fuisse positum decernere victoribus triumphum, vel denegare; quum igitur vel imperator gratiosus, vel victoriæ genus esset hujusmodi, ut ejus auctori non invidiam, sed favorem, benevolentiamque, & admirationem conciliaret, non omnia ad vivum resecabantur; nec ad summam illam veritatem legitimam triumphandi jus exigebatur; quum contra summo jure cum ducibus agebatur, si quidquam deesse videretur ad excellentissimam, supremamque laudem, justa causa subesse denegandi triumphi putabatur. Atque his de causis, & his rebus gestis homines apud Veteres triumphi gloriam assequebantur.



DISSERTATIO XXV.

De Romanorum Triumphis.

Valerius Maximus Marcellum captis Syracusis non triumphasse tradit, quòd nullum magistratum gereret; aliam tamen affert causam Livius, & aliam Plutarchus. Supplicatio ad omnia Deorum pulvinaria triumpho prælude-bat; quot autem dierum decerneretur. Tiberio ob peregrinationem suburbanam Senatores quidam triumphum censuerunt; quem Tiberius increpitis auctoribus recusavit. Caligula, quum ducto adversùs Oceanum exercitu nihil aliud militibus imperasset, quàm ut conchas legerent, triumphum adornabat. Nero musico certamine victor, triumphavit; & Domitianus pluribus cladibus a Decebalo acceptis. Principes censent, quidquid est excelsum, gloriosum, ad suum duntaxat fastigium pertinere; ideo in liberis civitatibus major exiliit copia excellentium virorum. Ornamentis triumphalibus primum Agrippam fuisse insignitum Dio tradit; Suetonius verò Tiberium, alii Masinissam. Galbineum colorem Salmasius aureum interpretatur.

SUperiore, quam proximè diximus, dissertatione de triumphis tradidimus, quibus ex causis, & quibus hominibus liceret triumphare; & affirmavimus, eum honorem concessisse Romanos imperatoribus, qui præditi *h* magistratu, & ductu suo, auspiciisque bellum præclarè gessissent; qui non piratas, aut fugitivos, sed nobilem aliquam nationem armis contudissent. Nam de piratis neque *i* Pompejus ipse, qui maximas eorum classes deleverat, & ab Herculis columnis ad Paludem mæoticam, & Mare Eoum, trium mensium intervallo sublatis penitus prædonibus, provincias omnes pacaverat, triumphum postulavit; quamvis ea victoria maximè omnium, quas Romani duces fuerant consequuti, mirabilis, utilisque Reipublicæ posset judicari. Insuper diximus id honoris concessum iis, qui bello confecto e provinciâ decessissent, & non minus, quàm quinque millia hostium cecidissent. Sed quia hæc non omnia perpetuò sunt observata, in quibus hæc non observaverint Romani, dicemus; tum reliqua, quæ de triumphi pompâ nos polliciti fuimus esse dicturos, exequemur. Nam quod

a Tit. Livius libr. 42. Plutarch. in Vitâ Marcelli. *b* Valer. Maximus libr. 2. cap. 3. *c* Idem eodem loco. *d* Plutarch. in Vitâ Camilli. *e* Luc. Flor. libr. 2. cap. 2. *f* Tit. Livius libr. 28. & Luc. Flor. libr. 2. cap. 6. *g* Plutarch. in Vitâ Marii, & Luc. Flor. libr. 3. cap. 3. *h* T. Livius libr. ... & libr. 31. *i* Plutarch. in Vitâ Pompeji, Luc. Flor. libr. 3. cap. 6. & Plin. de Vir. Illustrib. cap. 77. secus tradit Plin. libr. 7. cap. 26. & libr. 37. cap. 2.

quod dicebamus non licuisse ducibus Romanis, nisi bello confecto, triumphare, id non perpetuum fuisse animadvertimus; siquidem Claudius Nero [a] Consul, Liviusque [b] Salinator cæso Asdrubalis exercitu in Urbem invecti sunt triumphantes; confusis quidem ingenti prœlio hostibus, & Urbe maximo metu liberatâ, sed non bello confecto; quum major moles adversus Hannibalem, ceterosque duces Karthaginiensium superesset; & [c] Lucullus, quamvis non suâ, sed militum culpâ bellum Mithridaticum non profligarit, tamen ex Asiâ decessit, antequam duos acerrimos hostes populi Romani Mithridatem, Tigranemque perdomuisset; nihilo secius auctore Cicerone præclarissimum egit triumphum; ut dubitare liceat utrum Marcello, cujus attu-
2 limus exemplum in superiore dissertatione, causa non triumphandi fuerit ea, quam affert Livius [d], quòd bello non confecto prorsus e provinciâ decesserit; an verior habenda sit ea, quam ponit [e] Plutarchus, non triumphasse Marcellum, quia non vi ceperat Syracusas, sed ipsis Syracusanis dedentibus receperat; an illa, quam affert Valerius [f] Maximus, qui tradit Marcellum ob captas Syracusas honore triumphi caruisse, quia rem gesserat nullo præditus magistratu; vel certè [g] Marcello obtrectatores obstitere, qui omnibus magnis viris nunquam defuerunt; nec Marcello destiterunt obtrectare; quod vel ex eo constat, quod Siculos impulerunt ejus Inimici, ut virum clarissimâ victoriâ florentem, & tum maximè Consulem in Senatu reum facerent; quum nihil in eo posset reprehendi, nisi quod Siciliâ Pœnos ejecerat, populumque Romanum nobilissimæ victoriæ compotem fecerat. Quare non ausim affirmare, quod
3 dixi, nemini triumphare licuisse, nisi ei, qui bellum profligasset; illud certius est, iis, qui sine magistratu [h] Rempublicam, devictis hostibus, prosperè administrassent, honorem triumphi denegatum; quod in Pompejo Plutarchus affirmat, negatque licuisse ulli triumphare, qui non Prætor, aut Consul bellum gessisset. Quod tamen non semper est observatum; nam [i] Scipio finito bello Punico de Carthaginiensibus triumphavit; quum Proconsul id bellum administrasset, non Consul, aut Prætor; & Quinctus [l] Flaminius Proconsul de Philippo Rege Macedoniæ speciosissimum egit triumphum; sed & [m] Servilius Proconsul, quòd Cilicas, & Isauros indomitas nationes perdomuisset, triumphalem est lauream consequutus; &, ut antiquiora tempora repetamus, Publius [n] Philo Campanis, & Palæpolitanis devictis eodem honore affectus fuit; quum neque Dictator, neque Consul, neque Prætor, sed Proconsul Romanis copiis imperasset, & hostes debellasset.
An igitur tot exemplis falsum ostenditur, 4
quod gravissimi Auctores prodidere? absurdum profectò, absurdum est locupletissimos testes protulisse falsum arbitrari. Quapropter ineunda ratio est, qua tot exempla, quæ videntur eorum opinioni esse contraria, nihil adversari demonstremus. Verisimile est ergo iis, qui ex consulatu, vel præturâ Proconsules, Proprætoresve facti hostes devicissent, bellumque confecissent, concessam triumphandi facultatem; qui profectò non eo jure, quod tunc habebant, quum bellum profligarunt, sed eo, quod habuerant ante bellum profligatum, eum honorem sunt assequuti; iis verò denegatam, qui nullo gesto magistratu Proconsules essent creati, quòd neque haberent, neque habuissent jus triumphandi. Qua [o] de causâ Scipio Hispaniensi bello confecto, licet in eo mirificas res gessisset, & omnibus honoribus decorandas, non triumphavit; triumphavit [p] Africano, nam in Hispaniam missus est Proconsul, quum antea privatus esset, in Africam Consul; sed quum in apparatu belli annum ferè consumpsisset, Proconsul in Africam trajecit, Punicosque exercitus, Re-
gemque Syphacem, atque ipsum Hanniba- 5
lem vicit, atque delevit. Eâ de causâ Pompejum Sylla hortabatur, ut invidiæ plenam triumphi lauream recusaret; quum nullo præditus magistratu in Italiâ Carbonem, aliosque [q] duces, in Siciliâ Perpennam, in Africâ Domitium, Carbonemque rursus devicisset; cui Syllæ consilio quum Pompejus non obtemperasset, adhuc [r] eques Romanus, quod ante eam diem fuerat inauditum, triumphavit. Sed & quum missus esset in Hispaniam Proconsul, res quidem gessit memoriâ dignissimas, ingentes fudit exercitus, octingentas [s] urbes aut deditas recepit, aut expugnavit, Hispaniam universam pacavit; sed quia nullum gesserat magistratum, triumphi decus non merebatur, & tamen triumphavit. Quare & secundus Pompeji triumphus non jure ductus videtur; tertius quoque triumphus habuit aliquid novum, & inusitatum; nam quum triumphaturi se-

a Tit. Livius libr. 28. & Plin. de Viris Illustr. cap. 48. & 50. b Luc. Flor. libr. 2. cap. 6. & Tit. Liv. ibid. c Plutarch. in Vit. Luculli. d Tit. Livius libr. 26. e Plutarch. in Vitâ Marcelli f Valer. Maxim. libr. 2. cap. 3. g Plin. de Vir. Illustribus cap. 45. h Valer. Maxim. libr. 2. cap. 3. i Tit. Liv. libr. 28. l Plutarch. in Vitâ Flamin. m Sextus Rufus. n Tit. Livius libr. 8. o Plin. de Viris Illustrib. cap. 49. p T. Liv. libr. 28. & 36. q T. Livius libr. 28. & Plutarchus in Vitâ Pompeji. r Valer. Maxim. libr. 8. cap. 16. s Plin. libr. 3. cap. 3. & libr. 7. cap. 26.

cum ducerent ad Urbem exercitum, Pompejus Magnus simul atque Italiam attigit, dimisit exercitum. Quod ille quamvis fecerit, ut eximeret animis civium metum, tamen fuit insolitum quemquam sine militibus, ut ait [a] Dio, triumphum ducere; quum ob hanc caussam nisi ei, qui e provinciâ deduxisset exercitum, triumphus negaretur. Sed
6 labente Republicâ multa fiebant contra mores, & instituta Majorum, honoresque immodici a senatu decernebantur; cujus exemplum rei illud afferam, quod proximè attingit triumphum; nam supplicatio [b] ad omnia Deorum pulvinaria triumpho præludebat; in qua dici vix potest, quantum excesserint modum ab Antiquis servatum ultima senescentis Reipublicæ tempora; nam priscis ducibus ob excisas ingentes urbes, cæsus hostium exercitus tridui supplicatio [c] decernebatur; fuit in [d] Camillo novum, quod Veiis captis opulentissimâ urbe, ut quatriduum supplicatio haberetur, senatus decrevit; quum Claudius [e] Nero, Liviusque Salinator cæso Asdrubale cum quinquaginta sex millibus Pœnorum, ingenti metu Rempublicam liberassent, triduum supplicatio fuit. Nec [f] spatium majus datum Scipioni, quum hærentem Italiæ visceribus pestem avertisset, & Hannibalem in Africam retraxisset, & ex Italiæ possessione dejecisset, & fusis, fugatisque Punicis exercitibus, Hannibale superato, Syphace capto, Romæ Carthaginem subjecisset. Cæsari [g] autem ob res in Galliâ pro-
7 sperè gestas quindecim dierum supplicationem; additâ verò, ostensaque Romanis Britanniâ viginti dierum esse voluerunt. Idem verò quum Ægyptium bellum, aliaque confecisset, quadraginta dies haberi supplicationem Patres decreverunt; & quum Pompeji Liberos, Catonemque, & Scipionem, aliosque cives in Africâ Cæsar profligasset, senatui placuit, quinquaginta dies Diis immortalibus supplicari. Quo tempore quisnam Romanis fuerit habitus animorum, non possum suspicari; quum tanquam ingens aliquod bonum consequuti, pro tot millibus civium præstantissimorum interfectis Diis gratias agere cogerentur. Eodem modo in triumpho non servaverunt leges a Majoribus constitutas corruptâ Republicâ, quæ amissâ libertate prorsus obsoleverunt. Nam [h] Tiberio Princi-
8 pe non defuerunt in senatu, qui censerent Imperatori triumphum ob peregrinationem suburbanam; quem licet Tiberius increpitis auctoribus ejus sententiæ recusarit, tamen hinc conjici potest, quò in eo genere progrederetur adulatio: Caligula [i], quum in Oceani litore directâ acie, tormentis, machinisque dispositis diu stetisset, neque aliud militibus, quàm ut conchas legerent, imperasset, quasi Oceano domito triumphalem pompam adornabat; & [l] Nero musico certamine victor albis equis triumphavit; nec Nero calvus [m] Domitianus justiore de causâ, licet graviore, triumphans invectus est in Urbem; qui quum a Decebalo Rege Dacorum plurimas clades accepisset, quasi Dacis devictis, eundem honorem usurpavit. Sed hæc fuerunt monstra Reipublicæ, nos his prætermissis ad triumphi pompam procedamus; sed ante dicendum de honore, qui eversâ Republicâ triumpho successit, & his haberi solebat, qui res triumpho dignas gessissent, neque tamen triumpharę, quia Cæsares non essent, sinerentur; is honos ducibus tribuebatur, quum triumphalibus ornamentis honestabantur. Hujus initium rei ab Agrippâ cepit, teste [n] Dione, qui quum Bosphoranos 9
domuisset, Regemque Polemonem ipsis imposuisset, litteras ad senatum de re bene gestâ non misit, ac triumphum, quamvis decretum sibi, ducere supersedit, ac tantummodo contentus fuit triumphalibus ornamentis. Quod ab Agrippâ factum est honorum satietate, quos Augustus in eum congesserat; & fortasse perversa ambitione, ut major honoribus videretur; sed vertit in damnum Posterorum; nam eo exemplo moniti Romani Principes deinde multis triumphalia ornamenta tribuerunt, triumphi gloriam nemini concessere; sed sibi tanquam eximiam, & altiorem privatâ fortunâ reservarunt. Principes quippe æquum censent, quidquid est excelsum, eminens, gloriosum, ad suum dumtaxat fastigium pertinere; nec sinunt efferri quemquam altiùs, dum ne quis æquetur sibi, pertimescunt; ideo in liberis civitatibus major existit copia excellentium virorum; quia licet ad altissimâ quæque niti; nec premitur indoles civium invidiâ, & suspicaci regnantium potestate. Suetonius [o] tamen scribit, 10
quosdam existimasse Tiberium primum triumphalis ornamenta esse consequutum; quum enim Pannoniam rebellantem contudisset, senatus Tiberio triumphum decrevit; sed Augustus moderandos juvenis honores arbitratus triumphum Tiberio denegavit; ut autem triumphalibus ornamentis insigni-

a Dio Cassius libr. 37. b Cic. Catilin. 3. & T. Liv. libr. 3. & libr. 5. & alibi. c Tit. Livius libr. 5. & 33. & 34 & 35. & alibi. d Tit. Livius libr. 5. e Idem libr. 28. f Idem libr 30. g Jul. Cæsar. libr. 2. Bell. Gall. in fin. & Plutarch. in ejus Vitâ.

h Cornel. Tacit. libr. 3. Annal. n. 47. i Dissert. 6 in Liv. n. 6. l Sueton in Vitâ Neron. cap. 25. m Idem in Vitâ Domitiani cap. 6. n Dio Cassius libr. 54. o Sueton. in Vitâ Tiberii cap. 9.

insigniretur, concessit; Vir eruditus autem putat Masinissam primum triumphalibus ornamentis esse decoratum, ejusque moris inventorem Scipionem Africanum fuisse. Et sanè [a] Scipio Africanus Masinissam in concione Regem appellatum aureâ coronâ, aureâ paterâ, sellâ curuli eburneâ, togâ pictâ, tunicaque palmatâ, & eburneo scipione donavit; insuper addidit verbis honorem: *neque magnificentius quidquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse*, eoque solum omnium externorum dignum esse habitum Regem Masinissam. Quæ verba perpendenti videri potest Scipio voluisse Masinissam triumphalibus ornamentis honestare; nec negare possumus dona Scipionis aliquid habuisse peculiare, maximeque conjunctum cum victoriâ; nec temerè alium reperias, cui sit omnis ornatus, vestisque triumphantium

11 tributa, nisi Masinissam. Ægypti [b] Regi Ptolemæo senatus misit togam, tunicamque purpuream cum sellâ eburneâ; Eumeni Regi Pergami dona quam amplissima data cum sellâ curuli, & eburneo scipione; Ariarathi [c] Polybius missam a senatu refert eburneam sellam cum eburneo scipione; Ptolemæum [d] Mauritaniæ Regem Tiberius, quum in Africâ Romanas copias adjuvisset, togâ pictâ, sellaque curuli donavit; neminem nisi Masinissam & aureâ coronâ, & paterâ, & sellâ curuli, & togâ pictâ, & tunicâ palmatâ, & eburneo scipione decoratum comperias. Neque tamen verè dici posse arbitror auctum fuisse triumphalibus ornamentis Masinissam; nam quo pacto Scipio poterat aliquem insignire triumphantium honestamentis, quum ipse ea, nisi senatu concedente, usurpare non posset? Ad eundem quippe & triumphum decernere, & triumphi ornamenta pertinebat; atqui [e] jus triumphi decernendi ad senatum pertinebat; ad eundem igitur & jus triumphi ornamenta tribuendi spectabat, non ad Scipionem. Quid quod non Masi-

12 nissa primus ea munera dicitur accepisse, sed Porsena [f] Rex Etruscorum, quum pace compositâ ab obsidione Urbis abscessisset, & multa beneficia in populum Romanum contulisset; quibus remunerandis senatus Porsenæ misit eburneam sellam, eburneum scipionem, auream coronam, vestemque triumphalem? Accedit eodem, quod Insignibus triumphi nonnulla continētur, quæ non sunt Masinissæ tributa; nam præter vestem triumphalem, præter auream coronam, & sceptrum, decernebantur supplicationes, decernebatur nomen Imperatoris, decernabatur statua iis, qui triumphi Insignia essent consequuti. Præterea pro victoriâ victimas immolabant; nam solus currus, & triumphi pompa deerat triumphalia adeptis ornamenta; ceteri omnes honores triumphantium tribuebantur. Putidum autem fuerit hæc omnia fuisse decora triumphantium allatis Auctorum 13
locis ostendere; statuas tamen iis, qui triumphum egerant, aut triumphalia meruerant, decretas, minùs pervulgatum; ideo non omittendum. Respicit autem ad statuas triumphales inter ceteros [g] Juvenalis his verbis:

Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum,
Sportula, deinde forum, jurisque peritus Apollo,
Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Ægyptius, atque Arabarches

& Cornelius [h] Tacitus, qui libro quarto sic ait: *nam priores duces sibi impetrando triumphalium Insigni sufficere res suas crediderant, hostes omittebant; jamque tres laureatæ in Urbe statuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas*; ubi notandum est statuas triumphales fuisse laureatas; & Plinius [i] libro tricesimo tertio, qui tradit lini solitas argento mixto sulfure, & ære cyprio, quibus, ut ejus verbis utar, augebatur pretium fulgoris excæcati; & Plinius junior libro secundo epistolâ septimâ, qui refert Vestricio Spurinæ, auctore Principe, decretam a senatu statuam triumphalem; qui Plinii locus declarat aliquando prætermissis aliis ornamentis decerni solitam statuam dumtaxat triumphalem; neque enim quum Plinius ibi recenseat honores Vestricio Spurinæ a senatu concessos, de ceteris Insignibus triumphalium siluisset, si Vestricio senatus ea tribuisset. Illud etiam adnotandum triumphalem statuam interdum benevolentiâ Principis his interdum constitutam, qui nunquam aciem, numquam castra viderant, neque tubæ sonitum, nisi in spectaculis audiverant; triumphalis autem statua vocabatur, quæ triumphantis habitum referebat. Verumtamen hi, qui trium-
phalibus ornamentis afficiebantur, pro tri- 14
umpho umbram triumphi dici poterant consequuti; quod enim speciosissimum erat in triumpho, eo carebant, quod in pompâ cernebatur, qua in Urbem victores invehebantur; de qua mihi video disserendum. Quum igitur duces cum insigni victoriâ revertebantur, ad Ædem [l] Bellonæ sena-

[a] Tit. Livius libr. 30. [b] Idem libr. 26. [c] Polybius Except. Legat. 121. [d] Cornel. Tacit. libr. 4. Annal. n. 26. [e] T. Liv. libr. 26. & 28. & 29. & Val. Maxim. libr. 2. cap. 3. [f] Dionys. Halic. libr. 5.

[g] Juven. Sat. 1. v. 127. [h] Corn. Tac. Annal. l. 4. n. 23. [i] Plin. libr. 33. cap. 9. [l] Tit. Livius libr. 26. & 28. & 29. & 33. & alibi.

senatus habebatur; ea verò Ædes extra
Urbem fuit; nam Veneris, Vulcani [a],
Martis [b], & bellicosorum numinum tem-
pla extra urbem plerumque condebant, ut
Vitruvius [c] præcipit; ne juventus libidi-
ni assuesceret, neve incendiis esset obno-
xia, aut discordiâ civium laboraret, licet
id semper non sit observatum; & [d] Martis,
Ultoris, & [e] Veneris, & [f] Vulcani templa,
Etruscorum disciplinâ repugnante, in Ur-
be conspicerentur. Ideo autem extra Ur-
bem senatus dabatur triumphaturis, quia
antequam triumphus ageretur, ingredi
Urbem ducibus haudquaquam [g] licebat;
vel ne imperium ingressis [h] minueretur,
sine quo fas non erat triumphare; vel ne
quum fuissent auspicatò profecti, si in Ur-
bem ante triumphum revertissent, auspi-
cia repetere cogerentur. Idcirco [i] Corne-
15 lius Tacitus refert Drusum, quum antequam
ovans Urbem iniret, ut Germanici funus
prosequeretur, Urbem esset ingressus, exis-
se rursus, & auspicia repetivisse, quò mox
ovans introiret. Imperator autem, de ho-
nore cujus agebatur, magnificam habebat o-
rationem, qua [l] de suis rebus gestis disse-
rebat. In eâ quanta esset belli confecti
magnitudo, quàm magnus numerus urbium
captarum, aut deditarum, quanta multitu-
do cæsorum hostium, quot populi, & quàm
feroces, & quàm Reipublicæ pertimescen-
di in potestatem redacti; quàm fortes, quàm
callidi duces victi, quantum ex partâ victo-
riâ commodi, quantum felicitatis in uni-
versam civitatem redundasset, exponebatur.
Qua oratione habitâ, si imperator visus es-
set tanto honore non indignus, triumphus
decernebatur; & quum triumphali pom-
pæ dies destinatus illuxisset, in Urbem tri-
umphans invehebatur. Ingredienti [m] cun-
ctus senatus, cunctique magistratus ad por-
tam usque Capenam obviam procede-
bant; qui quum obviam prodiissent, tri-
umphantis currum antecedebant. Quocir-
ca Dio [n] notat Cæsaris insolentiam, qui
senatores, & Collegam contra morem Ma-
jorum currum insequi permisit. Ad [o] spe-
16 ctaculum ingens multitudo confluebant,
refertæ populo viæ, qui tamen a lictoribus
submovebatur, ne esset impedimento tri-
umphi pompæ procedenti: fora, porticus,
locâ omnia, e quibus modò aliqua pars tri-
umphi conspici poterat, spectatoribus obsita
tenebantur: omnia plausibus, festisque vo-
cibus personabant: læta plebs, equites, no-
bilitas, Patres, ornatæ domus, quæ lauri
frondibus tegebantur; unde illud [p] Ovi-
dii:

Altaque velantur fortasse palatia sertis:


Plena victimis [q] templa, quæ tunc patebant
omnibus, & ad agendas Diis auctoribus
victoriæ gratias cives invitabant: unusquis-
que [r] habitu conveniente publicæ fortu-
næ conspiciebatur, omnes in candidâ veste,
nemo atratus occurrebat: matronæ, virgi-
nesque omnibus munditiis cultæ spectan-
tium oculos detinebant: ante [s] ædes ex-
positæ epulæ, quibus proceres civitatis mi-
lites cum victoriâ redeuntes excipiebant:
desuper autem [t] flores omnis generis jacta-
bantur, ut victores floribus spargerentur,
& per flores incederent: jam ipsa triumphi
pompa omnem magnificentiam excedebat:
præcedebant [u] captivi onusti catenis, quas
e pretiosiore materiâ sæpe conflatas fuisse
accepimus. Siquidem Zenobiam Reginam 17
Palmyrenorum Aurelianus [x] Imperator in
triumpho duxit onustam auri pondere,
gemmarumque tantâ copiâ, ut pæne obru-
eretur; quin etiam vestes, quibus induti
incedebant captivi, splendidas, & pretio-
sas ad triumphi pompam ornandam, spe-
ciosioremque reddendam fuisse Salmasius
animadvertit; quod ex eo colligit, quod
Vopiscus refert, Tetricum ab [y] Aureliano
ductum in triumpho in chlamyde coccineâ,
& tunicâ galbineâ, quo in loco galbineum
colorem aureum interpretatur; Plutarchus
tamen [z] Persea pullo amiculo fuisse indu-
tum scribit, quo die est triumphatus. Ad
augendam etiam Victoris triumphantis ma-
jestatem statua Herculis [a] præferebatur;
quasi par esset Herculem, qui heroum for-
tissimus fuit, nobilitare triumphum, qui
maximum fortitudinis præmium habebatur.
Sed inprimis triumphi pompa fiebat ca-
ptivorum nobilitate spectabilis; quàm enim
speciosum videre duces captos, videre
Principes magnarum [b] nationum,

Vinclaque captivâ Reges cervice ferentes,

currum Victoris præeuntes, qui sæpe duce-
bantur in triumpho? Nam [c] Scipio Syphi- 18
cem

[a] T. Liv. libr. 22. & libr. 40. Strabo libr. 16. & Plutarch. Probl. c. 46. [b] Tit. Liv. libr. 7. [c] Vitruv. libr. 1. cap. 7. [d] Sueton. in Vit. Augusti cap. 29. Plin. libr. 34 cap. 13. [e] Plin. libr. 35. cap. 4. & Tit. Liv. libr. 23. [f] Dionys. Halicarn. libr. 2. p. 6. [g] Cœl. inter Epist. Famil. Cic. libr. 8. Epist. 6. & Plutarch. in Vit. Cæsar. Pompeji, & Caton. Ut. & Cic. ad Attic. libr. 7. Epist. 1. [h] Tit. Liv. libr. 26. [i] Corn. Tac. libr. 3. Annal. n. 19. [l] T. Liv. libr. 37 & alibi. [m] Joseph. de Bell. Jud. libr. 7. cap. 16. 17. [n] Dio Cassius libr. 51. [o] Josephus de Bello Jud. libr. 7. cap. 16. & 17. & Plutarch. in Vitâ L. Pauli Æmylii. [p] Ovid. Trist. libr. 4. Eleg. 2. [q] Tit. Livius libr. 34 [r] Joseph. de Bello Judaic. libr. 7. cap. 16. [s] Athen. libr. 4. capit. 13. & Dio libr. 43. & 55. [t] Appianus in Libyco. [u] Plutarch. in Vitâ Pauli Æmylii. [x] Vopiscus in Aureliano, & Trebellius Pollio in Zenob. [y] Flavius Vopiscus ibidem. [z] Plutarch. in Vitâ Pauli Æmylii. [a] Plin. libr. 34. cap. 7. & Asconius Pædian. in 3. in Verr. Act. [b] Ovid. Trist. libr. 4. El. 2. [c] T. Liv. libr. 28. & Polyb. libr. 16.

cem Regem Numidarum, Paulus [a] Æmylius Perseum Regem Macedonum, Anicius [b] Gentium Illyriorum, Pompejus [c] Aristobulum Judææ, & Colchorum Oltacem, Marius [d] Jugurtham, Cæsar [e] Arsinoën Ægypti Reginam, & [f] Aurelianus Palmyrenorum Reginam Zenobiam duxerunt in triumpho. Nam [g] Mithridates, ne a Pompejo, & [h] Cleopatra, ne ab Augusto duceretur, mortem sibi conscivit; nec ullus ferè triumphus fuit, qui non aliquo captivo duce, vel principe viro insigniretur. Id verò spectaculum cum præclarum documento rerum humanarum, tum jucundissimum existebat; nam viros aspicere nuper florentes opibus mox e summo fastigio devolutos, humanæ miseriæ Mortales admonebat; cogitare verò facta captivorum, ac narrare proximis, quantis illi copiis præfuissent, quàm ancipiti marte dimicassent, quantam belli molem conciviffent; observare vultus aliorum supplices, & demissos, & mæstos, aliorum contumaces, terribiles, immemoresque fortunæ, plenum id arbitror jucunditatis fuisse. Quid quum triumphus
19 aliquis præclarus agebatur, in quo captivi ex incognitis, variisque gentibus ducerentur, quàm magna ea species, quàm jucunda spectantibus! cujus generis fuit Aureliani triumphus [i] de Zenobiâ, & Tetrico, in quo spectati sunt Axumitæ, Blemyes, Arabes Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Persæ, Gotthi, Alani, Sarmatæ, Roxolani, Franci, Suevi, Vandali, Germani, Palmyreni captivi. Accedebant & feræ, quæ earum regionum essent propriæ, quas Victor subegisset; ut [l] in Aureliani triumpho, in quo ducti sunt elephanti viginti, Libycæ, Palæstinæque feræ, mansuetæ ducentæ, tigrides, camelopardales, alces.



DISSERTATIO XXVI.

Ubi describitur triumphi pompa.

Constantius Imperator Romam dixit Deorum domicilium; mirumque esse urbis Cælo æmulæ cives mori. Uniones duo Cleopatræ plusquam sexcenties sestertiûm æstimati sunt. Quantum prædæ in triumpho duxerint Æmylius devicto Perse, Augustus Cleopatrâ; Lucullus, & Pompejus, Mithridate, & Tigrane debellatis.

Magnificum illud, Auditores, elogium, quod, quum primùm Romam vidisset, Romæ tribuit Constantius [m] Imperator; tantam esse Urbis domitricis Orbis terrarum speciem, & majestatem, ut non Mortalium domicilium, sed Immortalium videretur, mirumque esse tam augustæ urbis, & Cælo quodammodo æmulæ cives mori; id præcipuè tribui poterat civitati Romanæ, quum profligatis hostibus, indomitis antea Regibus, gentibusque subactis ejus duces triumphabant. Tunc enim egressa fastigium rerum humanarum videbatur, quum terrarum dominis proculcatis, nullam esse gentem, quæ resistere posset opibus Romanorum, triumpho testabatur; cujus magnificentissimæ pompæ simile quidquam nec præteritæ ætates habuerant, nec futuræ erant habituræ. Sed festæ Urbis faciem, præcedentes triumphantis currum captivos in superiore dissertatione descripsimus; nunc reliqua persequemur haud minùs magna, atque præclara. Captivos autem devictis hostibus detracta spolia sequebantur, quæ fabricatis ad id aptè ferculis [n] ferebantur, signa [o] militaria, tela, tormenta bellica, navium [p] rostra, scutorum, armorumque acervi; quod spectaculum propter magnitudinem victoriarum cum primis arbitror speciosum fuisse. Quantam enim spoliorum vim prælatam credimus in Marii triumpho Teutonico, quum ille [q] supra quingenta Teutonum, Ambronum, Cimbrorumque millia aut cecidisset, aut captiva duceret? quantam in Gallico Cæsaris, quum [r] trecenta Germanorum millia funditus delevisset, Galliam universam undecim annos Gallorum stragibus complevis-

[a] Plutarch. in Vitâ Pauli Æmyl. Plin. de Viris Illustribus cap. 56. & Eutrop. libr. 4. cap. 2. [b] Tit. Livius libr. 45. & Eutropius ibid. [c] Plutarch. in Vitâ Pompeji. [d] Plin. de Viris Illustrib. cap. 67. & Plutarch. in Vitâ Marii. [e] Dio libr. 43. [f] Flavius Vopiscus in Vitâ Aureliani. [g] Plin. de Viris Illustribus cap. 76. & A. Gell. libr. 17. cap. 26.

[h] Suetonius in Vitâ Augusti cap. 17. [i] Flav. Vopiscus in Vitâ Aureliani. [l] Idem eodem loco. [m] Ammian. Marcell. libr. 16. [n] Seneca in Hercule Oetæo, Sidonius carm. 22. & Prudentius in Symm. libr. 2. [o] Tit. Liv. libr. 26. & 39. [p] Plutarch. in Vitâ Luculli. [q] Idem Plutarch. in Vitâ Marii. [r] Idem in Vitâ Cæsar.

viſſet? quantam in reliquis triumphis? neque enim hos duos nominavi, quia hi duo ſolùm ſpoliis inſignes fuerint, ſed ut imaginem proponerem magnæ rei; fuit enim pæne a primordiis Urbis perpetuum, propriumque Romanæ virtuti ingentes copias fundere; neque multitudine hostium deterreri, & ſpoliis innumeris augure Romanas opes. Sed hoc horridum
2 armorum, telorumque ſpectaculum; licet [a] torques aurei, & aureæ armillæ, & auro fulgentia arma cæſis detracta hostibus inter ſpolia portarentur; præda verò, quæ ducebatur in triumpho, divitiæ, deliciæque magnorum Regum, opes ditiſſimarum nationum, urbium decora, ornamenta templorum, quàm admirabili ſpectaculo oculos reficiebat! quàm variâ voluptate viſus intuentium paſcebat! hic magnorum artificum ſigna ſpirantia, tabulæ pictæ eximiâ pulchritudine, crateres ex auro, gemmiſque, gemmæ magnitudine, & ſplendore ſpectabiles, ingens auri facti, infectique pondus, argentum cælatum, & rude, numiſmatum vis innumerabilis, ebur, & quidquid pretioſum ea regio ferebat, quam Victor ſubegerat, viſebantur; cujus rei magnitudinem quò concipere poſſitis, nonnullorum triumphorum prædam recenſebo. Paulus [b] Æmylius Perſe Macedonum Rege devicto in triumpho tulit aurei numiſmatis talenta ducenta triginta, argentei verò talentorum duo millia ducenta quinquaginta; præterea calices argenteos, crateras, pocula, phialas magnitudine ingentes, artificio mirabiles, aurea pocula, quæ Seleucidas, Antiochidas, Thericleas ab auctoribus appellabant; phialam auream gemmis luculentis diſtinctam, & illuminatam decem talentorum pondere; quæ præda [c] ſeſtertiûm termillies eſt æſtimata. Sed quamquam Perſeus prædives, cum
3 opulentiſſimis Aſiæ Regibus, aut Ægypti nullo modo poterat comparari, quantum igitur opum latum in Auguſti triumpho devictâ [d] Cleopatrâ putamus; cujus uniones duos pluris, quàm [e] ſexcenties ſeſtertiûm fuiſſe taxatos accepimus? quantum in triumphis, quos de Regibus Orientis duxere duces Romani? Lucullus Mithridatico bello magis victoriam, quàm victoriæ fructum eſt conſequutus; operæ pretium eſt tamen quantum prædæ eo bello pepererit, animadvertere; tulit [f] ergo Lucullus ex auro Mithridatis coloſſum ſex pedum, aureum clypeum gemmatum, & fercula viginti quidem vaſorum argenteorum, triginta verò armorum ex auro ſolido, & poculorum, lectos aureos Mithridatis, quos muli ſex ferebant; pecuniam argenteam, quam centum ſexaginta muli portabant. Atque ea pecuniæ ſumma longè major fuiſſet, niſi innumerabilem pecuniæ vim Pompejo dediſſet; ut ad bellum Piraticum uteretur, innumerabilem quaſtoribus numeraſſet, & militibus largitus eſſet; nam ferunt unumquemque militem exercitus non minùs nongentia drachmis accepiſſe; & hæc Lucullus, qui magis Mithridatem afflixerat, & [g] Tigranem, quàm eorum opibus potitus fuerat. Quid Pompejus, qui utriuſque victoriæ præmia eſt conſequutus? quid hic 4
ego referam tranſlatam in eo triumpho imaginem [h] Pompeji e margaritis, alveum luſorium cum teſſeris e gemmis duabus, latum pedes tres, longum quatuor; lunam auream pondo triginta, lectos aureos tres, vaſa ex auro, & gemmis, abacorum novem; ſigna aurea tria, coronas e margaritis triginta tres, montem aureum cum cervis, & leonibus, & pomis omnigenis, & aureâ vite; quid hæc, inquam, narrando longiùs immorer, quum paucis poſſim rem expedire, ſi dixero viginti [i] millia argenti, & auri talenta tranſlata in Mithridatico Pompeji triumpho extra infinitam pecuniam, quam militibus Pompejus donaverat? Siquidem ferunt [l] nullum fuiſſe militem tam tenuem, tam obſcurum, tam extremæ fortis, qui mille quingentas drachmas donum imperatoris non acceperit; reliquorum verò unumquemque pro magnitudine meritorum affectum fuiſſe præmiis; quod exemplum attuliſſe contenti erimus ad declarandam magnificentiam pompæ triumphorum, quæ in tranſvectione prædæ cernebatur; reliqua de triumphis alio die exequemur.



DIS-

[a] Pomponius Lætus Rom. Hiſtor. Compend. cap. de Magnitud. Imper. Rom. [b] Plutarch. in Vit. Pauli Æmyl. [c] Tit. Liv. libr. 45. Plin. libr. 33. cap. 3. [d] Plutarchus in Vit. Antonii. [e] Plin. libr. 9. cap. 36. [f] Plutarch. in Vit. Luculli. [g] Plin. de Vir. Ill. cap. 74. [h] Plin. libr. 37. cap. 2. [i] Plutarch. in Vit. Pompeji. [l] Idem ibid.

DISSERTATIO XXVII.

Quæ pergit triumphi pompam describere.

Pompejus in Hispaniâ octingentis urbibus, in Ponto nongentis potitus est. Cæsar quadragies novies cum hostibus signis collatis prosperè dimicavit. Simulacra arcium, fluminum, montium, urbium, & provinciarum subactarum ex ebore, aut argento in triumphis ducebantur.

Æmylii [a] triumphus, quem de Perseo Macedoniæ Rege duxit, tres integros dies celebratus est, quum unus tantę pompæ non suffecerit; nam primo die vix capta signa, tabulæque pictæ, &
1 colossi transvehi omnes potuerunt; secundo Macedonica arma spectaculo digniora, pecuniæ vis ingens, & pocula aurea, atque argentea a magnis artificibus elaborata spectatorum oculos tenuerunt; tertio victimæ auratis cornibus insignes, vittis ornatæ, sertisque, & vasa sacrificiis idonea, & aurea numismata, & aurea, & gemmata pocula, & ipse Paulus Æmylius curru sublimis aurato, auroque, & purpurâ spectabilis, & captivi Macedones, & eorum duces, & Perseus ipse, & ejus filii supplices, & vultu ad mæstitiam, miserationemque composito; qui inter tantam lætitiam ingenti luctu consusi hostium oculos lacrymas eliciebant. Pompeji [b] verò triumphus Mithridaticus duos integros dies quum tenuisset, multa tædio longioris moræ transuehi non potuerunt, quæ cujusvis luculentissimi triumphi pompæ erant suffectura. Quum autem triumphi pompa tanta esset, ut plures dies oculos spectantium fatigaret, mirum vobis videri non debet, Auditores, si minore spatio, quàm unius semihoræ, quod mihi datur ad dicendum, non potuit explicari. Quapropter quod accidebat in triumpho, ut quotiescunque pompa triumphi unius diei spatio nequibat ostendi, ploribus ostenderetur, id in describendo triumpho faciendum esse duxi; nec vos indignabimini, si plures dies idem argumentum occupabit; nam id rei magnitudini tribuetis. In superioribus igitur dissertationibus & quibus de causis, & quibus triumphare liceret, tum de captivis, qui ante currum Victoris agebantur, de spoliis, de prædâ verba fecimus; nunc reliqua persequemur, Auditores, non minùs præclara, & cognitu jucunda, quàm quæ sumus executi. Nam si magnificentiæ, & splendoris plenum spectaculum fuit vi- 2
dere captivos duces, videre spolia hostium, videre prædam; non minus habuere [c] pompæ imagines captarum arcium, urbium expugnatarum, vel conditarum, deditarumque; fluminum, montium, nationum Imperio Romano parere coactarum, quas in triumpho victores duces transvehebant; eæ [d] ex ebore constabant, & ex argento, quapropter [e] Ovidius ait:

Protinus argento veros imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris,
Fluminaque, & montes, & in altas prosua silvas,
Armaque cum telis in strue juncta suis

Quocirca Dio libro quadragesimo quarto memoriæ prodidit irrisos esse triumphos Fabii, Quinctique, quòd simulacra non eburnea, sed lignea prætulissent. Sed id non fuit speciosissimum; sed magnitudo victoriæ, quæ simulacris illis exprimebatur; quam enim speciem præsetulit Hispanensis, vel Ponticus Pompeji triumphus, in quorum [f] altero octingentarum urbium vel captarum, vel in deditionem acceptarum; in altero arcium millenarum, urbium nongentarum, quibus Pompejus fuerat potitos, prælata dicuntur simulacra; nec minus Victori decorum, quod triginta novem colonias deduxerat, quàm quod urbes mille subjecerat. Jam provinciarum quindecim tituli, quas Imperio adjecerat, in eo solo bello quantum admirationis credimus habuisse? Nec minùs existimaverim spe- 3
ciosos fuisse quinque [g] Cæsaris triumphos; quadragies novies ille cum validissimis hostibus signis collatis prosperè dimicarat; Galliam universam, Hispaniam, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Pontum devicerat; prœliis navalia multa prospero eventu commiserat, innumerabiles arces, & urbes expugnaverat; harum omnium rerum gestarum, urbium, oppidorum, arcium, provinciarum simulacra in triumphis quinque transvexit. Quid Trajanus, qui bello Parthico tot populos dicitur subegisse, ut eorum numerus iniri non posset, quàm magnificam triumphi pompam successori Hadriano [h] reliquit? Atque id spectaculum non tam re ipsâ, quàm contemplatione rerum a Victore gestarum spectatorum animos inprimis arbitror commovisse; nam vide-

[a] Plutarch. in Vitâ Pauli Æmylii. [b] Idem in Vitâ Pompeji. [c] T. Livius libr. 37. in fine, & Appianus in Libyco. [d] Ovid. de Ponto libr. 3. Eleg. 4. libr. 4. Trist. Eleg. 2. [e] Idem libr. 2. de Ponto Eleg. 1. [f] Plin. libr. 7. cap. 26. & Plutarch. in Vit. Pompeji. [g] Plutarch in Vit. Cæsar. & Suetton in ejusdem Vit. cap. 37. [h] Ælius Spartian. in Vit. Hadriani.

videre ſimulacra fluminum captivorum, montium, arcium exciſarum, captarumque regionum, quamvis artificio perfecta mirabili jucundum quidem cenſeo fuiſſe, ſed haudquaquam admiratione dignum magni Viri; contemplari verò in illuſtri triumpho victoriæ magnitudinem, ſubactos populos, urbes in deditionem acceptas, aut captas, & exciſas, aut conditas, perdomitas nationes, & legibus temperatas virtutis admiratione præclarum; præſertim quum ſubiret animum cogitatio, quomodo Victor tantam fuiſſet victoriam conſequutus: quantâ arte hoſtium conatus eluſiſſet, quantâ peritiâ rei militaris aciem inſtruxiſſet, urbes oppugnaſſet, vel obſed ſſet: quantâ calliditate, & aſtu vel hoſtes circumveniſſet, vel eorum commeatus intercepiſſet, vel Socios ab ipſis abalienaſſet; & fortuita ſemper, ut ille ait, ad ſapientiam vertiſſet. In eodem
4 genere collocandum ſpectaculum donorum, quæ gentes victoribus obtulerant, quæ præferebantur in triumphis; quocirca in Pauli Æmylii Macedonico triumpho quadringentæ [a] coronæ aureæ magni ponderis prælatæ eſſe dicuntur; quas ille non tam virtute bellicâ, quàm manſuetudine, & benignitate erga victos hoſtes, & amicas urbes a jugo Macedonum liberatas, meruerat; tum victimæ, quæ ducebantur immolandæ [b] auratis cornibus ornatæ, vittis, atque taniis, & ipſæ triumphum adornabant. Immolabantur autem in triumphis præcipuè tauri; ex quo [c] Virgilius cecinit:

.... & maxima Taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos

5 tunc enim [d] veram hecatomben Romani duces immolabant. Sequebantur ſacrificuli, popæ [e], aliique ſacrorum miniſtri, qui coronati [f], & veſte quam ſplendidiſſimâ induti incedebant; præterea ſacrorum opulentiſſimus apparatus explicabatur, aureæ, & gemmatæ pateræ, aurea turibula, ſimpuvia, aliaque vaſa ſacrificiis idonea; ipſaque ferentes inſignes cultu corporis, veſtituque pueri. Sed omnium oculos in ſe convertebat ipſe Triumphator aurato curru [g] ſublimis, magnificus factis, viſuque ingens, & opinione virtutis, & admiratione rerum geſtarum ſuſpiciendus; de quo quoniam & in ipſo, & in ejus curru multa, quæ ſunt notatu digna ſpectabantur, ne longiùs, quàm oportet producatur oratio, alia diſſertatione dicemus.

DISSERTATIO XXVIII.

Currus, corona, & veſtis Triumphantium deſcribitur.

Arrogantiæ ſummæ argumentum reputatum eſt, quod Hieronymus Syracuſarum Rex alborum equorum quadrigis e Regiâ procederet. Exæneto Olympiæ victori trecentis alborum equorum bigis Agrigentini occurrerunt. Sunt, qui exiſtiment poſt Camillum omnes albis equis triumphaſſe; ſed veriùs id Plutarchus negat. Quatuor elephantis vehebatur Pompejus in triumpho Africano, licet Plinius neget. Alexander Severus triumphans elephantos curru junxit; ipſe autem, ne modum excederet, pedes inceſſit; M. Antonius leones jugo ſubjunxit. Heliogabalus modò canes, modò leones, modò tigres, modò cervos ad currum jungebat. Aurelianus cervis in Urbem triumphans eſt invectus. Ex antiquis nummis colligitur triumphantium currum turris faciem præferre. Servus Triumphantem admonebat, ut ſe eſſe hominem meminiſſet; quod etiam Philippus Macedoniæ Rex puero demandaverat. Unde appellata ſit toga picta. Pompejus in chlamyde Alexandri Magni triumphavit. Amuleta contra invidiam geſtabant Triumphantes. Damnati, quum ad mortem ducerentur, nolam geſtabant, quæ ſono obvios, ut decederent, admoneret, ne quis inſcius eorum contactu contaminaretur; ideo ex Triumphantium curru flagellum, & nola pendebat, ut intelligerent poſſe cædi, aut capitali ſupplicio affici. In mediâ triumphi pompâ quidam ornatus incedebat, agebatque ad riſum excitandum varios geſtus.

ROmuli triumphus, qui princeps apud Romanos pompam invenit triumphorum, occaſionem præbuit nobis de triumphis diſſerendi, quibus nihil frequentiùs occurrit hiſtoriam Romanam legentibus; quapropter nos operæ pretium facturos eſſe maximè judicavimus, ſi quomodo Triumphi pompa explicaretur, exponere non graveremur; ut quotieſcunque in Veterum libris invenimus ab aliquo duce triumphatum, omnia conſpicua magis, animoque ſubjecta contemplemur. Et ſermonibus quidem, quos proximè habuimus, quum multa de triumphis dixiſſemus, reliquis expoſitis, ad ipſum Triumphantis currum deſcribendum veneramus; in quo, quia plurima ſunt, Auditores, adnotanda, in eo

a Plutarch. in Vit. Paul. Æmyl. b Idem eod. loco. c Virgil. Georg. libr. 2. d Plutarch. in Vit. Pauli Æmylii. e Idem ibid. f Appianus in Libyco. g Appian. ibid. & T. Liv. libr. 10.

eo describendo hodierno die versabimur. Hunc ut plurimum quatuor [a] equi uno
1 jugo juncti trahebant; hos albos junxisse Camillo crimini [b] datum est, quia Jovi, Solique candidi equi tribuebantur; itaque visus est Dictator humanum excelsisse fastigium, & se tantis numinibus adæquasse. Et sanè condidis equis vehi superbum nimis antiquitus videbatur; quapropter in Hieronymo Syracusarum Rege Livius libro vigesimo quarto notat tanquam summæ arrogantiæ argumentum, quod alborum equorum quadrigis e Regiâ procederet; quod etiam Dionysium Siciliæ tyrannum factitasse memoriæ proditum est. Nihilo tamen secius Olympiæ victoribus albis equis vecti obviam procedebant; itaque Exæneto Agrigentino [c] civi Olympiæ victori Diodorus Siculus memorat trecentis alborum equorum bigis Agrigentinos occurrisse; ut minimè sit mirum, si & Romani equorum candidorum usum in triumphis non respuerunt. Certè constat id, quod est in Camil-
2 lo [d] reprehensum consequutis temporibus multos usurpasse; Servius quippe in quartum Æneidos librum sic [e] ait: *qui autem triumphat, albis equis utitur quatuor*; & de Messalæ triumpho eccinit [f] Tibullus:

At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis;

& [g] Ovidius ita loquitur:

Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum,
Quattuor in niveis aureus ibis equis.

Propertius [h] quoque videtur ad equos albos triumphantium respexisse, quum dixit:

Quattuor hinc albos Romulus egit equos.

Non enim constat Romulum albis equis triumphasse, quum ne triumphasse quidem, sed [i] pedibus ovantem incessisse per Urbem multi probabili sanè argumento ducti affirmarint. Quare non tam ad Romuli triumphum, qui fortasse nullus fuit, verisimile est Propertium respexisse, quàm ad morem triumphantium, qui eâ tempestate equis albis vehebantur; quod & Ovidius libro sexto Fastorum fecit, cujus leguntur hi versus:

Unde suburbano clarus Tiburte triumpho
Vectus, & in niveis, Posthume victor, equis.

Quem morem ultimis Reipublicæ temporibus credibile est increbuisse; licet non desint, qui Camilli exemplo & ceteros albentibus equis triumphasse crediderint, & post Camillum albis equis usos omnes, qui

triumpharent. Mihi haudquaquam verosimile videtur, id ausum quemquam usurpare, quod in tanto duce superbissimum judicatum est, recenti memoriâ invidiæ, qua Camillus laboravit; quod [l] & Plutarcho auctore confirmatur, qui negat post Camillum quemquam ita triumphasse. Quare id longo post intervallo receptum esse censuerim, & ut dixi extremis fortasse Reipublicæ temporibus, quibus omnia a priscâ moderatione ad fastum sunt, superbiamque traducta. Tunc non contenti triumphan-
tes equis in Urbem invehi excogitarunt ra- 3
tionem, qua triumphus augustior, certè insolentior videretur; nam [m] Pompejus non equis, sed quatuor elephantis ad currum junctis Africano bello victor dicitur triumphasse; licet id Plinius non esse certum putet, qui negat eâ tempestate portam triumphalem fuisse capacem quatuor elephantorum, qui juncti jugo incederent; Pompejum verò est imitatus ejus Cæsar inimicus, qui Gallico [n] triumpho ascendit Capitolium quadraginta elephantis lychnuchos dextrâ, atque sinistrâ gestantibus. Quo in genere effulsit [o] Alexandri Severi moderatio; qui Parthico triumpho, ut victoriæ congruenter, qua innumeros elephantos ceperat, triumpharet, curru quidem quatuor junxit elephantos; ne autem excederet modum, ipse pedes incessit. Sed & [p] Gordianus Augustus, quum Parthos devicisset, elephantis quatuor triumphans in Urbem invehi cogitabat; sed invidit fortuna gloriæ adolescentis optimi, ac præstantissimi Imperatoris, & triumphos eum funeribus commutavit. Insolentiùs [q] Marcus Antonius,
qui leones jugo subjunxit; quo facto signi- 4
ficavit se de animis quantumvis ferocibus triumphare; & tamen ipse victus est a feminâ, & quasi ductus in triumpho; nam Cleopatra [r] ipsum jugum subire, & accipere frenum coëgit non minùs, quàm Antonius leones. Atque hoc in genere notatur a scriptoribus [s] Heliogabali insolentia, qui modò quatuor ingentes canes, modò leones, modò tigres, modò cervos insigni magnitudine junxit ad currum. Sed hic triumphus fuit libidinis, & petulantiæ; nos autem de triumpho martio loquebamur; in [t] quo Aurelianus Imperator Heliogabalum est quodammodo imitatus, qui triumphans cervis invectus est in Urbem; quos, quum Capitolium ascendisset, Jovi

[a] Appian. in Libyco, Plutarch. in Vit. Valer. Publicol. & Ovid. libr. 1. de A. Amandi. [b] Tit. Livius libr. 5. Plin. de Vir. Illustrib cap. 23. & Plutarch. in Vit. Camilli. [c] Diod. Sicul. libr. 13. [d] Diod. Sicul. libr. 14. in fine. [e] Serv. in 4. libr. Æneid. Virgil. v. 543. [f] Tibull. libr. 1. El. 7. [g] Ovid. libr. 1. de A. Amandi. [h] Properr. libr. 4. El 1. [i] Tit. Liv. libr. 1. & Plutarch. in Vitâ Romuli.

[l] Plutarch. in Vitâ Camilli. [m] Plin. libr. 8. cap. 2. [n] Suet. in Vitâ Cæsaris cap. 37. [o] Æl. Lamprid. in Vitâ Alexandri Severi. [p] Jul. Capitolin. in Vit. Gordian. [q] Plin libr. 8. cap. 16. [r] Plutarch. in Vitâ M. Antonii. [s] Æl. Lampridius in Vit. Heliogabal. [t] Flavius Vopiscus in Vitâ Aureliani.

immolavit. Nam qui triumphum duxerat, quum in Capitolium venisset, senatu præeunte, sacrificabat; immo tota civitas eo die sacris operabatur, nec ullum templum, aut ullæ aræ victimis carebant. Quocirca Virgilius octavo [a] libro cecinit:

At Cæsar triplici invectus Romana triumpho
Mœnia Diis Italis votum immortale sacrabat.
Maxima tercentum totam delubra per Urbem
Lætitiâ, ludisque viæ, plausuque fremebant.
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aris,
Ante aras terram cæsi stravere juvenci.
Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus.....

In quibus versibus adnotandum est victores postquam triumphassent, dona populorum, nimirum [b] aurum coronarium in templis Diis immortalibus dicavisse. Sed ut ad
5 equos revertamur, quibus triumphantes vehebantur, hos coronatos fuisse testatur Ovidius [c] hoc versu:

Ante coronatos ire videbit equos;

& libro secundo de Ponto, ubi sic [d] ait:

Te quoque victorem Tarpejas scandere in arces
Læta coronatis Roma videbit equis.

Interdum etiam non quatuor equis, sed uno equo vecti victores triumphabant; extat hujus exemplum rei apud Livium libro octavo belli Punici secundi; quo in loco narrat Historicus Livium Salinatorem, & Claudium Neronem, quòd Asdrubalem, & ejus ingentem exercitum cecidissent, & Italiam ingenti metu liberassent, alterum in curru, alterum in equo triumphasse; quod Livius in suâ, Claudius in alienâ provinciâ rem gessisset; & Livius exercitum ad triumphum deduxisset, Claudius deducere non potuisset. Atque hæc de animalibus, quibus triumphantes vehebantur, satis fuerit delibasse; nunc ad currum veniamus. Currus
6 triumphantis [e] auratus fuit Propertio teste, qui [f] dixit:

Cujus inaurati celebrarunt limina currus;

interdum ex ebore constabat; cujus rei Ovidium testem appellamus, qui triumphantium currus eburnos esse testatur his verbis [g]:

Invenietque animus, qua currus spectet eburnos

Nec dubitandum, quin & ex aliâ pretiosiore materiâ currus ille tantæ pompæ destinatus interdum confici consueverit; quum constet Magnum [h] Pompejum in curru gemmato triumphasse. Forma verò currus ab aliorum curruum figurâ dissidebat; nam triumphantium currus [i] turris faciem præferebat; ideo Tertullianus vocat [l] sublimissimum; id autem licet a priscis Auctoribus non tradatur, licet in antiquis nummis observare. Nec unus interdum currus triumphi pompam dicitur exornasse, sed plures; quapropter in Aureliani [m] triumpho quatuor ducti currus; unus Odenathi, qui argento conspicuus, & auro, gemmisque distinctus effulgebat; alius a Persarum Rege dono datus Aureliano, pari splendore, parique clarus opulentiâ; tertius, quem Zenobia triumpho suo paraverat; ultimus, quo Aurelianus ipse vehebatur. In triumphantium verò curru non solùm triumphantes, verùm etiam eorum Liberi spectabantur; siquidem [n] in triumpho 7
Lucii Veri, & Marci Antonini Augustorum Liberos Marci utriusque sexus vexit idem currus, qui fratres triumphantes; & de Germanici triumpho Cornelius [o] Tacitus ita loquitur: *augebat intuentium visus eximia ipsius species, currusque quinque Liberis onustus*. Sed id de Liberis minoribus esse capiendum [p] Lipsius putat; nam grandiores equis triumphalibus imponi solitos arbitratur. Ipse verò, qui triumphabat, minio illinebatur; quomodo Camillum triumphasse [q] Plinius tradit; in quo Jovi triumphantem æquabant; nam Jovis [r] in Capitolio simulacrum festis diebus minio inducebatur; quod etiam in ungoenta cenæ triumphalis addebatur. Coronâ verò trium- 8
phantem redimitum fuisse [s] Dionysius Halicarnassæus in triumpho refert; hanc gemmis ornatam pretiosissimis fuisse tradit [t] Appianus; Plinius [u] auream a tergo coronam a servo sustineri solitam narrat; nec mirum, siquidem tanta fuit corona triumphantis, quantam fuisse testatur Juvenalis his verbis [x]:

...... magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla

Is autem servus, qui a tergo auream coronam sustinebat, identidem victorem admone-

[a] Virg. libr. 8. in fine. [b] Servius in libr. 8. Æneid. loco supra laudato. [c] Ovid. Trist. libr. 4. El. 2. [d] Ovid. libr. 2. de Ponto Eleg. 1. [e] Philostratus in Vitâ Dionis, Horat. in Epod. Od. 9. Ovid. libr. 1. Amor. Eleg. 2. Tit. Liv. libr. 10. & Appianus in Libyco. [f] Propert. libr. 1. El. 16. [g] Ovidius libr. 4. Trist. Eleg. 2. [h] Appianus libr. 1. Bellor. Civil. [i] Zonaras in Camillo. [l] Tertullianus in Apologetic. [m] Flav. Vopisc. in Aurelian.

[n] Jul. Capitolin. in Vitâ M. Antonin. Philosoph. [o] Cornel. Tacit. libr. 2. Annal. n. 41. [p] Just. Lipsius ad hunc Corn. Tac. locum Annal. libr. 2. ex Cicer. pro Murænâ. Plutarch. & Sueton. [q] Plin. libr. 33. cap. 7. [r] Idem ibid. [s] Dionys. Halic. libr. 5. n. 6. [t] Appianus in Libyco. [u] Plin. libr. 33. cap. 1. [x] Juvenal. Sat. 10. v. 40.

nebat, ut se esse hominem meminisset, ut Tertullianus [a] memoriæ prodidit. Et sanè nullo unquam tempore magis indigent homines monitore, qui nimis elatos comprimat spiritus, quàm quum insigni victoriâ potiti ad summum felicitatis fastigium videntur pervenisse; nec ulla salubrior victoribus cogitatio, quàm meminisse imbecillitatis humanæ; neque enim sine causâ cultissimus elegisrum scriptor appellat Victoriam superbam Divam, quum sic [b] ait:

Tandem ad Trojanos Diva superba venit;

nam solent Mortales rebus prosperè gestis nimis insolescere, & oblivisci suæ fragilitatis. Ideo Philippus [c] Alexandri pater devictâ Græciâ, quum jam neminem alium, quàm suas victorias, suamque fortunam pertimesceret, negotium dederat puero, ut quotidie sibi ter insusurraret hæc verba μέμνησο ἄνθρωπος ὤν. Sed a diverticulo
9 ad coronam triumphantium revertamur; auream coronam posterioribus sæculis cepisse tribui triumphantibus; Gellius [d] arbitratur, antiquitus ex lauru fuisse. Hinc Ovidius [e] Apollinem sic alloquentem facit Daphnen recens in laurum transformatam:

Tu ducibus lætis aderis, quum læta triumphum
Vox canet, & longas visent Capitolia pompas;

& victrices lauros appellat [f] Virgilius his verbis:

Inter victrices hederam tibi serpere lauros;

& Martialis accepit lauream pro triumpho, qui sic [g] ait:

Quæ datur e Dacis Laurea, tota tua est;

& laurum pro victoriâ sumit Horatius [h] his verbis:

Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho;

& [i] Cicero, quum ait, *laurea illa magnis periculis parta amittet longo intervallo viriditatem*. Nec tamen e qualibet lauro corona triumphantis, sed e Delphicâ, quæ sic appellata est, quia in [l] Parnasso monte spectatissima nascebatur; cujus meminit Lucretius [m] his verbis:

Nec res ulla magis, quàm Phœbi Delphica laurus
Terribili sonitu flammâ crepitante crematur.

Ex [n] hac triumphantium coronam textam
fuisse Plinius testatur; quapropter in Ho- 10
ratii [o] versibus hisce pulcherrimis,

... neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod Regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:

non vacat, quod laurum triumphantis appellat Deliam; Deliam enim accepit pro Delphicâ poetico more; quia tam [p] Delos Apollini sacra, quàm [q] Delphi; respexitque ad Delphicam laurum; qua triumphantes coronabantur. Plinius [r] Masurium citat, qui tradidit etiam curru triumphantes myrto coronatos. Nec verò solum lauream coronam gestabant, sed etiam alterâ manu [s] sceptrum, alterâ [t] lauri ramum, insigne victoriæ; ideo Plinius [u] tradit Augustum triumphantem manu tenuisse ramum ex lauro, quæ prodigiosè in villâ Cæsarum nata fuerat. Nam Liviæ, quæ [x] po-
stea est Augusto in matrimonium colloca- 11
ta, aquila ex alto dejecit in gremium gallinam eximii candoris, quæ laureum ramum rostro tenebat; hunc ex augurum monitu satum mirificè provenisse, & siluam produxisse, ex qua decerptum ramum Cæsar Augustus, quum triumpharet, gestavit. Quin etiam [y] idem scriptor memoriæ prodidit, quotiescunque Cæsares triumpharent, ramum, quem manu tenuerant, conseviſse, natasque silvas, quæ triumphantium nominibus appellarentur; quum verò, qui triumphum duxerat, in Capitolium ascendisset, hanc [z] lauream in Capitolini Jovis gremio deponebat; ideo Latinus Pacatus in Panegyricâ ad Theodosium oratione *depositis*, inquit, *in gremio capitolini Jovis laureis triumphales viri rusticabantur*. Vestem vero triumphantis initio fuis-
se togam purpuream Verrius Flaccus asse- 12
verat; deinde acu pictam constat [a] usurpatam, quæ ob eam causam dicta est toga picta; Appianus [b] tradit stellis aureis fuisse distinctam, & illuminatam; nec dubito, quin & alio picturæ genere soleret insigniri, & illustrari colorum varietate. Tunica [c] verò triumphantium purpurea, clavis quibusdam aureis insutis effulgebat, a quorum magnitudine nonnulli volunt dictam [d] esse palmatam; postea verò cœperunt tunicæ quo-

a Tertull. in Apologet b Tibull. libr. 2. Eleg. 5. c Ælian Var. Hist. libr. 8. cap. 15. Stobæus serm. 21. d A. Gell. libr. 5. cap. 6 e Ovid. Metamorphos. libr. 1. v. 560. f Virgil. Ecl. 8. g Martial. libr. 2. epigr. 2. h Horat. libr. 2. Od. 1. i Cic. de Prov. Consul. l Plin. libr. 15. cap. 30. m Lucret. libr. 6. n Plin. libr. 15. cap. 30. & A. Gell. libr. 5. cap. 6. o Horat. libr. 4. Od. 3. p T. Liv. libr. 35. Cicer. in 3. in Verrem act. & Servius in libr. 3. Æneid. Virgil. v. *Sacra mari colitur medio gratissima tellus*. q Tibull. libr. 2. Eleg. 3. r Plin. libr. 15. cap. 29. f Dionys. Halicarn. libr. 5. & Juvenal. Sat. 10. t Appianus in Libyco. u Plin. libr. 15. cap. ultim x Idem ibid. y Idem Plinius ibid. z Seneca de Consolat. ad Albinam cap. 10. Plin. libr. 15. cap. 30. Plinius Jun. in Panegyric. & Pacatus in Panegyr. Theodosii. a Fest. Pompejus libr. 14. b Appian in Libyco, & Suet. in Vit. Neronis cap. 25. c Plin. libr. 8. cap. 48. & Flavius Vopisc. in Vit. Taciti. d Fest. Pompejus libr. 14.

que palmatæ pingi; & initio [a] quidem palmis quibusdam aureis illudebantur, unde palmatas appellari plerisque placuit; procedente verò tempore alia quoque pingi cœperunt. Quapropter in tunicâ, quam Gratianus Imperator [b] misit Ausonio, ejus fecimus mentionem, intextus erat Constantius. Hæc [c] autem vestis Jovi fuit peculiaris; quippe simulacrum Jovis eâ induebant; ut non sit mirum, quum triumphantes, & vestis habitu, & colore, quo faciem illinebant, æquarentur Jovi, etiam equis albis [d] Camillum æquari voluisse. Hanc tamen vestem quodammodo sprevit Tarquinius [e] Priscus, & aureâ tunicâ indutus triumphavit; quam vestem, sicut Agrippinæ, cujus meminit [f] Plinius, fuisse puto ex auro textili, sine aliâ materiâ. Pom-
13 pejus quoque majorem amplitudinem affectavit, qui chlamyde [g] Alexandri Magni indutus triumphavit; ut in ejus veste spectaretur, cujus rerum gestarum magnitudinem fuerat [h] æmulatus. Amuleta quoque contra invidiam inclusa bullæ, & collo dependentia triumphantes gestabant; ideo Plinius [i] custodem imperatorum triumphantium fascinum invidiæ medicum fuisse testatur. Invidiam scilicet tum maximè Romani duces pertimescebant, quum summum victoriæ decus triumphum consequuti in clarissimâ gloriæ luce versabantur; nec sine causâ. Non enim absurdè Aristonymus [l] invidiam umbræ comparavit; nam sicut umbra Solis ambulantes in Sole comitatur, sic invidia comes est eorum, qui in dignitatis amplissimæ, & gloriæ splendore sunt collocati. Nec inconcinnè quis invidiam fumo conferat; nam sicut ille ex igne splendidissimo rerum nascitur, sic invidia ex gloriâ, & amplitudine oritur, & adolescit; & fulminis instar altissi-
14 ma quæque percellit. Nec minùs, quàm aliorum invidiam, suam ipsi superbiam, elationemque animi reformidabant; nam ut admonerentur inconstantiæ rerum humanarum, ex [m] eodem curru, quo Victor tantâ cum gloriâ vehebatur, flagellum, & nola pendebat; ut intelligeret Victor se ad tantam calamitatem posse devolvi, ut flagellis cæderetur, aut capitali supplicio afficeretur. Solebant quippe damnati quum ad mortem ducebantur, gestare nolam, quæ sono obvios, ut decederent, admoneret, ne quis inscius eorum contactu contaminaretur. Circa [n] currum verò lictores cum fascibus laureatis, si Prætor esset, qui triumpharet, sex; si Consul, duodecim; si Dictator, aut Augustus, viginti quatuor, puniceis tunicis induti spectabantur. His autem circumfundebantur citharœdi, & [o] Satyri, qui aureâ coronâ redimiti, & præcincti; & concinnos quosdam motus dabant, & in numerum incedebant, chorosque lætissimos ducebant cum fidium concentu, & suavissimo vocis modulatu. In quo Romani fabulis inclytum Bacchi triumphum videntur [p] imitari voluisse, qui Satyrorum lusu, & saltatione solemni fuisse dicitur celebratus; vel certè in animo habuisse pompæ tam plenæ fastu, &, ut ita dicam, tragicâ majestate refertæ jocosum aliquid, & quasi comicum admiscere; ideo Satyrorum turbam triumphali pompæ addiderunt. Quod etiam ex eo potest intelligi, quod in medio [q] quidam incedebat indutus purpureâ veste usque ad talos demissâ, ornatus aureo torque, ornatus armillis aureis, qui ad risum concitandum varios gestus agebat, & ridiculè movebatur, quasi hostibus insultaret.



DIS-

[a] Isidorus libr. 18. cap. 2. [b] Auson. in Gratiarum Actione. [c] Servius ad Ecl. 10. Virgil. v. *Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem*, ex Juvenal. Satyr. 10. v. 38. [d] Vide Dissert. 12. in Liv. n. 9. [e] Verrius Flaccus apud Plinium libr. 33. cap. 3. [f] Plin. libr. 33. cap. 3. [g] Appian. in Mithridatico in fine. [h] Plin. libr. 7. cap. 26. [i] Idem libr. 28. cap. 4. [l] Aristonymus in communibus diatribis apud Stobæum serm. 38. [m] Zonaras in Camillo, & Jul. Cæsar. Bulenger. de Triumpho cap. 30. [n] Jul. Cæsar. Buleng. ibid. ex Dione libr. 54. Appiano libr. 1. Bell. Civil. & ex Plutarch. in Vit. Fabii. [o] Dionys. Halicarn. libr. 7. circa finem. [p] Macrob. libr. 1. cap 19. [q] Alexander ab Alexandro Dier. Genial. libr. 6. cap. 6.

DISSERTATIO XXIX.

In qua pergit explicare, quomodo apud Romanos Triumphi ducerentur.

Qui tempestatem effugerant, caput radebant; ideo & qui a servitute, quasi tempestate liberati fuerant, radebantur, & pileum accipiebant; quapropter Brutus, & Cassius, quum interfecto Cæsare populum libertate donassent, nummos cudendos curarunt, in quibus pileus cum duobus pugionibus visebatur. Triumphantes portâ Capenâ, quæ fortè antiquitus Camœna dicebatur a Camœnis, &
2 *Fontinalis ab earum fonte, Urbem ingrediebantur; ideo etiam triumphalis est appellata. Via Sacra unde nomen acceperit. Triumphans Consules ad convivium invitabat, & ne venirent, rogabat. Convivium exhibebatur in Capitolio, licet Athenæus velit in Herculis templo. Triumphos tercentum viginti duxerant Romani usque ad Vespesianum.*

VIdimus in curru triumphantes duces; superest extrema pars triumphorum videnda, milites ovantes, exultantesque victoriâ; nam [a] quum imperator e provinciâ victor decedebat, exercitum ad triumphum deducebat; ut milites & triumphi pompam honestarent, & qui participes rerum gestarum fuerant, essent participes & decoris, testesque simul ab imperatore factorum. Hi & armis fulgentibus insignes,
1 & lauro coronati, & æquati numero, & ordine miro distributi triumphantis currum læti sequebantur; ferebat autem quisque dona, quæ fortiter factis meruisset, aureas [b] armillas, aureos torques, hastas puras, coronas [c] civicas, murales, navales, obsidionales; quamquam [d] is rarus honos, & paucissimis concessus; corniculas argenteas, phalerasque, spolia occisis detracta hostibus, & reliqua decora militaria. Nec mutum incedebat agmen bellatorum, sed modulato carmine laudes Deorum, Pæanesque concinebantur; & extemporaneo versu milites imperatorem suum vel ornabant laudibus, vel facetiis incessebant. Nam Dionysius Halicarnasseus testatur milites victoris ducis cecinisse laudes; & [e] Camillum Livius tradit Patriæ conditorem, & alterum Romulum, quum triumpharet, militum haud falsis præconiis appellatum. Quod idcirco admonui, ne quis inter militares jocos probra Triumphantis dumtaxat audita arbitretur; quod & lætitiæ triumphi dissonum fuisset, & abhorrens ab honore, quo Victor Diis immortalibus propemodum æquabatur; sed quia militaris licentia in tanto publico gaudio cohiberi non poterat; & par [f] erat fortissimis bellatoribus in eo triumpho aliquid licere, cujus ipsi decus, virtute suâ, & laboribus, periculisque magnâ ex parte peperissent; si quid offenderant duces, militum vocibus vulgabatur. Quapropter [g] Cæsar, quum adolescens adversâ famâ prostratæ Nicomedi Bithyniæ Regi pudicitiæ laborasset, vir quum triumphum duceret, pervulgatum illud carmen audivit: 2

Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias;
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Et quia [h] Cæsar alienis uxoribus haudquaquam abstinere ferebatur, & calvitio insuper deformabatur, utrumque vitium est objectum triumphanti hoc notissimo septenario:

Urbani servate uxores; mœchum calvum adducimus.

Eadem licentiâ nonnullis objecta præda est malignè militibus distributa, aliaque hujusmodi, quæ impunè jactabantur; quia in liberâ civitate liberas esse voces præsertim militum oportebat; alioquin cantus ille bellatorum ad plausum, laudemque victoris pertinebat. Declarat id Livii locus ex decimo libro, ubi sic Historicus de triumpho Quincti Fabii de Gallis, Etruscis, & Samnitibus loquitur: *celebrata inconditis carminibus militaribus non magis victoria Q. Fabii, quàm mors præclara P. Decii est, excitataque memoria parentis, æquata eventu publico, privatoque filii laudibus*: declarat id etiam vox, *Io triumphe*, quæ geminabatur in triumphis, vox plausus, & lætitiæ, cujus testis est Poëta, qui [i] dixit:

...... lauro devinctus, joque
Miles, jo magnâ voce, triumphe, canet.

& [l] Horatius, cujus illi sunt versus:

Non semel dicemus, io triumphe,
Civitas omnis, dabimusque Divis
Tura benignis;

& Ovi-

[a] Tit. Liv. libr 45. in Oration. M. Servilii. [b] Alexand. ab Alexandr. libr. 6. cap. 6. [c] Plin. libr. 16. cap. 4 & libr. 22. cap 3. A. Gell. libr. 5. cap. 6. & Claudian. in Consul. Olybrii, & Probini. [d] Plinius libr. 22. cap. 3. & Jul. Cæsar Bulengerus de Triumpho cap. 15. [e] Tit. Liv. libr. 5. 7. in princ. & Plutarch. in Vitâ Camilli, & Appianus in Libyco. [f] Martial. libr. 1. epigr. 5. & libr. 7. epigr. 7. Dionys. Haliearn. libr. 7. circa finem. [g] Sueton. in Jul. Cæsar. cap. 49. [h] Idem Sueton. ibid. cap. 51. [i] Ovid. Eleg. 2. libr. 4. Trist. [l] Horat. libr. 4. Od. 2.

& Ovidius, qui sic [a] incepit elegiam quandam:

Dicite, io Pæan, & io bis dicite Pæan,
Decidit in casses præda petita meos,

& alii passim, quorum carmina quid colligam, quum in antiquis poëtis adeo frequenter occurrant, & id alii [b] fecerint? Quapropter opportunius ad reliqua progrediemur:
3 nam post milites etiam triumphantis currum sequebantur illi, quos ab hostibus captos servitute liberaverat imperator; quapropter Q. Terentius [c] Culeo, quum apud Pœnos servitutem servisset, a Scipione liberatus triumphantis currum sequutus est; & T. Quinctii [d] Flaminii triumphum honestarunt illi, qui beneficio Flaminii servitutem effugerant; qui quum Græciæ Macedonum jugum excussisset, Græcos hortatus est, ut in libertatem Romanos Græciæ liberatores vindicarent, qui totâ Græciâ passim serviebant; quo factum est, ut omnes captivi Romani a Græcis redimerentur; qui Flaminii currum triumphalem sequuti sunt; & Cnæum Cornelium Consulem de Insubribus, Cenomanisque triumphantem Cremonenses, Placentinique coloni, quos exemerat servitute, sunt consequuti, Livio teste, qui [e] sic ait: *ceterùm magis in se convertit oculos Cremonensium, Placentinorumque colonorum turba pileatorum currum sequentium.* Atque hi raso capite pi-
4 leum gerebant, quòd hæc duo essent recuperatæ libertatis insignia; ideo quum Brutus, & Cassius interfecto Cæsare populum Romanum libertate donassent, nummos cudi curarunt, in quibus pileus cum duobus pugionibus visebatur; & Macrobius [f] quo in loco servos benignius, & liberaliùs esse tractandos docet: *ne quis*, inquit, *servos ad pileum vocare me putet*; quod est perinde, ac si dicat, servos ad libertatem vocare; & apud Plautum [g] Servus ait:

Ut rasâ capite calvos capiam pileum.

Radebant autem caput, qui in naufragii discrimine versabantur; quem morem Petronius [h] Arbiter tangit his verbis: *notavit sibi ad Lunam tonsorem intempestivo inhærentem ministerio, execratusque omen, quod imitaretur naufragorum ultimum votum*; & qui tempestatem effugerant, capite raso spectabantur; hinc Juvenalis [i] cecinit:

Tuti stagna sinus; gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ

Ad quorum similitudinem, & qui servitio exsoluti, tanquam gravissimam tempestatem perpessi, e rerum omnium naufragio emersi libertatis portum attigerant, raso capite se sui juris factos esse testabantur; id intelligi & ex citato Plauti loco potest, & [l] ex Juvenale, qui sic ait:

....., omnia ferre
Si potes, & debes, pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati......

& ex Livio, qui libro tertio his utitur verbis: *præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis sequuti, qui servitute exempti fuerant.* Atque ad hunc maximè modum triumphi agebantur; operæ pretium autem 5
fuerit, quoniam omnia, quæ ad triumphum pertinent, exequuti sumus, etiam qua viâ triumphus duceretur, & quæ post triumphum fierent, exponere. Portâ [m] Capenâ triumphantes in Urbem invehebantur; idcirco ea triumphalis est appellata; quod Cicero in Pisonem declarat his verbis: *quasi verò id aut ego scire debuerim, aut vestrûm quisquam audierit, aut ad rem pertineat, qua tu portâ introjeris, modò ne triumphali, quæ porta Macedonicis semper Consulibus ante te patuit*: ea & fontinalis [n] dicta est a fonte Camœnarum [o], a quibus antiquitus fortè Camœna vocabatur, quia extra hanc portam fuit Ædes Camœnarum, a quarum fonte Juvenalis madidam [p] Capenam vocat:

Substitit, inquit, *ad veteres arcus, madidamque Capenam.*

Hac portâ, qui triumphum ducebat, [q] ingressus viâ sacrâ pergebat; quæ ex eo nomen accepit, quod [r] augures, & sacerdotes eâ proficiscerentur; vel quod in [s] hac fœdus inter Tatium Regem, & Romulum sit ictum. Quum autem venisset in forum, captivos [t] duces dimittebat, qui in carcerem ducebantur; mox in circum veniebat, 6
deinde [u] in Capitolium præeunte [x] senatu ascendebat, & Jovi [y] candidos boves immolabat. Rebus verò divinis rite procuratis, in ejus templi porticibus [z] epulabatur, cunctumque senatum, omnesque magistratus

tus

[a] Ovidius libr. 2. de Arte Amandi in princip. [b] Julius Cæsar Bulenger. cap. 4 de Triumpho, & Thom. Dempster. in Paralip. ad cap. 29. libr. 10. Jo: Rosin. Antiq. Roman. [c] Valer. Maxim. libr. 5. cap. 2. [d] Tit. Liv. libr. 34. & Valer. Max. libr. 4. cap. 8. [e] Tit. Livius libr. 33. [f] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 11. [g] Plaut. Amphitr. Act. 1. Sc. 1. [h] Petronius in Satyric. [i] Juvenal. Sat. 12. v. 81. [l] Idem Satyr. 5. in fine. [m] Propertius libr. 4. El. 3. [n] Tit. Livius libr. 35. & libr. 41. [o] Interpres Juvenal. ad Sat. 3. v. 11. Martial. libr. 2. epigr. 6. & Victor. in primâ Reg. Urbis. [p] Juvenal. Satyr. 3. in princip. [q] Propert. libr. 2. El. 1. Horat. libr. 4. Od. 2. & Porphyr. ad hunc loc. & Ovid. Trist. libr. 3. Eleg. 1. [r] Ovid. libr. 3. El. 1. Trist. & Varro libr. 4. de Ling. L. [s] Dionysius Halic. libr. 2. n. 5. in fine, & Festus Pomp. l. 17. [t] Joseph Bell. Jud. libr. 7. cap. 18 [u] Idem ibid. Sueton. in Vitâ Cæsar. cap. 37. [x] Lampridius in Vit. Alexandri. [y] Ovid. Trist. Eleg. 2. libr. 4. & Claud. de Sexto Cons. Hon. v. 506. [z] T. Livius libr. 3. Athen. libr. 4. cap. 15. & libr. 5. cap. 15. Suetonius in Vitâ Cæsaris cap. 38. & Plutarchus in ejusdem Vitâ.

tus convivio excipiebat. Consules [a] tamen ad triumphalem cenam vocabantur; deinde quum invitati fuissent, ne venirent, rogabantur; ne scilicet convivio major triumphante potestas interesset, neve qui triumpharat, ipso triumphi die non honoratissimum locum obtineret. Athenæus autem [b] tradit, qui triumphabant, in Herculis templo convivium exhibuisse, ejusque convivii apparatum fuisse heroicum, & Herculi valde conveniētem; mulsum quippe convivis præberi consuevisse, præberi carnes fumo duratas, elixas, & assas partes victimarum. Sed fortasse non ipso triumphi die, sed alio in Herculis fano triumphantes epulabantur; nam [c] ipso triumphi die in Capitolio epulas dedisse constat; id autem [d] Herculis templum fuit in foro boario, ejusque simulacrum, quum [e] triumphus ducebatur, ornari solebat vestitu triumphali; qui Hercules Victor, ut [f] Macrobius docet, & inscriptio templi testabatur, est, appellatus; ut minimè mirum sit, si a victoribus coleretur; ideo [g] a Plinio triumphalis nuncupatur. Ipsum etiam po-
7 pulum acto triumpho tiumphales excipiebant viri epulis quàm lautissimis; quod fecisse Cæsarem accepimus, qui populo duobus, & [h] viginti millibus tricliniorum epulum dedit; in quo inter cetera [i] Falerni vini amphoræ centum, Chii centum cadi fuisse dicuntur, & sex [l] millia murænarum. Nec minore liberalitate dona Diis immortalibus offerebantur; nam alius [m] decimam prædæ partem Deo consecravit, alius templum [n] in pugnâ votum post triumphum magnificè extruendum curavit. Augustus unâ [o] donatione sexdecim millia pondo auri in capitolini Jovis cellâ dedicavit; quum ex Ægypto devictis Cleopatrâ, atque Antonio victor revertisset. Nam quid de auro coronario, cujus jam mentionem fecimus, dicam, quod [p] omne Diis post triumphum dicabatur? Cæsar [q] in triumpho tulit coronas aureas bis mille octingentas viginti duas, quarum pleræque decem pondo fuisse perhibentur. Ex quo intelligi potest quantis muneribus Deorum numina afficerentur; nam si triumphus unus tantum auri templis Deorum intulit, quantum tercentum [r] viginti triumphos, quos usque ad Vespasianum Principem Romani duxerunt, intulisse credendum est? Quare non sine causâ [s] Persius, ut doctis-
simo [t] Interpreti videtur, quò vim ingen- 8
tem auri Deo consecratam exprimeret, aurum ovatum dixit, quod in triumphis ingens auri vis soleret dedicari:

Hinc, inquit, illud subiit, auro sacras quòd ovato
Perducis facies......

Ad hæc autem dona, quæ triumphantes Divis offerebant, respexit Ovidius [u] his versibus:

Donaque amicorum templis promissa Deorum
Reddere victores Cæsar uterque parant.

Sed omnium maximè Victoris liberalita-
tem milites experiebantur, cujus rei exem- 9
pla multa possunt afferri; sed quid pluribus vos morer? unum satis fuerit attulisse. Julius Cæsar [x] quina millia drachmarum singulis militibus, hoc est quingentos Philippeos erogavit; in hac autem [y] largitione duplex pecuniæ summa centurioni dabatur, triplex equiti, ut ex Livio potest intelligi, qui libro trigesimoquarto sic ait: *bis duceni quinquageni æris in pedites divisi, duplex centurioni, triplex equiti*; & libro trigesimo septimo: *militibus, qui currum secuti sunt, trecentos vicenos quinos asses divisit, duplex centurioni, triplex equiti*; & eodem libro: *militibus quini viceni denarii dati, duplex centurioni, triplex equiti*: interdum tamen tantundem equites, & centuriones acceperunt; idem libro tricesimo tertio: *in pedites dati octingenti æris, triplex equiti, centurionique*: interdum plus datum centurioni, quàm equiti; Livius eodem libro: *septuagenos æris militibus divisit, duplex equiti, triplex centurioni*. Ex quibus perspici potest, quantum militibus Cæsaris erogatum sit; quum peditibus quingenti philippei sunt divisi, duplex centurioni, triplex equiti; quid tribunis militum, quid his, qui aliquod palmare facinus fecerant, credimus distributum? quantum autem populo, quum
centenas drachmas viritim, & [z] oleum, & 10
frumentum constet in triumpho Cæsaris erogata? Sed Cæsar excessit modum; nam alii solebant non pecuniam populo, sed munus apparatissimorum ludorum dare; quorum genera Flavius Vopiscus in Aureliani vitâ complectitur his verbis: *sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum*

[a] Val. Max. libr. 2. cap. 3. & Plutarch. Probl. Rom. cap. 80. [b] Athen. libr. 4. cap. 15. [c] Jos. de Bell. Jud. libr. 7. cap. 17. Zonaras in Camillo, Appianus in Libyco, & Tit. Livius libr. 45. in Oration. M. Servilii. [d] Tit. Livius libr. 10. Solin. cap. 2. [e] Plin. libr. 34. cap. 7. [f] Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 6. [g] Plinius libr. 34. cap. 7. [h] Plutarch. in Vit. Cæsaris, & Julius Cæs. Bulenger. libro de Triumpho cap. 33. [i] Plin. libr. 14. cap. 15. & Thomas Dempst. in Paralip. ad cap. 29. libr. 10. Antiq. Roman. Jo: Rosini. [l] Plin. libr. 9. c. 55. [m] Tit. Livius libr. 5. Plutarch. in Vit. Camilli, & Valer. Maxim. libr. 5. cap. 6. de Dominis Servorum &c. [n] Tit. Livius libr. 40. [o] Sueton. in Vitâ Augusti cap 30. [p] Cornel. Tacit. Annal. libr. 15. n. 45. [q] Appian. Bell. Civil. [r] Paul. Oros. libr. 7. cap. 6. [s] Persius Satyr. 2. v. 55. [t] Isaac Casaubon. ad hunc Persii locum. [u] Ovidius Trist. libr. 4. El. 2. [x] Sueton. in Vitâ Cæsar. cap. 38. [y] Tit. Livius libr. 45. [z] Suet. ibid.

rum scenicorum, ludorum circensium, venationum, gladiatorum, naumachiæ; quo in loco de Aureliani triumpho loquitur. Nec solùm triumphantes edebant ludos, sed in eorum honorem, qui ipsis gratificari volebant; extat epigramma [a] Martialis, quo ludos celebrat Stellæ, quos ille fecerat, ut Domitiani triumphum de Decebalo Rege Dacorum illustraret, cujus initium est:

Quos cuperet Phlegræa suos victoria ludos,
Indica quos cuperet pompa, Lyæe, tuos,
Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi;
O pudor, o pietas! & putat esse parum.

11 Sed ut multis, magnisque muneribus populum, cunctosque homines triumphantes demerebantur, sic & eximiis ipsi honoribus afficiebantur. Paulo [b] Æmylio post triumphum Macedonicum permissum est, ut deinde semper ludos in triumphali veste spectaret: Duillio [c] post actum de Pœnis navalem triumphum, ut a cenâ redeunti prælucerent funalia, tibiæque præcinerent: Cæsari, ut liceret [d] semper e lauro coronam gestare: Africano verò datum, ut imaginem habere liceret in cellâ Jovis, unde quotiescunque funus esset Corneliæ genti celebrandum, promebatur: aliique honores aliis attributi, habitique sunt triumphales viri honoratissimi. Sed hæc ducibus post triumphum contingebant; ipso verò triumphi die, ubi, qui triumphabat, clarissimum quemque convivio excepisset, vesperi tibiis, fistulisque præcinentibus, deducente senatu domum revertebatur.

DISSERTATIO XXX.

De Anno, quem Numa ordinavit, ac de Annis nonnulla.

Perperam Ovidius tradit, ideo Romulum Annum decem mensium statuisse, quia hoc temporis spatio feminæ partum gestent, quia hi menses sunt lunares, atque adeo breviores iis, quibus nunc utimur; at menses Romuli iisdem longiores erant; adeout aliqui menses triginta quinque dies, aliqui plures comprehenderent, & annus tercentum sexaginta dies contineret. Nec desunt, qui asserant, Romulum quoque duodecim menses constituisse; eos autem, qui volunt decem tantùm menses statuisse, deceptos ex eo, quod ad decem tantùm menses numero notati sint. Plinius tradit quandam mulierem decimotertio mense peperisse. Impar numerus cur a philosophis pari præferatur. Græci excellentiam, & magnitudinem imparis appellatione significant. Intercalares dies quomodo Græci, & quomodo Numa, ac Julius Cæsar addiderint. Cur Nonæ existant die quinto, vel septimo mensis; & Idus decimotertio, vel decimoquinto. Quibus Diis Annus, Menses, Calendæ, & Idus dicarentur. Qui dies atri essent, & cur ita dicerentur, in quo Plutarchus a Livio, Ovidio, & Macrobio dissentit. Feriis nemini vim inferre licebat; ideo virgines non nubebant, secus viduæ. Epilepsia, quæ dicitur morbus major, herculeus, & sacer, cur etiam appelletur comitialis. Quæ Festa continerent singuli menses; & unde originem habuerint eorum nomina. Aprilem a spumâ, ex qua nata est Venus, Ovidius dictum putat; id negant Cincius, & Varro, & asserunt ab aperiendo nuncupatum, quibus etiam assentitur Ovidius; verùm Scaliger ab apro contendit esse appellatum. Cur mense Majo nubere non satis auspicatum censeretur. Calendis Juniis exacti sunt Reges. Matronæ servis epulas exhibebant, & famulorum ministerio fungebantur Calendis Martiis; Saturnalibus verò Domini, ut memoria aurei sæculi excitaretur. Quæ rationes Romulum moverint, ut Martium anni principium faceret; quæque moverint Numam, ut principium anni Januarium statueret. Qualis fuerit Janus, & cur bifrons, & alicubi quadriceps fingeretur. Palmæ fructus, caricæ, & mella libabantur Calendis Januariis, ut omen essent anni, qui nihil amari haberet; ita pariter quamvis ab omni opere cessaretur, omnia tamen opera aliquatenus exercebantur, ne auspicium esset anni penitus otiosi. Quot annorum genera essent non solùm apud diversas nationes, sed etiam apud ipsos Ægyptios. Annus Magnus quod temporis spatium continere a philosophis dicatur. Phœnix quot annos vivat.

QUi Pythagoræ [e] inclyti sapientiâ viri Numam Regem auditorem fuisse memoriæ prodiderunt, cum multa possunt afferre, quibus ejus viri studium sapientiæ declaratur; tum hoc, quod regnum adeptus nihil antiquius habuit, quàm ut annum ordinaret; quem in duodecim [f] menses distribuit, quod erat philosophi proprium, & Cœli, siderumque spectatoris. Id [g] aggressus & Romulus fuerat, sed quia in ho-

---

[a] Martial. libr. 8. epigr. 78. [b] Plin. de Vir. Illustr. cap. 56. [c] Cicer. de Oratore ad Brutum, & Silius Ital. libr. 6. in fine. [d] Dio libr. 43. Histor. Roman. [e] Plutarch. in Vit. Numæ. [f] Plutarch. ib. & in Problem. cap. 18. & Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 13. [g] Plutarch. in Vitâ Romuli, & Macrob. ibid. cap. 12. & Censor. de Die Natali cap. 22. & Ovidius libr. 3. Fastor.

in homine rei militaris admodum studioso minor, quàm oporteret, astrorum cognitio fuit, annus Romuli neque Solis, neque Lunæ curriculo congruebat. Nam Romulus decem menses tribuit Anno, quod illum fecisse tradit Ovidius, quia id Anno temporis esse constituerit satis, quod est homini satis procreando, in lucemque [a] proferendo;

1 *Quod satis est*, inquit, *utero matris dum prodeat infans*,

Hoc anno statuit temporis esse satis.

Sed Ovidii ratio cum Anno Romuli non congruit; nam sanè partum decimo mense perfici, in lucemque [b] prodire Veterum consensus affirmavit; ideo Aristo [c] Spartanus, quum ejus uxor marem peperisset, & mensium numerum a die, quo duxerat uxorem, computasset, & nondum decem menses elapsos esse comperisset, infantem ex se non esse genitum pronunciavit; plurimumque negotii uxor habuit, ut viro persuaderet, etiam nono, septimoque mense feminas parere; & Plautus [d] Cistellariâ:

...... tum illa, quam compresserat,

Decimo post mense exacto hic peperit filiam;

& [e] Menander:

Γύνη κύει δεκάμηνος,

& [f] Virgilius:

Matri longa decem tulerunt fastidia menses;

& [g] Ovidius:

Jam novies erat orta soror pulcherrima Phœbi,

Denaque luciferos Luna vehebat equos.

Nesciaque faceret subitos mihi causa dolores,

Et rudis ad partus, & nova miles eram.

Ex quibus, aliisque multis Auctorum lo-
2 cis constat mense decimo plerumque partum esse maturum Veteres arbitratos; nec in eo Ovidium errasse, quòd decimo mense ut plurimum tempus existere pariendi sit opinatus. Sciendum tamen, quum Veteres feminas mense decimo parere ferè semper prodiderunt, de lunaribus mensibus esse loquutos; qui sunt breviores, ne quis putet antiquitus mulieres ventrem tulisse diutiùs, quàm nunc ferant; quum nono ferè mense pariunt; sed decem menses, quibus annum suum Romulus terminavit, non solùm lunaribus erant longiores, verùm etiam his, quibus utimur, qui Solis cursum, non Lunæ metiuntur. Siquidem Plutarchus in Romuli vitâ refert tercentum sexaginta dies Romuli annum fuisse complexum, & quosdam menses triginta quinque dies, quosdam verò plures comprehendisse. Quare longius id est intervallum, quàm

Quod satis est, utero matris dum prodeat infans;

neque ulla mulier memoratur tamdiu ventrem tulisse, nisi ea, quam Plinius [h] tradit decimotertio mense peperisse. Initium ve-
rò anni tunc a Martio mense [i] sumebatur; 3
ideo Julius mensis, qui quintus a Martio est, Quinctilis vocabatur, sicut Augustus Sextilis, & ceteri, qui consequuntur, eadem ratione. Sed Numa, quum intelligeret annum a Romulo ordinatum neque Solis, neque Lunæ cursui convenire, correxit errorem Romuli duobus additis mensibus; de qua emendatione anni sic loquitur noster [l] Auctor. *Atque omnium primùm ad cursum Lunæ in duodecim menses describit annum, quem, quia tricenos dies singulis mensibus Luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe intercalares mensibus interponendo ita dispensavit, ut vigesimo quarto quoque anno ad metam eandem Solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies con-*
gruerent. Atque illud in primis adnotan- 4
dum est Numam Græcos imitatum; nam Græci ad Lunæ cursum annum accommodarunt; eumque in duodecim menses distributum duodecim continere Lunæ periodos voluerunt; itaque [m] annum placuit trecentis quinquaginta quatuor diebus terminari. Nam Lunæ cursum viginti novem diebus, horisque duodecim absolvi putaverunt; sed quia Solis curriculum non trecentos quinquaginta quatuor, sed [n] trecentos sexaginta quinque dies, horasque sex complectitur, quod spatium superat annum Græcorum undecim diebus, & quadrante, ut & Solis anno aliquâ ratione congrueret annus Græcorum, neve extra orbitam vagaretur, octavo quoque anno nonaginta dies intercalabant, quos in tres menses tricenûm dierum tribuebant; quibus nimirum mensibus octo Solis cursus annos octo Græcorum excedebant; quo fiebat ut octavus quisque annus quindecim menses contineret. Numa [o] quoque annum suum tre-
centis quinquaginta quatuor diebus finivit; 5
quibus duodecim conficere spatia proprio motu Lunam est arbitratus; verumtamen ne prorsus Græcorum in ordinando anno rationem sequeretur, est impeditus [p] quadam religione, quæ a Pythagoræ placitis

[a] Ovid. Fastor. libr. 1. v. 33. [b] Terent. in Adelph. Act. 3. sc. 4. Arnob. libr. 1. & S. Hieronym. Epist. 47. [c] Pausan. in Laconic. sive libr. 3. [d] Plautus in Cistell. Act. 1. sc. 3. v. 14. [e] Menander apud Aul. Gell. libr. 3. cap. 16. [f] Virgil. Eclog. 4. [g] Ovid. in Epist. Canacis Ep. 11. [h] Plin. Natur. Histor. libr. 7. cap. 5. [i] Plutarch. in Vitâ Romuli, Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12. Fest. Pompejus libr. 11. & Ovid. Fastor. libr. 3. [l] T. Livius libr 1. [m] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 13. [n] Macrob. ibid. [o] Plutarch. in Vitâ Numæ. [p] Macr. Saturn. libr. 1. cap. 13.

non abhorrebat; & eorum confirmato pinionem, qui Numam Pythagoræ auditorem fuisse censuerunt. Noluit [a] pari dierum numero annum constare, vel menses præter unum, quem Februarium nuncupavit, quem viginti octo diebus absolvi voluit; itaque addidit anno unum diem, ut fierent trecenti quinquaginta quinque dies; jussitque Januarium, Aprilem, Junium, Sextilem, Septembrem, Novembrem, Decembrem undetricenos dies, Martium, Majum, Quinctilem, & Octobrem tricenos singulos, Februarium viginti octo dies obtinere. Ut autem cum Solis cursu Romanus annus aliquo pacto conveniret, octo annis quater intercalabatur, eâ ratione, ut alternis annis vicenos binos, alternis vicenos ternos interponerent; sic annorum octo spatio nonaginta dies intercalabantur more Græcorum. Sed quia superfluebat unus dies [b] anno Numæ, ne octavo quoque anno quidem Romani anni solaribus congruebant; itaque tertio quoque octennio sexaginta sex dies intercalares, non nonaginta placuit interponi; eo pacto viginti quatuor anni a Numâ instituti vigintiquatuor Solis annuos cursus æquaverunt. Ex his igitur, quæ diximus, constat, cur noster Auctor [c] affirmet Numam ad Lunæ cursum annum descripsisse; & dies intercalares mensibus interponendo ita dispensavisse, ut vigesimo quarto quoque anno ad metam eandem Solis, unde orti essent, plenis annorum spatiis dies congruerent. Quibus explicatis, quæ ad Livii locum in-
6 telligendum pertinere videbantur, non abs re fuerit, quoniam diximus Numam noluisse menses, annumque pari dierum numero definire, qua ratione adductus id fecerit, enarrare. Quum omnem numerum aut parem, aut imparem esse sit necesse, nonnullis philosophis placuit [d] imparem longè anteponendum; quòd numerus impar si addatur ad parem, qui ex utroque conflatur, fit impar; ut si tria ad sex adjunxeris efficiuntur novem, qui numeros impar habetur; quocirca tanquam ubique victorem præcipuâ dignitate esse putaverunt. Illud etiam [e] movit homines, ut imparem numerum ducerent potiorem, quòd si ducatur in parem, gignit, & procreat parem, si in imparem, producit imparem; ut si tria ducas in novem, existunt vigintiseptem; si ducas in decem, triginta; quorum alter numerus est impar, alter autem par; par autem in utrumvis numerum ductus generat parem, ob eamque causam imparem tanquam fecundiorem excellere censuerunt. Præterea parem [f] numerum in duas æquales dividi partes, & habere quandam discordiæ similitudinem; quum ea, quæ inter se pugnant, æqualia esse videantur; nam pugna inter inæquales non potest esse diuturna, statim imbecilliore potiori succumbente. Hac [g] de causâ Romani in neptiis imparem numerum pari præferebant; 7
in quibus quinque faces prælucere solitas novæ nuptæ memoriæ proditum est; nolebant quippe in nuptiis esse quidquam, quod imaginem discordiæ quoquo modò præseferret; eodem numero utebantur in sacris Deorum; unde illud Maronis in ore [h] omnium est:

..... *numero Deus impare gaudet*.

Quàm enim vir feminæ præstat, tanto imparem numerum pari esse præstantiorem existimabant; ideo Pythagoras [i] alterum mari, alterum feminæ comparabat; quam opinionem Romani [l] sequuti feminis quidem octavo ab ortu die, maribus nono nomen imponebant; & Græci excellentiam, & magnitudinem imparis appellatione significant. Hinc Euripides ait: *περιττὸς ὢν ἀνὴρ* quum magnum virum velit signare; his verbis & Dionysius Halicarnasseus Numam [m] fuisse dicit *περιττὸν τὴν γνώμην*, omninoque hoc vocabulo Eustathius affirmat notari magnitudinem quandam virtutis; & Cælius Rhodiginus [n] animadvertit Ho- 8
merum imparia semper Superis, paria Inferis tribuisse; quod communi quoque religione receptum antiquitus comperimus; siquidem [o] Servius docet Superis impares, Inferis pares hostias immolari; & Solinus capite tertio Januarium mensem propter imparem numerum (nam initio viginti novem dies fertur habuisse) Cœlestibus Diis esse tradit consecratum, Inferis verò Februarium propter parem numerum dierum, quibus constat. Quum igitur [p] imparis numeri tanta esse dignitas videretur, quum Numa digereret annum in suas partes, & anno tribuit imparem numerum dierum, & mensibus; nam annum trecentos quinquaginta quinque dies, menses omnes, præter Februarium, aut undetricenos, aut tricenos singulos voluit continere; & Januarium quidem, Aprilem, Junium, Sextilem, Septembrem, Novembrem, Decembrem undetricenis diebus; Martium verò, Majum, Quinctilem, & Octobrem tricenis singulis terminavit. Nec solùm menses impa-

[a] Solin. Polyhistor. cap. 3. [b] Macrob. ibid. [c] Tit. Liv. libr. 1. [d] Plutarch. Quæst. Rom. & Jo: Stob. Eclog. Physic. cap. 2. [e] Cæl. Rhodigin. libr. 22. cap. 7. [f] Plutarch. Quæst. Roman. in principio. [g] Idem Plutarch. ibid. [h] Virgilius Ecl. 8. v. 75. [i] Macrob. in Somn. Scipion. libr. 1. cap. 6. & libr. 2. cap. 2. [l] Plutarch. Quæst. Roman. circa finem. [m] Dionys. Halicarnass. libr. 2. Antiq. Roman. [n] Cæl. Rhodigin. Lect. Antiq. libr. 22. cap. 7. [o] Servius ad Eclog. 8. Virg. v. 75. [p] Plutarchus in Vitâ Numæ, & Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 13.

imparem dierum numerum complecti censuit oportere; sed etiam dies, quibus mensis distinguitur, & quasi dividitur in suas partes, impari numero gaudere sancivit; nam Nonæ existunt quincto, vel septimo die; Idus autem decimotertio, vel decimo quincto. Atque [a] hæc ratio est, cur nunc quoque Idus Martii, Maii, Julii, & Octobris in decimum quinctum mensis incidant diem, reliquorum in decimum tertium. Nam quum Idus dies illa habeatur, quæ bifariam dividit mensem, ex quo est etiam appellata, nam iduare [b] Etrusco sermone dividere est, qui menses tricenos singulos habebant dies videlicet Martius, Majus, Quinctilis, & October, hi decima quincta die in duas partes æquas proximè dividebantur; ideo tunc Idus agebantur; qui verò undetricenos obtinebant, nimirum Aprilis, Junius, Sextilis, September, Nuvember, December, Januarius, eorum Idus in decimam quartam diem eadem de causâ incidissent, nisi parem numerum quatuordecim declinare placuisset; sed quia [c] parem numerum Numa est abominatus, nec tam celebri, festoque diei censuit convenire, non decimo quarto, sed decimo tertio die Idus esse jussit. Poterat ille quidem decimum quinctum diem Idibus dedicare, qui propiùs abest a medio, quàm decimus tertius; sed quia tunc mensis vergit ad finem, & Luna decrescit, maluit a medio longiùs aberrare, quàm erescenti Lunæ senescentem anteponere; quod autem tunc est constitutum de mensium Idibus, nunc etiam observatum, quum menses eundem dierum numerum non obtinent. Nonæ verò sequuntæ sunt Idus; ideo quibus mensibus Idus agebantur decimoquincto die, Nonæ celebrabantur septimo; quibus decimo tertio, Nonæ quincto existebant. Kalendæ

10 autem Junoni [d] sacræ habebantur; quia quum [e] Plutarcho teste menses Junonis tutelæ Romani sacravissent, sub cujus tutelâ mensis erat, ab ejus numine debebat inchoari. Junoni verò sacri menses putabantur, quia Juno [f] eadem Luna putabatur; quod vel ex eo perspici potest, quod Juno Lucina dicitur; hinc illud [g] Comici:

Juno Lucina fer opem .....

& Luna eodem nomine appellatur; unde Tibullus [h] cecinit:

Efficiat vanos noctis Lucina timores

& [i] Horatius:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari;

quo loco Dianam, scilicet Lunam precatur; Lunæ verò sunt menses, quia cursu Lunæ menses metiebatur antiquitus. Idus 11
autem [l] Jovi sunt consecratæ, quia quum eo tempore Luna orbe pleno totam noctem illuminet, nullo non temporis momento lumine Jovis Mundus illustratur; nam Jupiter, & Sol idem numen esse censebatur; ideo annum Jovis esse [m] Plutarchus asseverat, cui concinit [n] Homerus, qui sic ait:

..... Διὸς μεγάλου ἐνιαυτοῦ.

Tam autem Kalendas Junoni sacras esse, quàm Idus Jovi [o] Ovidius testatur his verbis:

Vindicat Ausonias Junonis cura Kalendas,
Idibus alba Jovi grandior agna cadit;

quæ agna Idulis [p] ovis a Festo nuncupatur. Nonæ [q] verò quamvis essent celebres, nullius Dei tutelæ dicabantur; ideo Naso [r] dixit:

Nonarum tutela Deo caret .....

Sed licet Nonæ Deo carerent, non carebant causâ lætitiæ, & celebritatis; nam quum Servium Regem Romanorum, qui maximè plebem fovit, maximeque auxit opes tenuiorum, Nonis natum esse constaret, nec tamen sciri posset, quibus Nunis, omnes Nonæ studio plebis festæ agebantur, ne Natalis dilecti Regis inhonoratus haberetur. Tam [s] autem Kalendis, quàm Nonis, & Idibus proximus dies ater 12
putabatur, quem ἀποφράδα Græci vocant; cujus rei Plutarchus [t] est testis, & Ovidius, qui sic [u] ait:

...... *omnibus istis,*
Ne fallare, cave, proximus ater erit.

Quid autem dies ater esset, eleganter explicat Lucianus de Apophrade, ubi sic ait: ἰδοὺ καὶ μεμάθηκας ἤδη ὁδοῦ πάρεργον, τί βούλεται αὐτοῖς ἡ ἀποφρὰς ἡμέρα; ὅταν μήτε αἱ ἀρχαὶ χρηματίζωσι, μήτε εἰσαγώγιμοι αἱ δίκαι ὦσι, μήτε τὰ ἱερὰ ἱερουργῆται, μήτε ὅλως τι τῶν ὁσίων τελῆται, αὕτη ἡ ἀποφρὰς ἡμέρα: quæ verba sic convertuntur: *ecce jam didicisti, quasi in transcursu viæ, quid sit ater dies; quum neque magistratus agunt rempublicam, neque lites intendi jure possunt, neque sacra peraguntur, neque omnino quidquam agitur eorum, quæ solent auspicatò geri, is dies ater nuncupatur.* Atque hae de causâ, quòd Kalendas, Nonas, Idus dies ater [x] sequeretur,

[a] Jo: Rosin. Antiq. Roman. libr. 4. cap. 4. [b] Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 15. Plutarch in Vitâ Numæ, & Varr. libr. 4. de Ling. Lat. [c] Plutarch. in Quæst. Roman. [d] Macrob. libr. 1. Saturn. cap. 15. [e] Plutarch. Quæst. Roman. & Ovid. Fastor. libr. 1. [f] Idem Plutarch. ib. [g] Ter. Andriâ Act. 3. sc. 1. [h] Tibull. libr. 3. El. 4. [i] Horat. carm. Secular. [l] Plutarch. in Quæst. Roman. & Ovid. Fastor. libr. 1. [m] Plutarch. ibid. [n] Hom. Iliad. β. v. 134. [o] Ovid. Fastor. libr. 1. v. 55. [p] Fest. Pompejus in V. Idulis Ovis. [q] Macrob libr. 1. Saturnal. cap. 15. [r] Ovid. Fastor. libr. 1. v. 57. [s] Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 16. [t] Plutarch. Quæst. Roman. [u] Ovid. Fastor. libr. 1. vers. 57. [x] Macrob Saturn. libr. 1. cap. 15.

13 Nonis, Kalendis, & Idibus nuptiæ non celebrabantur, neque virgo ad maritum deducebatur; quòd enim postridie ejus diei, quo nova nupta venisset in mariti domum, ea rem divinam facere deberet, neque atro die [a] fieri res divina posset, jure nubentes vitandas esse Nonas censuerunt, quas dies ater consequeretur; ne sacrificare atro die cogerentur. Vitaverunt & Kalendas, & Idus, sed etiam aliâ de causâ; quia Kalendæ, & Idus feriæ essent; feriis autem cuiquam inferri [b] vim nefas haberetur, quod esse necesse in virginum nuptiis fieri videbatur; itaque viduæ, quominus his diebus nuberent, non prohibebantur; quia non coactæ, sed sponte cum viro congredi putabantur. Causa, cur dies postridie Kalen-
14 das, & Nonas, & Idus ater haberetur, fuit, quòd [c] quum die, quæ Idus proximè sequebatur, ad Cremeram, & Alliam Romani malè pugnavissent, multasque clades accepissent, senatusconsultum factum est, ut non dies modò post Idus, verùm etiam post Kalendas, & Nonas, tanquam mali ominis Rempublicam gesturis vitarentur; quam opinionem sequitur [d] Ovidius Fastorum libro primo, qui de diebus atris agens, rationemque reddens, cur atri vocarentur, sic ait:

Omen ab eventu est; illis nam Roma diebus
Damna sub adverso tristia Marte tulit.

Sed & [e] Livius, & [f] Macrobius sunt in hac sententiâ; sed [g] Plutarchus putat, sicut mensis, qui sequitur Januarium mensem Cœlestibus consecratum, Manibus, & Inferis est dedicatus; ita eas dies, quæ Kalendas, & Nonas, & Idus consequuntur Superis sacras, esse Inferis attributas; & atras ob eam causam haberi, & nominari; eodem [h] modo & Græci quum primam diem mensis, quam Νεομηνίαν dicunt, sacram Superis esse voluissent, secundam Inferis tribuerunt. Veruntamen in hanc sententiam si placeat ire, in Nonis hæreamus necesse est, quæ nulli sunt numini dedicatæ; nec his Plutarchi ratio potest accommodari; quapropter Ovidii [i] opinionem puto ad veritatem propiùs accedere, dictosque dies atros non quia sint Inferis dedicati, sed quia infelices fuerint, & inauspicati. Sic & dies, qui nobis aliquid prosperitatis attulerunt, candidos appellamus; ita Elegia- 15
cus [l] Poeta dixit:

O niveam, quæ te poterit mihi reddere, lucem,
O mihi felicem terque, quaterque diem!

& [m] Persius:

Nunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.

& [n] Propertius:

O me felicem, nox o mihi candida, &c, o tu
Lectule, deliciis facte beate meis!

& [o] Catullus:

Fulsere quondam candidi tibi soles

Eadem de causâ Macrobius [p] tradit quosdam ante diem quartum Kalendas, Nonas, Idus tanquam inauspicatum, infelicemque esse detestatos; quia ante diem quartum Nonas Sextiles Romani Cannensem cladem acceperunt. Sed quoniam de Kalendis, & No- 16
nis, & Idibus facta mentio nos eò deduxit, ut de diebus atris diceremus, res ipsa postulare videtur, ut de reliquis diebus verba faciamus. Quæ oratio a Livii loco, de quo agimus, non abhorrebit; nam Livius, ubi commemoravit annum a Numâ in duodecim menses descriptum [q] eleganter ita loquitur: *idem nefastos dies, fastosque fecit; quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat.* Qui locus desiderat, ut de dierum jure disseramus; omnes [r] igitur dies aut fastos, aut nefastos esse, aut intercisos Numæ lege sancitum est; fasti sunt [f] dies, quibus Prætor jus populo dicit, audit causas, lites dijudicat; qui fasti a fando sunt appellati, quòd his Prætori liceret fari illa tria juris verba [t] solennia: *do, dico, addico*; sine quibus jurisdictio non poterat expediri; nefasti verò, quibus lege agi non poterat; & legitima jurisdictionis verba silebantur; intercisi [u] autem, qui non toti nefasti, nec toti fasti habebantur; sed quibusdam horis non licebat tria verba pronunciare, quibusdam licebat; quæ tria dierum genera complectitur his versibus pereleganter Ovidius libro Fastorum [x] primo:

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,
Fastus erit, per quem lege licebit agi.
Neu toto perstare die sua jura putaris;
Qui jam fastus erit, mane nefastus erat.

Nam

[a] Aul Gell. libr. 5. cap. 17. Noct Attic. [b] Macr. Saturnal. libr. 1. cap. 15. ex Verrii Flacci, & ex Varronis Sententiâ. [c] Cicer. ad Atticum libr. 9. Epist. 4. Ovid. libr. 1. de Arte Amandi, Verrius Flaccus libr. 4. de Verborum significatione apud Aul. Gell. libr. 5. cap. 17. Plin. de Viris Illustrib. cap 23. Cornel. Tacit. libr. 17. & libr. 2. Histor. Dionys. Halicarnass. libr. 9. Plutarch. cap. 24. Quæst Roman. Virgil. libr. 7. Æneid. & Lucan. libro itidem 7. [d] Ovid. Fastorum libr. 1. v. 59. [e] Tit. Livius libr. 6. [f] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 16. [g] Plutarch. Quæst. Rom. c. 24. [h] Plutarch. ibid. [i] Ovid. Fast. libr. 1. v. 59. [l] Tibull. libr. 3. El. 3. [m] Persius Sat. 2. v. 1. [n] Propert. libr. 2. Eleg. 15. [o] Catullus epigr. 8. ad se ipsum. [p] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 16. & Aul. Gell. libr. 5. cap. 17. [q] Tit. Livius libr. 1. [r] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 16. [f] Ovid. libr. 1. Fastor. circa init. [t] Varro libr. 5. de Ling. Lat. [u] Macr. libr. 1. Saturnal. cap. 16. [x] Ovid. Fastor. libr. 1. vers. 47.

Nam simul exta Deo data sunt, licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera Prætor habet

Nefasti [a] dicuntur etiam festi, sed Nefasti
17 nomen latiùs patet, quàm Festi; nam atri dies nefastorum nomine continentur; neque tamen sunt festi, quum neque Deorum honoribus, neque usibus hominum addicti sint, & dedicati. His contrarii sunt profesti, ut intelligi potest ex [b] Plauti versu in Aulularià:

...... festo die siquid prodegeris,
Profesto egere liceat, nisi peperceris.

Profestus quippe eodem modo dicitur, quo profanus; nam sicut profanum illud est, quod nihil habet commune cum fano, sic profestum, quod nihil habet commune cum festo. Profestis enim [c] diebus homines vacabant sibi; festis, honori Deorum; festis edebantur ludi, res divina fiebat, epulis sacris Deorum numen colebatur, feriæ observabantur, quibus opus facere omnes vetabantur; ideo [d] Tibullus festam diem describit eleganter his verbis:

Luce sacrâ requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus;
Solvite vincla jugis; nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo; non audeat ulla,
Lanificam pensis imposuisse manum.

Siquis [e] autem feriis operi manum admo-
18 visset imprudens, porco factum expiabat; sin prudens, nullâ victimâ expiabatur; neque tamen omni opere hominibus interdicebatur; siquidem, quæ ad cultum Deorum pertinebant, nemo feriis expedire prohibebatur; nec ulla religio impediebat, quominus quis ea faceret, quæ prætermissa damnum afferre putuissent; quin etiam quædam opera levia obire leges concedebant; idcirco [f] Virgilius dixit:

Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas, & jura sinunt; rivos deducere nulla
Relligio vetuit, segeti prætendere sepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque greges fluvio mersare salubri.

Feriarum verò [g] quatuor genera numeran-
19 tur; nam feriæ aliæ erant stativæ, quæ certis, & constitutis diebus, quotannis recurrebant, aliæ [h] conceptivæ, quæ non erant in fastis adnotatæ, sed in certos dies, vel etiam incertos a magistratibus, aut sacerdotibus concipiebantur, aliæ imperativæ, quas Consules, Prætoresve arbitratu suo indicebant, aliæ denique nundinæ, quibus in Urbem Rustici commeabant, & quæ futura [i] erant usui coëmebant, vendebantque, quæ redundarent; omninoque negotiis cum publicis, tum privatis operam dabant. Eæ nono quoque die redibant; ita ut octo dies interjicerentur inter binas nundinas ab urbanis negotiis vacui, quibus agricolæ omnia expertes curæ in opere rustico versarentur; quibus cognitis alioquin obscurum Ovidii carmen exponitur, qui libro quarto Fastorum agens de diebus fastis, & nefastis, & aliis ait:

Est quoque, qui nono semper ab orbe redit;

ubi dies, qui redit ab orbe nono, nihil aliud est, quàm nundinæ, quæ nono quoque die revertebantur. Quòd autem die 20
nundinarum rustici omnes, atque Pagani in Urbem convenirent; ideo [l] candidati, qui conventos, atque prensaros volebant non urbanos modò, sed etiam rusticos, Nundinis maximè dabant operam petitioni; neque enim aliu tempore poterant homines, qui rure morabantur, convenire, appellare blandè, adire, alloqui, eblandiri suffragia. Quapropter trinundini tempus ad petendum dabatur candidatis, ternisque nundinis, & eo, quod inter nundinas intercedebat, intervallo conficiebatur totum petitionis negotium; hinc Vopiscus Nundina, vel Nundinia consularia in Taciti vitâ dixit, ubi sic ait: *Idcirco quòd jam senatus omnia nundina suffectorum Consulum clauserat.* Quem locum sic explicat [m] Salmasius, ut dicat, quum solerent vetusto more Nundinis præcipuè candidati ambire populum, & petere consulatum, postea eversâ Republica licet a campo translara fuissent ad Patres comitia, tamen servandi moris antiqui causâ consuevisse candidatos in comitium venire, & Nundinis ostendere se populo; hinc nundina Consulum esse appellata. Nam quum post Claudium Principem in annum non duo Consules, sed duodecim designarentur, ita ut, qui primi designati fuerant, bini Consules nomen darent anno, & a Kalendis Januariis ad Martias gererent consulatum; qui secundo loco, a Kalendis Martiis ad Majas; qui tertio, a Maiis ad Julias, & sic reliqui deinceps; sic sex designationes Consulum extitisse, quas a Nundinis nundina consularia dictas arbitratur, nec aliud esse: *omnia nundina suffectorum Consulum clauserat*; quàm omnes Consules in annum designarat. Sed

ut

---

[a] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 16. [b] Plaut. Aulul. Act. 2. sc. 8. v. 10. [c] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 16. [d] Tibull. libr. 2. Eleg. 1. [e] Macrobius ibid. [f] Virgil. Georg. libr. 1. [g] Varro libr. 2. vel secundùm aliorum computationem 5. de L. Lat. & Macrob. libr. 1. Saturn. cap. 16. [h] Fest. Pompejus libr. 3. [i] Rutilius apud Macr. ibid. & Fest. Pomp. libr. 12. & Plin. libr. 18. cap. 3. [l] Macrob. ibid. [m] Claudius Salmasius ad Flavium Vopisc. in Vitâ Taciti.

21 ut ad Nundinas revertamur, non solùm
trinundino petebant honores candidati, sed
etiam leges [a] eadem de causâ, antequam san-
cirentur, trinundino, hoc est tertiis nun-
dinis, in publico proponebantur; ut ab
omnibus, qui eo tempore ex agris in Ur-
bem confluebant, inspicerentur; &, si quis
legem non probaret, prodire posset ad eam
dissuadendam; & si non tota lex, sed ca-
put aliquod displiceret, ostendere vitium,
& emendare commutanda. Atque hæc de
festis diebus, sive nefastis; quamquam Nun-
dinæ Hortensiâ lege latâ pro fastis haberi
ceperunt, ut rustici possent lites compone-
re; nam antea feriæ Jovis Nundinæ habe-
bantur; & Nundinis Flaminis uxor in Re-
giâ Jovi arietem immolabat. Fasti verò, vel
22 profesti in comitiales, comperendinos, sta-
tos dividuntur; comitiales erant, quibus
agi cum populo poterat, & habere comi-
tia creandis magistratibus licebat; de comi-
tiali die versus est capiendus Ovidii libro
primo Fastorum, qui ita se habet:

Est quoque, quo populum jus est includere
septis.

Nam [b] septa dicebatur in Campo Martio
locus tabulatis, cancellisque conclusus, in
quem populus includebatur, ubi creandis
magistratibus essent ferenda suffragia; qui
locus etiam appellatur ovilia, de quibus Lu-
canus loquitur [c] his verbis:

Tunc flos Hesperiæ, Latii jam sola juventus.
Concidit, & miseræ maculavit ovilia Romæ.

Dies igitur, quo fas est includere septis
populum, est dies comitialis, quo po-
pulus ad eligendos magistratus include-
batur septis. Comitialis [d] autem dies a
comitiis, quæ tunc habebantur; comitia
teste Festo, a [e] comire, quod postea detri-
tâ litterâ dictum est coire; nam coibat
omnis populus comitiorum causâ. Comi-
tium est etiam locus, ubi suffragia fereban-
tur; Livius [f]: *Statua Actii posita capite ve-
lato, quo in loco res acta est, in comitio in gra-
dibus ipsis ad lævam curiæ fuit*; & Vitruvius
libro secundo: *item Lacedæmone e quibusdam
parietibus etiam picturæ excisæ interfectis la-
teribus inclusæ sunt, in ligneis formis, & in
comitium ad ornatum ædilitatis Varronis, &
Murenæ fuerunt allatæ*; & Cicero libro pri-
mo in Verrem: *Vidi simul cum Populo Romano
forum, comitiumque ornatu ad speciem magni-
fico, ad sensum, cogitationemque acerbo, & lu-
gubri*; & Varro libro quarto de linguâ la-
tinâ: *comitium ab eo, quod coibant eò comitiis
curiatis, & litium causâ*. In hoc loco, qui 23
comitium est appellatus, fuit ara subterra-
nea, ubi [g] Actius Nævius cotem novacu-
lâ dicitur discidisse; quæ puteus vocaba-
tur, quia esset defossa sub terrâ; locus au-
tem aræ operculo [h] tegebatur, quod pu-
teal est nominatum; unde puteal pro fo-
ro, & tribunali est usurpatum; quia in co-
mitio, cujus pars puteal, causæ judicaban-
tur; utitur autem eâ voce [i] Persius satyrâ
quartâ:

Si puteal multâ cautus vibice flagellas;

& [l] Horatius:

. . . . . . forum, putealque Libonis
Mandabo siccis . . . . .

& [m] Ovidius:

Si Puteal, Janumque timet, celeresque Ka-
lendas;

& Cicero pro Publio Sextio: *puteali, &
fæneratorum gregibus infractus, atque percul-
sus*. Comitium autem Laribus videtur de-
dicatum, nisi corrupta est inscriptio, quam
citat libro de spectaculis [n] Tertullianus,
quæ est hujusmodi: *Consus consilia, Mars
duello, Lares comitio potentes*. Sed comitium,
quum significat locum, ferè numero singu- 24
lari dicitur; comitia verò, quum designant
conventum populi legum ferendarum, vel
magistratuũ creandorum causâ congregati,
semper numero multitudinis esse efferenda
gravis auctor inprimis linguæ latinæ Cæ-
sar existimavit. A comitiis verò, non a
comitio comitialis dies nomen accepit;
& comitialis mensis; qua voce utitur Ci-
cero [o] in Verrem. Ceterùm dies comitia-
lis, de quo dicebamus, ex comitiali fiebat
interdum non comitialis; nam [p] siquis in
comitium populo congregato epilepsiâ cor-
reptus concidisset, comitia dirimebantur;
ideo morbus is comitialis est appellatus;
qui [q] & Herculeus, & [r] major, & [f] sacer
dicitur; si fœda [s] tempestas esset coorta,
si fulmen decidisset, aut omnino tonuisset,
aut hæc facta quispiam nunciaret, quod de
Cœlo servare dicebatur; jus agendi cum
populo non erat, & impediebantur eo die
comitia. Comperendini [u] verò dies erant,
qui-

[a] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 16. [b] Serv. in Virgil. Ecl. 1. v. *Quamvis multa meis exiret victima septis*. Martial. libr. 9. epigr. 60. Sueton. in Vitâ Augusti cap. 43. Auson. in Panegyr. & Seneca de Irâ libr. 2. cap. 7. [c] Lucan. Phars. libr. 2. [d] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 16. & Festus Pompejus libr. 3. [e] Festus Pomp. in V. Comitiales dies. [f] Tit. Livius libr. 1. [g] Tit. Liv. ibid. [h] Cic. de Divinat. libr. 1. [i] Persius Satyr. 4. v. 49. [l] Horat. libr. 1. Epist. 19. ad C. Cilin. Mæcen. [m] Ovid. de Remed. Amor. libr. 2. v. 561. [n] Tertullian. de Spectacul. cap. 5. [o] Cicer. in Verr. & ad Q. Fratr. [p] Q. Serenus Libello de Medicinâ cap. 58. [q] Galen. Epidem. 6. vel de morbis vulgarib. libr. 6. [r] Apulejus in Apolog. Aretæus de Affectib. diuturnis libr. 1. & Plutarch. de Solert. Animal. circa finem. [f] Plato in Timæo, Apulejus, & Aretæus ibid. [s] Cicer. libr. 2. de Divinat. & Cornel. Tacit. libr. 1. Histor. n. 17. [u] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 16.

quibus vadimonium licebat dicere; stati,
25 qui [a] judicii causâ cum peregrino statuebantur. Stati diei meminit Plautus in Curculione [b]:

... Status condictus cum hoste intercessit dies.

Erant [c] præterea prœliares dies, quibus habere delectum licebat, suscipere bellum, ad rem adversùs hostes gerendam proficisci; neque enim semper id lege permissum; nam [d] Saturni festo, quod decimo quarto Kalendas Januarias celebrabatur, & patente Mundo bellum inchoare nefas arbitrabantur. Patere [e] verò ter in anno Mundum putabant; nimirum postridie Vulcanalia, hoc est nono Kal. Sept. & tert. Non. Octobres; & sexto Idus Novembres. Accedebant his Latinarum [f] dies, ubi quippe Consules iniissent [g] magistratum, in Albano monte sacrificabant; idque sacrum commune Romanis cum Latinis populis habebatur, omnesque Gentes Latinæ partem de victimâ, quæ Latiali Jovi immolabatur, petebant; dies autem, quibus Populus Romanus cum Latinis populis rem divinam in Albano monte faciebant, Feriæ latinæ vocabantur; sub Regibus autem [h] unus dies Latinarum fuit, exactis Regibus duo; quum plebs in Sacrum montem secessisset, & in gratiam cum Patribus rediisset, additi duo; ac demum decem dies haberi Latinarum ceperunt; his nec adigere sacramento milites, nec bellum inceptare fas putabatur. Justi [i] quoque dies dicebantur
26 continui triginta dies, quibus vexillum rufi coloris in arce positum decretum esse bellum testabatur; quò Virgilius suis carminibus constat respexisse, quum sic [l] ait:

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu;
Utque acres concussit equos......

Atque hæc de diebus fastis, nefastisque non erant omittenda, quum de anno ageremus a Numâ ordinato; quia eadem operâ, qua Numa annum ordinavit, & fastos, nefastosque dies instituit; nunc de mensibus disseremus; ac primùm, cur Februario [m] soli mensium numerum parem dierum tribuerit, dicemus; nam aliis cur imparem do-
27 naverit, diximus. Ac sciendum est Februarium expiationibus addictum esse, atque dedicatum, a quibus [n] Februarius nomen accepit; nam piamina februa appellabant, cujus rei testis est Ovidius, qui sic [o] ait:

Februa Romani dixere piamina patres;

& apud Nonium [p] Marcellum Varro, qui februare dictum a Veteribus tradit pro eo, quod est purum facere; quare quo mense februis, id est piaminibus, Romani utebantur, hunc Februarium placuit nominare. Lupercalia quippe, quæ Februario mense agebantur, nihil aliud erant, quàm Urbis expiatio, ut [q] Plutarchus in quæstionibus Romanis scriptum reliquit; & Ovidius [r] testatur his verbis:

Mensis ab his dictus, sectâ quòd pelle Luperci
Omne solum lustrant; idque piamen habent.

Expiationes [f] autem ad Deos inferos vi- 28
dentur pertinere; idcirco [t] Plutarchus notat in sacris, quæ expiandi causâ suscipiebantur, solitum canem immolari; nam canis Hecates victima inferorum Deæ; qua de causâ Lycophron Hecaten κυνοσφαγῆ θεὰν vocat, quasi dicas canum Deam [u] perniciem:

Ζήρυνθον, inquit, *ἄντρον τῆς κυνοσφαγοῦς θεᾶς.*

quem versum explicans Interpres docet Hecate canes immolari; licet & mænides, & mulli etiam eidem Deæ sacrificarentur. Eadem de causâ de Hecate [x] Theocritus dixit:

Τᾷ χθονίᾳ τ' Ἑκατᾷ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι

& [y] Plutarchus affirmat Hecates canes esse victimam. Quare [z] quum Urbi expiandæ Februarius dicaretur, & expiationes ad Inferorum Numen spectare viderentur, sacer Inferis est habitus Februarius; ob eamque causam par ipsi dierum numerus est attributus, quia par Inferis dedicatus. Accedit, 29
eodem, quod mense Februario Manibus inferiæ mittebantur, & mortuis parentabatur, feralesque dies agebantur; quocirca Naso [a] de Februario mense dixit:

Aut quia placatis sunt tempora pura sepulcris;
Tunc quum ferales præteriere dies.

ut dubitari non possit, quin sit Februarius Inferis consecratus, & jure parem numerum sibi vindicarit; qua de causâ antiquitus ultimum fuisse anni mensem Februarium

[a] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 16. [b] Plautus in Curculione Act. 1. sc. 1. v. 5. [c] Macrob. eodem loco ex Varrone. & Fest. Pomp. libr. 11. [d] Martial. libr. 7. epigr. 27. Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 10. & Senec. Epist. 18. [e] Fest. Pompejus libr. 11. [f] Macr. libr. 1. Saturn. cap. 16. [g] Dionys. Halicarnass. libr. 4. T. Livius libr. 32. & 34. [h] Dion. Halic. l. 6 & T. Liv. l. 6. in fine, Alex. ab Alexand. Dier. Gen. cap. 7. libr. 5. [i] Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 16. & lex 12. Tabul. apud A. Gell. libr. 20. cap. 1. [l] Virgil. Æneid libr. 8. in princip. [m] Plutarch. in Vitâ Numæ, & Macr. Saturn. libr. 1. cap. 13. [n] Censorin. de Die Nat. cap. 22. Varro libr. 5. de L. L. & Fest. Pomp. in V. Februarius. [o] Ovid. Fastor. libr. 2. [p] Varro libr. 5. de L. Lat. [q] Plutarch. in Romuli Vitâ, & Quæst. Roman. cap. 68. [r] Ovid. Fastor. libr. 2. [f] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 13. [t] Plutarch. in Vitâ Romuli, & in Quæst. Rom. cap. 68. [u] Lycophron in Alexandrâ [x] Theocritus in Pharmaceutriâ [y] Plutarch. in Quæst. Rom. ibid. [z] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 13. & Isid. libr. 5. cap. 33. & Solin. cap. 3. [a] Ovid. Fast. libr. 2. v. 34.

rium testatur [a] Ovidius his verbis:

Sed tamen, antiqui ne nescius ordinis erres,
Primus ut est Jani mensis, & ante fuit;
Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni:
Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.
Primus erat Jani mensis, quia Janua prima est;
Qui sacer est imis Manibus, imus erat.
Postmodo creduntur spatio distantia longo
Tempora bis quini continuasse viri.

30 Quod si consentaneum est veritati, moltas ætates post Numæ regnum is ordo mensium, qui nunc obtinet, ceptus est usurpari; siquidem Decemviri sacris faciendis post Januarium mensem Februarium collocarunt; nam Decemviri tercentisimo altero [b] ab Urbe conditâ anno sunt constituti, quos Ovidius affirmat Februarium continuasse Januario. Illud etiam ambigitur, Numane, an Romolus princeps duodecim menses anno tribuerit; neque enim desunt, qui negent annum Romuli decem dumtaxat menses habuisse; qui fortasse non aberrant a veritate; & erroris causam præbuit, quod usque ad Decembrem tantùm menses numaro notatos apparebat; itaque quum scirent homines annum Romuli a Martio mense duxisse principium, putarunt usque ad Decembrem tantùm processisse, & ita decem dumtaxat menses extitisse. Nam illud inter omnes con-
31 stat in anno Romuli primum locum [c] obtinuisse Martium; cujus rei multa argumenta afferuntur; nam [d] sicut post Punicum bellum Janoario mense a novis magistratibus novi honores inibantur, sic ante Punicum bellum initio [e] mensis Martii novi magistratus suscipiebantur. Præterea ignis novus [f] in Æde Vestæ mense Martio accendebatur; multaque fiebant, quæ tunc annum antiquitus incepisse declarabant; quæ omnia ab [g] Ovidio his versibus recensentur;

Laurea Flaminibus, quæ toto perstitit anno,
Tollitur, & frondes sunt in honore novæ:
Janua tunc Regis posita viret arbore Phœbi
Ante tuas itidem, curia prisca, fores:
Vesta quoque ut niteat folio velata recenti,
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.
Adde quod arcanâ fieri novus ignis in Æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.
Nec mihi parva fides annos hinc isse priores
Anna quòd hoc cepta est mense Perenna coli.
Hinc etiam veteres initi memorantur honores
Ad spatium belli, perfide Pœne, tui;
Denique quintus ob hoc fuerat Quinctilis, & inde
Incipit, a numero nomina quisquis habet.

Anni verò principium a [h] Martio mense 32
duci Romulus voluit, ut suum, & Romanæ gentis auctorem maximè honoraret. Omnes quidem ferè Latii gentes, & Latio finitimæ habebant mensem, quem Martis nomine appellarent; quare [i] Martius apud Albanos tertius mensis habebatur, quintus apud Faliscos, & Laurentes, apud Cures, & Pelignos, & Sabinos quartus; Hernici verò sextum, Æquicoli decimum Martium mensem habuerunt; sed Romulus, ut omnes vinceret, non solùm mensem Marti dedicavit, sed etiam eum anni primum esse constituit. Nec verò imperitè, si Martius eadem tempestate, qua nunc est, tunc habebatur, a Martio mense annum voluit inchoari; nam quo tempore meliùs annus incipiat, quàm vere, cujus vis primùm sese Martio mense profert? aut quis in constituendo anni principio, sicut in aliis omnibus, non prudentissimè Deum sequatur auctorem? Est a [l] doctissimis vi-
ris proditum omnium annorum, ipsiusque 33
Mundi principium a vere ductum, & vere Deum omnia procreasse. Idcirco Joannes Damascenus [m] τέσσαρες, inquit, τροπαὶ Ἡλίου συνίστανται, καὶ πρώτη μὲν ἡ ἐαρινή, ἐν αὐτῇ γὰρ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὰ σύμπαντα, καὶ δηλοῖ τὸ μέχρι τοῦ νῦν ἐν αὐτῇ τῶν ἀνθῶν τὴν βλάστησιν γίνεσθαι, idest: *quatuor anni sol efficit conversiones, & primam quidem vernam, in eâ quippe Deus omnia est fabricatus; quòd ex eo percipi potest quod hoc etiam tempore vere germinant flores*, & auctor Panegyricæ orationis ad Maximianum: *Divinus ille vestræ majestatis ortus ipso, quo illuxit, auspicio veris illustrior, augustiore fulgens luminis claritate, quàm quum originem Mundi nascentis animavit*: deinde subjicit: *o felix, beatumque ver novo partu! o tempus, quo meritò omnia nata esse credantur! o Kalendæ martiæ sicuti olim annorum volventium, ita nunc æternorum auspices Imperatorum!* & Virgilius his verbis respexit ad hanc sententiam [n]:

Non alios primâ crescentis origine Mundi
Illu-

---

[a] Ovid. Fastor libr. 2. v. 48. [b] Tit. Livius libr. 3. [c] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12. Censorin. de Die Natali cap. 22. & Plutarch. in Vitâ Romuli. [d] Sueton. in Vitâ Cæsar. cap. 76. & Caligul. cap. 17. Cic. Epist. 30. libr. 7. ad Famil. Plin. libr. 11. cap. 37. & Herodian. libr. 1. [e] T. Liv. libr. 22. & 26. & 31. & 32. [f] Solin. Polybistor. cap. 3. & Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12. [g] Ovid. Fastor. libr. 3. [h] Macrob. ibid. Censorin. de Die Natali cap. 22. Plutarch. Quæst. Rom. & in Vitâ Romul. & Solin. cap. 3. [i] Ovid. 3. Fast paulo post princ. [l] Cyrillus Catechef. 14. Nazianz. in Novam Domin. Theod. quæst. 27 in Exod. Ambros. 1. Hexhameron. & Isid. Etymol. libr. 5. [m] Jo: Dam. de fide Orthod. libr. 2. cap. 7. [n] Virg. Georgic. libr. 2. v. 336.

Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim; ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri.

34 Quum igitur annorum, Mundique principium Deus a vernâ tempestate deduxerit; qui tempus vernum anni statuit initium, ab imitatione divinæ sapientiæ non aberravit, & eâ duce falli non potuit. Et sanè, qui ætatibus hominis anni tempora compararunt; ver pueritiæ, hiemem senectutis imaginem dixerunt præseferre; quemadmodum faceret absurdissimè, qui vitam hominis a senectute, non a pueritiâ censeret inchoari; sic non caret omnino reprehensione, qui annum a brumâ, tanquam senectute, non a vere, velut pueritiâ, incipiendum esse arbitratur. Vidit hoc sæpe a me laudatus Auctor [a] Ovidius; itaque libro primo Fastorum sic loquitur:

Dic age frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?
Omnia tunc florent: tunc est nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet,
Et modò formatis operitur frondibus arbos,
Prodit & in summum seminis herba solum,
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit & in pratis, luxuriatque pecus:
Tunc blandi Soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsâ sub trabe fingit opus:
Tunc patitur cultus ager, & renovatur aratro;
Hæc anni novitas jure vocanda fuit.

Quæ poetæ rationes facilè vincunt non
35 errasse Romulum, quum annum a vere voluit exordiri; quibus [b] accedit auctoritas eorum, qui se Cœli, siderumque spectatores profitentur; qui Arietem, in quo signo Sol collocatus vernam temperiem invehit terris, primum duodecim signorum semper nominant; tanquam ab eo Solis annuum curriculum ducat exordium; hinc Manilius [c] cecinit:

Aurato princeps aries in vellere fulgens
Respicit admirans aversum surgere Taurum

Nec aliâ ratione Arieti [d] caput fortasse dedicarunt, nisi quia signorum caput est Aries, licet aliter nonnulli sentiant. Et quoniam de Astrologorum placitis incidit mentio, illud etiam adnotandum aptissimè Martium mensem Marti dedicatum; nam eo mense Arietem Sol ingreditur, in quo signo [e] Chaldæi Martis domicilium collocarunt. Idem statuendum de [f] Aprili, qui 36
mensis Veneri est a Romulo attributus; quum eo Sol Taurum peragret, quod signum Veneris [g] domicilium esse voluerunt: idem, si liberet argutari, de Majo diceremus, quem a Mercurii [h] matre Majâ Romulus nominavit; quum eo Sol Geminos lustret, quos Astrologi [i] Mercurio dedicarunt: nec de Junio sileremus a [l] Junone, quæ est eadem, ac Luna, dictum; quod eo Sol Cancrum attingat, quem Lunæ domum esse genethliaci [m] tradiderunt. Eodemque modo liceret dicere [n] Decembrem Saturno consecratum, quo Saturnalia agebantur, quòd Saturno [o] sit Capricornus attributus. Sed ut ad Martium revertamur; Kalendis martiis feminis dona mittebantur, 37
quod Tibullus [p] declarat his versibus:

Martis Romani festæ venere Calendæ;
Exoriens nostris hic fuit annus avis;
Et vaga nunc certâ discurrunt undique pompâ,
Perque vias Urbis munera, perque domos.
Dicite, Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen;

& [q] Juvenalis ideo Calendas martias femineas dicit Satyrâ nonâ:

Munera femineis tractas secreta Calendis;

& [r] Martialis has Calendas vocat Saturnalia feminarum; sic enim ait:

Sanè sic abeat meus December;
Scis certè, puto, vestra jam venire
Saturnalia martias Calendas;
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

Sic autem appellat Calendas martias, non solùm quòd munera feminis mitterentur, quemadmodum Saturnalibus mittebantur viris; sed etiam quia [s] matronæ cenam servis apponebant; ut eo scilicet obsequio sibi famulos initio anni devincirent, & ad obsequium erga dominas incitarent; quum dominas viderent sibi obsequium præstare non dedignari. Et hæc Calendis; tertiâ ve- 38
rò [t] post Idus die Liberi Patris festum agebatur, quod Liberalia est appellatum; quia pueris, qui jam excesserant ex ephebis, toga libera dabatur; quæ quia non erat præ-

[a] Ovidius libr. 1. Fastor. v. 150. [b] Macrob. libr. 1. cap. 21. in Somn. Scipion. & Jul. Firmic. libr. 3. cap. 2. [c] Manilius libr. 1. Astron. cap. 4. [d] Idem Manilius libr. 2. cap. 13. & Jul. Firmicus libr. 2. cap. 27. [e] Ptolem. Quadripart. libr. 1. cap. 18. & Jul. Firmic. libr. 2. cap. 2. [f] Macrob. Saturn. libr. 1. c. 21. & Plutarch. in Vitâ Romul. [g] Ptolem. Quadripart. libr. 1. cap. 18. & Jul. Firmic. libr. 2. cap. 2. [h] Macrob. ibid. & Plutarchus in Vitâ Numæ. [i] Ptolem. in. Quadripart. ibidem, & Julius Firmic. ibid. [l] Cincius apud Macrobium ibid. & Varro apud Censorin. de die Nat. cap. 22. [m] Ptolem. & Jul. Firmic. ibid. [n] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 7. [o] Ptolem. & Jul. Firmic. eodem loco. [p] Tibull. libr. 3. Eleg. 1. & Sueton. in Vitâ Vespasiani. [q] Juvenal. Satyr. 9. vers. 53. [r] Martial. libr. 5. epigr. ultim. [s] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 12. & Solinus cap. 3. [t] Ovidius Fastor. libr. 3.

prætexta purpurâ, ut toga puerorum, pura est appellata; unde Poeta [a] elegiacus dixit:

Tempore, quo primùm vestis mihi tradita pura est;

& [b] Persius ideo candidam vocavit his verbis:

...... totaque impune suburrâ
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo

Liberalibus ferè annectabantur [c] Quinquatrus, quæ sunt quinque dies Minervæ sacri; eorum primo non dabantur gladiatores, quia eo nata Minerva credebatur, reliquis gladiatorum spectaculum edebatur; Ovidius [d]:

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro;
Causa quod est illâ nata Minerva die;
Altera, tresque super stratâ celebrantur arenâ;
Ensibus exertis bellica læta Dea est.

His diebus pueri Minervam orabant, ut sibi ingenii solertiam, memoriæ tenacitatem, & progressum in studiis daret; ideo Juvenalis [e] dixit:

Eloquium, ac famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam;

& Ovidius de [f] Quinquatribus cecinit:

Pallada nunc pueri, teneræque orate puellæ;
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.

39 His diebus discipuli magistratis mercedes exolvebant. ut Macrobius [g] testatur; alludit & [h] Tertullianus, qui sic ait: *quis ludi magister, si non tabularia idolorum, quinquatria tamen frequentabit? ipsam primam novi discipuli stipem Minervæ, & honori, & nomini consecrat*. Quinquatrus verò [i] Varro, & Festus [l] negant appellatas a quinque diebus, quibus celebrabantur; sed affirmant diei quinquatrus, quia post diem quinctum Idus agerentur; a Tertulliano verò Minervalia nuncupantur, Græcia παναθηναῖα; sic enim Quinquatria in Albano monte a Domitiano [m] instituta Dio nominavit. Atque hæc omnia, quæ recensuimus festa indicant Martium mensem fuisse primum; ideo quippe matronæ servis convivium apparabant, ut eâ humanitate deliniti famuli ineunte anno, non molestè ferrent annuum spatium servituti tam mitium dominarum impendendum; adolescentes quoque decursis pueritiæ spatiis liberam togam Martio mense sumebant, ut initio anni ineuntis adolescentiæ gaudiis fruerentur; discipuli denique præceptoribus eo tempore pecuniam dabant, quia incipiente anno præteriti anni merces debebatur. Quæ omnia fieri Martio mense non desierunt etiam, quum Martius princeps anni mensis esse desiisset; quia nihil erat de receptis moribus, & religione derogandum.

40 Secundum mensem Romulus [n] Veneri dedicavit; voluit quippe hanc esse proximam Marti, & secundo loco a Romanis coli; quia, quemadmodum Martem suum [o] genitorem ferebat, sic & Venerem suæ genti originem præbuisse gloriabatur; nam genus ad Æneam Phrygem, qui Veneris filius est habitus, referebat. Nec sanè potuit alium mensem aptiùs Veneri tributum velle, quàm Aprilem, quo omnia Veneris afflatu quodam acriore concitantur; quo omnia vires amoris persentiscunt, & novâ voluptate permulcentur; siquidem, ut Epicureus Poëta cecinit eleganter, simulatque verna tempestas affulsit, omnes animantes Veneris stimulis [p] commoventur:

Nam simul, ac species patefacta est verna diei,
Et reserata viget genitabilis aura Favoni;
Aëriæ primùm volucres te, Diva, tuumque
Significant initium perculsæ corda tuâ vi.
Inde feræ pecudes persultant pabula læta,
Et rapidos tranant amnes; ita capta lepore,
Illecebrisque tuis omnis natura animantum
Te sequitur cupidè, quo quamque inducere pergis.

Accedit eodem, quod pulcherrimum tempus anni, & jucunditatis plenissimum, & leporum, Veneri potissimùm deberi videbatur; quæ pulchritudinis omnis parens, & venustatis, & gratiarum, & hominum, Divumque voluptas [q] habebatur: 41

Nec Veneri tempus, quàm ver, erat aptius ullum;
Vere nitent terræ, vere remissus ager.
Nunc herbæ ruptâ tellure cacumina tollunt:
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit:
Et formosa Venus formoso tempore digna est,
Utque solet, Marti continuata suo est.

Itaque memorant hunc mensem initio aphrilem [r] appellatum a spumâ, quæ Græcia ἀφρὸς dicitur, ex qua Venus nata narratur; quam nominis originem Ovidius libro

[a] Catullus Eleg. 69. ad Mallium. [b] Pers. Satyr. 5. vers. 32. [c] Horat. Epist. 2. libr. 2. & Porphyr. ad eam Epistolam. [d] Ovidius libr. 3. Fastor. [e] Juvenal. Sat. 10. v. 114. [f] Ovid. libr. 3. Fastorum circa finem. [g] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12. [h] Tertull. de Idololatriâ cap. 10. [i] Varr. libr. 5. de Ling. Lat. [l] Festus libr. 15. [m] Sueton. in Vitâ Domitiani cap. 4 & Statius Silvar. libr. 4. Silv. 2. in fin. Jo: Xiphilin. in Domitiano ex Dione Nicæno. [n] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12. Censorin. de Die Natali cap. 22. [o] Ovid. libr. 4. Fastor. in princip. [p] Lucret. libr. 1. in princ. [q] Ovid. libr. 4. Fastor. [r] Plutarch. in Vitâ Numæ, Macrob. libr. 1. Saturn. cap. 12. & Varro libr. 5. de Ling. Lat.

bro quarto Fastorum agnoscit [a] his verbis:

Sed Veneris mensem Grajo sermone notatum
Auguror, a spumis est Dea dicta maris;

alludit & Horatius, qui sic [b] ait:

...... Idus tibi sunt agendæ,
Qui dies mensem Veneris marinæ
Findit Aprilem.

Quo in loco non sine causâ Venerem marinam appellavit, quasi diceret e spumâ natam; quæ causa fuit, ut mensis Aphrilis diceretur; postea verò abjectâ aspiratione A-
42 prilis est nuncupatus. Quæ nominis origo a [c] Cincio, & Varrone [d] repudiatur; negant quippe Romulum potuisse mensem Aprilem Veneri dedicare, & ab ejus nomine appellare; quum Veneris nomen esset ignotum Romanis, neque in saliari Carmine reperiatur; nec eo mense ullum insigne sacrificium Veneri confici a priscis illis hominibus consuevisse, ut mensis dici posset Veneri consecratus. Quapropter non a Venere putant nominatum, sed ab aperiendo; quum enim eo tempore Cœli tepore diffluant nives, gelu resolvatur; quum terra, quæ clausa frigore fuerat, aperiatur, floresque gignat, & plantas; quum ex arboribus frondes erumpant; quum Cœlum, quod diu nubes obduxerant, vernâ luce reseretur; quum mare, quod venti clauserant, & tempestates, aspirantibus auris lenioribus pateat navigantibus; Aprilem quasi aperilem dictum arbitrantur; quam nominis originem agnoscit [e] Ovidius his verbis:

Nam quia ver aperit tunc omnia, densaque cedit
Frigoris asperitas, fetaque terra patet,
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

Josephus Scaliger apud Vossium in Etymologico [f] contra Aprilem ab apro contendit appellatum, quemadmodum apud Græcos December, vel ut Gaza vertit, Februarius a cæde cervorum Elaphebolion nominatur. Sed Ἐλαφηβολιὼν [g] vocabatur, quia eo mense cervi Dianæ immolabantur; quare doceat, oportet, Scaliger Aprili mense Romæ rem divinam Veneri apro fieri consuevisse, aut aliâ de causâ folitos Aprili mense mactari; quod si Scaliger doceret, hæc nominis notatio mirificè arrideret; sed nunquam legimus Romæ apros Veneri sacrificatos. Scio sues [h] nonnullis in locis Veneris fuisse victimas; sed apro fecisse Romanos Veneri nondum comperimus. Pausanias [i] Patris Dianæ apros tradit immolatos; in Corinthiacis [l] verò Veneri omnes animantes, præter sues, licuisse sacrificare memoriæ prodidit. Quocirca quum invenire non possim rationem, cur ab apro Scaliger Aprilem, & qui eum sequutus est [m] Vossius, putent nominatum, rem in medio censeo relinquendam. Nec 43
minùs ambigi video, qua de causâ Majus nuncupetur, nam alii dictum rentur a Jove, qui [n] propter altissimam, latissimeque diffusam majestatem apud Tusculanos Majus Deus vocabatur; alii a Majâ [o] Mercurii parente, alii a [p] Majâ, vel Majestâ Vulcani uxore; alii a Majâ [q], quæ eadem, ac Terra credebatur; alii denique [r] a majoribus natu Majum esse dictum asseverant; hinc [s] Ovidius dixit:

Hinc sua majores tribuisse vocabula Majo
Tangor, & ætati consuluisse suæ.

Qua de causâ [t] mense Majo viris uxorem ducere, feminis autem nubere non satis auspicatum putabatur; quum enim mensis hic esset senioribus dedicatus, & ad opus Veneris, quod matrimonium desiderat, sint minùs apti senes, mense senum nuptias auspicari, quæ vires juvenum requirunt, ominosum ducebatur. Est etiam [u] alia ratio, cur Majo nubere absurdum videretur; quum enim hic mensis inter Aprilem, & Junium esset interjectus, quorum alter est Veneri, alter Junoni consecratus, quæ duo numina præesse nuptiis putabantur, stultum, malique moris existimabatur non anticipare, vel differre nuptias, & tam opportunis mensibus minùs idoneum anteferre; & alioquin mensis Majus minùs aptus erat lætitiæ nuptiali, quo Lemuria [x] placandis Manibus, umbrisque defunctorum sunt instituta; quorum origo fertur hujusmodi. Quum [y] Remus Romuli frater esset interfectus, e- 44
jus umbra Faustulo, & Accæ, qui Romulum, & Remum educarant, se per noctem ostendisse dicitur, & postulasse, ut Romulum hortaretur, ut diem constitueret, quo ferale sacrum suis umbris piandis fieret; quod quum illi Romulo retulissent, motus eorum dictis Romulus instituit piacula, quæ Remuria a Remo nominavit; quæ deinde mutatâ litterâ asperâ [z] in lenem Lemuria

[a] Ovid. libr. 4. Fast. v. 62. [b] Hor. libr. 4. Od. 11. ad Phyllidem. [c] Cincius apud Macr. Sat. l. 1. c. 12. [d] Varr. libr. 5. de Ling. Lat. [e] Ovid. libr. 4. Fastor. v. 87. [f] Gerar. Jo: Vossius in Etymolog. in V. Aprilis. [g] V. Plutarch. de Virtutib. Mulierum in Phocid. [h] Strabo libr. 9. [i] Pausan. in Achaic. sive libr. 7. [l] Pausan. in Corinthiac. sive libr. 2. [m] Vossius in Etym. in V. Aprilis. [n] Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 12. [o] Censor. de Die Natali cap. 22. & Plutarch. Quæst. Rom. [p] Cincius apud Macrob. Saturnalium libr. 1. cap. 12. [q] Cornel. Labeo apud Macrob. ibid. [r] Fulvius Nobilior in Fastis apud Macrob. ibid. Varro libr. 5. de Ling. Latin. [s] Ovid. Fastor. libr. 5. v. 73. [t] Plutarch. Quæst. Roman. cap. 86. [u] Plutarch. ibid. [x] Porphyr. ad libr. 2. Epist. Horat. [y] Porphyr. ibid. & Ovid. Fast. libr. 5. [z] Ov. Fast. ib. & Quintil. Instit. Orat. libr. 1. cap. 19.

sunt nuncupata; a quibus Lemures nomen acceperunt, quo vocabulo significantur [a] animæ, umbræque mortuorum. Atque eo tempore [b], quo Lemuria celebrabantur, fana omnia claudi mos erat; quam esse causam Ovidius tradit, cur esset religio M jo mense nuptias celebrare; sic enim [c] loquitur:

Fana tamen Veteres illis clausere diebus,
Ut nunc ferali tempore aperta vides;
Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora; quæ nupsit non diuturnà fuit;
Hac quoque de causâ, si te proverbia tangunt,
Mense malum Majo nubere vulgus ait.

Auspicatior, qui sequitur, mensis nubentibus habebatur, qui [d] a Junone, quæ
45 conjugiis præerat, dictus, ejulque Numini dicatus esse putabatur; non initio tamen, sed post Idus, quum Vestæ festum fuerat celebratum, quod Ovidius testatur his versibus [e]:

Est mihi, sitque, precor, nostris diuturnior annis
Filia, quâ felix sospite semper ero;
Hanc ego quum vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent;
Tunc mihi post sacras monstratur Junius Idus
Utilis & nuptis, utilis esse viris;
Primaque pars hujus thalamis aliena reperta est;
Nam mihi sic conjux sancta Dialis ait:
Donec ab Iliacâ placidus purgamina Vestâ
Detulerit placidis in Mare Tibris aquis

& paulo post [f] ait:

Tu quoque ne propera; melius tua filia nubet,
Ignea quum purâ veste nitebit humus.

Quod autem diximus Junium mensem a
46 Junone nominatum, non omnes consentiunt; nam plerique [g] prodiderunt, quum Romulus civitatem in seniores, & juvenes divisisset, & seniores consilio administrare Rempublicam voluisset, juvenes manu bellum gerere, neutram partem inhonoratam relinquere æquum censuisse; itaque & Majum a majoribus natu, & Junium a junioribus nuncupasse; nec desunt, qui [h] a Junio Bruto vindice Romanæ libertatis Junium mensem dictum putent; quòd hujus Kalendis exactis Regibus [i] Carneæ Deæ votum persolverit; cui Deæ pulte fabaria, & lardo sacrificabatur Kalendis Junius; hinc Ovidius [l] cecinit:

Pinguia cur illis gustentur larda Calendis,
Mixtaque cum calido sit faba farre rogas.

Et [m] fabariæ Calendæ vulgò dicebantur, quia tunc id genus leguminis incipiebat esse tempestivum rei divinæ faciendæ. Nec o-
mittendum hoc mense in honorem Deæ 47
Vestæ solitos Asinos coronari, appendique eorum collo ex panibus confectum monile; quapropter Ovidius libro sexto Fastorum sic ait:

Ecce coronatis panis dependet asellis,
Et velant scabras florida serta molas.

Quæ satis obscurum Propertii carmen illustrant ex elegiâ primâ libri quarti, ubi Poeta sic loquitur:

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis.

Nec prætereundum hujus mensis [n] Idus quinquatrus minores esse dictas; quia quum magnis quinquatribus omnes artifices, quorum artes Minerva dicitur invenisse, Minervæ festa celebrarent, his tibicines dumtaxat Deæ solemnem diem agebant; quia tibiæ [o] quoque usum, artemque Minerva monstravit; licet quum [p] animadvertisset inflari non posse tibiam, quin inflarentur genæ, offensa oris deformitate tibias abjecerit. Atque horum quatuor mensium no-
mina habent aliquid obscuritatis; reliqui 48
verò menses usque ad Januarium cur ita sint appellati, liquet; Quinctilis, quia [q] sit quinctus a Martio, Sextilis, quia sextus, & ceteri eodem modo; quare de nominum origine non est differendum. Sed quia de quibusdam diebus, quæ reliquis mensibus celebres habebantur, diximus, non erit ab instituto meo alienum de nonnullis dicere, quæ in hos menses incidebant. Mense Quinctili [r] Nonæ caprotinæ sunt a scriptoribus celebratæ, quibus ancillæ, liberæque sub arbore caprifico Junoni Caprotinæ sacrum faciebant; cujus ritus ea origo memoratur. Galli [s], qui urbem Romam ceperant, & Capitolium obsederant, licet pulsi, fugatique Româ abscessissent, non abscesserant agro Romano, nec omnino deleri, vincique potuerant; quum-
que .

a Apulejus de Deo Socratis. *b* Alexand. ab Alex. libr. 3. cap. 12. & Gyrald. de Deis Geor. Syntagm. 17. *c* Ovid. Fast. libr. 5. circa fin. *d* Censorin. de Die Natali cap. 22. Sext. Pomp. Fest. in V. Junius, & Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 12. & Serv. ad libr. 1. Georg. Virgil. in eom locum: *Vere novo gelidus canis &c.* *e* Ovid. libr. 6. Fastor. v. 221. *f* Ovid. ibid. v. 235. *g* Censor. de Die Natali cap 22. Plutarch. Quæst. Roman. cap. 86. & Ovid. libr. 6 Fastor. *h* Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 12. *i* Macrob. ibid. *l* Ovid. libr. 6. Fastor. v. 196. *m* Macrob. ibid. *n* Ovid Fast. libr. 6. Pomp. Fest. l. 11. & 15. *o* Fulgent. Myth. libr. 3. de Apolline, & Marsya. *p* Arist. Politic. libr. 8. c. 6. Eustath. Il. σ. Hyg. fab. 165. & Fulg. ibid. *q* Plutarch. in Vitâ Romuli, Censor. de Die Nat cap. 22 & Macrob. libr. 1. Saturn. cap. 12. *r* Varro libr. 5. de L. L. Plutarch. in Vit. Numæ, & Camilli, & Macrob. libr. 1. Sat. cap. 11. *s* Macrob. ibid. & Plutarch. in Vitâ Camilli.

que eorum morâ penitus attererentur opes Romanorum, quæ Urbe captâ accisæ fuerant, & labefactatæ; Galli non aliâ conditione se cessuros agro Romano senatui denunciarunt, quàm si Romani sibi virgines, matronasque misissent, quibuscum concumberent. Romani Patres indigna quidem, & plena dedecoris, atque infamiæ Barbarorum postulata censebant; sed tamen, quia videbant, quanto cum Reipublicæ periculo hærerent in suâ regione Barbari; nec finerent a cladibus Urbem respirare, & emergere ex his fluctibus, quibus demersa fuerat, & pæne obruta, in ancipiti curâ deliberandi versabantur; nec fortiter aspernari conditionem Gallorum, nec turpiter accipere in animum inducebant; quum ancilla quædam, quæ Philotis, vel Tutela vocabatur, attulit in medium consilium, quod Reipublicæ fuit salutare; persuasit Patribus, ut in se reciperent hostibus morem esse gesturos, & ancillas, quæcumque erant facie liberali, vestis habitu, cultuque virginum, & matronarum ornatas Gallis mitterent. Quum Patres ancillæ consilium comprobassent, & ancillas matronarum, & nobilium virginum ornatu in castra Gallorum ire jussissent; eæ simularunt, quum in castra venissent sibi festum esse patrium, hortatæque sunt hostes, ut id multo vino, sacrisque epulis celebrarent; quum autem viri vino consopiti jacerent, ancillæ e caprifico, quæ proxima castris erat, signum dedere Romanis, qui intenti, paratique signum expectabant. Signo dato irruunt Romani, hostes vino oppressos, atque somno invadunt, cædunt non resistentes, nec sui compotes; ita Gallorum exercitus occidione deletus est; senatus autem, ut ancillis pro tanto beneficio gratiam referret, eas libertate donavit, & dotem de publico jussit accipere; & ne memoria facti exolesceret, instituit festum ancillarum, & Nonas caprotinas a caprifico, ex qua signum Romanis datum fuerat, appellavit. Eo festo quotannis ancillæ sumebant ornatum matronarum, donisque colebantur ab iis, qui eas demereri volebant; quapropter [a] Ovidius, quum amantibus præcipit, ut muneribus amicas concilient, jubet etiam ancillæ dare dona Nonis Caprotinis; ita quippe loquitur:

Porrige & ancillæ, qua pœnas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus.

Mense verò, qui sequitur, Vulcanalia celebrabantur decimo Kal. Septembr. quorum 49
meminit Plinius in epistolis, ubi sic ait: *lucubrare incipiebat [b] a Vulcanalibus non auspicandi causâ, sed studendi æstate statim a nocte multâ*: Celebrabatur & mense Majo festum Vulcani Decimo Kal. Junias, de quo Ovidius [c] dixit:

Proxima Vulcani lux est, Tubilustria dicunt;
Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ;

qui dies vocabatur Tubilustria [d] teste Festo. Sed omnium claritatem vicerunt Saturnalia, quæ decimoquarto [e] Kal. Januarias agebantur; sed anno per Cæsarem emendato, & Decembri mensi duobus additis diebus, agi decimosexto ceperunt. Et antiquitùs quidem Opis festum in eundem, in quem Saturnalia, diem incidebat; sed quum [f] Decembri Cæsar duos dies addidisset, die tertio post Saturnalia festum Rheæ, sive Matris Deûm celebrabatur. Saturnalia autem antiquitus unus dies fuit; 50
quapropter Catullus elegantissimus poëtarum dixit [g]:

Saturnalibus optimo dierum.

Quod [h] Macrobius multis argumentis probat; sed ætate Cæsaris tres haberi dies Saturnalium ceperunt; Caligulâ verò [i] imperante quinque; quapropter [l] Martialis Saturnalia Saturni quinque dies appellat his verbis:

Et jam Saturni quinque fuere dies;

& alio in [m] loco:

Omnia misisti mihi Saturnalibus, Umber,
Munera, contulerant quæ tibi quinque dies;

sed [n] quia sigillariorum duo dies continuabantur, qui eadem lætitiâ solebant agitari; factum est, ut septem dies dedicati Saturno viderentur; ideo [o] Martialis dixit:

Saturni septem venerat ante dies.

His diebus [p] Saturni simulacrum, cujus pedes laneo vinculo toto anno obligabantur, exolvebatur; quò respexisse [q] censeo 51
Statium, qui sic ait:

Saturnus mihi compede exolutâ.

Gladiatorum [r] ludi edebantur, quia Saturnum triste Numen, ac severum delectari cædibus existimabant; immo [f] antequam Hercules in Italiam adventaret, Saturno humanâ hostiâ faciebant. Servi autem

[a] Ovid de Arte Amandi libr. 2. [b] Plin. Epistol. 5. libr. 3. [c] Ovid. Fastor. libr. 5. ad fin. [d] Festus libr. 18. & Varro libr. 5. [e] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 10. & in V. κρόνια. [f] Macr. ibid. & Varro libr. 5. de Ling. Lat. & Festus in V. Quinquatrus. [g] Catull. epigr. 14. ad Licinum Calv. [h] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 10. [i] Suetonius in Vit. Caligulæ cap. 17. & Dio libr. 59. & 60. [l] Martialis epigr. 89. libr. 4. [m] Idem libr. 7. ep. 52. [n] Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 12. in fin. [o] Martialis libr. 14. epigr. 72. [p] Apollodor. apud Macrob. Saturnal cap. 8. libr. 1. [q] Lucian. in Saturn. & Arnob. libr. 4. advers. Gent. Stat. Sylv. l. 1. Cal. Decembr. Saturn. [r] Auson. Eidyl. 25. de Feriis Rom. [f] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 7.

tem [a] Saturnalibus dominis æquabantur; immo domini servis epulas exhibebant, & famulorum ministerio fungebantur, dabaturque famulis libertas, & loquendi, quæ vellent, & agendi; hinc [b] Horatius in sermonibus ita loquitur:

...... age libertate decembri
(Quando ita Majores voluerunt) utere, narra

Quæ Saturnalibus omnia sunt usurpata, ut memoria excitaretur illius aurei sæculi, quo, Saturno Rege, Mortales communi libertate fruebantur, nec servitus erat nota, nec cognita jura dominorum; quum non modò homines non servirent, sed etiam ipsi agri nullius essent dominio subjecti; quippe eo [c] tempore:

Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat; in medium quærebant, ipsaque tellus
Omnia liberiùs nullo poscente ferebat.

Quapropter, ut tam lætum tempus publicâ lætitiâ referretur, omnes genio indulgebant, omnes lautiùs epulabantur, & largiore potu se exhilarabant, & aleâ, ludisque curas remittebant. Præterea muneribus
52 mittitandis dies Saturnaliorum celebrabant; ideo Statius [d] multo gravidum mero Decembrem vocat hoc versu:

Et multo gravidus mero December;

& Martialis [e] aleæ lusu strepere Decembrem dicit:

Dum blandâ vagus aleâ December
Incertis sonat hinc, & hinc fritillis;

& Saturnalibus quendam Sabellum muneribus [f] factum esse divitem asseverat:

Saturnalia divitem Sabellum
Fecerunt; meritò tumet Sabellus.

Exprimunt etiam Saturnaliorum lætitiam, festasque cum servis epulas Accii [g] poëtæ vetustissimi versus, qui citantur a Macrobio, & sunt hujusmodi:

Maxima pars Grajûm Saturno, & maxime Athenæ
Conficiunt sacra, quæ ułóvia esse iterantur ab illis.
Quumque diem celebrant per agros, urbesque fere omnes
Exercent epulis læti, famulosque procurant
Quisque suos, nostrique itidem, & mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem

Sed quid ego Romanorum feriis commemorandis diutiùs immoror? res justum vo- 53
lumen desideraret, si omnia, quæ huc pertinent, velim recensere; quot enim festi dies in anno Romanorum numerantur præter eos, de quibus jam diximus? huc enim spectant [h] Agonalia, quæ quinctò Idus Januarias agebantur; [i] Carmentalia, quæ tertio; Compitalia, quæ [l] quarto Nonas ejusdem mensis celebrabantur; Lupercalia, quæ [m] quinctodecimo Kalend. Mart. Terminalia, quæ [n] nono, de quibus Horatius [o]:

Vel agna festis cæsa Terminalibus.

Regifugium [p], quod sexto Kal. Mart. quo sacrorum Rex in comitio rem divinam faciebat, ac deinde se conjiciebat in fugam; Equiria [q] Marti sacer dies, qui tertio Kal. Martias agebatur; altera Equiria [r] pridie Idus Mart. Megalesia [f] Magnæ Deûm Matri institutæ feriæ, quæ pridie Non. Apriles agebantur; Cerealia [t], quæ quinctò Idus April. Fordicidia, quæ [u] decimoseptimo Kal. Majas, quibus fordam bovem, idest gravidam mactabant; Palilia [x], quæ duodecimo Kal. Majas; [y] Vinalia, quæ decimo; Floralia, quæ [z] quarto Kal. Majas, Regifugium [a] alterum, quod nono Calendas Junias celebrabatur; Vestalia, quæ [b] quinctò Id. Junias; Matralia, quæ [c] tertio; Consualia, quæ [d] celebrabantur decimo quinctò Kal. Septembres; Angeronalia [e], quæ duo-

[a] Tiboll. libr. 1. Eleg. 3. & Solin. Polyb. cap. 3. Accius apud Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 7. & Priscian. libr. 5. [b] Horat. libr. 2. Satyr. 7. [c] Virgil. Georgic libr. 1. [d] Statius libr. 1. Silvar. Silv. ult. [e] Martial. libr. 4. epigr. 14. [f] Idem libr. 4. epigr. 46. [g] Accius apud Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 7. in fin. & apud Prisciao. libr. 5. [h] Ovid. Fastor. libr. 1. & Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 4. [i] Varro de Ling. Lat. libr. 5. Dionys. Halicarn. libr. 1. Plutarch. in Vitâ Romuli, & Quæst. Rom. cap 56. & Ovid. Fastor. libr. 1. circa fin. [l] Dionys. Halicarn. libr. 4. Suet. in Vitâ Augusti cap. 31. & Macr. Saturn. libr. 1. cap 7. [m] Plutarch. in Vitâ Romuli, & Quæst. Rom. c. 68. Ovid. libr. 2. Fastor. T. Liv. libr. 1. & Valer. Maxim. libr. 2. cap. 1. de Ordine Equestri. [n] Ovid. libr. 2. Fast. & Augostin. de Civ. Dei libr. 7. cap. 7. Bæda verò libr. de Nat. Rerum VIII. Kal. Mar. Terminal. celebrari asseverat. [o] Horatius Epod. Od. 2. & Cicero Philipp. 12. Varro libr. 5. de Ling. Lat. & T. Liv. libr. 43. & 45. [p] Ovid. Fastor. libr. 2 & Auson. Eidyll. 25. de Festis Rom. [q] Ovid. ibid. & Varro libr. 5. de Ling. Lat. [r] Ovid. Fast. libr. 3. [f] T. Liv. libr. 24. Varro libr. 4. de Ling. Lat. & Cic. de Harusp. Resp. [t] Ovid. Fastor. libr. 4. [u] Ovid. ibid. Varro de Ling. Latin. libr 4 & de Re Rust. libr. 2. cap. 5. & Festus Pomp. in V. Fordicidiis. [x] Serv. ad Georg. Virg. libr. 3. in princ. Plutarch. in Vitâ Romuli, & Ovid. ibid. [y] Varr. libr. 5. de Ling. Lat. Ovid. libr. 4. Fastor. & Plin. libr. 18. cap. 29. [z] Plin. ibid. Varro de Re Rust. libr. 1. cap. 1. Lactantius Firmian. de falsâ Relig. libr. 1. cap. 20. Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 4. & Div. August. de Civit. Dei libr. 4. cap. 8 & libr. 6. cap. 7. [a] Ovid. libr. 5. Fastor. [b] Ovid. libr. 6. Fast. [c] Ovid. ibid. & Fest. Pomp. libr. 2. [d] Plutarch. in Vitâ Romuli, Tit. Liv. libr. 1. Dionys. Halicarn. libr. 2. & Varro libr. 5. de Ling. Latin. [e] Varro ibid. Fest. Pomp. in V. Angeronæ, & Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 10.

duodecimo Kal. Januarias; de quibus, aliisque, quæ minimè nominavi, nihil dico; quia vereor, ne vobis injucunda accidat oratio mea, nec unquam exitum reperiat.

54 Nunc venio ad menses additos a Numâ; Januarium, & Februarium: nonnulli [a] volunt Numam addidisse; annumque Romuli decem dumtaxat menses habuisse, & tercentum quatuor dies fuisse complexum; mensesque vagos nullam anni certam tempestatem obtinuisse; alii, quos arbitror propiùs ad veritatem accedere, putant annum a Romulo institutum duodecim habuisse menses, tercentumque, & sexaginta dies; quin etiam sunt, qui Romulo non ignotam fuisse intercalandi rationem asseverent, annumque suum ad spatium solaris curriculi redigendi. Quorum si vera sententia est, nihil est, quod Romuli sapientiam in describendo anno tantopere contemnamus; non enim multo melius Numa annum ordinavit; quare non pro certo affirmarim additos a Numâ duos menses. Illud certum est Numam principem instituisse, ut initium anni a Januario mense duceretur; eoque id consilio factum, ut eo quoque documento Romani discerent non omnia virtuti bellicæ tribuenda, mitioresque virtutes belli studiis anteponendas. Cuncta Numæ consilia collineabant eò, ut Romanam civitatem Martis ardore flagrantem mitigaret, & ad pacis artes converteret, ferocitatemque nimiam justitiâ coërceret, & aliis virtutibus temperaret; ut ex omnium virtutum collectione conflata felicitas Romanis contingeret. Itaque quum animadverteret annum a mense Martis inchoari, quod erat a Romulo institutum; ut Romani Martem inprimis colerent, & omnibus numinibus anteponerent, cujus mensem principem locum videbant obtinere; ipse Januarium mensem anni primum esse voluit, quem Jano [b] pacifico Deo dedicavit; ut intelligerent Romani pacem bello præferendam. Fuit [c] enim Janus Rex pacis artibus incly-
55 tus, qui tantâ sanctimoniâ dicitur præstitisse, ut eo imperante Italiæ populi insitâ feritate depositâ ad studium rerum divinarum converterentur; is [d] & templa Diis primus condidit, & ritus monstravit sacrorum; præterea [e] quum agri colendi rationem a Saturno accepisset, suis popularibus ostendit agriculturam, principesque [f] cudit nummos; in quorum alterâ parte [g] navis, in alterâ Jani effigies visebatur; quæ [h] navis adventum in Italiam Saturni exprimebat, quia Saturnus navi vectus venerat. Tantâ verò [i] prudentiâ fuit, ut eo quod & præterita sciret, & futura prævideret, bifrons fuisse dicatur; ut minimè mirum sit, si Numa ipsi principium anni dedicavit; honori favit ejus, quem simillimum sibi arbitrabatur; & quemadmodum Romulus, teste Livio, sola [l] ex peregrinis Herculis sacra suscepit; quia immortalitatem virtute partam, quam omni studio appetebat, in alio sibi colendam existimabat; ita Numa præcipuum honorem Jano impartivit, quia his virtutibus excelluisse intelligebat, quarum se eximiam, & singularem gloriam videbat consequutum? nec deerant causæ, quibus Janum ceteris Numinibus anteponeret. Arnobius non contemnendus Auctor libro tertio contra gentes tradit fuisse quosdam, 56 qui Janum esse Mundum affirmarent; quosdam [m] verò Solem esse prodidisse; nec defuisse, qui annum videri vellent; Ovidius [n] quartam affert opinionem, & Janum esse habitum Chaos asseverat; sic enim loquitur:

Me Chaos Antiqui, nam sum res prisca, vocabant.

Sed sive Sol est Janus, sive Mundus, sive annus, sive denique Chaos, ab eo fuit annus inchoandus; nam cui potiùs debetur anni principium, quàm Soli, qui est anni parens? Quid si Janus Mundus, aut annus esse statuatur? nonne ab eo incipi decebat annum? quum ex his alter non annum modò solarem, sed omnium siderum suâ conversione conficiat; alter non solùm anni principium, sed etiam medium, & finem sibi jure vindicet. Nec deterior est causa Jani, si Chaos esse ponatur; tunc enim non solùm annorum principium, sed omnium rerum videatur, necesse est. Sed apud Priscos ferè obtinuit opinio affirman- 57 tium, Janum a Sole non esse diversum; quippe Solem [o] Janum eodem modo ab Antiquis nuncupatum, quo Lunam Janam constat appellatam; cujus rei testis est Varro, qui Lunam, quum primùm a coitu Solis redit, Janam novellam vocat, & Janam Lunam dicit his [p] verbis: *Nunquam rure audi-*

[a] Plutarch. in Vitâ Numæ; Tit. Liv. libr. 1. Solinus cap. 2. Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 12. & 13. & Censorin. de Die Natali cap. 22. [b] Idem ibid. [c] Div. Augustin. de Civitate Dei libr. 7. cap. 4. & 8. Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 9. & Lactant. Firmian. de Falsâ Rel. libr. 1. cap. 13. [d] Xenon apud Macrob. Saturnal. ibid. [e] Plutarch. Quæst. Roman. [f] Dracon Corcyræus libr. de Lapidibus apud Athen. libr. 15. cap. 13. in fin. [g] Plin. libr. 33. cap. 3. [h] Plutarch. Quæst. Roman. cap 41. [i] Cedrenus Compend. Histor. pag. 138. Edit. Basil. & Plutarch. in Vitâ Numæ. [l] Tit. Liv. libr. 1. [m] Macrob. libr. 1. Saturn. cap 9. [n] Ovid. Fast. libr. 1. & Paul. in Epit. Festi Pompeii in V. Chaos. [o] Nigidius apud Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 9. [p] Varro de Re Rust. libr. 1. cap. 37.

audisti, inquit, octavo Janam Lunam, & crescentem, & contra senescentem, & quæ crescente Lunâ fieri oporteret; & tamen quædam melius fieri post octavam Janam Lunam, quam ante; quæ verba Varronis dubii nihil relinquunt, quin Luna antiquitus Jana fuerit appellata. Atque hinc Dianæ nomen duxit originem, dictaque est Diana Luna, quasi [a] diva Jana, abjectâ posteriore syllabâ prioris vocis, & primâ litterâ posterioris, & utraque voce conjunctâ, in unumque nomen conflatâ. Ex quibus intelligi potest, cur Dianæ nomen primâ syllabâ productâ interdum efferatur, ut in his [b] Horatii versibus:

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum;

& in hoc Maronis [c] carmine,

Exercet Diana choros, quam mille secutæ

Quum enim in *divâ* prior sylllaba producatur, etiam in composito nomine *Diana* prima syllaba producitur, quæ ex eâ nata est; quamvis propter vocalem consequentem, interdum contrahatur, ut ab Ovidio [d] contrahitur hoc versu:

Talia pinguntur succinctæ crura Dianæ.

58 Quum igitur Jana Luna nuncupetur, quis neget Janum Apollinem, sive Solem nuncupari? quod esse consentaneum veritati multis argumentis declaratur; nam [e] ideo duodecim aræ Jano dicatæ Romæ spectabantur; quia Janus a Sole diversus non habebatur, nam aræ duodecim nihil aliud sunt, quàm duodecim menses, quos efficit Sol duodecim Zodiaci signa peragrando; qui menses omnes quodammodo sacri sunt Soli, sicut erant aræ Jano consecratæ: ideo etiam Janus bifrons [f] fingebatur, quia duplex oris species ortum, occasumque Solis exprimebat; quin [g] etiam Faleriis erat quadriceps Jani simulacrum, quod in Urbem Romani invexerunt; quatuor autem capita nihil aliud referebant, quàm Solis vim ad quatuor Mundi cardines pertinentem, & Ortum, Occasumque, Meridiem, & Septenptrionem clarissimâ luce collustrantem: ideo denique Janus geminus a Numâ dedicatus, ut Plinius [h] refert, digitis ita figuratis fuit, ut numerum dierum, quos annus continet, repræsentaret; quo nullum certius argumentum afferri potest eamdem Solis, & Jani habitam fuisse naturam. Idem declarabant, & Jani co-
59 gnomina; nam ut [i] Macrobius libro primo capite nono Saturnalium tradit, in sacris Janus geminus, Janus pater, Janus Junonius, Consivius, Quirinus, Patulejus, Clausius, vel Clusius; quæ omnia cognomina pertinent ad Solem; cur enim Sol geminus possit nuncupari, jam exposuimus; Patrem verò quis neget Solem jure dici? quum Solis virtus ad omnium plantarum, metallorum, animantium, rerum denique omnium procreationem plurimum conferat; quum Sol non solum Mortalium procreator habeatur, sed etiam genitor eorum, quæ interitus esse videntur expertia; quippe quædam stellæ, nisi lumine Solis illustrentur, appellatione stellæ careant, nec habere stellarum vim, & naturam videantur, necesse est, ut earum saltem pater Sol dici possit. Quis autem Junonium nuncupari meritò non fateatur? Juno [l] eadem, ac Luna; menses ad Lunam spectant, sed spectant etiam ad Solem; ideo Sol Junonius non sine caussâ nominatur. Quid Consivius, quid Quirinus, quid Patulejus, & Clausius? nonne sapienter appellatur Consivus a conserendo, quia Solis beneficio, quidquid conseritur, provenit, & Sole adjuvante conseritur? Quirinus, quia Solis, & [m] Martis idem numen, esse censebatur? Patulejus, & Clausius, quia Sol oriens, quasi Mundum videtur aperire; occidens verò claudere? Ideo Janus clavem tenens fingebatur; quò respexit [n] Ovidius, quum 60
dixit:

Ille tenens baculum dextrâ, clavemque sinistrâ;

& quum clavigerum Deum Janum appellavit his [o] verbis:

placidis ita rursus, ut ante,
Clavigerum verbis alloquor ipse Deum.

Qua de caussâ januis præsidere Janus [p] putabatur; qua in re ab Apolline diversus esse haudquaquam videtur; nam & Apollo Θυραῖος, quo nomine significatur januæ custos, a Græcis vocabatur. Idcirco autem, quod Janus januas haberet in potestate, Jano ante [q] omnes Deos rem divinam faciebant; quasi priùs esset exorandus, qui januæ cœlestis aulæ præsideret, quàm Dei precibus adirentur, incassum casuris votis, nec ad aures Deorum perventuris, nisi Janitore placato, & ad quos mittebantur Deos, ea transmittente; quod [r] Ovidius testatur his versibus:

Mox ego; cur, quamvis aliorum Numina placem,

Jane,

[a] Vossius in Etymolog. in V. Januæ. [b] Horat. libr. 4. Od. 7. ad Torquatum. [c] Virgil. Æneid. libr. 1. [d] Ovid. Amor. libr. 3. Eleg. 2. [e] Varro libr. 5. Rerum Humanar. apud Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 9. [f] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 9. V. Plutarch. in Vitâ Numæ, & in Quæst. Roman. ubi alias affert caussas. [g] Macrob. ibid. [h] Plin. libr. 34. cap. 7. [i] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 9. & Cedren. pag. 138. Compend. Hist. Edit. Basil. [l] Macrob. libr. 1. cap. 15. Saturn. [m] Macr. ibid. cap. 17. & 19. [n] Ovid. Fastor. libr. 1. paulo post init. [o] Ovid. ibid. [p] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 9. [q] Cicer. de Nat. Deor. libr. 2. Arnob. advers. Gentes libr. 3. & Martial. libr. 8. epigr. 8. [r] Ovid. Fastor. libr. 1.

Jane, tibi primùm tura, merumque fero?
Ut possis aditum per me, qui limina servo,
Ad quoscumque voles, inquit, habere Deos.

Atque hæc ipsa potestas, Numenque Jani,
61 quo januis præesse putabatur, cum his, quas attulimus, conjuncta rationibus fecerunt, ut a Januario Numa probabiliùs auspicari videretur; ab eo quippe incipere debebat annus, & is quasi fores anni ineuntis aperire, qui omnium rerum aditus, omnes cardines, & feres obtinebat; ipsum verò initium anni in brumæ dies contulit, quia tunc novus annus videbatur, quum Sol iterum ad nos incipit remeare, novamque init viam, quæ restituit borealibus partibus sidus, quod in australes partes penitus recesserat; quam rationem Ovidius libro primo fastorum his duobus versibus [a] complectitur:

Bruma novi prima est, veterisque novissima Solis;
Principium capiunt Phœbus, & annus idem.

Atque [b] ideo quòd Kalendis Januariis annus inchoabatur, eo die magistratus omnes
62 novum honorem auspicabantur; populus in candidâ veste cernebatur; in Capitolium ingens multitudo confluebat, victimæ cædebantur, adolebantur tura; unusquisque lætis vocibus utebatur, ne initio anni in omen triste verba minùs fausta verterentur; qua de causâ & palmæ fructus, & caricæ, & mella libabantur; quòd hæc tria, quum dulcedine præstent, omen facere anni, qui nihil amari haberet admixtum, viderentur; ut Ovidius [c] testatur his versibus:

Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixit,
Et data sub nivea condita mella cado?
Omen, ait, caussa est, ut res sapor ille sequatur,
Et peragat ceptum dulcis ut annus iter.

Idem poëta [d] eodem putat pertinere stipem,
63 quæ Kalendis Januariis colligebatur; nec ad omen minùs pertinebat, quod quamvis eo die ab omni opere cessaretur, nec forum causidicorum jurgiis, nec officinæ streperent artificum industriâ laboriosâ, nec gymnasia doctorum vocibus personarent; tamen omnia opera aliquatenus administrabantur, ne primus anni dies prorsus otiosus, prorsusque carens omni lite, atque omni labore esset auspicium anni desidiosissimi, ac penitus otiosi; quocirca Ovidius [e] dixit:

Post ea mirabar, cur non sine litibus esset

Prima dies; causam percipe Janus ait:
Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners;
Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quàm solitum testificatur opus;

sic & festam diem cessatione operum celebrabant, & documentum dabant non esse nimis otio indulgendum. Atque hi menses fuerunt in anno a Romulo, & a Numâ 64
descripto, & his religionibus consecrati, & hoc numero dierum constantes; sed Cæsar, quum [f] animadverteret in emendatione anni a Numâ institutâ id esse vitium, quod vix vigesimo quarto quoque anno Solis curriculo congrueret annus; præterea tot deesse dies anno Numæ, ut siquando, quod interdum accidebat vel gratiâ sacerdotum, vel aliquâ superstitione objectâ, non esset intercalatum, magnopere perturbaretur omnis ordo, mensesque alienum locum occuparent; statuit hanc temporum inconstantiam esse tollendam; & quum videret [g] Ægyptios omnium Mortalium & esse, & haberi rerum cœlestium consultissimos, eos in anno describendo potissimùm esse censuit imitandos; & quum aliæ nationes ferè omnes annum suum ad Lunæ cursum accommodarint, ipse annum voluit cum Solis curriculo convenire. Quapropter Julianus Imperator oratione de Solis laudibus tradit solos Ægyptios, atque Romanos in anni descriptione Solis, non Lunæ cursum spectavisse. Jam diximus in anno Numæ fuisse trecentos quinquaginta quinque dies; quare [h] Cæsar, ut tempus expleret, quo Sol circumvolvitur orbem suum, addidit anno decem dies; sed quia quadrans diei erat anno præter decem dies adjiciendus, quarto quoque anno intercalarem diem jussit interponi; quo factum est ut singuli anni trecenos sexagenos quinos dies, & quadrantem obtinerent; diem autem intercalarem ante quinque extremos Februarii dies collocavit; ex quo bis dicebatur sexto Kalendas Martias, unde bissexti nomen emanavit. Dies verò decem, quos adjecit anno, ita distribuit; Januario, Sextili, & 65
Decembri binos tribuit; quocirca quum hi menses undetricenos dies habuissent, tricenos singulos habuerunt; Aprili verò, Junio, Septembri, Novembri, qui pariter undetricenis diebus finiebantur, singulos addidit, ut tricenos dies unusquisque eorum contineret. Sed quia intercalandi ratione perturbatâ, vel omnino neglectâ, in alie-

[a] Ovid. Fastor. libr. 1. v. 161. [b] Herodian libr. 1. Cic. libr. 7. Epist. Fam. Epist. 30. Suetun. in Vitâ Cæsar. cap. 76. & in Vitâ Caligul. cap. 17. & Plin. libr. 11. cap. 37. [c] Ovid. Fastor. libr. 1. v. 183. [d] Ovid. ibidem. [e] Ovid. Fastor. libr. 1. v. 163.

[f] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 14. Plin. libr. 18. cap. 25. Sueton. in Vit. Cæsaris cap. 40. & Solin. in Polyhist. cap. 3. [g] Herodot. l. 2. & Macr. ibid. & Clem. Alex. libr. 1. Strom. [h] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 14. Plutarch. in Vitâ Cæsar.

aliena tempora menses invaserant, coactus est, ut omnes menses in pristinum locum restitueret, annum, quo hæc disponebat, ex quadringentis quadraginta quatuor diebus constituere, ut Macrobius [a] tradit, vel, ut Solinus [b] testatur, ex trecentis quadraginta quatuor; quo exacto reliqui anni trecentos sexaginta quinque dies, & quadrantem (qui quum quatuor anni essent revoluti diem unum efficiebat ad quartum annum addendum) complexi non desiderassent aliam emundationem; sed inscitia sacerdotum fecit, ut annus rursus transiret lineam, & extra limitem vagaretur. Nam quum [c] exacto quarto quoque anno intercalari oporteret, ipsi initio quarti cujusque anni intercalarem diem interjecerunt; ita triginta sex annorum spatio tres dies intercalati ampliùs, quàm oportuerat; quum errorem ut Augustus tolleret, ter intercalationem jussit omitti, & sextodecimo demum anno completo intercalarem diem
66 adjecit. Menses autem usque ad Cæsaris principatum pristinum nomen obtinebant; sed Cæsare imperante placuit [d] senatui in honorem Julii Cæsaris Quinctilem mensem Julium appellare; quia quarto Idus Quinctiles Julius Cæsar est procreatus; quo exemplo & qui antea [e] Sextilis vocabatur, Augustum ab Augusto senatus nominavit; quod eo [f] mense Cæsar Augustus primum consulatum inivisset, & tres in Urbem triumphos intulisset, & Ægyptum in populi Romani potestatem redegisset. In quo Romani populi Atheniensis adulationem sunt imitati; qui mensem [g] Martium, quem Munychionem appellabant, a [h] Demetrio Antigoni Regis filio Demetrionem, & ultimam diem mensium demetriadem nuncuparunt. Sed Athenienses eum honorem Demetrio decreverunt, qui ejecto Munychiâ præsidio Athenas in libertatem vindicarat, & populo suas leges restituerat, & magnificentissimis donis affecerat civitatem; sed Romani Julium, & Octavianum tanto honore cumularunt; qui Romanam civitatem gentibus universis imperantem in servitutem redegerant; & quum solerent populi suos liberatores Deorum immortalium honoribus honestare, ipsi eos, qui sibi libertatem extorserant, hoc honore, quo hactenus Deos affecerant, auctos voluerunt. Nam alii menses, qui numero
non notabantur, Deorum nominibus, aut 67
a Deo deductis appellationibus fuerant insigniti; ut [i] Januarius, Martius, Aprilis, & ceteri, qui eadem ratione sunt appellati; Julius, & Augustus mensium soli ab hominibus nomen acceperunt; nisi audire velimus eos, qui a Junio [l] Bruto Junium mensem esse dictum prodiderunt; quod si verum creditur, præpostere nimis Julius Junium sequitur; quum alter tyranni, alter Patriæ liberatoris nomen ferat, ut libertatis vindex cum oppressore conjungatur. Verumtamen virtutes Julii Cæsaris, & Augusti, resque gestæ, & opinio, qua post mortem in numerum Deorum relati [m] credebantur, fecerunt, ut is honos utrique proprius, perpetuusque permaneret; quod aliis minimè contigit, licet rerum potirentur. Nam Domitianus [n] a Germanici appellatione, quam sibi vindicabat, Septembrem Germanicum nuncupavit, Octobrem, quo [o] natus erat, Domitianum; ideo Martialis libro [p] nono sic ait:

Dum Janus hiemes, Domitianus autumnos,
Augustus annis commodabit æstates,
Dum grande famuli nomen asseret Rheni
Germanicarum magna lux Calendarum, &c.
Manebit altum Flaviæ decus gentis
Cum Sole, & astris.....

sed eruditus assentator a veritate longissimè
aberravit; nam Domitiano interfecto O- 68
ctober statim Domitianus desiit nominari; September autem, licet diutiùs Germanici nomen conservarit, quum ætate Macrobii id adhuc retineret; tamen procedente tempore recentius nomen amisit, vetustum recuperavit. Statius [q] quoque ob eandem causam Domitiano adulatur his verbis:

...... nondum omnis honorem
Annus habet, cupiuntque decem tua nomina menses.

Quo in loco Poëta vult, quum duo menses, September nimirum, & October in honorem Domitiani impositis nominibus notarentur, & reliquos optare, ut ab eodem nomina sibi imponerentur, ejusque honoribus dicarentur; sed Domitianus, licet id fortasse cogitarit, non est ausus pristinis nominibus deletis omnes menses a se indictis nominibus appellare; sed quod non est ausus Domitianus, Commodus [r] est ausus;

---

[a] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 14. Plutarch. in Vitâ Cæsaris. [b] Solinus in Polyhist. cap. 3. [c] Macr. libr. 1. cap. 14. & Plin. l. 18. cap. 25. [d] Idem Macrob. ibid. cap. 12. Sueton. in Vitâ Cæsar. cap. 76. & ante hos Ovid. libr. 4. Fastor. [e] Suetonius in Vitâ Augusti cap. 31. Macrob. ibid. & D. Hieronym. in Epist. ad Eustochium. [f] Ex Verbis S. C. apud Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12. [g] Plutarch. in Vitâ Phocion. [h] Idem in Vitâ Demetr. [i] V. supra in hac ipsâ Dissert. num. 35. 36. 40. 43. 45. [l] Macr. Saturn. libr. 1. cap. 12. [m] Sueton. in Vitâ Cæsaris, & Augusti in fine. [n] Idem in Vitâ Domitiani cap. 13. & Macrob. Saturn. cap. 12. libr. 1. [o] Idem Sueton. & Macrob. ibid. Plutarch. in Vitâ Numæ, & Dion in Vitâ Domitiani. [p] Martial libr. 9. Epigr. 2. [q] Stat. Sylvar. libr. 4. Sylv. 1. [r] Æl. Lamprid. in Vitâ Commodi, & Dio in Vitâ ejusdem, Herodian. libr. 1. & Eutropius libr. 8. cap. 7. sed variè.

sus; qui Januarium ab amore concubinæ Martiæ, quam Amazonis imagine pictam diligebat, Amazonium nominavit; Invictum Februarium, quod cognomen sibi Commodus superbissimè, ut Dio [a] tradit, arrogabat; Martium Felicem eadem de causâ, Aprilem Pium, Majum Lucium, Junium Ælium, Julium Aurelium a suis cognominibus; Augustum Commodum a suo nomine, Septembrem Augustum a dignitate; Octobrem Herculeum, vel, ut sit [b] Lampridius, Herculem ab insanâ cupiditate, qua flagrabat, Herculem imitandi; Novembrem Romanum ab urbe Româ, Decembrem Exuperatorium ab innumeris palmis, quas in ludo gladiatorio Mirmillo Regius fuerat consequutus, appellavit; nam [c] septingenties tricies quinquies depugnavit, Nec id satis perversæ hominis ambitioni
69 fuit; etiam Romæ nomen mutavit, & Commodianam dici [d] voluit; quasi esset alter Urbis conditor, quam rapinis, cædibus, omni scelere, & crudelitate subverterat; de cujus etiam incendio cogitavit, quasi urbs Orbis terrarum victrix meliùs ab homine mollissimo, notæque impudicitiæ nomen acciperet, quàm a robore, a quo fertur appellata. Qui profectò parum vidit his esse memoriam sui propagandam, qui eximiam laudem meruerunt; simul enim cum memoriâ & gloria, & laudes propagantur; his autem, qui sic vixerunt, ut eorum facta sempiternis tenebris obruenda videantur, nihil magis esse fugiendum, quàm famæ perpetuitatem; nam propagatio memoriæ, nominisque fœdis, impiis, & conscleratis hominibus, quid aliud affert, quàm dedecoris, infamiæ, turpitudinis notam sempiternam? Ex his verò Cæsaribus, qui bonis artibus inclaruerunt, unus post Julium Cæsarem, & Augustum Tacitus Imperator fuit, qui appeteret hanc gloriam mensis a suo nomine appellandi; nam [e] Septembrem Tacitum jussit nominari; quòd eo mense & natus esset, & Imperium consequutus; sed hæc appellatio, quemadmodum Imperium Taciti, non fuit diuturna. Quapropter solus Cæsar, atque Augustus vel propter eximiam, excellentemque virtutem, vel propter benevolentiam successorum, quòd omnes, qui in Imperio succedebant, illis tanquam suæ magnitudinis auctoribus fe plurimum debere fatebantur, sunt consequuti; ut nomen suum mensibus inditum tam esset æternum, quam est æterna volventium annorum nullo temporis momento hærens, insistensque conversio. Atque hæc de mensibus Romanis dicenda videbantur, 70
quum de anno ageremus a Romulo primum, ac deinde a Numâ ad Lunæ cursum descripto, ac postremò a Cæsare emendato, & Solis conversione circumscripto; nunc ad annum revertamur; nam, quoniam de anno, quo Romani utebantur, verba fecimus, non absurdum fuerit de aliis annis pauca quædam delibare. Annum nonnulli [f] putant dictum ab *an*, quæ vox Antiquis *circum* significabat; ex quo *ambire* est *circumire*, & ambarvalis hostia teste Festo [g] ea est, quæ rei divinæ causâ circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt. Quapropter tempus, quo unumquodque sidus ad eamdem metam, a qua profectum fuerat, revertitur, ejus sideris annus [h] appellatur; qua de causâ Saturni annus triginta [i] solares annos complectitur; annus Jovis duodecim annos; duos circiter Martis annus; Solis autem curriculum trecentis sexaginta quinque diebus, & quadrante conficitur; Veneris autem annus novem ferè mensibus, Mercurii verò tribus. Lunæ [l] autem duplex est annus, vel enim tempus spectatur, quo Luna in eum- 71
dem Cœli locum, unde profecta fuerat, revertitur, & tunc viginti septem diebus, horisque septem, scrupulisque quadraginta converti reperitur; vel illud temporis intervallum, quo Luna in eundem locum, unde discessit, restituitur, insuperque Solem, qui partes aliquot processit, assequitur; quod fit viginti novem dierum spatio, & horarum duodecim, & quadraginta quatuor scrupulorum. Atque hujus comparatione anni [m] Macrobius putat Solis annum magnum a Poëtâ summo his verbis [n] nominari:

Interea magnum Sol circumvolvitur annum.

Quum autem tot annorum genera sit natura ipsa molita, minimè mirandum est si apud 72
diversas gentes diversi fuisse anni memorantur; & Ægyptii quidem, qui [o] solertiùs arcana stellarum indagarunt, sex annos habuisse dicuntur; nam annum lunarem duplicem habuerunt, minorem alterum, alterum majorem; alter menstruo [p] spatio finie-

[a] Dio in Vit. Commodi. [b] Æl. Lamprid. in Vitâ Commodi. [c] Æl. Lamprid. ibid. [d] Jo: Xiphilin. in Commodo. [e] Flavius Vopiscus in Vit. Taciti. [f] Attejus Capito apud Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 14. [g] Pompejus Fest. apud Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 5. & Servius ad Ecl. 3. Virgil. v. *Quum faciam vitulâ pro frugibus, &c.* [h] Macrob. in Somn. Scip. libr. 2. cap. 11. [i] Idem ibid. Censorin. in Fragmento cap. 3. Plutarch. de Placitis Philosophor. libr. 2. cap. ult. & Plin. libr. 1. cap. 8. [l] Macr. libr. 1. cap. 6. in Somn. Scip. [m] Idem in Somn. Scip. libr. 2. cap. 11. [n] Virgil. Æneid. libr. 3. [o] Herod. in Euterpe, sive libr. 2. in princip. [p] Diodorus Siculus libr. 1. pag. 15. & Plin. libr. 7. cap. 48.

finiebatur, alter quatuor [a] menses continebat; de altero loquuntur Auctores, quum quosdam Ægyptii Reges [b] mille ducentos annos vixisse memoriæ prodiderunt; de altero autem, quum quosdam trecentos, aut quadringentos annos vitæ esse permensos affirmarunt. Habebant præterea annum solarem, qui [c] ex trecentis sexaginta quinque diebus, & quadrante constabat: habebant annum [d] canicularem parvum, qui quatuor annos complectebatur; qui propterea canicularis est appellatus, quòd ex quarto Caniculæ ortu est observatum deesse quadrantem Diei anno, qui antiquitus dumtaxat trecentos sexaginta quinque dies comprehendebat: habebant annum canicularem magnum, qui tot annos complectebatur, quot sunt in anno solari dies: habebant maximum, qui quatuor magnos annos caniculares continebat, annos [e] videlicet mille quadringentos, & unum supra sexaginta. Aliæ verò nationes magnâ anno-
73 rum diversitate sunt usæ; Arcades [f] anno trimestri utebantur, qui profectò non sideris alicujus cursum spectaverunt, sed quatuor anni tempestates; quum enim, ut Sulmonensis [g] Poëta loquitur, annus

Perque biemes, æstusque, & inæquales autumnos
Et breve ver......

quatuor spatiis exigatur, unum spatium ex his annum appellarunt, ut ver, aut æstatem. Acharnanes [h] autem duo; nam apud Acharnanes annus sex menses obtinebat. Plutarchus autem in Vitâ Numæ tradit Arcades annum quatuor mensium habuisse, quemadmodum [i] Ægyptios; qui profectò annum in tria tempora, non quemadmodum nos in quatuor, diviserunt, in hiemem scilicet, ver, & æstatem; quam anni divisionem Ægyptiorum fuisse tradit Siculus [l] Diodorus; & idem tradit fuisse Barbaros, apud quos tribus mensibus annus constaret. Sed hi non prorsus absurdè an-
74 ni tempestates, quas ὥρας Græci vocant, pro anno [m] sumpserunt; absurdissimè Lanuvini, qui annum [n] ex tredecim mensibus constare voluerunt, ac tredecim menses trecentos septuaginta quatuor dies comprehendebant; qui profectò non sideris alicujus conversionem, non anni tempestates, sed suum errorem sequuti sunt non solum in anno, sed etiam in mensibus costituendis, nam apparet & menses nec ad spatium, quo Sol unum Zodiaci signum perlustrat, nec ad Lunæ curriculum potuisse accommodari. Atque hi anni ferè fuerunt nationum, de quibus aliqua fama ad nos pervenerit; nam Hebræi [o] eodem anno sunt usi, quo Græci, qui duodecim Lunæ periodos continebat, & trecentis quinquaginta quatuor diebus terminabatur. Addi potest his annis, 75
quos diversæ nationes habuere diversos, annus, qui magnus a philosophis appellatur; de cujus magnitudine multæ feruntur scriptorum, discrepantesque sententiæ. Ælianus [p] in variâ Historiâ tradit, OEnopidem Chium Olympiæ æream tabulam dedicasse, in qua siderum motum quinquaginta novem annorum descripserat; quod spatium temporis annum magnum nuncupavit. Ex eodem [q] Auctore cognoscimus Metonem insignem siderum spectatorem columnas æreas statuisse, in quibus, & solstitia, & brumæ dies adnotarat, & magnum annum, quem ex annis novendecim constare dicebat; Diodorus [r] Siculus: *καὶ διὰ τοῦτο τὸν ἐννέα, καὶ δεκαετῆ χρόνον ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων μέγαν ἐνιαυτὸν ὀνομάζεσθαι*. Sed Metonis annus nihil aliud erat, quàm illud temporis intervallum, quod quum effluxerit, redit eadem Lunæ ratio; quod spatium est a Callippo [s] quater multiplicatum, & septuaginta sex anni effecti. Alii Phœnicis vita alitis 76
unicæ magnum annum circumscripserunt; quapropter Plinius libro X. capite II. sic ait: *cum hujus alitis vitâ magni conversionem anni fieri prodidit idem Manilius; iterumque significationes tempestatum, & siderum easdem reverti*; quod etiam [t] Solinus testatum reliquit. Id si verum statuatur, incertum est, quanta sit hujus anni magnitudo; nam præterquam quod hæc avis fabulosa meritò judicatur, Auctores inter se discrepant, nec quot annos ea vivat satis certum prodiderunt. Nam Æthiopiæ Rex in epistolâ ad

[a] Diodor Sicul. libr. 1. pag. 15. Auctor Æquivoc. quod opus Xenophonti adscribitur, Plotarch. in Vit Numæ, Solin. Polyh. cap. 3. & D. Augustin. de Civ. Dei libr. 12. cap. 10. [b] Diod. Sicul. libr. 1. pag. 15. & Plin. libr. 7. cap. 48. [c] Censor. de Die Nat. cap. 18. [d] Idem Censorin. ibid. & cap. 19. [e] Censor. de Die Nat. cap. 18. [f] Solin. Polyhist. cap. 3. Plin. libr. 7. cap. 48. & Macrob. in Saturnal. libr. 1. cap. 12. & Div. August. de Civit. Dei libr. 15. cap. 12. [g] Ovid. Metamorph. libr. 1. v. 117. [h] Plutarch. in Vit. Numæ, Macr. Sat. libr. 1. cap. 12. Solin. Polyhist. cap. 3. & Censor. de Die Natal. cap. 19. [i] Censorin. ibid. & Plutarch. in Vitâ Numæ. [l] Diodor. Sicul. Biblioth. Histor. libr. 1. [m] Diodor. Sicul. libr. 1. Censor. de Die Nat. cap. 19. & Plutarch. in Symp. Quæst. libr. 5. quæst. 4. [n] Solin. Polyhist. cap. 3. & Div. August. de Civit. Dei libr. 15. cap. 12. [o] D. August. de Civit. Dei libr. 15. cap. 14. & Suid. in V. Ἐνιαυτός. [p] Ælian. in Var. Histor. libr. 10. cap. 7. & Censorin. de Die Nat. cap. 18: qui hanc anni magni rationem Philolaum Pythagoricum invenisse tradit. V. Joseph. Scalig de emendat. temp. pag. 166. [q] Ælian. & Censor. ibid. & Suid. in V. Ἐνιαυτὸς Μέτωνος. [r] Diodor. Sicul. libr. 2. pag. 92. [s] Censorin. de Die Natal. cap. 18. [t] Solin. Polyhist. cap. 36.

ad Romanum Pontificem Phœnicis vitam non ultra trecentos annos produci confirmat; Ovidius ad quingentos annos pervenire his versibus [a] tradit:

Hic ubi quinque suæ complevit sæcula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæque cacumine palmæ
Unguibus, & duro nidum sibi construit ore;
Quo simul ac casias, & nardi lenis aristas,
Quassaque cum fulvâ substravit cinnama myrrhâ,
Se super imponit, finitque in odoribus ævum.

Tacitus [b] quoque, aliique, quos referre non est necesse, quingentos annos vitæ Phœnici largiuntur; Plinius [c] sexcentos, atque sexaginta; Lactantius mille, sic enim in poëmatio de Phœnice [d] loquitur:

Quæ postquam vitæ jam mille peregerit annos,
Ac se reddiderint sæcula longa gravem,

Addit deinde nidum struere, seseque comburere, roguinque sibi, ac cunas condere, quam opinionem antea sequutus fuerat Martialis, qui sic [e] ait:

Qualiter Assyrios renovant incendia nidos,
Una decem quoties sæcula vixit avis.

Cujus opinionis auctores videntur Hesiodi auctoritate moti hoc ævi spatium Phœnici tribuisse; nam Hesiodi de animalium vitâ carmen est [f] hujusmodi:

Terna virescentum ter vivere garrula cornix
Secla virûm justo vivendi limite, fertur;
At quater egreditur cornicis sæcula cervus;
Alipedem cervum ter vincit corvus; at illum
Multiplicat novies Phœnix Jovis alma propago;
Quem vestro decies, nymphæ, prævertitis ævo.

77 Si autem in hoc Hesiodi carmine sæculum accipias pro anno, quomodo nonnulli acceperunt, Phœnix nongentos septuaginta quatuor annos vitæ explere reperiatur. Atque horum sententiâ magnus annus mille solares annos complectitur; quam Virgilius Æneidos libro sexto aspexit his verbis:

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores supera ut convexa revisant
Rursus, & incipiant in corpora velle reverti.

Quo in loco Poeta summus agit de animis, quæ in corpora revertuntur, quod nonnisi anno magno revoluto contingit; quum non eædem animæ solùm redeunt in corpora, sed res omnes instaurantur, eædemque tempestates, eædem fortunæ vicissitudines, iidem homines, eadem imperia, eadem redit rerum facies. Verumtamen ut ad Phœnicem revertamur, Cornelius [g] Ta- 78
citus quorumdam opinionem refert, qui Phœnicis ævum annis mille quadringentis sexaginta uno definiunt; quod spatium temporis, quemadmodum nuper dicebamus, ab Ægyptiis anno caniculari maximo tribuitur. Sed omnium [h] longissimè Phœnicis vitam produxit Ægyptius Chæremon; qui hanc avem ad septies mille sex annos ævi tradit pervenire. Verumtamen absurdum profectò, absurdum est arbitrari, ex unius avis fato esse aptam, & pendere tantam rerum mutationem; licet [i] Ægyptii quum fingere vellent magnam rerum instaurationem, Phœnicis avis figurâ uterentur; quòd, quum nascitur Phœnix, omnia instaurentur. Nunquam doctissimi viri, quum 79
annum magnum excogitarunt, de Phœnicis ortu, aut interitu cogitarunt; sed annum magnum omnium siderum tam errantium, quàm inerrantium conversionem esse voluerunt; & initium tunc hujus anni futurum, quum in eundem locum omnia sidera, & stellæ se se retulerint, unde principio hujus ævi discesserunt. Hinc Cicero de somnio Scipionis ita loquitur: *Re autem ipsâ quum ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque totius Cæli descriptionem longis intervallis retulerint, tum ille verè vertens annus appellari potest*. Quod & [l] Macrobius testatur, qui annum magnum fieri omnium luminum conversione arbitratur; licet libro secundo de Naturâ Deorum Cicero de stellis errantibus dumtaxat loquutus esse videatur; Be- 80
rosus [m] autem, quum omnia sidera in Cancro convenerint, Mundum conflagraturum; quum verò in Capricorno, diluvio terrarum Orbem demersum iri; & sic magni anni veteris finem futurum, & initium novi arbitratur; id autem quanto contingit ambitu sæculorum, non constat inter Auctores; Macrobius [n] putat quindecim annorum millia magnum annum continere, Julius Firmicus trecentis annorum millibus terminari, Orpheus [o] centum viginti millibus, Cassander [p] auctore Censorino tricies sexies centenis millibus. Sed quid hæc ego colligo? quum constet infixas Cæ-

[a] Ovid. Metamorphol. libr. 15. v. 395. [b] Cornel. Tacit. libr. 6. Annal. num. 28. [c] Plin. libr. 10. cap. 2. [d] Lactantius Firmian. de Phœnice v. 59. [e] Martial. libr. 5. Epigr. 7. ad Volcanum. [f] Hesiod. apud Plutarch. de Oraculorum defectu, & Auson. Eidyll. 18. [g] Cornel. Tacit. Annal. libr. 6. n. 28. [h] Ulyss. Aldovrandus libr. 12. cap. 28. de Avibus. [i] Jo: Pierius Valerian. de Hieroglyphic. libr. 20. in princ. [l] Macrob. in Somn. Scip. libr. 2. cap. 11. & Fest. Pompejus in V. Magnum annum. [m] Berosus apud Senec. Natural. Quæst. libr. 3. cap. 29. [n] Macrob. libr. 2. in Somn. Scipion. cap. 11. [o] Orpheus apud Cens. de Die Nat. cap. 18. [p] Cassander apud eundem ibid.

Cœlo ſtellas triginta ſex annorum millibus ab occaſu in ortum ſuum curſum conſecturas; ſi earum in eundem locum reditu annum magnum metiamur, triginta ſex annorum millibus finietur; ſin autem ſimul & Errantes in eundem regredi locum debent; quis hujus anni magnitudinem definiet? ideo Numenius innumeros continere aſtrorum circuitus affirmavit.

DISSERTATIO XXXI.

Ubi de Virginibus Veſtalibus agitur.

Virgines quamplurimis in locis Deorum ſacerdotes erant. Dionyſius Halicarnaſſeus ſatis probat, Numam inſtituiſſe Virgines Veſtales, ut etiam Livius tradit; non autem Romulum, ut quidam falsò opinantur; ideo Tarpeja, quæ Capitolium Sabinis prodidit, non fuit Veſtalis, licet Propertius id affirmarit. Veſtales, quum eliguntur, maximè omnium propriè capi dicuntur, non tamen ſolæ, quidquid aliqui ſint arbitrati; nam Gellius tradit, quod Flamines quoque, Augures, & Salii capi dicebantur. Ignem Veſtales concavo vaſe ad Solis radios expoſito accendiſſe videtur indicare Plutarchus; Lipſius tamen Feſti auctoritate ductus affirmat, attritu duorum lignorum excitari ſolere. Carpentum, & pilentum idem eſſe vehiculum ſuſpicatur Lipſius; ſed verius eſt ea fuiſſe diverſa, ut colligitur ex Livio, & Feſto. Senarius numerus, quum ex ſuis partibus conſtet, perfectus eſt, & a Pythagora nuptiæ appellabatur. Utrum Veſta ſit Terra juxta Platonis, Plotini, ac Dionyſii Halicarnaſſei ſententiam, an juxta Ovidii, & Albrici opinionem Ignis, qui omnibus rebus, etiam aquis ineſt. Veſta, quum homines in ſpeluncis habitarent, princeps dicitur domos conſtruxiſſe. Aſpiratio Græcorum frequenter in V. conſonum vertitur a Latinis, ut ex multis vocibus conſtat.

CAſta Superis [a] placere Poëtæ non tam gravis, quàm elegantis graviſſima ſententia eſt, quam omnium populorum conſenſus comprobavit; idcirco Delphis [b] antiquitus reſponſa reddebat virgo; & ad eundem [c] colendum Deum in inſulam Delum cum primitus frugum mittebant virgines Hyperborei; & Theſpiis Bœotiæ [d] urbe non ignobili templum Herculis fuiſſe accepimus, cujus fungebatur ſacerdotio virgo, quæ non ad tempus, ut aliis in locis, ſed totâ vitâ a viro abſtinebat; & in Calabiriâ inſulâ [e] juxta Trœzenem ſitâ Neptuni ſacra virgo adminiſtrabat; quæ quum nubendi tempus veniſſet, ſacerdotio ſe abdicare cogebatur; & Ægiræ [f] templum Dianæ fuit, ubi ſacerdos puella ſacris operabatur, donec viro jungeretur; apud Indos quoque Deorum cultrices feminæ illibatam virginitatem ſervabant; quæ venerandæ ſunt appellatæ, creditæque ſcientiam tenere futurorum; quin etiam viris eadem caſtitas iis, qui [g] Gymnoſophiſtæ vocabantur, & venerabiles; qui rerum contemplationi divinoque Numini colendo dediti, quò puriùs id facerent, a venereis voluptatibus prorſus abſtinebant. Nimirum Barbaros quoque non fugit, non poſſe mentem ſeſe altius attollere, & liberam vacare divinis, quæ voluptatis illecebris, quaſi clavis quibusdam corpori affigitur. Ideo Germanos etiam [h] accepimus Velledam Virginem tamquam divinam coluiſſe, & futurorum præſciam credidiſſe. Sed & apud [i] Græcos Delphis, & [l] Athenis ignem inextinctum ſervabant non prorſus quidem expertes nuptiarum feminæ, ſed quæ viris defunctis caſtitatem colebant. Jam ſacra [m] Cereris, Iſidiſque puellæ [n] purum corpus Dearum templo inferebant; quod etiam in Bonæ [o] Deæ ſacris animadvertimus obſervatum. Atque hujus rei longè plura poſſent exempla proferri, quæ conſultiſſimus divini juris Numa [p] contemplatus virgines Veſtæ legit ſacerdotes; quod noſter Auctor teſtatur his verbis: *Virgineſque [q] Veſtæ legit Albâ oriundum ſacerdotium, & gentis conditori haud alienum; his, ut aſſiduè templi antiſtites eſſent, ſtipendium de publico ſtatuit, virginitate, aliiſque cæremoniis venerabiles, ac ſanctas fecit*; de quibus verbis hodierno die, aliiſque deinceps eſt nobis diſſerendum; quibus illuſtrandis de virginibus Veſtæ conſecratis nonnulla dicemus. Atque illud inprimis non eſt prætereundum fuiſſe quoſdam, qui quod Livius hìc affirmat, negent; a Numâ conditum templum Veſtæ, & Virgines

[a] Tibull. libr. 2. El. 1. [b] Diod. Sicul. libr. 16. Biblioth. Hiſtor. pag. 524. [c] Herod. libr. 4. c. 33. Callimach. in hymn. in Delum v. 290. & Pauſan. in Atticis, Solinus cap. 21. & Pomponius Mela de Situ Orbis libr. 3. cap. 5. Plinius libr. 4. cap. 12. [d] Pauſan. in Bœoticis, ſive libr. 9. [e] Idem in Corinthiac. ſive libr. 2. [f] Idem in Achaicis, ſive libr. 7. [g] Clem. Alexandr. libr. 1. Strom. [h] Cornel. Tac. libr. 4. Hiſtor. n. 61. [i] Plutarch. in Vitâ Numæ. [l] Plutarch. ibid. & in Probl. cap. 75. [m] Pauſan. in Atticis, ſive libr. 1. & Achaic. ſive libr. 7. Valer. Maxim. libr. 1. cap. 1. Lactant. Firmian. de origine erroris libr. 2. cap. 4. & Catullus in Nupt. Pelei, & Thet. [n] Apulejus Metamorph. libr. 11. [o] Plutarch. Probl. cap. 19. & in Vit. Cæſar. & Cicero de Haruſp. reſp. [p] Tit. Liv. libr. 1. Plutarch. in Vitâ Numæ, & A. Gell. libr. 1. c. 12. [q] Tit. Liv. libr. 1.

gines Vestæ sacerdotes constitutas; qui Romulum [a] putant hujus religionis fuisse conditorem, & Virgines Vestæ consecrasse. Verumtamen hos in magno errore versari non est dubitandum; quum [b] Dionysius Halicarnassens argumentis non sanè contemnendis probet hanc opinionem esse valde futilem; nec Romulum ullum commune templum Vestæ, nec sacerdotes virgines dedicasse; sed in [c] singulis curiis aram, ubi curiones Vestæ sacra facerent, consecrasse. Illud etiam adnotandum verbum *le-*
3 *gere* de Vestalibus dici, quum capiuntur; sic idem Livius libro primo: *Fratris filiæ Rheæ Sylviæ per speciem honoris quum Vestalem eam legisset, perpetuâ virginitate spem partus adimit*; sed usitatius in hac re est verbum *capere*, quia Pontifex Maximus futuram Vestalem manu apprehendebat, ut Gellius libro primo capite duodecimo testatur; quo in loco tradit esse quosdam, qui solas Virgines Vestales capi dici arbitrentur; quod tamen tanquam alienum a veritate confutat; nam & Flamines capi, & Augures, & Salii dicebantur; sed maximè omnium propriè Vestales, quia cum his, quæ ab hostibus capiuntur, comparabantur; nam [d] etiam nolentes, & ab invitis parentibus abduci solitas esse constat. Sed [e] ut
4 capi possent, & Vestæ sacerdotes idoneæ haberentur, ea requirebantur, ut matrimæ essent, & patrimæ, hoc est, ut earum parens uterque viveret; neu minores essent, quàm sexennes, aut majores decennibus; neve parentes earum sordidam artem exercerent [sordidas autem artes appellabant opificum] aut servitutem servissent, aut in Italiâ domicilium non haberent. Illa [f] quoque Vestæ sacerdotio fungi vetebatur, cujus pater fuisset emancipatus, quæve aliquâ labe corporis insigniretur, cujusve pater divortium cum matre fecisset. Quæ si virginibus [g] adessent, aut ab ipsis abessent; accederet autem earum indoles, ad sacerdotium suscipiendum compellebantur, dummodo earum soror Vestalis, aut pater Salius, aut Quindecemvir sacris faciendis, aut Septemvir epulonum, aut Tibicen sacrorum, Pontifexve, aut Flamen, aut Augur non esset; illa quoque, cujus pater plures tribus liberis non haberet, invita non capiebatur. Captæ verò decem [h] continuos annos ea
condiscebant, quæ ad sacra pertinerent, 5
decem annos præesse custodiæ ignis inextincti, sacrisque faciendis jubebantur; decem deinde annos alias docere sacrorum disciplinam. Quibus exactis, quominus nuberent, nulla lex prohibebat; sed id paucas fecisse, quòd earum, quæ nupsissent, improsperæ nuptiæ, & infelices [i] fuissent Plutarchus, & [l] Dionysius Halicarnasseus memoriæ prodiderunt. Tantum quippe rei venereæ odium animo imbiberant, tamdiu omnem libidinem, ac Veneris voluptatem aversabantur, ut etiam postquam abiissent sacerdotio, siquando concubitu, licet honesto, & concesso uterentur, obstringi scelere, & piaculum committere sibi viderentur, ob eamque causam tristitiâ, & mærore contabescerent. Tantum opinio poterat, & consuetudo, cui a teneris unguiculis assueverant Venerem detestandi. Itaque lectis Vestalibus spes
omnis propemodum Veneris adimebatur; 6
nam si qua [m] corpus polluisse deprehenderetur, extra portam Collinam viva defodiebatur; erat autem subterranea quædam cellula perexigua, & in eâ stratus lectus, & accensa lucerna, paulumque olei, & lactis ponebatur. In hanc cellulam comperta flagitii Vestalis quum esset conjecta, super ingestâ humo tegebatur; corruptor autem [n] nudus ad palam deligatus, donec animam exhalaret, flagris cædebatur; habebaturque [o] dies ille maximè tristis, & infaustus, & execrabilis populo Romano; quo sacerdos vetustissimis, atque sanctissimis initiata sacris, cujus diligentia sempiterni pignus Imperii custodiverat, & conservarat, miserabili supplicio afficiebatur; itaque Urbem, quo die in Vestæ sacerdotem stupro pollutam animadvertebatur, insolitus quidam mæror, & tristitia, & horror occupabat. Leviora [p] verò flagitia Vestalium
Pontifex Maximus flagris puniebat, inte- 7
rjecto velo, ne Virginem nudam intueretur; omninoque oportebat eas, quæ Vestæ sacris operabantur, non solum crimine; sed etiam suspicione criminis vacare; quum [q] Tucciam Vestalem mundior cultus

[a] Apud Plutarch. in Vitâ Romuli. [b] Dionys. Halicarnass. libr. 2. Antiq Roman. cap. 8. [c] Dionys. Halicarnass. ibid. [d] Dio Cassius libr. 55. Histor. [e] A. Gell. libr. 1. cap. 12. [f] A. Gell. Ibid. [g] Labeo Antistius, & Capito Attejus apud eundem A. Gell. libr. 1. cap. 12. [h] Plutarch. in libro. An seni gerenda sit Respubl. & in Vit. Numæ, Dionys. Halicarn. libr. 1. Antiq. Roman. cap. 10. & libr. 2. cap. 8. & Senec. de Vitâ Beatâ. [i] Plutarch. ib. & libro. Num seni gerenda Respubl. & Prudent. libr. 2. in Symmachum [l] Dionys. Halicarn. libr. 2. cap. 8. [m] Plin. Epist. 11. libr. 4. Plutarch. in Vit. Numæ, & Problem. cap. 96. Dionys. Halic. libr. 8. & 9. Tit. Liv. libr. 8. Ovid. Fastor. libr. 6. Juvenal. Sat. 4. v. 10. & Vet. ejus Schol. ibid. & Sil. Ital. libr. 13. [n] Dionys. Halicarn. libr. 8. circa finem, & libr. 9. Tit. Liv. libr. 22. & Sueton. in Vit. Domitian. cap. 8. & Fest. in v. Probrum Virginis Vestalis libr. 14. [o] Plutarch. in Vit. Numæ, & Tit. Liv. libr. 22. [p] T. Liv. libr. 28. Val. Maxim. libr. 1. cap. 1. Plutarch. in Vit. Numæ, Fest. Pomp. libr. 9. in V. Ignis Vestæ, & Dionys. Halicarn. libr. 2. cap. 8. [q] Dionys. Halicarn. ibid. L. Flor. in Epitom. libr. 20. Tit. Livii. Valer. Max. libr. 8. cap. 1. De Vestal. V. Panvin.

tus in capitis discrimen adduxerit; & eam, quæ [a] dixerat:

Felices nuptæ; moriar nisi nubere dulce est, capitis arcessitam legamus; ideo autem, quia Vestales ab omni non rerum modò, sed etiam verborum turpitudine abstinebant, Petronius [b] Arbiter per irrisionem Vestæ contubernium vocat. Jam verò quantâ diligentiâ, quantaque vigilantiâ eas curare oportebat, ne æternus ille ignis extingueretur? id [c] si accidisset, ea cujus incuriâ factum fuisset, gravi pœnâ plectebatur; siquidem flagris, quod servile supplicium est habitum, cædebatur; ut supplicii ejus indignitate Vestales conterritæ sempiterni ignis custodiæ diligentiùs excubarent. Nam extinctus ignis vestalis rerum [d] perturbationem, eversionemque Reipublicæ, & Imperii finem portendere videbatur; quod ante civile Cæsaris, & Pompeii bellum memorant accidisse; quemadmodum Lucanus tradit his [e] verbis:

...... *vestali raptus ab arâ*
Ignis......

8 Ea verò puniebatur, ad quam custodia ignis eo tempore, quo fuisset extinctus, pertinebat; nam ignis asservandi munus per vices in orbem ibat; testatur id [f] Livius, qui sic ait: *ignis in Æde Vestæ est extinctus, cæsaque flagro Vestalis, cuja custodia noctis ejus fuerat*. Eum porrò extinctum non alio igne, sed cœlesti, concavo [g] vase ad Solis radios exposito, & in idem punctum compellente lucem, accendebant. Æmylia [h] tamen Virgo Vestalis, quum ignis forte defecisset, divinitus accendisse dicitur; nam quum ob eam rem vehementer accusaretur, perturbatâ civitate, & extrema metuente, precata Deam, ut si se castam, impollutamque, & innoxiam sciret, id præsentiâ sui Numinis declararet, velum, quod gestabat, imposuit foco, inquo nedum ignis, sed nec ulla quidem favilla, aut calor supererat; mirumque dictu, statim velum ferunt arsisse, ignemque sacrum emicuisse, divinumque Numen præsentiâ suâ Virginis innocentiam defendisse. Sed Æmylia divinitus extinctum ignem visa est ac-
9 cendisse; aliæ eo, quo diximus, modo sacrum ignem renovabant, ut Plutarchus in vitâ Numæ videtur indicare; Lipsius [i] tamen Plutarchum eo loco esse loquutum arbitratur de ratione, qua Græci Delphis ignem sacratum excitabant, non qua Vestalea; & affirmat, teste [l] Festo, quotiescunque ignis vestalis defecisset, aut initio anni novus esset faciendus, usas attritu duorum lignorum, quorum alterum in alterum terebræ modo immitteretur, ac tamdiu commoveretur, donec ignis existeret. Sed ut ad Vestales revertamur, quamvis multis laboribus, multisque molestiis, & periculis esset obnoxia vita Vestalium; tamen ea honoribus, quæ tribuebantur ipsis, compensabantur. Nam Vestalibus Consules,
Prætoresque [m] viâ decedebant, submitte- 10
bantque fasces; ut Seneca libro sexto declamatione octavâ tradit his verbis: *tibi magistratus suos fasces submittunt: tibi Consules, Prætoresque viâ cedunt*; & lictor [n] ipsis apparebat, & carpento vehebantur; quò pertinet [o] Prudentii locus, qui sic ait:

Fertur per medias ut publica pompa plateas
Pilento residens in molli......

Pilentum accepit pro carpento, vel ea vehicula non fuere diversa, quod [p] Lipsius est suspicatus; ideo Virgilius, a quo carmen est mutuatus Prudentius, [q] dixit:

...... *castæ ducebant sacra per urbem*
Pilentis matres in mollibus......

Qui Virgilii locus videtur declarare pilentum idem, & carpentum fuisse; quippe matronas pilentis inducit utentes, quum sciamus usas esse carpentis, Ovidio teste, qui [r] dixit:

Nam priùs Ausonias matres carpenta vehebant,
Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor;

sed postea reperto lecticarum usu carpenta sacerdotum propria esse ceperunt. Quapropter Messalinæ, Agrippinæque honori datum a senatu, ut Carpento veherentur, Cornelius [s] Tacitus, & Dio [t] memoriæ prodiderunt, quod etiam Vestalibus attributum est; Livius tamen libro quinto pilentum a carpento distinguit: *Grata*, inquit, *ea res, ut quæ maximè senatui unquam fuit, honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra, ludosque, carpentis festo, profestoque uterentur*. Quod ego pace Lipsii verius existimaverim; nam & Festus [u] pilentum sejungit a carpento; sic enim loquitur: *Pilentis, & carpentis per Urbem vehi matronis concessum est; quod quum*
aurum

[a] Senec. libr. 7. Controv. 8. [b] Petron. Arbiter in Satyric. [c] Tit. Liv. libr. 28. Valer. Maxim. libr. 1. cap. 1. Fest. Pomp. in V. Ignis Vestæ, Plutarch. in Vitâ Numæ, & Jul. Obsequens Prodigior. cap. 62. [d] Tit. Livius libr. 28. & Dionys. Halicarnass. libr. 2. cap. 8. [e] Lucanus libr. 1. [f] T. Liv. libr. 28. [g] Plutarch. in Vitâ Numæ. [h] Valer. Max. libr. 1. cap. 1. [i] Just. Lipsius Syntagm. de Vestâ, & Vestalib. cap. 8. [l] Fest. Pomp. in V. Ignis Vestæ. [m] D. Hieron. in Jovinianum libr. 1. [n] Plutarch. in Vitâ Numæ, Dio Cass. libr. 47. & 56. & Cornel Tacit. libr. 12. Annal. [o] Prudent. contra Symmachum libr. 2. [p] Justus Lipsius Syntagm. de Vestâ, & Vestalibus cap. 11. [q] Virgil. libr 8. circa finem. [r] Ovid. libr. 1. Fastor. T. Liv. libr. 1. Plin. de Vir. Illustr. cap. 7. Cornel. Tacit. libr. 12. Annal. Suetom. in Vitâ Claudii cap. 11. & in Vitâ Caligulæ cap. 15. [s] Corn. Tac. libr. 12. Annal. n 42. [t] Dio Cassius libr. 60. [u] Fest. Pomp. libr. 14. in V. Pilentis. De Vestal. V. Paovin.

aurum non reperiretur, ex voto, quod Camillus voverat Apollini Delphico contulerunt; quæ verba sic accipienda, ut intelligantur matronæ pilentis usæ, quum ad sacra veherentur; carpentis autem aliis diebus. Præ-
11 terea Vestalibus in theatro [a] concessus locus
est contra Prætoris tribunal, in Circo, & Amphitheatro sedes in podio, unde spectabant proceres civitatis, Satyrico Poëtâ teste, qui [b] dixit:

Et Capitolinis generosior, & Marcellis,
Et Catulis, Paulisque Minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium spectantibus.....

Jam simul atque capta Vestalis fuerat, exibat e patriâ potestate, faciendique [c] testamenti jus adipiscebatur; in quare illud est observatum, ut Vestæ sacerdos nullius heres esset intestati, nemo autem heres existeret intestatæ; sed ejus bona publica fierent. Jam verò siquando Virgo [d] Vestalis in eum fortè incidisset, qui ultimo supplicio damnatus ad mortem duceretur, ejus occursus misero salutem afferebat; qui tamquam factus fuisset obviam alicui Numini benefico, & salutari, pœnâ liberabatur; sed Vestalem jurare oportebat se casu non deditâ operâ occurrisse. Jam summa in Vestalibus ad deprecandam reorum, sontiumque pœnam vis, atque auctoritas habebatur.
Quapropter [e] Messalina Claudii uxor, quum
12 in adulterio deprehensa extremam sibi perniciem cerneret imminere, Vibidiam Vestalium vetustissimam misit ad Virum, quò sanctimonia Virginis graviorem adulterii pœnam deprecaretur; & ad Antonium Vespasiani [f] ducem a Vitellio missæ Vestales, ut victo parceret, & victoriæ temperaret, neu pacis conditiones aspernaretur. Idcirco Cicero in oratione pro Fontejo Fontejam Virginem Vestalem, innocentem pro eo, qui in suspicionem criminis venerat, sororem pro fratre judices inducit precantem; magnam scilicet venerationem virginibus conciliabat morum sanctitas, integritas vitæ, castitasque corporis, animusque semper vigilans, semper intentus publico bono, colendisque numinibus; nec earum preces repudiari posse videbantur, quas nec ipsi Dii immortales aspernarentur; neque enim Vestæ soli, sed etiam Diis omnibus pro incolumitate Imperii, & pro felicitate populi Romani vota suscipiebant. Au-
13 gebant earum venerationem vittæ insigne pudoris, & sacerdotii, a quibus vittatæ dicebantur; ideo Poëta satyricus [g] ait:

...... cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos;

& suffibula, quæ gerebant, quum sacrificabant, quibus usas esse Vestales Pompejus Festus [h] testatur his verbis: *suffibulum est vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Virgines Vestales, quum sacrificant, semper habere solent*. His honoribus adducti multi florente Republicâ filias Pontifici Maximo offerebant ultro, ut Vestales caperentur; sed corruptâ disciplinâ, & ademptâ Romanis libertate, quum minor esset publici boni cura, minor honesti cupiditas, pauci [i] reperiebantur, qui vellent filiis carere conjugio, carere Veneris voluptate, carere liberiùs vivendi potestate, & totâ vitâ expertes esse Libero-
rum. Quapropter Augusto [l] imperante lex 14
est constituta, ut Vestales capi possent etiam puellæ e libertino genere procreatæ; quam legem Patres sanciverunt propter eorum paucitatem, qui filias offerrent, aut a Pontifice legi paterentur in earum numerum; ex quo forte ducti Vestales capiebantur; nam quotiescunque deerat virgo, quæ sponte susciperet id sacerdotium, seseque offerret ultro, quum esset defuncta Vestalis, viginti [m] virgines a Pontifice Maximo legebantur, & sortitione factâ cujus ex eo numero sors exiisset, ea Vestalis volens, nolensque capiebatur. Numerus autem Ve-
stalium definitus, & certus; & a [n] Numâ 15
quidem initio captæ sunt quatuor, Gegania nimirum, Berenia, Canuleja, & Tarpeja; cujus cognomen occasionem [o] Propertio dedit, ut in Elegiâ de fabulâ Tarpejæ proderat Tarpejam illam, quæ Capitolium Sabinis prodidit, fuisse Vestalem, quod consentaneum non est veritati; regnante quippe Romulo nullæ fuere Vestales. Veruntamen quum sacrorum numerus augeretur in dies, & quatuor Virgines obire vix possent munera sacerdotii, quæ multo plura, quàm antea evaserant, Servius [p] ultimus Regum Romanorum, qui justè imperarunt, numero Vestalium a Numâ constituto duas addidit; sex igitur Virgines semper consequutis temporibus æternum ignem custodiverunt; nec unquam is numerus tot sæculis est immutatus. Cre-
do, quia senarius numerus perfectus [q] vi- 16
debatur; quum solus ex numeris, qui intra decem consistunt, ex suis partibus constet; nam [r] habet partes unum, duo, tria, quæ si inter se jungas, sex efficiuntur; alio-

[a] Sueton. in Vitâ Augusti cap. 44. [b] Juven. Sat. 2. v. 145. [c] Plutarch. in Vit. Numæ, Sozomen. l. 1. Eccl. Histor. cap. 9. [d] Plutarch. in Vitâ Numæ. [e] Corn. Tac. l. 11. Annal. circa fin. [f] Idem Tac. l. 3. Hist. n. 81. [g] Juven. Sat. 4. v. 9. [h] Pomp. Fest. in V. Suffibulum. [i] Sueton. in Vit. Augusti c. 31. [l] Dio Cass. libr. 55. [m] A. Gell. l. 1. c. 12. [n] Plutarch. in Vit. Numæ. [o] Propert. l. 4. El. 4. [p] Plutarch. in Vit. Num. & Dion. Hal. l. 3. c. 13. Tarq. Prisc. hoc tribuit. [q] D. Hier. in Ezech. & Macr. Sat. l. 7. c. 13. [r] Censor. de Die Nat. cap. 11 & D. Aug. de Civit. Dei libr. 11. cap. 30.

quin is numerus perpetuæ virginitati Vestalium minùs conveniret, quum a [a] Pythagora γάμος, idest *nuptiæ* sit appellatus. Virginum verò Vestalium, quæ ceteris ætate præstabat, maxima dicebatur; de qua Lucanus [b] his verbis loquitur:

Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.

Ex quibus Lucani verbis colligi potest soli Vestalium maximæ, non aliis Palladis demissum Cælo simulacrum, quod in templo Vestæ asservabatur, spectare licuisse. Omnes verò Vestales, quum capiebantur, Amatas [c] dictas esse constat; quia quæ princeps capta est hoc nomine vocabatur, apud Albanos credo; nam quæ apud Romanos prima capta est, negatur id nomen habuisse, ut Lipsius [d] animadvertit. At-

17 que hæc de Vestalibus satis fuerit delibasse; nunc de origine sacerdotii pauca dicemus, quæ ad illustrandum Livium pertinebunt. Nam [e] Livius affirmat Albâ oriundum Vestæ sacerdotium; & tamen constat Vestam etiam ab Iliensibus cultam, ignemque inextinctum custoditum, quum nondum Roma, nondum Alba staret. Idcirco Virgilius [f] inducit Hectorem Æneæ tradentem & Vestam, & ignem æternum his verbibus:

Hæc ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem;

& Vestalis ignis Trojanus appellatur, Statius [g]:

Donec Troicus ignis, & renatæ
Tarpejus pater intonabit Aulæ;

& [h] Propertius:

Nam Vesta Iliacæ felix tutela favillæ.

18 Sed Trojanis cultam sanè Vestam dicendum, non autem sacerdotes Virgines constitutas; aliis quoque nationibus eadem Vestæ religio, non tamen virgines sacris ipsius operatæ; sicut [i] Scythis, qui Vestam coluerunt omnium maximè, non tamen Virgines habuere Vestales. Vestales igitur Virgines principes [l] Albani legerunt, ut ex historiâ [m] Sylviæ Vestalis intelligi potest, & Dionysius [n] Halicarnasseus testatur. Quin etiam severior lex Albanorum de Vestalibus fuit, quàm Romanorum; nam apud Romanos postquam sacris triginta annos præfuissent, nubere non vetabantur; apud Albanos [o] quinquaginta annos postquam essent lectæ sacerdotes, virgines esse cogebantur; quò fiebat, ut captis Vestalibus nulla spes thalami superesset; quum enim abibant sacerdotio, capulo, quàm thalamo erant aptiores; ideo Livius [p] de Sylviâ ab Amulio captâ dixit: *quum Vestalem eam legisset, perpetuâ virginitate spem partus adimit.* Albanos autem Numa imitatus id sacerdotium Romam transtulit; mansit tamen Albæ religio; quocirca [q] Satyricus Poëta dixit argutè:

Utque lacus superant, ubi quamquam diruta servat
Ignem Trojanum, & Vestam colit Alba minorem.

Qua de causâ [r] Livius Vestæ sacerdotium Albâ oriundum sacerdotium appellavit; non quia Trojanis nullæ essent Vestæ sacerdotes, ignisque custodes inextincti, sed quia non Virgines, non eadem cæremoniâ colendo Vestæ Numini consecratæ. Quoniam autem de hoc sacerdotio ea, quæ opportuna videbantur, exposuimus, non 19
abs re fuerit de Vestâ nonnulla subtexere. Vestam esse Terram plerique [f] prodiderunt; nam [t] Plotinus animam terreni globi Vestam appellari confirmavit; & Plato, cujus æmulatus est doctrinam Plotinus, videtur his verbis hoc idem [u] asseverare: ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν ὐρανῷ Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλάυνων πρῶτος πορέυεται διακοσμῶν πάντα, ϰ̀ ἐπιμελόυμενος: τῷ δ' ἕπεται ςρατιὰ θεῶν τε, ϰ̀ δαιμόνων κατὰ δώδεκα μέρη διακεκοσμημένη: μένει δ' Ἑςία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη: quæ verba sic verti possunt: *Magnus igitur in Cælo Juppiter dux volucrem currum agitans primus incedit disponens, curansque universa; hunc autem Deorum exercitus, Geniorumque sectatur in duodecim partes distributus; manet autem Vesta in Deorum domo sola.* Quæ declarare videntur Vestæ Numen a Terrâ non esse diversum; siquidem sola Terra, volventibus circa sideribus, Cœloque, immota stat. Quamquam non 20
me prætetit, hæc ad ignem, videlicet Solem referri posse; qui, ut [x] Pythagoræ, ejusque sectatoribus longè doctissimis visum est, in meditullio Mundi constitutus Terram cum ceteris errantibus stellis in orbem

[a] Cæl. Rhodig. libr. 22. cap. 11. [b] Lucan. libr. 1. [c] A. Gell. libr. 1. cap. 12. [d] Just. Lips. Synt. de Vestâ, & Vestal. cap. 6. in fin. [e] Tit. Liv. libr. 1. [f] Virg. Æn. libr. 2. [g] Stat. Sylvar. libr. 4. in Viâ Domitian. [h] Propert. l. 4. El. 4. [i] Herodot. l. 4. c. 59. [l] T. Liv libr. 1. Vetus Scholiast. Juv. ad Satyr. 4 v. 61. Plutarch. in Num. & Symmachus lib. 9. Epist. 120 [m] T. Liv. libr. 1. & Strab. libr. 5. de Italiâ. [n] Dion. Halic. l. 1. c. 10. [o] Idem Dion. l. 1. c. 10. & Lipsius Syntagm. de Vestâ, & Vestalib. cap. 7. [p] Tit. Liv. libr. 1. [q] Juvenal. Satyr. 4. v. 60. [r] Tit. Livius libr. 1. [f] Arnobius Advers. Gent. libr. 3. Servius ad libr. 1. Virgil. Æneid. Dionys. Halicarnass. libr. 2. Plutarch. in Sympos. libr. 7. cap. 4. & de primo Frigido circa finem, & Div. Augustin. libr. 3. cap. 10. [t] Plotinos libr. 2. de Dubiis Animæ. [u] Plato in Phædro prope medium. [x] Plutarch. de Placit. Philosophor. libr. 3. c. 11. & in Vit. Numæ, Auctor libri de Cœlo, & Mundo, & Chalcidius in Timæum Platonis.

bem sese moventem suâ luce collustrat; quam sententiam [a] fuisse Platonis ferunt senioris, seque ipso doctioris; sed quum Plato Phædrum [b] scripserit admodum adolescens, locus a nobis e Phædro citatus locum non præbet huic interpretationi. Quum enim Plato Phædrum scribebat, nondum Solem in medio situm esse, nondum Terram circa Solem se circumagere arbitrabatur; quare quæ in Phædro Platonis Vesta immobilis in domicilio Deorum manet, non est Sol, ignisque cœlestis, sed Terra. Dionysius [c] Halicarnasseus quoque Vestæ Numen ad Terram refert; & Isidorus [d] octavo libro Originum, qui Vestam Terram, Magnamque Matrem putat appellatam; quin etiam nomen Vestæ ex eo deductum arbitratur, quòd tellus varii vestita
21 fit [e] coloribus. Contra verò alii ignem Vestæ nomine intelligunt; quibus [f] Ovidius adstipulatur, qui sic ait:

Nec tu aliud Vestam, quàm vivam intellige flammam,
Nataque de flammâ corpora nulla vides;
Jure igitur Virgo, quæ semina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Quam opinionem sequitur etiam Albricus libro de Naturâ Deorum, qui, *Vesta*, inquit, *Dea est ignis scilicet divini*. Nam duas fuisse Vestas prodiderunt; alteram Saturni matrem, alteram filiam; priorem dici, haberique Terram, de qua [g] Ovidius:

Stat vi terra suâ, vi stando, terra vocatur;

& Euripides:

Ω῾ γαῖα μῆτερ, ἑςίαν δέ σ᾿ οἱ σοφοὶ
Βροτῶν καλοῦσιν ἡμένην ἐν Αἰθέρι:

posteriorem verò ignem esse, & ejus cul-
22 tum a Numâ institutum; ideo ipsi ignem inextinctum asservari; nam, ut [h] Lucius Florus ait: *Numa inprimis focum Vestæ virginibus colendum dedit, ut ad similitudinem cœlestium siderum custos imperii flamma vigilaret*. Ob eam causam ei sacerdotio virgines attributas, quòd puræ, & incorruptæ ignis naturæ, quo omnia polluta purgantur, & impiatâ expiantur, pura, & incorruptâ virginum corpora dedicari oporteret; quin & ipsum Vestæ nomen non aliud esse Vestam, nisi ignem, declarare; nam si originem hujus inquiramus, a Græco sermone deductum animadvertemus; nam Vesta [i] Latinorum eadem, ac Ε῾ςία Græcorum mutatione spiritus asperi in V consonum; quod Terentianus [l] Maurus in multis nominibus accidisse testatur his versibus:

Nominum multa incboata litteris vocalibus.
Usus æolicus reformat, & digammon præficit,
Æolum dialectos ferme mixta est Italiæ;
Hesperum quem dico Græcè, Vesperum cognominat
Ε῾ςία sic Vesta facta est; vestis Ε῎σθης dicitur,
Ι῎ν quam Græcè vocamus, vim jubet me dicere

Enumerat deinde plura exempla, quibus i- 23
dem probet, solere spiritum asperum in Æolicum digamma mutari; ut ἐν τῇ Ε῾ςίᾳ Græco sermone fit Latinum Vesta; Ε῾ςία verò [m] Græcis est focus; quare Vestæ nomen ad ignem esse referendum. Idcirco Vestibula a Vestâ appellata, quòd in Vestibulis ignis accenderetur, Ovidius [n], & Servius [o] confirmavit. Quòd autem Mortalibus nihil tam esset necessarium, quàm ignis, in singulis Curiis Romulus Vestam consecravit; sicut in Græciâ Athenienses in singulis [p] Prytaneis Vestam venerabantur, & ignem asservabant. Quibus verò placet,
Vestam esse Terram, ignem Vestæ putant 24
attributum, quia e Terrâ exeant halitus illi concipiendis ignibus idonei, qui in sublimi accenduntur, variasque flammarum species præbent; quorum tantam vim, tantamque copiam semper efferri putat Aristoteles, ut [q] circulum illum lacteum, qui Cœlum ambit, & cingit universum, non ex aliâ materie constare, quàm ex his halitibus arbitretur, qui motu vicinorum siderum inflammentur; stellasque crinitas, quas cometas vocant, interdum non paucos menses ardere non alio igne succensas, quàm eo, quem halitus hi conceperunt, sit opinatus; vel quia in Terræ visceribus
ignes ardeant inextincti; quod Ætna, 25
Vesuviusque [r], & insulæ Vulcaniæ, & in Phaselide [s] Chimera, & in Lyciâ [t] Hephæstii montes, & in Æthiopiâ [u] jugum, quod theon ocheuma nuncupatur, aliique montes, tractusque terrarum declarant. Qui si non essent argumento magnum vim ignium in Terrâ contineri, idem satis nobis indicarent tot fruges, tot metalla, tot fetus plantarum, & fruticum, arborumque; qui non a terrâ procrearentur, educarentur, nisi terra vitalem ignem contineret; quæ causa & quasdam animantes sub ter-

râ gi-

[a] Plutarch. in Vitâ Numæ. [b] Diogen. Laërt. libr. 3. segm. 38. in Vit. Platonis. [c] Dionys. Halicarnass. libr. 2. [d] Isidor. libr. 8. Origin. cap. ultim. [e] Varr. apud D. Aug. de Civit. Dei libr. 7. c. 24. Servius ad Æneid. Virgil. libr. 1. [f] Ovid. libr. 6. Fastor. [g] Idem Ovid. ibid. [h] Luc. Flor. libr. 1. cap. 2. [i] Cicero de Natur. Deor. libr. 2. & libr. 3. de Legibus. [l] Terentian. Maurus cap. de Syllab. & Serv. in libr. 1. Æneid. Virgil. [m] Cic. de Nat. Deor. libr. 2. & de Legib. libr. itidem 2. [n] Ovid. libr. 5. Fastor. [o] Serv. ad libr. 6. Æneid. Virgil. v. *Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci*. [p] Jul. Pollux Onomast. [q] Aristotel. libr. 1. Meteor. cap. 8. & apud Stobæum cap. 25. de Galax. [r] Serv. ad Virgil. Æneid. libr. 1. [s] Plin. libr. 2. cap. 106. [t] Idem ibid. [u] Plin. ibid.

rà gignit; & sulfuris venas, aliorumque, quorum igneam vim, naturamque esse constat. Nec a veritate prorsus aberrarit, qui dixerit, ideo Vestæ, videlicet Terræ ignem dedicatum, quia Solis, & siderum ignis est simulacrum; nam quum siderum lumine terra illustrata, & calore tepefacta tantam pulchritudinem præseferat, tantâ florum varietate exornetur, meritò gaudere imagine astrorum, quæ in igne cernitur, pu-
26 tabatur. Ideo [a] Lucius Florus loco superiùs a nobis allato tradit; idcirco Vestæ ignem consecratum, quòd siderum speciem ignis repræsentaret; Virgines verò sacerdotes Vestæ putant [b] consecrari, non quia Vesta sit ignis; sed quia castitas, uti dicebamus, Diis habeatur acceptissima. Itaque non solùm Vestæ, sed etiam Apollini sacerdotes virgines aliquando esse lectas; & quod magis est mirum alicubi Veneri Virgines sacerdotes dedicatas, quæ Dea generandi facultati præesse putabatur, ut nihil a virginitate magis videri possit alienum. Neque tamen ubique, sed Albæ, Romæque dumtaxat Virgines Vestæ Antistites fuisse fatentur; nomen Vestæ [c] græcum *focum* significare; sed idem vocabulum non minus frequenter accipi pro domo; ita συνεςίους, & ὁμεςίους, & ἐφεςίους, & ἀνεςίους Græcis appellari, qui simul habitant, qui in alienâ domo manent, qui larem non habent; Vestæ verò vim ad ædes, non ad focos tantùm pertinere vel ex eo intelligi posse, quod Vesta dicatur princeps domos construxisse; quum Mortales in speluncis habitarent, ut [d] Diodorus Siculus memoriæ prodidit. Quum igitur Ἑςία *Do-*
27 *mum* quoque significet, & sub ejus numine domus esse intelligantur, quid aliud ea, quam Terra censenda est? quæ omnium quoddam domicilium est. Idcirco Vestam Matrem Veteres appellabant, quod nomen convenit Terræ, quam omniparentem Virgilius [e] dicit hoc versu:

Nec non & Tityon Terræ omniparentis alumnum
Cernere erat......

Idem autem Poëta matris nomen & Vestæ tribuit [f] his verbis:

Dii patrii indigetes, & Romule, Vestaque Mater;

& Cicero [g] pro Fontejo: *nolite pati, Judices, aras Deorum immortalium, Vestæque Matris quotidianis virginis lamentationibus de vestro judicio commoveri*; & oratione pro domo suâ: *teque, Vesta Mater, cujus castissimas sacerdotes ab hominum amentiâ, furore, scelere defendi*. Nec solùm matris nomen Vestæ, 28
commune cum Terrâ, sed alia multa; nam Vestam vetustissimam Deorum, quemadmodum Terram, arbitrabantur; Terram enim antiquissimam Deorum esse testatur in Timæo Plato, & apud Stobæum [h] Stoici Deum Mundi fabricam a terrâ inchoasse, tanquam a centro, docuerunt; principium quippe sphæræ esse centrum; sed & [i] Hesiodus Terram, atque Amorem principes a principe rerum, & architecto conditos esse; & procreatos affirmavit; & Vestam vetustissimam Deorum esse Veteres innuebant, quum ipsi ante Deos omnes rem divinam faciebant; cujus ritus [l] Homerus est locupletissimus testis, qui sic ait:

......πρώτη, πυμάτην τε
Ἑςίῃ ἀρχόμενοι σπένδει μελιηδέα οἶνον

Quam antiquitatem Vestæ Virgilius aspexit, quum Vestam canam nuncupavit [m] his verbis:

Assaracique larem, & canæ penetralia Vestæ.

Quid quod in mediis urbibus Ædes Vestæ condebantur? nonne [n] id videtur Terræ de- 29
clarare naturam, quæ in Universi medio sita est? nam licet Pythagorei [o] Solem in medio collocarint, tamen hæc Pythagoræ sententia longè recentior est, quàm Vestæ religio; quò fit, ut ad eam, qui templa Vestæ in mediis urbibus primi statuerunt, respicere non potuerint. Quid, quod [p] templum Vestæ rotundum globosam Terræ figuram exprimebat; vel certè Cœli formam in orbis absoluti speciem rotundatam, quod quasi quoddam Terræ esse templum videtur? Eodem pertinent arcana Vestæ sacra, quæ ab omnium oculis prorsus removebantur, nec ea aspectare ulli permissum, acdætum est; quò respiciens [q] Ovidius Ædem Vestæ arcanam appellevit his verbis:

Adde quod arcanâ fieri novus ignis in Æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Nec aliò respiciunt Virgilii versus ex libro secundo Æneidos, ubi templum Vestæ secretam sedem vocat:

...... *quum limina Vestæ*
Servantem, & tacitam secretâ in sede latentem
Tyndarida aspicio; dant clara incendia lucem.

Ubi sic Poëta loquitur, non tam quia locus esset occultus, in quo Helena delitescebat,

quum

[a] L. Flor. libr. 1. cap. 2. [b] Ovid. Fastor. libr. 6. & Lactant. Firmian. libr. 1. de Falsâ Relig. cap. 12. [c] Suid. in V. Ἑςία, & Cæl. Rhodig. libr. 15. c. 18. [d] Diodor. Sicul. libr. 5. pag. 232. Bibliothec. Histor. [e] Virgil Æneid. libr 6. [f] Idem Georg. libr. 1. in fin. [g] Cicero pro Fontejo in fin. [h] Jo: Stobæus in Eclog. Physicis. [i] Hesiod. in Theogoniâ. [l] Homer. hymn. 28. in Vestam, & Mercurium v. 5. [m] Virgil. Æneid. libr. 9. [n] Dionys. Halicarn. libr. 2. cap. 8. [o] Auctor libri de Cœlo, & Mundo libr. 2. cap. 13. & Stobæus in Ecl. Physicis. [p] Plutarch. in Vitâ Numæ, Ovid. Fastor. libr. 5. Fest. in V. Rotundam. [q] Ovid. l. 3. Fast.

quum alioquin ab Ænea, qui non id agebat, cerneretur, quàm quia Vestæ adyta ob sacrorum secretum sic appellabantur; cui mirificè concinit [a] Poëta, qui sic ait:

Assaracique larem, & Vestæ secreta feramus.

Nec verò dici potest templum Vestæ secre-
30 tum nuncupatum, quòd mares id ingredi vetarentur; nam noctu [b] quidem Vestæ templum viris non licebat intrare, diu verò licebat. Quocirca non ob id templum Vestæ arcanum dicitur, sed quòd erant in eo arcana quædam sacra, quæ vulgari nefas habebatur. Testatur id Dionysius Halicarnasseus [c] his verbis: *ἐγὼ δὲ τὸ μὲν εἶναι τινα τοῖς πολλοῖς ἄδηλα ἱερὰ ἐκ πολλῶν πάνυ καταλαμβάνω, τίνα δὲ ταῦτά ἐστι οὐκ ἀξιῶ πολυπραγμονεῖν, οὔτ' ἐμὲ αὐτὸν, οὔτ' ἄλλον οὐδένα τῶν βουλομένων τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσια τηρεῖν*; quæ verba sic latinè convertuntur: *Ego esse quædam sacra occulta vulgo ex multis planè deprebendo; quæ verò sint, nolo curiosè indagare, neque alium velim servare cupientem pietatem erga Deos*; & [d] Plutarchus, qui sic ait de Vestæ sacris loquens: *de quibus quæcunque sciri, aut in vulgus efferri jus, fasque erat, in Camilli vitâ conscripsimus*. Ex quibus constat arcanis sacris Terram delectatam; arcana verò sacra Terræ convenire, non igni præsertim cœlesti videntur; nam Terræ natura jure sacris hujusmodi colitur; quæ occultat universa, quæ noctis est parens, & tenebrarum, quæ tot habet latebras, quæ sola elementorum nec admittit lucem, nec habet, quæ tantam rerum multitudinem visceribus, & sinu condit arcano. Et sanè quocunque sub no-
31 mine Terra coleretur, sacris in vulgus non efferrendis colebatur; nam & Bona [e] Dea Tellus habebatur, & [f] Ceres, & [g] Proserpina, & [h] Magna Mater; eæ verò omnes hoc sacrorum genere delectari putabantur; hisque omnibus mysticæ cæremoniæ, & occulta sacra sunt instituta. Contra verò ignis ille cœlestis, quo omnia illustrantur, illuminantur, aperiuntur, abhorret ab occultis, & reconditis, & arcanis. Idcirco Persæ, qui [i] Solem, & stellas adorabant, rem divinam facturi in altissimos montes ascendebant; non aliâ de causâ, opinor, quàm, ut in aperto magis numinibus maximè conspicuam, & omnibus illustrem speciem habentibus honorem haberent, & cultum exhiberent. Nec me præterit etiam Vul- 32
cano, qui Deus ignis credebatur, in operto sacra fieri consuevisse in Insulâ Lemno ejus Numini consecratâ; sed id minimè elevat a me dictorum fidem; nam [l] Vulcanus habebatur non ignis ille cœlestis, cujus luce omnia illuminantur, sed hic noster, qui cum aliis corporibus plerumque commixtus ubique latet, & occultatur; nam licet claram, omnibusque sese prodentem, manifestamque naturam habere videatur, nihil eo tectius, nihil occultius, nihil reconditum magis; is enim solus ex elementis, quum ferè nusquam appareat, ubique est. Terræ molem videmus, huic superfusam, hujusque complexu cinctam aquâ intuemur; his utrisque circumfusum aërem sentimus; ignem in unum locum collectum non cernimus, nisi cœlestem; & ubi sit ille calor, qui omnibus infusus omnia fovet, animat, ciet, ignoramus; & tamen nusquam non esse reperimus; quum ignis ex aquis ipsis, quæ maximè contrariam vim habere videntur, existat; nam ut ignium ex aquis nascentium miracula sileantur, frequentissimè ignes e frigidissimis nubibus videmus erumpere; in aquis verò ignem latere declarat natura [m] maris, quod physici volunt multum ignis continere.

Finis Dissertationum in Livium.



BENE-

[a] Silius Italicus libr. 3. Punicor. [b] Dionys. Halic. libr. 2. [c] Idem ibid. [d] Plutarch. in Vitâ Numæ. [e] Macr. Sat. l. 1. c. 12. [f] Plat. in Crat. [g] Varr. apud Div. Augustin. libr. 7. de Civitat. Dei cap. 24. [h] Varro libr. 4. de Ling. Lat. apud D. Aug. ibid. [i] Herodot. libr. 1. Strab. libr. 15. Asconius in 3. in Verrem, & Xenoph. in Cyropæd. libr. 1. [l] Phurnutus de Nat. Deor. Euseb. de Præparat. Evangel. & D. Augustin. libr. 7. cap. 16. [m] Aristotel. libr. 2. Meteor. cap. 3. & Plutarch. de Placitis Philosoph. libr. 3. cap. 16.



BENEDICTI AVERANII IN VIRGILIUM DISSERTATIONES QUADRAGINTA QUINQUE.

DISSERTATIO I.

An tollendi sint primi quatuor Æneidos versus.

Homerus in tot millibus versuum nunquam sui mentionem, Patriæque fecit; ceteri autem poëtæ ferè omnes de se aliquid, nec sine quadam jactantiâ locuti sunt.



ANtiquissimi cujusvis generis Auctores initio operis nomen suum ponere consueverunt; hinc Hecatæus Milesius historiam suam ita exorditur: Ἑκαταῖος Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται, *Hecatæus Milesius ita fabulatur*: hinc Herodotus Novem Musas ad hunc modum [a] inchoavit: Ἡροδότου Ἁλικαρνασσῆος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε. *Herodoti Halicarnassei Historiæ expositio hæc*; Thucydides
1 autem sequutus hanc consuetudinem historiæ hujusmodi fecit [b] initium: Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων, καὶ Ἀθηναίων, hoc est: *Thucydides Atheniensis bellum conscripsit, quod inter se Peloponesii, Athenienses que gesserunt*. Idem consilium fuit Antiochi scriptoris vetustissimi, qui sic de Italiâ incepit historiam: Ἀντίοχος Ξενοφανέος τάδε συνέγραψε περὶ Ἰταλίας: *Antiochus Xenophanis filius hæc de Italiâ litteris mandavit*. Id omnes Arabes, Chaldæique scriptores, Prophetæque [c] veteres usurparunt; hos Vir- 2
gilius imitatus hoc pulcherrimi operis usus exordio est:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avenâ
Carmen, & egressus silvis vicina coëgi,
Ut quamvis avido parerent arva colono;
Gratum opus agricolis; at nunc horrentia Martis
Arma, Virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lavinaque venit
Litora, multum ille & terris jactatus, & alto
Vi Superûm sævæ memorem Junonis ob iram &c.

In quibus versibus licet Virgilii nomen non sit positum, tamen quum se eum esse dicat, qui sit pastorum cantus imitatus, qui agriculturæ præcepta conscripserit, non potest ignorari; in fine quippe Georgicorum leguntur hi versus:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope studiis florentem ignobilis oti,

Car-

[a] Herodot. libr. 1. in princ. [b] Thucyd. libr. 1. in princ. [c] Proverb. cap. 1. Ecclesiast. cap. 1. Isaias cap. 1. Jerem. cap. 1. Baruch. cap. 1. Amos cap. 1. Abdias cap. 1. &c.

Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventâ,
Tityre, te patulæ cecini sub tegmine fagi.

Qui finis Georgicorum si eum initio divinæ Æneidos componatur, intelligi potest Virgilium scriptorem esse trium in totâ linguâ latinâ eminentissimorum operum. Atque hoc solemne fuit omnibus ferè poë-
3 tis excepto Homero, cujus modestiam laudant, quòd in tot millibus versuum nunquam sui mentionem, Patriæque fecerit; reliquorum plerique in suis poëmatis de se aliquid, nec sine quadam jactantiâ loquuti sunt; sic [a] Theognis ait:

...... Θεόγνιδος ἐςὶν ἔπη
Τῦ Μεγαρέως, πάντας δὲ κατ' ἀνθρώπυς ὀνομάςυ:

quæ verba sic explicantur:

Theognidis hoc est Megarensis opus,
Cujus apud cunctos Mortales nobile nomen.

Pari jactantiâ Lyricorum Latinorum princeps [b] Horatius dixit:

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique situ Pyramidum altius;
Quod non imber edax, non aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

Nec longè abit [c] Ovidius, qui sic cecinit:

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Quum volet illa dies, quæ nil nisi corporis hujus
Jus habet, incerti spatium mihi finiat ævi;
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum.

Eandem carminum æternitatem sibi Lucanus [d] pollicetur:

Nam siquid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores,
Venturi me, teque legent; Pharsalia nostra
Vivet, & a nullo tenebris damnabimur ævo.

In quibus notes Poëtam Hispano fastu se se cum Homero componere, quo Virgilio se comparare, vel etiam anteferre non dubitavit; quum quibusdam ejus poëma laudantibus dixit: *& quantum ætatis mibi deest ad culicem Maronianum?* Modestiùs ipsius ætati suppar virtute carminum Lucano non impar Statius [e] de suis carminibus loquitur:

O mihi bissenos multum vigilata per annos
Thebai, jam certè præsens tibi fama benignum
Stravit iter, cœpitque novam monstrare futuris;
Jam te magnanimus dignatur noscere Cæsar.

Sed modestissime Virgilius noster, qui tamen a ceteris discrepat, quod illi in fine, 4
ipse initio operis de se verba fecit quatuor illis carminibus, de quibus jam dudum loquimur; quæ tamen [f] Tucca, Variusque, quibus Æneidos emendandæ curam Augustua demandaverat, sustulerunt; habuere nimirum doctissimi viri ante oculos Pindari [g] præceptum:

...... Ἀρχομένυ δ' ἔργυ πρόσωπον
Χρὴ θέμεν τηλαυγές......

hoc est: *incepti operis oportet faciem splendidam ponere*; itaque splendidissimo operi non putarunt convenire tenuitatem primi carminis, totiusque tetrastichi; eoque sublato initium divinæ Æneidos duci voluerunt ab illo carmine:

Arma, Virumque cano, Trojæ qui primus ab oris, &c.

Quod initium & splendidum est, & reliqui operis consonum majestati; & non nimis elatum, & quod fumum ex fulgore cogitet dare; sicut illud, quod [h] Horatius jure carpit:

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

Et sanè principium, quod illi reliquerunt, 5
& vulgi judicium comprobavit, & Auctores agnoscunt: quapropter & [i] Martialis ait:

Protinus Italiam concepit, & arma, Virumque;

& [l] Persius:

Arma, Virum, nonne hoc spumosum, & cortice pingui? &c.

& [m] Ausonius:

Arma, Virumque docens, atque arma, virumque peritus.

Pierius Valerianus tamen Tuccæ, Varique judicium reprehendit; cui Julius Cæsar Scaliger assentitur in libris de poëticâ. Utrum autem rectiùs eensuerint, qui ab Æneidos corpore recidendos hos quatuor versus, an illi, qui non separandos existimarunt, non facilè dixerim; nam quod ait Poëta [n] ille:

..... *magno se judice quisque tuetur.*

Quippe judicium Virgilii omnibus anteponendum apponendos ostendit, & consensus omnium ætatum segregandos, eui plurimum certè tribuendum; præsertim quum Vari [o] auctoritate nitatur, quem ajunt, quum Augusti jussu Æneida emendasset, ea tamen lege, ut adderet nihil, hos quatuor versus sustulisse, quem virum inter

[a] Theogn. in Sentent. v. 22. [b] Horat. l. 3. Od. ult. [c] Ov. Metam. l. 15. in fin. [d] Lucan. l. 9. [e] Stat. l. 12 Theb. in fin. [f] Serv. ad 1. libr. Æn. Virg. in princ. [g] Pind. Ol. Od. 6. in princ. [h] Hor. in Art. Poët. [i] Martial. libr. 8. epigr. 56. [l] Persius Sat. 1. v. 95. [m] Auson. epigr. 116. de infaust. Matrimon. Grammatici. [n] Lucan. libr. 1. [o] Serv. ad libr. 1. Æneid. in princip.

inter principes latinorum poëtarum Antiqui collocanc. Siquidem Virgilius de ejus
6 carminibus [a] cecinit:

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno:
& [b] Horatius:

Scriberis Vario fortis, & hostium
Victor Mæonii carminis alite;

& Quintilianus [c] Vari Thyestem cuilibet Græcorum tragœdiæ putat conferendum. Utcumque ea se res habet, certè Virgilii versus sunt elegantissimi; nam quum tria dicendi genera a doctissimis viris numerentur, tenue, quo Virgilii Eclogæ sunt scriptæ, medium, quo Georgica, sublime, uber, & copiosum, quo divina consurgit Æneis; his versibus hæc tria dicendi genera, quasi suro gemmæ, admirabili artificio includuntur. Quàm enim tenue primum
7 carmen, quo se pastorum cantus expressisse testatur! ubi verò agriculturæ præcepta tradidisse confirmat, quàm aptè intra illam mediocritatem, qua scripsit Georgica, stylum coërcet! sed ubi ad bella venit, quo spiritu exurgit, & quasi classicum canit!

...... at nunc horrentia Martis
Arma, Virumque cano......

DISSERTATIO II.

De propositione totius operis.

Mira brevitas est Virgilii. Bella quidem narrantur etiam in prioribus Æneidos libris; Vir autem perfectus in posterioribus describitur; in prioribus verò proficiens. Quatuor juxta Plotinum sunt virtutes; purgantes scilicet, animi jam purgati, civiles, & exemplares.

Velocitatem, sive brevitatem dicendi, quam in Sallustio Rerum Romanarum inclyto conditore tantopere suspicit Quintilianus, virtutem [d] esse arbitror orationis omnibus commendandam. Contempsit [e] oratorem Laco ille, qui se
1 de re quantumvis exiguâ posse diu verba facere gloriabatur; quum diceret, neque se probare sutorem, qui exiguis pedibus conficeret calceos magnos, neque rhetorem, qui rebus parvis magnam orationem accommodaret; sed nemo contemnet oratorem, vel poëtam, qui possit paucis multa complecti; hanc in Virgilio esse præcipuam dotem Macrobius [f] asseverat; exemplum affert summæ in Virgilio brevitatis hemistichium, quod in tertio Æneidos libro legitur:

Et campos, ubi Troja fuit;......

quo paucis verbis urbem tantam hausisse, ac ne ruinas quidem reliquisse miratur; ego in multis locis hanc Virgilii virtutem reor elucere, sed in principio Æneidos maximè. Admirantur Antiqui ejus artificium, & manum, qui Iliadem [g] Homeri scripsit in membranâ, quæ nuce includebatur; non minor est laus eloquentiæ Virgilianæ, quæ duorum Homeri operum maximorum materiem tribus his [h] verbis comprehendit:

...... Arma, Virumque cano.....

Quibus verbis operis universi argumentum exposuit; nam quum Homerus, quem sibi 2
Virgilius proposuit imitandum, in Iliade quidem rationes belli gerendi, summumque bellatorem exprimendum, & suis quasi coloribus adumbrandum; in Odyssea verò virum civili virtute præstantem, & omnibus numeris absolutum describendum suscepisset; Virgilius utrumque genus complexus eodem poëmate, & omnes bellorum artes exposuit, & egregium ducem descripsit, eumdemque & pacis artibus, & omni virtute excellentissimum, ac, si nullâ aliâ re, Homerum certè vincit varietate; ex qua oritur delectatio, quam cum utilitate conjunctam quasi finem, extremumque spectare debent poëtæ; & in prioribus quidem sex Æneidos libris virum nobis ob oculos ponit, in posterioribus bella. Quamquam si rem verè, & rectâ viâ, & ratione perpendere, & reputare velimus; & in prioribus bella, & in posterioribus virum egregium, & omnibus justitiæ, prudentiæ, moderationis, pietatis, fortitudinis laudibus cumulatum describit. Quid enim aliud secundus liber, quàm res ab 3
Ænea parum quidem feliciter, fortiter tamen ad Trojam gestas continet? reliquis autem prioribus non magis Æneæ virtutes, quàm posterioribus comprehenduntur. An verò [i] magis admiramur prudentiam Æneæ, quum Troiâ captâ collectam exilio pubem, miserabile vulgus congregat, & pavidam, & tanto fortunæ turbine tremefactam, & suis rebus diffidentem, nullosque sibi futuros Deos propitios unquam sperantem ad quoslibet labores, ad quælibet maris, terræque pericula adeunda confirmat, quàm quum in [l] externâ terrâ destitutus auxilio, tumentibus rebus, & populis ad bellum undique concitatis, ut sibi ferat opem, impetrat ab Evandro

a Virgil. Bucol Eclog. 8. b Horat. libr. 1. Od. 6. c Quintilian. libr. 10. cap. 1. d Idem Quintilian. ibid. e Plutarch. in Laconic. Institutis. f Macrob. Saturn. libr. 5 cap. 1. g Cicer. apud Plin. libr. 7. cap. 21. h Virgil. Æneid. libr. 1. in princ. i Virg. Æn. libr. 2. l Idem l. 7. & 8. Æn.

Rege, Trojanis a Græco; Etruscisque
persuadet, ut se exulem vindicem liberta-
tis, & ducem sequantur adversùs Mezen-
tium Regem, & Latinorum florentes opes,
& arma Rutulorum? magis [a] laudamus for-
4 titudinem, quum maris, quàm quum belli
tempestatem constantissimè perfert; quum
quærit fatis datam regionem, quàm quum
inventam sibi vindicat, & superat hostes
undique ingruentes[b]? pietatem, & religio-
nem, quum Trojæ ruinis ardentibus eripit
victos Deos, quàm [c] quum in Latio su-
bacto collocat suo beneficio quasi trium-
phantes? quum [d] vates adit, scitatur ora-
cula, sortes consulit, quàm quum Deos
ipsos videt, & ab ipsis, unde sint auxilia
accersenda, admonetur; quum [e] Veneris
beneficio nebulâ circumdatur, ne quis ve-
nientem moretur, & obsistat adeunti Pœ-
norum Reginam, quàm [f] quum ab eadem
Vulcaniis armis donatur, ne quis hostium
cœlesti munimine tectum possit omnino
vulnerare? continentiam quum [g] Didonis
hospitium, cui tamen intemperanter in-
dulserat, quàm quum Circes [h] illecebras
fugit, quas Ulyssem [i] ferunt non penitus
vitavisse? Immo ego in posterioribus libris
5 perfectam Æneæ virtutem, in prioribus
inchoatam, & adhuc proficientem celebra-
ri puto; in illis enim nihil peccat, & om-
nia nihil delinquenti succedunt prosperè;
in his autem non nihil aberrat a rectâ ra-
tione, & indiget Deorum monitu incre-
pantium, & ad veram virtutis viam re-
vocantium; cui enim illa non [l] sunt
nota?

...... Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Extruis, heu Regni, rerumque oblite suarum.

Enimvero priùs existimem a Virgilio cani
bella, quàm virum; virum, inquam, perfe-
ctum, consummatæ virtutis exemplar, com-
potem felicitatis, Deo simillimum; nam eo-
6 rum accedo sententiæ, qui cum [m] Plotino
doctissimo Platonis interprete, & philosopho
cum primis nobili, ac pæne divino, qua-
tuor virtutes esse docent; purgantes, ani-
mi jam purgati, civiles, & ex omni parte
perfectas, & omnibus numeris absolutas,
quas vocant, si hoc vocabulo uti licet, e-
xemplares, & eas omnes in Æneâ expri-
mi; sed imperfectas in prioribus, perfe-
ctissimas in posterioribus. Nam Æneas,
7 qui monitu Veneris (quam Cœlestem in-
terpretor, non vulgarem; siquidem offu-
sam ejus oculis caliginem dimovet, & discu-
tit; sic enim [n] loquitur;

Aspice, namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam) ......

relinquit Trojam, Asiamque regionem de-
liciis, & voluptatibus affluentem; nobis
ob oculos ponit virum, qui amore virtutis,
& veritatis illecebras voluptatum fugit, a-
nimumque per virtutes purgantes corrigit,
& emendat; huic ad illum perfectæ virtu-
tis tranquillissimum portum cursum diri-
genti cupiditatum vehementissimi turbines
reflant, & perturbationum tempestates tur-
bulentissimè reluctantur; sicut [o] Æneæ in
Italiam naviganti coorta tempestas relu-
ctatur.

DISSERTATIO III.

De eadem re.

Æneas, quum Trojam, idest vitam voluptatibus refertam relinquit, purgantes virtutes exercet; hinc ad virtutes animi jam purgati gradum facit, quod significat descensus ad Inferos; qui nihil est aliud, quàm decantata illa a Platone meditatio mortis; mox perfectas, & exemplares virtutes adipiscitur. Donatus confutatur, dum arma interpretatur scutum *a Vulcano Æneæ fabricatum. Arma pro bello passim accipiuntur. Athenæus dicit: nisi Medici extitissent, nemo stultior Grammaticis fuisset.*

FAlsò esse proditum a nonnullis diximus, Auditores, duas esse Æneidos partes, quarum prior Virum, posterior bella describat; nam & priore Æneidos parte bella contineri, & posteriore laudari Virum; nunc stultam esse [p] Grammaticorum quæstionem, qui quærunt, qua de causâ, quum Virgilius priùs Virum, quàm arma versibus persequatur, priùs de armis, quàm de Viro sese dicturum esse proponat, affirmabimus. Quod ut ostendamus, inchoatus a nobis hesterno die sermo est repetendus; quo [q] quatuor esse virtutes animadvertimus, purgantes, & animi jam purgati, easque, quæ in Republicâ administrandâ cernuntur, quas civiles nuncupant,

hisque

[a] Virgilius Æneid. libr. 1. [b] Idem Æneid. libr. 2. [c] Idem libr. 12. Æn. [d] Idem libr. 3. & 6. Æneid. [e] Idem libr. 1. Æneid. [f] Idem Virgil. libr. 8. ib. [g] Idem libr. 4. Æn. [h] Idem libr. 7. Æn. [i] Homerus Odyss. 10. [l] Virg. Æn. libr. 4. [m] Plotin. Ennead. 1. libr. 2. [n] Virgil. Æn. libr. 2. [o] Idem libr. 1. Æneid. [p] Serv. ad libr. 1. Æneid. Virgil. in princip. [q] Plotin. Enn. 1. libr. 2.

hisque diviniores alias, quas vocant exem-
plares. Quum igitur Æneas relinquit Tro-
1 jam urbem luxu diffluentem, relinquit de-
licias Asiæ, seseque pelago committit, no-
vamque sedem quærit, & innumerabiles la-
bores exhaurit, & longis agitur erroribus,
animum per virtutes purgantes putatur e-
xercere; quarum beneficio vitam volupta-
tibus abundantem relinquimus, & vitia de-
testamur, & delidiosum otium abjicimus,
& toto animi impetu declinamus. Huic
generi vitæ multa adversa accidunt, quæ
hominem ab instituto cursu remorentur;
quod in Æneâ potest animadverti, qui an-
tequam in Italiam veniret, cum tot æ-
rumnis conflictatur; admixtæ sunt civiles
virtutes non illæ perfectæ, animique purga-
ti; interdum, quod necesse est proficien-
tibus evenire, peccat [a] Æneas, fatisque da-
tas non respicit urbes, & Didonis hospi-
tio, & illecebris attinetur; quibus Deûm
benignitate liberatus voluptatum contem-
ptor, cupiditatum victor, triumphatorque
vitiorum gradum facit ad præstantiores vir-
tutes animi jam purgati; quæ in abstra-
hendo animo a corpore, corporeisque vo-
luptatibus, & perturbationibus, contem-
plandaque rerum naturâ, & naturæ Con-
ditore versantur. Hoc Æneæ [b] descensus
2 ad Inferos indicat; quid enim aliud de-
scensus ad Inferos, quàm illa a [c] Platone
decantata meditatio mortis, & mors quæ-
dam philosophorum? Deinde spectaculo
rerum sapientiam consequutus Æneas a vitâ
contemplatrice ad actuosam descendit; in
qua non, ut antea, ejus virtutes adumbratæ,
sed expressæ, non inchoatæ, sed perfectæ,
non aliquâ vitii labe contaminatæ, sed pu-
ræ, simplices, integræque cernuntur; non,
ut priùs, multa conantem frustratur even-
tus, & aberrat, fallitur, & parum promo-
vet, felicitatemque, quam quærit, non in-
venit, aut inventam non apprehendit; ne-
que Italiam sequitur fugientem, sed captâ
potitur, urbem condit, sibi conciliat ami-
citias, debellat hostes, victis parcit, eos-
que beneficio sibi devincit; quibus rebus
gestis, divinis illis virtutibus, quæ ad e-
xemplar proximè accedunt, consecratur.
Quam Æneæ consecrationem, licet in nul-
3 lâ operis parte Virgilius persequatur, tamen
intelligimus ejus immortalia opera esse con-
sequutam; quum Virgilius haudquaquam
tacuerit Æneam hominis excessisse fasti-

gium, ubi [d] dixit:

..... sublimemque feres ad sidera Cœli
Magnanimum Æneam ......

& fabulæ [e] ferant ipsum ad Numicium flu-
men mortalitatem exuisse. Quocirca arma,
idest res ab Ænea bello gestas ordine priora
esse censemus, quàm Virum; Virum scilicet
illum supra hominem, & vivum quoddam
Dei simulacrum. Ideo nihil est, cur labo-
rent interpretes in defendendo poetâ,
quòd quum priùs Virum, deinde bella ce-
lebraverit, Arma priùs, quàm Virum pro-
ponat; nam hæc ita inter se mixta sunt,
atque conjuncta, ut neutrum dici prius,
aut posterius possit; vel certè bella præce-
dunt, Viri consummata illa perfectio se-
quitur. Et sanè, ut Platonicorum placita
interim omittamus, nemo concipiat animo
Viri notionem, quin bella concipiat; nam 4
a [f] virtute vir, & non qualibet virtute,
sed bellicâ dicitur; bella igitur antecedant,
oportet priùs, quàm Vir magnus cogitetur;
nec [g] Alexandri Macedonis vera species
occurrit animo, quin priùs eversum Persa-
rum Imperium, & subactus Oriens occur-
rat, & India victoriis peragrata: nec supe-
rioris [h] illius Africani possumus animo in-
formare veram notionem, nisi quatuor Pu-
nici exercitus in Hispaniâ deleti reputen-
tur, Hispani rebellantes contusi, bis in A-
fricâ victus, captusque Syphax, fusæ Pœ-
norum copiæ, superatus Hannibal, devi-
ctâ Carthago: nec alter Africanus qualis
fuerit, cogitari potest, nisi [i] Carthaginem,
Numantiamque [l] deletam prius cogitemus.
Quod si quis mordicus pergat defendere 5
in priore Æneidos parte virtutes Æneæ in
posteriore bella memorari; quasi Æneæ
virtus non fuerit fortitudo, & ea non in
strenuè gerendis rebus eluceat; contendat-
que rerum ordinem postulare, ut priùs
Vir, quàm bella nominentur; numquam
Virgilius hanc notam pertimescet. Est e-
nim poëtis aliquando concessum non ser-
vare ordinem dicendorum, & quid poëtas
loquor? ipsi rhetores interdum suas leges
non servant, & ὕστερον πρότερον ponunt, quæ
figura a dicendi magistris agnoscitur. Sed 6
quoniam hoc in loco versamur, notare pla-
cet ridiculam [m] Donati interpretationem,
qui putat hanc vocem *arma* significare *scu-
tum*, quod Æneæ Vulcanus fabricavit; pe-
rinde quasi Virgilius non res gestas Æneæ,
sed scutum Vulcani susceperit exornan-

 dum;

[a] Virgil. Æneid. libr. 4. [b] Idem Virgil. Æneid. libr. 6. [c] Plato in Phædone. [d] Virg. Æneid. libr. 1. [e] Ovid Metamorph. libr. 14. Dionys. Halic. libr. 1. & T. Liv. libr. 1. [f] Cicer. in Tusc. Quæst. & Ger. Jo: Vossius in Etymol. in V. Vir. [g] Arrianus de Expedit. Alexandri, & Plutarch. in ejus Vitâ. [h] Tit. Livius libr. 21. &c. Plutarchus in Vitâ Scipionis, & Plin. de Viris Illustrib. cap. 49.

[i] Tit. Livius libr. 49. & Plin. libr. 14. cap. 4. & libr. 18. cap. 15. [l] Plin. de Vir. Illustr cap. 58. Paulus Orosius libr. 5. cap. 6. Lucius Florus libr. 2. cap. 17. Valer. Maxim. libr. 7. cap. 6. & Eutrop. cap. 7. lib. 4. [m] Donatus in Æneid. libr. 1. ad hoc ipsum verbum. *Arma*.

dum; nec Homerum imitetur, qui Achillis facta celebravit, sed Hesiodum, qui scutum Herculis lusit; neque animadvertit Donatus non arma Vulcani, sed Martis a Virgilio intelligi, qui [a] sic ait:

...... at nunc horrentia Martis
Arma, Virumque cano......

quum quotiescunque a Vulcano conditam armaturam nominat, arma Vulcani soleat appellare, ut quum [b] dixit:

Si bellum ingrueret, Vulcaniaque arma per auras
Laturam auxilio......

& quum [c] ait:

..... Postquam arma Dei ad vulcania ventum est;

& ubi [d] cecinit:

Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Est opus in Teucros......

Neque intelligit hanc esse figuram poëtis
7 familiarem, ut quod est alicujus insigne rei, pro eo sumatur, cujus est insigne; ita sumitur toga pro pace, arma pro bello, laurea pro triumpho; sic [e] Lucanus ait:

Et victis cedat Piratica laurea Gallis

sic [f] Propertius:

Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos;

& in illo pervulgato versu [g] Tullius:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Quid autem ineptius, quàm putare Virgilium, quum res ab Ænea gestas, originem Urbis Romæ, bella adversus Latinos, adversus Rutulos, adversus Turnum, adversus Mezentium Regem exponenda suscepisset, se de scuto solùm Æneæ dicturum polliceri? sed profectò sapit [h] Athenæus, qui genus Grammaticorum ineptissimum arbitratur: *εἰ μὴ*, inquit, *οἱ ἰατροὶ ἦσαν, οὐδὲν ἂν τῶν γραμματικῶν μωρότερον*: hoc est: *nisi Medici extitissent, nemo stultior Grammaticis fuisset.*



DISSERTATIO IV.

Cur Virgilius dicat Æneam in Italiam venisse primum.

Tyrrhenos aliqui indigenas esse putant; dictosque a turribus, quas principes excogitarunt. Italiæ pars, quæ Gallia Cisalpina vocabatur, longè post Æneæ in Italiam adventum hoc nomen accepit; siquidem Tarquinio Prisco imperante Galli eam Italiæ partem tenuerunt depulsis Etruscis, qui eam occupaverant, ut probabilius est, post excidium Trojæ; verùm quidquid sit, certum est illam partem nunquam Italiæ nomen amisisse; quare Servius audiendus non est, quum dicit Antenorem in Italiam non venisse, quia in Galliâ Cisalpinâ consederit. Virgilius Mantuanos, & Ligures inter Etruscos recenset.

Quæri solet, Auditores, cur Æneam Virgilius in Italiam dicat venisse [i] primum:

...... Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lavinaque venit;

neque enim id consentaneum veritati vi- 1
detur. Servius [l] non ignobilis interpres vatis Mantuani Virgilio Virgilium opponit; qui quum Æneam affirmet profectum Trojâ Italiam attigisse primum, deinde quasi parum a se dictorum memor ante Æneæ adventum Antenorem tradit Italiæ littoribus [m] appulisse:

Antenor, inquit, potuit mediis elapsus Achivis
Illyrios penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi.

Hunc nodum solvit, quum dicat Antenorem non in Italiam venisse, sed in angulum Galliæ Cisalpinæ; nam Italiam antiquam Rubicone flumine terminari, ex quo Lucanus [n] de Rubicone fluvio cecinit:

...... Et Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.

Sed opinioni Servii haudquaquam assentior; 2
nam sanè Italiæ pars inter Apenninum, & Alpes interjecta Gallia Cisalpina vocabatur, sed non Trojanis temporibus; ex Livio [o] quippe constat Gallos in Italiam venisse Tarquinio Prisco imperante, sexcentis circiter annis post captam Trojam; ante ea tempora Galliam Cisalpinam Tyrrheni tenuerant; ideo Livius [p] affirmat tan-

[a] Virgil. Æneid. libr. 1. in princip. [b] Idem libr. 8. [c] Idem libr. 12. [d] Idem libr. 9. [e] Lucanus libr. 1. [f] Propert. libr. 3. El. 3. [g] Cicero de Off. l. 1. [h] Athen. l. 15. in princ. [i] Virg. Æn. l. 1. in princ.

[l] Serv. ad hunc Virgil. loc. [m] Virgil. l. 1. Æn. [n] Lucanus libr. 1. [o] Tit. Livius libr. 1. & Dion. Halicarnass. libr. 1. cap. 9. [p] Tit. Livius ibid. & Serv. ad libr. 2. Georg. Virgil. in fine.

tantam opibus fuisse Etruriam, ut ab Alpibus ad mare totam Italiæ longitudinem famâ sui nominis impleverit. Quin etiam, si [a] Herodoto fidem habeamus, qui tradit Tyrrhenum Atyos Regis filium cum multitudine Lydorum e Lydiâ profectum Etruriam tenuisse, & in eâ [b] duodecim urbes condidisse; qua tempestate Æneas in Italiam venit nondum Tyrrheni inter Alpes, Apenninumque sitam Italiæ partem occuparant; siquidem Atys Tyrrheni pater fuit unus ex Herculis, & Omphales Posteris, ut Strabo [c] memoriæ prodidit; Hercules autem [d] sexaginta annis ante captam, & excisam a Græcis Trojam dicitur floruisse; ut ejus Posteri Trojanis temporibus habe-
3 ti debeant multo juniores. Quamquam non me præterit Dionysium [e] Halicarnasseum aliter tradidisse; qui Tyrrhenum ex Aty, Atyn ex Cotye, Cotyn ex Mane, Manen ex Jove tradit procreatum; sed antiquiores faciunt Tyrrhenos, qui [f] ipsos indigenas esse volunt, dictosque Tyrrhenos ἀπὸ τῶν τυρσέων *a turribus*, quas principes excogitarunt. Utcunque ea se res habet, sive Tyrrheni antiquiores rebus ad Trojam gestis, sive recentiores; certè constat ante Gallos inter Alpes, Apenninumque sitas regiones occupasse, & ipsum [g] Antenorem non Gallos, sed Euganeos, qui inter mare, Alpesque incolebant, expulisse. Quare non rectè Servius autumat Æneam primum in Italiam e Trojâ esse delatum, quod Antenor non in Italiam, sed in Galliam Cisalpinam venerit; eâ quippe tempestate Italiæ regionem inter Alpes, Apenninumque non Galli, sed aliæ nationes obtinebant. Virgilius Tyrrhenos tenuisse arbi-
4 tratur, qui Mantuanos inter Etruscos recenset his [h] verbis:

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantûs, & Tusci filius amnis,
Qui muros, matrisque dedit tibi, Mantua, nomen,
Mantua dives avis, sed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni,
Ipsa caput populis, tusco de sanguine vires.

& Ligurum ductorem eodem Tuscorum catalogo inducit his [i] versibus:

Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim Cycne, & paucis comitate Cupavo,
Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ,
Crimen amor vestrum, formæque insigne paternæ.

Nec verò dici potest Virgilium respicien-
5 tem sua, non excidii Trojani tempora, negasse Antenorem in Italiam venisse; licet quippe trans Apenninum usque ad Alpes regio Gallia Cisalpina eâ ætate plerumque vocaretur, nunquam tamen Italiæ nomen amisit. Testatur id Polybius, qui libro secundo Italiam trianguli forma esse dicit, cujus unum latus obtinent Alpes; ex quibus constat & Galliam Cisalpinam Italiæ nomine eo tempore solitam appellari: testatur Livius libro vigesimo primo, qui simul atque tradidit Hannibalem ex Alpibus descendisse, & Cisalpinam Galliam attigisse his utitur verbis: *hoc maximè modo perventum est in Italiam quinto mense a Carthagine novâ [ut quidam auctores sunt] quintodecimo die Alpibus superatis*: testatur Strabo, qui libro sexto regionem circa Padum inter Italicas ponit: testatur Plinius, qui libro tertio capite quinto: *ab Alpium*, inquit, *pene lunatis jugis in maria excurrit Italia*: testatur denique [l] Pomponius Mela, qui Patavium, Bononiam, Mutinam, regionemque omnem, quam Padus alluit, totamque Galliam Cisalpinam in Italiâ collocat. Ex
quibus intelligi potest, inter Apenninum, 6
Alpesque regionem, etsi Gallia Cisalpina a Gallis, qui eâ potiti fuerant, vocaretur, tamen Italiæ fuisse partem; ac perinde facere Servium, qui negat Antenorem, quia venit in Galliam Cisalpinam, in Italiam venisse, ac si quis inficias iret Æneam, quia Latio classem appulit, Italiæ appulisse; tam enim Latium Italiæ portio, quam Gallia Cisalpina habebatur. Nec perturbare nos
debet nomen Galliæ, tamquam sit absur- 7
dum eam regionem, quæ Gallia dicebatur, esse Italiæ portionem, haberique Italiam, quum tanta sit inter Italiam, Galliamque diversitas; nam & Græcia ab Italiâ diversa est toto Adriatico mari, & tanto terrarum discreta spatio; & tamen Magna [m] Græcia Italiâ continetur, & Italia meritò appellatur. Quare nihil est, cur argutetur Servius, affirmetque in Italiam non venisse Antenorem; quòd ea regio, quam tenuit Antenor, Gallia Cisalpina fuerit appellata. Quomodo autem sit intelligendus Virgilii locus, ne simus hodierno die longiores, sequenti dissertatione est a nobis explicandum.

DIS-

a Herodot. libr. 1. cap. 94. b Strabo libr. 5. de Italiâ. c Strabo ibid. d Diodorus Siculus libr. 1. e Dionysius Halicarnass. libr. 1. cap. 3. f Idem Dion. Haliç. ibid. g Tit. Liv. libr. 1. in princip. h Virgil. libr. 10. v. 198. i Idem Virgilius ibid. l Pompon. Mela libr. 2. cap. 4. m Plinius libr. 3. cap. 5. & 10.

DISSERTATIO V.

In eundem Virgilii locum.

Quamplures in Italiam ante Æneam venerunt; quare appositè Aurelius Victor primum *accipit pro* principe, *ut sæpe accipitur apud Virgilium, & alios Auctores; sicut vicissim* princeps *pro* primo. *Erostratus nominis assequendi cupiditate Dianæ Ephesinæ templum incendit; idcirco, ne quis eum nominaret, Ephesii decreverunt. Decipitur Conradus, dum Homerum Ulyssis nomen tacuisse putat, quia scelestus fuerit; & Virgilium Æneæ nomen amisisse, quia Patriæ proditor esset; hoc enim falsum est; nulla namque est auctoritas Dictys Cretensis, aut Phrygii Daretis. Quæ subdolè in hostes geruntur, vitio verti non debent.*

ÆNeam Italiæ litoribus primum appulisse tradit [a] Servius; quòd Antenor, quem ad eam regionem, quæ inter mare Adriaticum, Alpesque est interjecta, venisse constat, non in Italiam, sed in Galliam Cisalpinam venerit. Id eâ ratione confutavimus, quòd Italiæ pars, 1 quæ Alpibus, Apenninoque continetur, sexcentis annis post captam a Græcis, & dirutam Trojam Galliæ Cisalpinæ nomen acceperit; quum Galli Tarquinio Prisco imperante pulsis Etruscis ea loca occuparint; quare Galliæ Cisalpinæ appellationem ad Antenoris tempora pertinere non potuisse. Quin etiam ostendimus & post occupatam a Gallis Italiæ partem nunquam Galliam Cisalpinam Italiæ nomen amisisse, hodierno die his, quæ attulimus, non contenti Servium confutare pergemus; cum Virgilii locum explicabimus; deinde in eundem quædam, quæ ad rem pertinere videbuntur, addemus. Mihi enim Servius 2 a veritate videtur aberrare, etiamsi vera esse ponantur ea, quæ de Antenore affirmavit; nam ut Servio demus angulum illum Venetorum, quem Antenor occupavit, non Italiæ, sed Galliæ fuisse partem; non ideo consequitur Æneam in Italiam primum devenisse. Nam ut omittamus Pelasgos, qui oraculo moniti, ut Italiam [b] peterent, Padi fluminis ostio classem appulerunt, urbemque condidere, quæ Spina est nuncupata, ab eaque ostium spineticum; OEnotrus [c] Lycaonis filius, & Peucetius, & Evander [d] Arcades nonne ante Æneam in Italiam sunt classe delati? sed hi, licet in Italiam venerint, non tamen Trojâ venerunt; quid [e] Diomedes, qui & Trojâ venit, licet non Trojanus, & in Italiam venit? quid illi, qui in [f] Italiâ

..... Naricii posuerunt mœnia Locri?

quid [g] ille, qui

.... Sallentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus......

quid ille, a quo condita [h] est

Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro?

Nonne omnes ante Æneam, quum e Troade solvissent, in Italiam sunt classe devecti? ut de [i] Aceste nihil dicam, qui Ægestam in Siciliâ condidit, qui & ipse in Italiam venit, nam Sicilia ad Italiam pertinet. Quare tutius arbitror Aurelium Victorem se- 3 qui libro de origine Urbis Romæ; qui Æneam dici putat venisse primum, non quia tempore ceteros præcesserit; sed quia dignitate, rebus gestis, & fortunâ urbis, cui præbuit originem, omnibus antecesserit. Ostendit autem eam locutionem esse Virgilio familiarem; nam & Saturnum primum venisse dicit, quum ante eum Janum venisse [l] constet:

Primus ab Ætherio venit Saturnus Olympo;

& [m] quum ex equo Trojano descendentes induxisset Thersandrum, Sthenelum, Ulyssem, Athamantem, Thoantem, Neoptolemum, addit: primusque Machaon; in quo loco non potest dubitari, quin pro principe primus accipiatur; quemadmodum alibi, quum [n] ait:

....., Et primis unâ tot nocte peremptis.

Sed [o] & Terentius in Eunucho ita loquitur: 4

Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt.

Atque omnino ea vox frequentissimè principem significat, sicut princeps [p] primum; Horatius:

Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxisse modos......

Quod si quis omnino velit sumi primum pro eo, qui tempore antecedit, dicendum est Virgilium voluisse intelligi Æneam fuisse primum non qui in Italiam venerit, sed qui in Italiam simul, & ad Lavinum litus venerit; sed de hoc loco satis; nunc ad alia transeamus. Putat [q] Conradus Virgilium consultò nomen Æneæ initio operis 5 tacuisse, & insinuatione uti voluisse, quòd Æneas adversâ famâ laboraret, quasi Patriam Græcis prodidisset; idem Homero fuis-

[a] Serv. ad Æneid. Virgil. libr. 1. in princip. [b] Dionys. Halicarnass. libr. 1. Plin. libr. 3. cap. 19. & Strabo libr. 5. [c] Dionys. Halicarnass. libr. 1. cap. 1. [d] Idem libr. 1. cap. 3. [e] Strabo libr. 5. de Italiâ, Virgil. Æneid. libr. 8. in princip. & 11. propè medium. [f] Virgil. Æneid. libr. 3. [g] Virg. ibid. [h] Idem ibid. [i] Virgilius Æneid. libr. 3. [l] Idem libr. 8. [m] Idem Virgilius libr. 2. [n] Idem libr. 9. [o] Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 2. [p] Horat. libr. 3. Od. ult. [q] Sebast. Conrad. ad Virgil. Æn. l. 1.

fuisse consilium, quum [a] dixit:

Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Trojæ;

ne, inquit, celebrare Ulyssem videretur, quem constat scelerum inventorem fuisse, nomen ejus dissimulavit. Ita duo summi viri poëtarum carminibus clarissimi, tanquam Erostrato [b] scelestissimo pares, quem, quum nominis assequendi cupiditate Dianæ Ephesinæ templum incendisset, ne quis nominaret, Ephesii decreverunt, a Conrado indigni memoriâ apud Posteros judicantur. Cujus opinio, quod ad Ulyssem spectat, nititur Virgilii versu, quo Ulyssem scelerum inventorem [c] appellavit:

Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulysses.

Sed Virgilius ea verba tribuit Sinoni, qui
6 se inimicum Ulyssis videri, quò Priamum
deciperet, affectabat. Ceterùm Ulysses nunquam tam adversâ famâ fuit, ut ejus nomen odiosum videretur; nam si Ulyssis facta contemplemur, multa sapienter fecisse Ulyssem, multa temperanter, multa etiam fortiter, & magno animo comperiemus. Unum [d] Ulyssis facinus culpari jure possit, quo Palamedem sapientem virum iniquo judicio circumvenit; quod tamen haud scio an a tragicis poëtis fictum sit, ut alia multa finxerunt. Quæ subdolè gessit in Trojanos, quæ damna ipsis intulit, summo viro vitio verti non debent, sed affici debitâ laude; quum, ut præclarè Xenophon docet, quæ adversùs cives injusta creduntur, adversùs hostes justa censeantur; dolus, insidiæ, cædes, rapinæ, denique quanto quisque hostibus perniciosior, civibus utilior, honestior habeatur. Quare nihil erat, cur Homerus Ulyssem nominare vereretur, præsertim quum Græcis, non Barbaris carmen illud conderet, Græcis autem Ulysses plurimum profuisset. Quid
7 autem de Æneâ dicam, quem ob pietatem
a Græcis incolumem servatum Quinctus Calaber, & Ælianus [e] memoriæ prodiderunt? Hic tam pius in Deos, in parentem, in uxorem, impius in Patriam arguitur fuisse; at quibus auctoribus? Darete [f] Phrygio, & Dictye Cretensi, ut opinor; nam alios, quos nominet, præter [g] Servium, non habet Conradus; qui Dares Phrygius, Dictysque Cretensis, si essent illi, qui æquales Trojano bello perhibentur, sanè quàm commoverer. Sed quum hi duo Auctores recentiores esse reperiantur, & ex eorum numero, qui sub magnis nominibus fucum facere lectoribus, & suas nugas ineptiasque pro veris obtrudere, ac venditare conantur; nescio quid in mentem Conrado venerit, cur Homero non crederet, quem antiquissimum habemus Auctorem; crederet suppositis illis, nec vetustis admodum scriptoribus, qui quum nomen etiam mentiantur, in reliquis fide digni; & quum in hac re tam sint leves, in ceteris graves esse non possint.

DISSERTATIO VI.

In eundem Virgilii locum.

Multos poëtæ infamiâ notarunt immerentes; ut ex Minoë, Didone, & Medeâ constat. Ex Penelopes adulterio natum Pana ferunt. Ex Antiquis solus Menecrates Xanthius tradit proditam ab Æneâ Trojam.

Non fuisse vel Ulyssis, vel Æneæ nomen odiosum adeo, ut Homerus, vel Virgilius initio operis id nominare vererentur, superiore sermone est a nobis affirmatum; ob eamque causam Conradum confutavimus, qui putat vatem Mantuanum Æneæ facere noluisse mentionem, quòd Æneas Patriam prodidisset; ac fecisse pe-
rinde, atque illi solent, qui vel rem, vel 1
hominem turpem defendendum, laudandumve susceperunt; non statim proponunt se de illâ re, vel homine loquuturos; ne initio sermonis auditores improbitatem orationis aversentur, infensique dicentem audiant, vel certè parum benevoli; ut qui Phalaridem laudant, insinuatione utuntur; nec initio se Phalaridem laudare profitentur. Cujus exemplum rei est apud Ciceronem [h] de oratore; quo loco proponit Antonii præclaram actionem, qua summus orator seditiosum civem defensurus avertit animos auditorum ab eo, quem tuendum susceperat. Id facere non habuisse necesse Virgilium diximus, quia crimen proditionis, cujus insimulatur Æneas, vel falsum est, vel non satis idoneis Auctoribus affirmatur, Darete Phrygio, & Dictye Cretensi, qui testes graves esse non possunt, quum in ipso nomine profitendo mendaces esse reperiantur. Et sanè miror, cur Conradus

hos

[a] Homer. Odyss. libr. 1. & Horat. in Arte Poëtic. [b] Solin. in Polyhist. cap. 43. [c] Virgil. Æn. libr. 2. [d] Cicer. de Offic. libr. 3. cap. de Fortit. Serv. ad libr. 2. Æneid. Virgil v. *Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama*, Philostratus in Vitâ Apoll. libr. 4. & Vit homin. Illustr. in Protesilao, & in Euphorbo. [e] Ælianus Var. Histor. libr. 3. cap. 22. [f] Dares Phryg. de Excidio Trojan. & Dict. Cretens. libr. 4 & 5. de Bell. Trojano. [g] Servius ad Virgil. Æneid. libr. 1. v. *Munera præterea Iliacis erepta ruinis*. [h] Cicero de Oratore libr. 2.

hos potiùs habeat auctores, quàm [a] Home-
2 rum, qui divinis laudibus Æneam in Cœ-
lum vehit; sic enim ait:

Ἕκτωρ Αἰνείας θ', οἳ τρώων εἰσὶν ἄριστοι,

qui versus ita exponitur:

Hector, & Æneas, virtus quorum anteit omnes
Troas......

& alio [b] loco:

Αἰνείαν θ', ὃς τρωσὶ θεὸς ὣς τίετο δήμῳ

hoc est:

Æneas, quem Dardanidæ ceu Numen honorant;

& versus Achilli Æneam [c] componit:

.....: δύο ἀνέρες ἔξοχ' ἄριστοι
Ἐς μέσον ἀμφοτέρων συνίτην μεμαῶτε μάχεσθαι
Αἰνείας τ' Ἀγχισιάδης, καὶ δῖος Ἀχιλλεύς,

quæ verba sic explicantur:

Eximiâ virtute viri duo processere
In medium cupidi sævum committere Martem,
Anchisa satus Æneas, & magnus Achilles

Quid autem opus est totam Homeri Ilia-
3 dem evolvere? qua quum multis in locis
eximiè laudetur Æneas, & in ore omnium
Homeri carmen esset; &, ut ait Ponticus
Heraclides, pueri tantùm non ab ipsis in-
cunabulis ejus Poëtæ versibus canendis
assuescerent, Æneæ famam talem extitis-
se crediderim, ut ejus nomen tacere, &
tanquam de re turpi dicturus esset, insinua-
tione uti, Virgilio non esset necesse. Nam
licet solus ex omnibus, quibus haberi fi-
des possit, Menecrates [d] Xanthius apud
Halicarnasseum Dionysium referat ab Æ-
nea proditam Græcis Trojam; tamen ejus
unius Historici, & fortasse paucissimis noti
auctoritatem non arbitror tantam fuisse, ut
obscurare posset laudes, quibus ab Ho-
mero semper ornatur Æneas; præsertim
quum alii rerum [e] Auctores Æneam om-
ni crimine proditionis absolvant, & egregiæ
pietatis, & fortitudinis, prudentiæ laudibus
præstitisse confirment. Sed, ut alii scri-
4 ptores de virtutibus Æneæ tacerent, suf-
ficerent ad ejus nomen illustrandum, com-
mendandumque omnibus laudes, quæ a poë-
tis ipsis tribuuntur; quemadmodum male-
dicta poëtarum suffecerunt ad clarissimos
viros probris onerandos. Minos ille Cre-
tensis [f] justitiâ fuit, & prudentiâ, & man-
suetudine singulari; tamen [g], quia offen-
dit Athenienses, apud quos illustres poë-
tæ provenere quamplurimi, ea est poëta-
rum carminibus aspersa labes nomini Re-
gis clarissimi, & innocentis, tantumque
crimen conflatum est, ut Minos immanis-
simus, atque injustissimus haberetur; con-
tra evenisset Æneæ, si aliqua suspicione
criminis laborasset, a præstantissimo vate
laudatus omnem turpitudinis notam vita-
visset. Enimvero mirifica vis est poëticæ 5
facultatis ad quidlibet Mortalibus persua-
dendum; Didonem [h] tanquam hospitam
intemperantem improbamus, quum scia-
mus pudicitiam vel morte servavisse; con-
tra verò Penelopen [i] exemplum castitatis
fuisse credimus, quum ex adulterio Pene-
lopes natum [l] Pana acceperimus; quia Di-
donem impudicam Virgilio [m] placuit indu-
cere; Homero [n] Penelopen castam fuisse
libuit affirmare. Medeæ filios interfece-
re Corinthii, ut auctor [o] est Ælianus, quum
autem id facinus atrox iis ipsis, qui fece-
rant, videretur, mercede poëtas perpule-
runt, ut crimen ejus cædis in Medeam
verterent; creditumque est matrem potiùs,
quàm Inimicos pueris necem attulisse. Ly-
cambæ [p] filias insontes Archilochi carmi-
na tantâ infamiâ affecerunt, ut miseras puel-
las ad suspendium adegerint. Quum igi-
tur in utramque partem tantum valuerint 6
ingenia poëtarum, non dubito, quin, si
quæ fuisset opinio de perfidiâ Æneæ erga
Patriam, eam ex hominum mentibus pe-
nitus Homeri evellisset auctoritas; quem
Antiqui tanti fecerunt, ut singulos ejus
versus singula testimonia arbitrarentur;
præsertim quum Æneam Patriæ prodito-
rem unus dumtaxat ex antiquis fuisse me-
moriæ prodidisset; cujus auctoritas non est
in hac quidem re satis magni ponderis,
cujus ætas a Trojani belli temporibus fuit
remotissima; & opinio de Ænea ab aliorum
sententiâ, & præcipuè Homeri maximè di-
screpabat; quem rerum ad Trojam gesta-
rum clarissimum, vetustissimum, gravissi-
mum Priscis haberi semper auctorem, eun-
demque quàm locupletissimum citari te-
stem animadvertimus. Accedebat eodem,
quod illa perobscura fama de proditione 7
Trojæ manifesto, unde profluxisset, appare-
bat; quum enim [q] Æneas Helenæ redden-
dæ semper auctor Trojanis fuisset, & pacis
cum Græcis componendæ, quod erat Pa-
triæ salutare; eaque oratio non probaretur
Priamo, Priamique filiis, qui rerum potie-
bantur; hi Æneam tanquam sibi infensum,
adversumque suis rationibus suspectabant,
& Græ-

---

[a] Homer. Iliad. ρ. v. 513. [b] Idem Iliad. λ. v. 58. [c] Idem Iliad. υ. v. 159. [d]. Menecrates Xanthius apud Dionys. Halicarnass. libr. 1. cap. 6. [e] Quintus Smirnæus libr. 13. Paralipom. Triphiodor. de Excidio Trojæ, T. Livius libr. 1. & Philostratus Vit. Homin. Illustr. in Ænea. [f] Plato in Minoë, vel de Lege. [g] Hyginus fab. 41. [h] V. Diss. 15. n. 10. in Liv. [i] Lycophron in Cassandr. v. 772. & ejus Schol. & Duris Samius. [l] Lil. Greg. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 15 pag. 435. vers. 21. & pag. 436. v. 42. in Edit. Basil. ann. 1560. [m] Virgil. Æneid. libr. 4. [n] Homer. Odyss. [o] Ælianus Var. Histor. libr. 5. cap. 21. & Pausan. in Corinth. cap. 3. [p] Horat. Epod. Od. 7. [q] Tit. Liv. libr. 1. in princip.

& Græcis amiciorem, quàm sibi arbitrabantur. Est enim id vitium commune hominibus, ut non eum, qui utilia, sed qui grata suadet, amicum judicent. Quum igitur Æneas apud Regem, Regisque filios opinione perfidiæ laboraret, non mirum, si ea fama suspectæ viri fidei manavit in vulgus, quod a judicio Principum plerumque pendet; quæ fortasse aucta est, & ad Posteros propagata, quamvis incerta, & obscurior, quum prope solus Æneas ex illâ flammâ, atque incendio belli Trojani incolumis evasisset. Nam qui causam nesciebant, cur Æneas cum tantâ Trojanorum multitudine Græcorum manus effugisset, verisimilem suspicionem proditionis putaverunt; quam tamen ex his, quæ consequuta sunt, fictam, & indignissimè in præstantissimum virum collatam esse constat. Nam si Æneas Græcis Trojam
8 prodidisset, non captâ Trojâ bellum cum Græcis gessisset, ut gravissimi Auctores tradiderunt; qui Æneam captâ urbe arcem diu defendisse, & quum arx defendi diutiùs non posset, in Idæ montis munita loca se se recepisse, fortiterque Græcos oppugnantes [a] repulisse memoriæ prodiderunt; doneo utraque pars diuturno fessa bello in has pacis conditiones conveniret, ut Æneas cum multitudine Trojanorum, rebusque suis, opibusque Trojanis incolumis dimitteretur, Græci Troade potirentur.

DISSERTATIO VII.

In eundem Virgilii locum.

Æneæ nomen a laude originem ducit. Granditatem addit orationi Periphrasis; ideo poëtæ ferè omnes eâ in principio utuntur. Exilium apud Antiquos probrosum erat; propterea ἄνεως, hoc est lare carens *pro* injusto *accipitur.*

Quod argutè Terentius in Andriæ prologo dixit in poëtas, qui suas comœdias reprehendebant: *faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant*; id mihi videtur in interpretes nobilium Auctorum interdum convenire. Dum enim argutantur, dum obvia prætereunt, dum abditos, reconditosque sensus venantur, aber-
1 rant a veritate, Auctorisque sui sententiam non assequuntur; & in absurda incidunt, dum pervulgata contemnunt; & dum ingeniosi videri volunt, inepti reperiuntur; ita intelligendo quid aliud, quàm ut nihil intelligant, assequuntur? Id nobili inprimis, & erudito Maronis interpreti Conrado in hac quidem re crediderim accidisse; nam putat Virgilium, quòd Æneæ nomen infame haberetur, quia Patriam hostibus odio Paridis adductus prodidisset, in Æneidos proœmio minimè nominasse, & insinuatione uti voluisse; quo quid ineptius? Nam primùm, quid proderat Virgilio tacere nomen Æneæ principio hujus poëmatis, quum ipsa inscriptio, titulusque carminis planissimè loqueretur de Ænea carmen esse conscriptum? quid enim aliud, Æneis, quàm de rebus Æneæ gestis conditum poëma? deinde non video, quid intersit utrum Virgilius Æneam nominet, an eâ circuitione verborum utatur, qua non minùs Æneæ persona, quàm ipso nomine exprimatur. Tunc enim periphrasis est utilis, quum vitanda est nominis turpitudo; quod Sallustius [b] fecit, quum dixit 2 quendam abiisse ad requisita naturæ; & Virgilius, qui sic loquutus [c] est:

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali arvo, & sulcos oblimet inertes;

sed in Æneæ nomine nulla turpitudo, quod a laude deducitur; *Ænos* [d] quippe significat *laudem*; esset autem in rebus, si Patriæ proditor Æneas extitisset; res autem recurrunt animo, licèt nomen sileatur, & circuitione quadam verborum designetur; quippe, qui Virgilium [e] legit pollicentem se de eo verba facturum, qui Trojâ princeps venit, qui in Italiam, & Latium venit, qui Deos Penates invexit Latio, qui originem Albæ Longæ, Latinisque populis, Romæque præbuit, statim intelligit a Virgilio Æneam collaudari; quod si turpe est, non vitat offensionem lectorum Virgilius, etiam si nomen Æneæ non exprimatur. Quid quod Conradus turpissimè errat, quum insinuatione Virgilium tradit uti; quum utatur Periphrasi? si autem turpem hominem esset laudaturus, insinuatione, non periphrasi uteretur. Quàm autem absurdum est putare tam malè audisse apud 3 Antiquos Æneam, tantâ infamiâ laborasse, ut ejus laudes æquis auribus accipi non possent, quem tot urbes conditorem suum agnoscebant; cujus honori tot populi monumenta præclarissima excitarant, ut ejus colerent sepulcrum, cujus virtutem fuerant admirati; qui præbuerat originem genti cunctis gentibus imperaturæ; e cujus san-

gui-

[a] Dionysius Halicarnass. libr. 1. cap. 6. [b] Sallustius in Fragm. apud Quintilian. libr. 8. Instit. Orator. [c] Virgil. libr. 3. Georgic. [d] Jul. Cæsar Scaliger in Poët. libr. 3. cap. 21. [e] Virgilius Æneid. libr. 1. in principio.

guine Cæsares ipsi fuerant procreati; quem denique Latini populi tanquam Deum colebant, & [a] Jovem indigetem appellabant? Quare vero propiùs est Virgilium eâ, qua
4 usus, circuitione verborum Æneam designasse, quia id magnificentius videretur. Et sanè quanto grandius est Virgilii [b] carmen, quum ita se habeat:

Arma, virumque cano, Trojæ qui primus
ab oris,

quam si ita sese haberet:

Ænean, atque arma cano......

Fierine quidquam putidius posset sublatâ periphrasi, qua granditas orationis, & majestas mirum in modum hîc quidem excitatur, ut Eustathius in Homerum docet, & exempla confirmant omnium ferè poëtarum? Sic Homerus initio Odysseæ Ulyssis nomen intelligi voluit, quum haudquaquam expressisset; in Iliade verò Achillis nomen posuit, sed obliquè; nam se affirmat non de Achille scripturum, sed de Achillis irâ perniciosâ, quæ Græcis innumeras clades importavit. Eadem arte Rho-
5 dius [c] Apollonius dixit:

Ἀρχόμενος σέο, Φοῖβε, παλαιγενέων κλέα φωτῶν
Μνήσομαι, οἳ πόντοιο κατὰ στόμα, καὶ διὰ πέτρας
Κυανέας βασιλῆος ἐφημοσύναις Πελίαο
Χρύσειον μετὰ κῶας ἐΰζυγον ἤλασαν Ἀργώ

Quem imitatus Valerius Flaccus ita carmen de Argonautis [d] inchoavit:

Prima Deûm magnis canimus freta pervia
natis,
Fatidicamque ratem, Scythici quæ Phasidis oras
Ausa sequi, mediosque inter juga concita
cursus
Rumpere, flammifero tandem consedit O-
lympo;

& Silius Italicus eandem legem servavit; nam de Punico bello dicturus, in exordio non id expressit, & circuitu verborum quodam [e] descripsit:

Ordior arma, quibus Cælo se gloria tollit
Æneadum, patiturque ferox OEnotria jura
Carthago......

Poterat breviùs sese expedire, si dixisset se bellum Punicum secundum conditurum. Cæsaris autem, atque Pompeji civile bel-
6 lum [f] Lucanus aggressus quibus coloribus utitur, quo ambitu verborum? quum se dicat,

Bello per Æmathios plusquam civilia campos
canere
..... jusque datum sceleri, populumque po-
tentem
In sua victrici conversum viscera dextrâ,

Plurima deinde subdit ad eundem modum, in quibus fortasse nimis redundat, atque effunditur; in quo Statius adstrictior, qui ait [g]:

Fraternas acies, alternaque regna profanis
Decertata odiis, sontesque evolvere Thebas
Pierius menti calor incidit......

Sed in Achilleidos initio huic legi quodammodo non paruit; nam Achillem Æacidem ab auctore generis nominavit, usus tamen est circuitu verborum; nam [h] dixit:

Magnanimum Æaciden, formidatamque To-
nanti
Progeniem, & patria vetitam succedere Cælo.

Ex quibus intelligi potest Virgilium sic 7
incepisse, non quia Æneæ nomen odiosum, aut pudendum fuerit, sed quia sic incipere decentius arbitrabatur. Sed in his quidem ab interpretibus dissentimus; in eo, quod [i] sequitur, assentimur, Virgilium quum dixit:

Italiam fato profugus, Laviniaque venit
Litora......

non dixisse tantummodo Æneam profugum, sed profugum fato, quòd id ad excusationem Æneæ pertineret; nam Veteres probrum ingens arbitrabantur esse expertem urbis, & laris, idest profugum; idcirco Horatius hominem sine gente, & lare execratur, & inter Tragicorum impreca-
tiones exilium habebatur. Quocirca se 8
Diogenes implevisse Tragicorum diras dictitabat, quum expers laris, expers urbis, & inops erraret; & Hesiodus ἀνέστιον hoc est carentem lare pro injusto accipit, & Homerus libro nono [l] Iliados ait:

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος

hoc est:

Ille tribu, laribusque carens, injustus &
idem est.

Non ergo mirum, si Polynices interrogatus quantum esset exilium malum, respondit apud [m] Euripidem:

Μέγιστον, ἔργῳ δ' ἐστὶ μεῖζον, ἢ λόγῳ

Quam exilii ignominiam ut Virgilius ab Ænea suo alienam esse defendat, ipsum fato profugisse confirmat.



DIS-

a Tit. Livius libr. 1. *b* Virgil. libr. 1. Æneid. v. 1. *c* Apollon. Rhod. Argon. in princip. *d* Valerius Flacc. Argon. in princip. *e* Sil. Ital. de Bell. Punico in princip. *f* Lucan. Pharsal. libr. 1. in princ.

g Statius Thebaid. libr. 1. in princip. *h* Idem libr. 1. Achill. in princ. *i* Virgilius Æneid. libr. 1. *l* Hom. Iliad. ι. v. 63. *m* Eurip. Phœniss. v. 392.

DISSERTATIO VIII.

In illud Virgilii: *Italiam fato profugus*, &c.

Minus culpæ est, quum aliquid vi cogente peccatur. Catena, qua Juppiter apud Homerum terram, & Deos ipsos attracturum minatur, est Fatum, cui omnes Dii parent. Fatum est ipse Deus. Deo servire libertas est; & ei omnes indignitates perferre gloria est.

Quo potentior est illa vis, quæ nos cogit quippiam perpetrare, quod indecorum esse videatur, eo minor perpetrantis culpa censetur; defendit Tullius Rabirium [a] Postumum, quòd Romanam togam Græco vestitu mutasset, quum in Ægyptum venisset; Regis enim voluntati affirmat obtemperasse, cujus potentiæ nequiverit in ejus Regno reluctari. Sic etiam poë-
1 tæ quum quippiam improbè admissum amatoriâ levitate volunt excusare, potentiam amoris exaggerant, & ajunt amorem esse Deum, & Diis ipsis [b] imperare:

Jussit amor, contra quis ferat arma Deos?

& [c]

Regnat, & in domitos jus habet ille Deos.

Ipsi etiam philosophi fatentur, quum magna vis aliqua impellit, vel quum tyrannus imperat, quidquid peccatur, non esse omnino sponte susceptum, ut docet Aristoteles; & esse mixtam cum voluntate quan-
3 dam necessitatem, quam πειθανάγκην Græci vocant; ex quo laudatur illud Euripideum:

ὃ δ' οὐ θέλων τε, ϗ θέλων:

ob eamque causam minus habere culpæ delinquentem, qui non tam ducitur ad peccandum voluntate, quàm imbecillitate naturæ. Quod si vis illa, qua impellimur, superat longè humanas opes, & obsistendi adimit facultatem, extra culpam, crimenque, quod geritur, esse omnes con-
2 sentiunt. Hac ratione Virgilius Æneam suum defendit; nam Patriâ extorrem profugisse confirmat, sed exilium vitare, alloquin indecorum tanto viro, quum fato cogeretur, non potuisse; gravis omnino defensio; siquidem omnia fato fieri vetustissima est opinio, & omnium pæne consensu quondam confirmata; nec quidquam frequentius apud poëtas reperias, quàm fatum esse, quod nos agat. Hinc ille apud Senecam chorus [d] exclamat:

Fatis agimur, cedite fatis;

& Homerus neminem fatum vitare potuisse confirmat [e] his verbis:

Μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,

hoc est:

Ajo autem fatum nullum effugisse virorum.

Ideo apud Claudianum [f] Lachesis Pluto- 3
nem ita monet:

Ne pete firmatas pacis dissolvere leges,
Quas dedimus, nevitque colus......

quod est perinde, ac si dicat, quæ fati necessitate confirmantur; neque enim Deos ipsos fatorum leges dissolvere posse arbitrabantur. Atque hoc sensu dixit Lucanus de illo rerum [g] Conditore:

Finxit in æternum causas, qua cuncta coërcet,
Se quoque lege tenens.....

& Virgilius affirmat Junonem fovisse Pœnorum opes, & eam urbem, si aliquo modo fata permitterent, voluisse gentibus Reginam [h] imponere:

...... hoc regnum Dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque, fovetque;

quasi non fuerit adnixura Juno, nisi fata sinerent, quibus nemo potest reluctari. Et 4
quidni fatum sit ineluctabile, quum sit ipse Deus, Deus, inquam, ille summus, ille omnium Deorum, atque hominum, & rerum conditor? ideo Seneca [i] dixit: *vis illum fatum vocare? non errabis; hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum.* In quibus verbis notes ex fato pendere universa; ideo ego fatum eam catenam esse autumo, quàm se [l] Homericus Juppiter e Cœlo demissurum, & terram, & elementa, & Deos ipsos, quamvis collatis in unum viribus renitantur, attracturum minatur; fati scilicet necessitatem, quæ omnia comprehendit, agit, attrahit, cogit. Quocirca poëtæ quidquid geritur, fatis eunt attributum:

Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris;

&

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus;

&

Italiam petiit fatis auctoribus......

Moriturus est Turnus; antequam [m] mo-
riatur, 5

Juppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, ac fata imponit diversa duobus:

singulari certamine cum Achille congressus Hector mortem est oppetiturus; antequam id ac-

[a] Cicer pro Rabirio. [b] Tibull. l. 1. El. 6. [c] Ovid. in Epistol Phædræ Hippol. [d] Senec. in Oedip. Act. 5. v. 980. [e] Hom. Iliad ζ. v. 488. [f] Claudian. de Raptu Pros. l. 1. v. 63. [g] Lucan. libr. 2. in princip. [h] Virg. Æn. libr. 1. [i] Senec. libr. 2. cap. 45. Quæst. Nat. [l] Hom. Iliad. θ. in princ. & Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 14. [m] Virg. libr. 12. Æneid.

id accidat, apud summum Poëtam [a] Juppiter:

. . . . . Χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
Ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
Τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος ἱπποδάμοιο,
Ἕλκε δὲ μέσσα λαβὼν, ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ

Hunc ipsum errorem Æneæ quoties incul-
6 cat Virgilius [b] fato accidisse?

Errabant acti fatis maria omnia circum;

& in ipso Æneidos principio Æneam quidquid pertulit, quidquid erravit, fatis cogentibus errasse, atque pertulisse confirmat:

Multùm ille & terris jactatus, & alto
Vi Superûm sævæ memorem Junonis ob iram

Quæ enim est Superûm vis alia, quàm Fatum? quidquid enim Superis impellentibus evenit, Fato putatur evenire, quod prorsus Deo paret; & Æneas primo libro se ingressus esse testatur mare,

Matre Deâ monstrante viam, data fata sequutum;

& in quarto Italiam fatalem appellat Æneas, quòd erat sancitum fatis, ut Æneas in Italiam deveniret, & eâ potiretur;

Me puer Ascanius, capitisque injuria cari,
Quem Regno Hesperiæ fraudo, & fatalibus arvis;

& eodem libro confirmat Æneas Trojâ se
7 discessisse, quoniam fata in patriâ terrâ compositis curis quietum, atque securum ætatem exigere non paterentur:

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, & sponte meâ componere curas,
Urbem Trojanam primùm, dulcesque meorum
Relliquias colerem, & Priami tecta alta manerent,
Et recidiva manu posuissem Pergama victis;

& Latini Populi magnâ victi pugnâ fatalem Æneam agnoscunt, hoc est fatum esse intelligunt, ut Latio Æneas [c] potiretur:

Fatalem Æneam manifesto Numine ferri
Admonet ira Deûm, tumulique ante ora recentes.

8 Quæ loca, aliaque multa, quæ prætermisimus, quò liquidiùs intelligantur, de Fato sermonem deinceps instituemus; interim autem, quod ad præsentem locum pertinet, adnotandum est, si Fatum vitari non posse certum est Antiquorum plerisque placuisse, a Virgilio Æneam justiùs non potuisse defendi, quòd Patriâ profugit, quòd exul, & extorris erravit, quàm quum dixit Fato profugisse; nam si profugit fato, profugit necessitate; necessitas autem omni culpâ vacat; neque enim satis expressit vim necessitatis [d] Laberius, qui dixit:

Necessitas, cujus cursus aversi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt;

non enim pauci, sed nemo effugit necessitatem; immo si Fatum, ut diximus, Deus habebatur, potuit ne honestiùs Æneas errare, potuit gloriosiùs ærumnas perpeti, qui quum errabat, quum labores perferebat, Fato, idest Deo obsequebatur, cui servire libertas est, cui omnes indignitates perferre summa gloria est?

DISSERTATIO IX.

In eundem Virgilii locum, ubi agitur de Fato.

Præmiis Boni, Mali pœnis afficiendi essent, etiamsi stellis cogentibus agerent. Fatum quid sit ex sententiâ Chaldæorum, astrologorum, Stoicorum, & aliorum Sapientum. Perperam Punius Stoicarum sententiam de Fato cum Chaldæorum confundit.

Æneam Fato profugisse, errasse multum, multa pertulisse quum Virgilius affirmavit, voluisse Æneam suum defendere simul, & collaudare & interpretes consentiunt, & nos hesterno sermone confirmavimus; neque enim tanto viro exilium fuit indecorum, quod Fato, idest æternâ, & ineluctabili necessitate
susceptum est; quum autem Fatum a Dei vo- 1
luntate pendeat, qui Fato erravit, qui multa pertulit, Dei paruit voluntati, cui servire gloriosum est; etiam Æneæ decorum, propter ipsum Fatum esse tanta molitum. Quia verò superiore dissertatione multos de Fato poetarum locos, & præcipuè Auctoris nostri, multasque sententias attulimus, intelleximus multum lucis Auctori nostro nos allaturos, si de Fato verba faceremus; idcirco de eo nos polliciti sumus esse dicturos; quapropter hodierno die, & aliis deinceps, ut fidem liberemus, de Fato disseremus. Qui Chaldæorum [e] vanitatem
comprobant, & amplectuntur, ex Astrorum 2
positu fatum cujusque concinnant; ex quorum sententiâ Manilius [f] cecinit:

Sideribus videre vagis pendentia fata;

& Plotinus libro XII referens Genethliacorum opiniones ait, astrologos arbitrari non solùm divitias, & inopiam a stellis

---

[a] Homer. Iliad χ v. 209. [b] Virg. Æneid. libr. 1. [c] Idem Æneid. libr. 11. [d] Laberius in Prologo apud Macrob. Saturnal. libr. 2. cap. 7. [e] Sextus Empiricus adversùs Mathem. libr. 5. init. & Aul. Gell. libr. 14. cap. 1. [f] Manil. libr. 1.

lis errantibus provenire, sed etiam vitia, virtutesque; nec, ut Homerus [a] voluit, unicuique talem esse mentem, qualem ipse Juppiter tribuerit, sed qualem astrorum motus, positusque nobis indiderunt; ut nec rectè factis decus, aut præmium, nec peccatis dedecus, aut supplicium debeatur; licet Manilius id ex astrologorum opinione effici neget, qui [b] dixit:

Nec tamen hæc ratio facinus defendere pergit,
Virtutemque suis fraudare in præmia donis;
Nam neque mortiferas quisquam minùs oderit herbas,
Quòd non arbitrio veniunt, sed semine certo;
Gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,
Quòd natura dedit fruges, non ulla voluntas;
Sic hominum menti tanto sit gloria major,
Quòd Cælo gaudente venit, rursusque nocentes
Oderimus magis in culpam, pœnasque creatos.

Quamvis putet siderum vi malos ad facinus impelli, bonos ad virtutem, tamen censet in facinorosos homines animadvertendum; quemadmodum venenatæ plantæ sunt evellendæ, licèt non sponte noceant; bonos autem præmiis afficiendos, quemadmodum salubribus herbis cultura est adhibenda, licèt suapte naturâ prosint, non voluntate; explodenda planè sententia, quæ nos a Deo libertate donatos asserit in servitutem. Prudentiùs omnino Julius Firmi-
3 cus, qui dat animis vindicias secundùm libertatem, & corpora quidem arbitratur astrorum motibus prorsus regi, & gubernari; mentes autem esse liberas, nec stellarum legibus obnoxias, quarum invictis viribus docet siderum violentiæ resistendum; sic enim libro primo capite tertio loquitur: *ut confirmati animi nostri divinitate, ex aliquâ parte stellarum violentis decretorum potestatibus resistamus*; & paulo post ait: *hinc intelligi datur stellarum quidem esse, quod patimur, & quod nos incentivis quibusdam stimulat ignibus, divinitatis verò esse animi, quod*
4 *repugnamus*. Atque hæc sententia Fatum statuentium pendere ex astris nimiùm multos habuit sectatores; ideo Cornelius Tacitus Stoicos laudans affirmat eos non in stellis vagis Fatum collocare; verba [c] Taciti sunt hæc: *contra alii Fatum quidem congruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verùm apud principia, & nexus naturalium causarum; ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt, quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem.*

Germana sententia Stoicorum, quam tamen confundit Plinius cum sententiâ Chaldæorum libro secundo, ubi sic [d] ait: *pars alia & hunc pellit, astroque suo eventus assignat, & nascendi legibus; semelque in omnes futuros unquam Deo decretum, in reliquum verò otium datum. Sedere cepit sententia hæc, pariterque & eruditum vulgus, & rude in eam cursu vadit*; non in eam Chaldæorum, quæ stellas in hominum mentes dominari putat; sed in eam, quæ semel in omnes futuros 5
Deo decretum docet. Quis enim doctus, atque eruditus ineptias, offuciasque Chaldæorum probet? sed Fato cuncta evenire etiam sapientes censuere; nec posse cujusquam sapientiâ Fatum vitari; hinc illæ voces poetarum, quas adduximus, & vulgi opiniones Fati necessitatem affirmantis; e cujus opinione [e] Herodotus asseveravit τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατα ἐστὶ ἀποφυγέειν καὶ θεῷ, quæ verba ita vertuntur: *destinatam sortem effugere nec Deo concessum*. Quod effatum Plato in Gorgiâ mulierum esse dicit, quæ proverbii loco solebant hanc usurpare sententiam nemini datum esse Fatum devitare; ideo Philemon comicus 6
poëta cum primis nobilis Fatum necessitatem appellavit his verbis: δοῦλοι βασιλέων εἰσίν, οἱ βασιλεῖς θεῶν, ὁ θεὸς ἀνάγκης, qui versus ita explicantur: *sunt Regibus servi, Rex servus est Deûm, Deus necessitatis*; & apud Virgilium Juno se Fatis esse minorem, eaque suis conatibus esse impedimento fatetur [f] his verbis:

..:... *Mene incepto desistere victam,*
Nec posse Italiâ Teucrorum avertere Regem?
Quippe vetor fatis ......

Qua verò de causâ ea opinio tam altè hominum animis insederit, & adeo fuerit pervagata, consequenti dissertatione dicemus.

DIS-

[a] Homer. Odyss. ε. v 135. [b] Manilius libr. 4. c. 1. [c] Cornel. Tac. libr. 6. Annal. n. 22. [d] Plin. libr. 2. cap. 7. [e] Herodot. libr. 1. [f] Virgil. Æneid. libr. 1.

DISSERTATIO X.

In eundem Virgilii locum: cur vulgò sit creditum Fatum non posse vitari, explicatur.

Extant quamplura exempla eorum, qui eo ipso, quod Fata vitare quæsiverunt, in ipsa inciderunt; hinc dictum profluxit: fugiendo Fata in ipsa Fata ruitur. *Cambyses Fatum esse credidit, ut Smerdis Persarum Imperium occuparet; ideo fratrem, qui eo nomine vocabatur, interfici jussit; eâ occasione sumptâ Smerdis alius extincto simillimus formâ quum Smerdim vivere divulgasset, aliquandiu imperavit. Quum Messenam capi Fatum esset, Aristodemus filiam virginem obtulit immolandam, amator autem puellæ, ne sacrificaretur, eum ex sese gravidam affirmavit; quamobrem pater filiam jugulavit, ut dissecto ventre ostenderet non esse prægnantem; ita puellam non immolavit, sed occidit; quare Fatum non impedivit.*

De Fato dicere aggressus, quæ disputatio plurimis Auctoris nostri, aliorumque poëtarum locis lucem est allatura, attuli duas opiniones, alteram Chaldæorum, quæ stellas in res humanas dominari confirmat, & Cœlo nos alligari, & quidquid decretis astrorum sancitur, esse Fatum; alteram Fati necessitatem suspensam esse, & pendere statuentium ex principiis, & nexibus naturalium causarum; in eamque sententiam pedibus isse vulgus confirmavi; cur autem persuasum esset multitudini vitari non posse Fatum, sicuti polliciti sumus, hodierno die dicemus. Ut autem
1 vulgus indoctum crederet omnes Fatorum legibus obstringi, & alligari, & quidquid agerent, agere Fati necessitate compellente, non reconditis quibusdam argumentis adducebatur; nam exquisitæ rationes vulgus non movent, sed quia multa quotidie exempla accidere videbantur, quæ Fatum saltem humanis opibus declinari non posse homines admonerent. Oraculi monitu Crœso [a] patefactum est Fatum esse, ut ejus fi-
2 lius Atys, quem unicè diligebat [nam alter orbatus audiendi, orbatus loquendi facultate calamitas patris, non gaudium habebatur] ferro interiret; ejus rei metuens Crœsus arcebat adolescentem a bello, arcebat a ferro; non tela tractare, non armorum exercitationibus interesse, non jaculis, aut hastis manus admovere quamvis cupientem, seseque abstrahi a studiis adolescentiæ decoris conquerentem sinebat. Fortè tradunt accidisse, ut aper inusitatæ magnitudinis Mysorum culta devastaret, qui missis ad Crœsum legatis postularunt, ut sibi filium cum delectâ juvenum manu mitteret, ut feram, quæ damnis ingentibus afficiebat regionem, tollerent. Negavit Crœsus in animo sibi esse filium mittere, se quippe Fatorum minas pertimescere; filius instare, ne se eo decore spoliatum iret, a quo nullus metus; nam si, inquiebat, fatum esset, ut dente, vel aliâ quapiam ratione interirem, non sanè tenderem, sinerem que te in meâ salute tuendâ potiùs nimis timidum, quàm parum cautum haberi; nunc autem, quum adversùs feram vocer, quod mihi periculum a ferro? Persuasit Crœso, sed infelici adolescenti nocuit persuasisse; nam dum venatores missi, dum Crœsi filius, dum canum turba excitam e cubilibus feram persequuntur, & jam assequuti fugientem sævienti circumfunduntur, Adrastus Crœsi hospes, dum aprum ferro petit, a ferâ quidem aberravit, Atyn autem, dum inter primos versatur, & affectat decus interemptæ feræ cuspide incautum transverberavit. Sed hic ab hospite peremptus est invito; Seleucus a 3
Ptolemæo, Ceraunus qui vocabatur, volente; nam quum oraculi sortem accepisset, caveret Argos; nam si Argos adventasset, fore ut occideretur, summo studio & Argos Peloponesium, & Argos Amphilochium, & Argos Oresteum, & Argos a Diomede conditũ vitaverat, frustra; nam [b] Lysimachiæ ab hospite Ptolemæo trucidatus ad aram, quæ ex eo, quod ab Argonautis fuisset constituta, argos dicebatur, implevit oraculi sortem. Haud dissimili ambage oraculum Jovis Dodonei consulenti Alexandro Regi Epirotarum data dictio erat, vitaret Acherusiam aquam, Pandosiamque urbem; idcirco Alexander maturiùs in Italiam trajecerat, ratus id oraculum ad Acherontem fluvium, urbemque Pandosiam in Epiro sitam pertinere; sed dum fatum fugit, in fatum incidit; nam [c] Acherontem fiumen, & Pandosiam urbem, & exitium in Italiâ, ubi minimè credidisset, invenit. Caligula [d] verò Antiatinis sortibus monitus exitium si- 4
bi a Cassio imminere, Cassium Longinum Asiæ Proconsulem occidendum mandaverat, oblitus Chæream Cassium vocari, a quo est interemptus. Quid autem de Astyage Rege Medorum loquar? nonne [e] his ipsis remediis, quæ contra Fatum paraverat, destinatam Fato sortem provocavit? nam quum

---

a Herodot. lib. 1. b Pausan. in Phocic. sive libro 10. & Justinus libr. 17. c Plinius libr. 3. cap. 11.

d Suet. in Vitâ Caligul. cap. 57. e Herodot. libr. 1. cap. 108. & Justin. libr. 1.

quum Regnum sibi erepturum ex Mandane filiâ natum puerum vates cecinissent; ex ipsâ Cyrum procreatum in montibus, qui ferarum multitudine refertissimi videbantur, jussit exponi; Cyrus autem præter omnium spem incolumis conservatus quum adolevisset, & apud Persas multum auctoritate posset, hac ipsâ injuriâ irritatus, adnitente maximè Arbace, Astyagem Regno spoliavit, Imperiumque Medorum ad Persas transtulit. Eadem [a] Amulio fortuna accidit; dum vitare Fatum vult, & fratris filiam Vestæ legit sacerdotem, ne procrearet Liberos posset, dumque jam editos pueros asportari in vastas solitudines jubet; ultores habuit sceleris nepotes, quos crudelissimè necandos mandaverat. Jam verò his
5 exemplia plenæ sunt poëtarum fabulæ; non enim OEnomaus [b] Fatum vitavit prohibendo filiæ nuptias; non [c] Acrisius, quum Danaën in arctissimam custodiam tradidisset; non [d] OEdipus, quum hujus ipsius rei causâ Patriam, patremque, quem putabat, reliquisset; immo his ipsis, quæ declinandi Fati gratiâ fecerant, in Fata inciderunt. Sed nos ad fabulas delabimur, quæ tamen imperitæ multitudini non minùs, quàm historiæ, & veritas ipsa persuadent; quapropter quum nobis propositum sit ostendere, cur tam esset vulgo persuasum vitari non posse Fatum, non minùs ad rem pertinent, quàm historiæ; nihilo tamen secius ad historias revertamur. Som-
6 nio monitus [e] Cambyses Fatum esse credidit, ut Smerdis Persarum Imperium occuparet; eo metu perculsus fratrem, qui eo nomine vocabatur, insontem interfici jussit, nec parricidium Cambysæ profuit; immo quod erat comparatum ad Fatum avertendum, ut Fatum impleretur, effecit; nam eâ occasione sumptâ Smerdis alius extincto simillimus formâ, quum Smerdim vivere divulgasset, & impias fratris manus effugisse, faventibus Persis aliquandiu imperavit; Cambysea verò dictum confirmavit: *fugiendo fata, in ipsa fata ruitur;* sic enim ea suis laqueis irretitos tenent, ut neque fortuna, neque consilium ullum possit expedire. Quum [f] Messenam capi fatum esse
7 vates cecinissent, nisi virgo ex Æpytiâ gente immolaretur, Aristodemus Messenius filiam virginem obtulit immolandam; sed eo consilio Messenam imminente Fato non potuit expedire; nam amator puellæ, ne ea sacrificaretur, multa commentus ubi sese nihil proficere animadvertit, puellam ex sese gravidam esse mendacio affirmavit; ob eamque causam non esse mactandam, quum virgo, non mulier Fatis posceretur. Jurgio inter amatorem, & patrem puellæ orto, quum ob tam impudens amatoris mendacium Aristodemus excanduisset, filiam jugulavit, ut dissecto ventre ostenderet non esse prægnantem; ita puellam non immolavit, sed occidit; nec suis consiliis Fatum impedivit, quod averti posse immolatâ virgine videbatur. His, aliisque compluribus exemplis adducti homines vulgò humanis opibus non posse vinci Fatum crediderunt; sed inprimis vulgo persuaserant obsisti non posse Fato doctorum hominum, sapientumque sententiæ, de quibus, Auditores, alio die differemus.

DISSERTATIO XI.

De Fato in eundem Virgilii locum.

Munera singularum Parcarum, & unde earum nomina deducantur. Chalcidii etymologia de Lachesi improbatur; Quomodo Stoici Fati necessitatem cum libertate voluntatis nostræ conjunxerint; quod explicant similitudine cylindri per declive devoluti, & fluminis cuncta secum auferentis; a quarum sententiâ non discrepat Plato. Servus Zenonis, quum plecteretur, quòd herum sciebat, cuncta Fato fieri existimare, dixit: Fatum fuit, ut peccarem; Zeno autem respondit, Fatum etiam fuisse, ut plecteretur.

TRes esse [g] Parcas Erebo, & Nocte genitas poëtæ tradiderunt, quas Atropon, Clotho, Lachesin appellarunt. Chalcidius in Timæum Platonis putat Atropon cœlesti illi, altissimoque orbi præsidere, quem ἀπλανῆ Græci [h] vocant, latinè dicere possis inerrantem, licèt ea appellatio ad stellas, quæ Cœlo sunt infixæ, pertinere videatur; Ἄτροπον autem 1
dictam arbitratur, quòd ille supremus æthereus orbis non deflectat a recto cursu, nec obliquus meet; Clotho verò præesse stellarum errantium orbibus, & Clotho appellatam propter variè perplexam, tortuosamque vertiginem; Lachesin denique esse omnium infimam, & lunari globo subjectam partem Universi gubernare; & Lache-

---

[a] Tit. Livius libr. 1. Plutarch. in Vitâ Romuli, & Dionys. Halicarnass. libr. 1 Antiq. Rom. [b] Diodor. Sicul. libr. 4. Bibliothec. Histor. [c] Hyginus fab. 63. Pausan. in Corinth. [d] Idem Hygin. fab. 67. [e] Herodot. libr. 3. cap. 30. [f] Pausanias in Messenicis, sive libr. 4. [g] Hesiodus in Theogon. [h] Macrob. libr. 2. cap. 4. in Somn. Scip.

chesis nomen accepisse, quòd sortita fuerit
munus opera superiorum, effectusque su-
scipiendi: quod etymon, ut commune pos-
sis improbare; omnes quippe Parcæ sortitæ
sunt aliquod munus, & ἀπὸ τῦ λάχεις, *a sorte*
scilicet, quòd hunc orbem, quem Lache-
sis regit, sors, & fortuna gubernare videa-
tur; quum ratio, atque constantia summa
eluceat in Cœlestibus; Plutarchus autem
non [a] Atropon, sed Clotho tradit stellis
inerrantibus præsidere. Hæ Parcæ quid-
2 quid neverunt, Fatum esse dixerunt, nec
ulli Deo tantam concessam potestatem, ut
Parcarum decretis obviam ire possit, earum-
que leges irritas facere; ideo [b] Tibullus
cecinit:

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina non ulli dissoluenda Deo;

& Lucianus in Jove confutato negat, vita-
ri posse, quodcunque Parcæ statuerunt, &
omnia, quemadmodum visum est Parcis,
evenire. Atque hæc de Fato sententia est
poëtarum; neque enim Fatum aliud est,
quàm Parcæ; nam licèt, & [c] Fatum Ere-
bo, & Nocte procreatum ferant, tamen
a Parcis Fatum non arbitrari diversum
intelliguntur. Sed & sapientiæ studium
3 professi Fatum esse inevitabile affirma-
runt; siquidem apud [d] Plutarchum He-
raclitus: πάντα καθ' εἱμαρμένην, τὴν δὲ αὐτὴν
ὑπάρχειν καὶ ἀνάγκην asseverat, quæ verba
sic explicantor: *omnia Fato evenire, idem*
esse etiam necessitatem. Sed & Stoici apud
Agellium [e] Heraclito quodammodo assen-
tiuntur; siquidem eo auctore Chrysippus
arbitratur Fato omnia moveri, & regi, nec
declinari posse, transcendique agmina Fa-
ti, & volumina; ideo [f] Zenonis famu-
lum ferunt, quum quippiam deliquisset,
& flagris plecteretur, quòd herum sciebat
in eâ opinione versari, ut omnia Fato fie-
ri existimaret, exclamasse: fatum fuit, ut
peccarem, quid me punis? qui tamen ne-
quitiam servi refutavit, quum diceret: fa-
4 tum fuit, ut te plecterem. Re enim verâ
Stoici nostræ voluntatis libertatem Fati
necessitate non illigabant; nam semel a
Deo decretum volebant, ut siquis hoc fa-
ceret, talis eventus facientem sequeretur;
sed hoc facere, vel non facere arbitrio no-
stro relinquebant; extatque apud Cicero-
nem Chrysippi similitudo, qua mentem no-
stram aliquâ Fati lege implicatam cylindro
comparat per declive devoluto, Fatum au-
tem devolventi [g] facultati: *ut igitur*, in-
quit, *qui protrusit cylindrum, dedit ei princi-*
pium motionis, volubilitatem autem non dedit;
sic visum objectum imprimet illud quidem, &
quasi signabit in animo suam speciem; assensio no-
stra erit in potestate, eaque, quemadmodum in
cylindro dictum est, extrinsecùs pulsa, quod reli-
quum est, suapte vi, & naturâ movebitur.
In quibus verbis, quamquam Cicero Fa-
tum haud nominat, sed visum objectum;
tamen hanc similitudinem allatam esse a
Chrysippo ad exprimendam vim Fati [h] con-
stat ex Agellio. Atque hoc est, quod Cor-
nelius [i] Tacitus, quem citavimus, ait illos, 5
qui Fatum ex principiis, nexibusque natura-
lium causarum connectunt, electionem vitæ
nobis relinquere; *quam ubi elegeris certum*
imminentium ordinem. In quibus verbis ad-
notanda vox *nexus*, quæ Fati vim, naturam-
que comprehendit, & continet; siquidem
Fatum est a Græcis [l] appellatum εἱμαρμένη,
εἱμαρμένη autem ἀπὸ τῦ εἱρμῦ *a serie, nexu-*
que scilicet, ut Eustathius in Homerum
docet; quod & Suidas comprobat, qui εἱ-
μαρμένην esse confirmat εἱρμόν τινα, καὶ ἐπισύν-
δεσμον ἀπαράβατον δι' αἰτίαν ἀνεμπόδιστον, hoc
est: *seriem quandam, vinculumque, & inevi-*
tabilem nexum ob causam, quæ nequit impedi-
ri. Nec dissimili ratione dictam putat εἱμαρ-
μένην quasi εἱρομένην τινα *continentem, atque con-*
nexam in libro de Fato gravis auctor inpri-
mis Plutarchus; & Stoicis placet, ut Chry-
sippus apud Agellium [m] docet, Fatum esse
indeclinabilem rerum seriem, & catenam,
quæ volvat sese, & implicet per æternos
consequentiæ ordines, ex quibus apta,
connexaque sit. Est igitur, ut Stoicis vi- 6
detur, Fatum nexus, volumenque causa-
rum; sed nexus, qui volentes illigat, illi-
gatos tenet nullis humanis consiliis exolven-
dos; & quemadmodum in rapidum, & cun-
cta vi suâ auferentem fluvium qui se spon-
te demisit, poterat non demittere, sed ubi
in illis vorticibus stetit, auferatur, necesse
est; ita contingit in Fato Stoicis auctoribus;
est quidem extra Fatum impetus voluntatis;
sed ubi voluntas in illud agmen ex æterni-
tate fluentium causarum sese immersit, in
illis quasi vorticibus Fati tenere cursum non
potest, quem sibi proposuerat; sed rapitur in
abruptum, & quò nolebat, aut non puta-
bat, alliditur. Cui sententiæ Stoicorum
similis est Platonis in Timæo sententia; qui
Deum inducit hominum animis recens pro- 7
creatis ostendentem, quid quodque genus
vitæ consequatur, ut in vitam ingressæ eli-
gant meliora, deterioribus repudiatis, ipse
verò

a Plutarch. de Fato in principio. b Tibull. libr. 1. Eleg. 8. c Hesiodus in Theogon. v. 210. d Plutarch. de Plac. Philos. libr. 1. cap. 27. e A. Gell. Noct. Attic. libr. 6. cap. 2. f Diogen. Laërt. libr. 7. segm. 23. in Vitâ Zenonis. g Cicero de Fato.

h A. Gell. libr. 6. cap. 2. i Corn. Tacit. Ann. l. 6. n. 22. l A. Gell. libr. 6. cap. 2. & Plutarchus de Fato. m A. Gell. libr. 6. cap. 2.

verò extra culpam sit accidentium necessariò animis imprudentibus malorum; ideo Plutarchus in libris de Placiris Philosophorum [a] ait similia de Fato Platonem Stoicis opinari.

DISSERTATIO XII.

De Fato, in eundem Virgilii locum.

Fatum est Dei lex, & a fando dicitur, quum sit id, quod Deus fatur; ideo, quum omnibus mors a Deo decreta sit, ea Fatum appellatur; verùm violenta præter Fatum dicitur; quamobrem reprobatur Julius Scaliger, qui in hoc Virgilium reprehendit. Anacreon obiit acino uvæ passæ suffocatus; Æschylus ab aquilâ, dejectâ in ejus caput testudine; gaudio Sophocles, Philippides, Chilon, & Dionysius.

LAjus, quum de Liberis procreandis consuluisset Apollinem, hoc responsum dicitur accepisse [b]:

Cave, ne vetitos Liberûm sulcos feras;
1 *Generatus ille te mactabit impiè,*
Omnisque respergetur Aula sanguine.

Lajus intemperantiâ libidinis victus filium procreavit; sed quum pertimesceret editam oraculo sortem, puerum natum regii armenti custodi tradidit occidendum; is tam crudele ministerium detractavit; ut autem Régis voluntati satisfaceret, infantem pedibus gladio perforatis vimine suspendit ex arbore, ratus inediâ periturum; sed res aliter multo evenit; quippe casu servatus infans, qui OEdipus a tumore pedum est appellatus, quum adolevisset, ex injuriâ Laii ortâ rixâ, patrem ignarus interfecit. Hoc exemplo nonnulli utuntur ad explicandum, quomodo quod fato sancitum est omnino sit eventurum; & tamen aliquid sit positum in nostrâ potestate. Nam Lajus operam Liberis dare nullâ Fati lege cogebatur, poteratque arbitratu suo s venereis voluptatibus abstinere; sed quoniam cupiditati suæ obtemperavit, necessarium fuit, ut incurreret in sortem Fato destinatam; nec ullâ arte poterat vitare mortem a filio imminentem. Eodem modo [c] Thetis Achil-
2 li prædixerat, si Trojano bello se implicaret, fore, ut cum ingenti gloriâ admodum adolescens moreretur; sin autem bello abstinuisset, diutissimè in Patriâ inglorium esse victurum; nulla Fati necessitas Achillem ad bellandum impellebat; & manus cum hostibus conserere, vel non conserere ejus erat arbitrii; sed quis cupiditate gloriæ adductus otio bellum præoptavit, nullo modo se se potuit Fati laqueis expedire; & Achillis factum decreta fato mors necessariò consequuta est. Sunt igitur in manu nostrâ actiones, electioque vitæ, non ea, quæ actiones, electionemque vitæ consequuntur; ideo Stoici [d] quædam Fato tribuunt, quædam voluntati. Plato autem alia putat providentiâ, alia Fato evenire, alis vi nostræ libertatis, alia casu, alia fortunâ; sed Fatum, de quo loquimur, a Deo pendet, a Dei providentiâ manat. Nam
Stoicis [e] placet, & [f] Platoni, Deum, quum 3
conderet Universum, scivisse legem, qua omnes renerentur, eam legem Fatum appellari; ex eo suspensa omnia, & serie quadam inter se connexa. Ideo Chrysippus apud Plutarchum [g] Fatum definit legem rerum in Mundo; & apud [h] Apulejum Plato legem, per quam inevitabiles Dei cogitationes, atque incepta complentur. Quin & hujus nominis originem ab hoc plerique deducunt; nam [i] Priscianus Fatum a fando dictum putat; quod enim Juppiter sit fatus, id esse Fatum; & [l] Varro, quod Parcæ sint fatæ, vult esse fatum; Minutius autem Felix in Octavio *quid*, inquit, *aliud est Fatum, quàm quod de unoquoque nostrûm Deus fatus est?* Quod autem æterna lex est, &
communis omnibus, decretumque Dei, & 4
effatum, ut omnia orta occidant, & colligata dissolvantur; ideo sub fati nomine mors venit, quam duplicem volunt esse. Nam aut expectatâ maturitate moriendi, aut vi quapiam extrinsecus allatâ animantis natura dissolvitur; prius illud mortis genus Fato evenire, Fato scilicet illo communi, quod omnes Mortales complectitur, posterius præter Fatum dixere. Nam lex est a Deo constituta, ut omnia orta occidant, & aucta senescant; sed non antequam augeantur, non antequam vites vel senio confectæ, vel internis causis consumptæ extinguantur. Cornelius [m] Tacitus inducit
Germanicum jam moribundum sic loquen- 5
tem: *Si fato concederem, justus mihi dolor etiam adversùs Deos esset;* & [n] Cicero Philippicâ primâ: *hunc*, inquit, *ut sequerer, properavi; quem præsentes non sequuti sunt,*

[a] Plutarch. de Placitis Philosophor. libr. 1. cap. 27. [b] Sophocl. in Oedipo, Diodor. Sicul. libr. 1. Bibliothec. Histor. Hygin. fab. 66. & 67. & Chalcidius in Timæum Platonis pag. 244. Edit. Meursii. [c] Hygin. fab. 96. & Chalcid. ibid. [d] Plutarchus de Placit. Philosophor. libr. 1. cap. 27. [e] Seneca de Provident. cap. 5. [f] Stobæus Eclog. Physic. libr. 1. cap. 9. & Plato de Legib. libr. 10. [g] Plutarch. de Placit. Philosoph. libr. 1. cap. 28. [h] Apulejus de Dogm. Platonis. [i] Priscian. libr. 12. [l] Varro de Ling. Lat. libr. 5. [m] Cornel. Tacitus libr. 2. Ann. c. 71. [n] Cic. Philipp. 1. in Narrat.

non ut proficerem aliquid (neque enim sperabam id, neque perficere poteram) sed ut, siquid mihi humanitus accidisset (multa autem impendere videbantur præter naturam etiam, præterque fatum) hujus diei vocem testem Reipublicæ relinquerem meæ perpetuæ erga se voluntatis; & Demosthenes in oratione illâ nobili de coronâ sic ait: ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι νομίζων μόνον γεγενῆσθαι τὸν τῆς εἱμαρμένης, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει; quæ verba sic interpretamur: *qui se putat solùm parentibus genitum, fatalem mortem, & sponte venientem expectat*. Quare nihil erat, quod [a] Julius
6 Scaliger Virgilium apud Vossium reprehenderet, quòd quarto libro dixerit:

Nam, quia nec Fato, meritâ nec morte peribat;

quem unum errorem in Virgilio sibi repertum ajebat; sed, me auctore, Scaliger extra culpam Virgilium ponat, & quasi quemdam Deum poëtarum, vel ἀναμάρτητον pronunciet, licet. Præclarè quippe se res habet; omnibus vitæ finis est constitutus; stat sua cuique dies omnium seriùs, ocyùs versatur urna; sed in manu nostrâ est hanc moriendi necessitatem præverti; multa præterea accidunt, quibus in medio vitæ curriculo noster hic cursus intercipiatur; quod quum evenit, præter naturam putatur evenire [b].

Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti;
Exitio est avidis mare nautis.

Anacreon obiit [c] acino uvæ passæ suffocatus;
7 Æschylus [d] ab aquilâ, dejectâ in ejus caput testudine; gaudio [e] Sophocles, & Philippides comœdiarum scriptor, & Chilon, & Diooysius tyrannus; veneno [f] Demosthenes, & [g] Alexander, & [h] Hannibal. Quis omnia genera violentæ mortis persequatur, quum etiam pudor Dialecticum Diodorum [i] extinxerit? Hæc autem mors, quæ potest declinari, quæ non omnibus imminet, præter naturam accidere, præterque Fatum dicebatur. Quid est in Virgilio reprehendendum? Dido in ipso ætatis flore sibi necem consciverat, non expectaverat extremam senectutem, vel morbum, qui se naturæ sponte dissolveret; non suo Fato mori videbatur, quia poterat longiùs vitam producere; non quia hic Didonis interitus effugeret oculos, & scientiam cuncta cernentis, & cognoscentis Dei, quæ & ipsa Fatum vocatur, quod impiè Poëta asseverasset; sapienter enim Hesiodus [l] dixit:

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας.

DISSERTATIO XIII.

De Fato, & Fortunâ; in eundem Virgilii locum.

Voluntas Dei est Providentia, Fatum, & Fortuna; minorum etiam Deorum voluntas appellabatur Fatum; sed huic resisti poterat; Fati autem legibus, quod est summi Dei voluntas, Deum ipsum teneri Stoici voluerunt. Ineptè Macrobius Virgilium reprehendit, quòd Fortunam omnipotentem appellet. Homines medium Fortunæ nomen invenerunt, ne quum eam conviciis proscindunt, Providentiam Dei accusare videantur. Cur Homerus Fortunam nunquam nominet.

PRovidentiam Dei esse rerum in mente divinâ stabilem, simplicem, æternamque rationem; Fatum verò rerum, quæ gerere statuit Deus, explicationem philosophi nobiles inprimis tradiderunt. Chalcidius in
Timæum Platonis *Providentiam Dei esse vo-* 1
luntatem; voluntatem porro ejus seriem esse causarum; quà verò voluntas est, providentiam dici; quà autem series causarum, appellari Fatum asseverat. Ex quibus constat Antiquis placuisse Fatum esse divini Numinis voluntatem, vel quippiam adeo cum voluntate conjunctum, adeo ab eaque pendens, ut secerni vix queat, & separari. Quum ergo voluntas Dei fatum nuncupetur, non mirum, si etiam minorum Deorum voluntates fata placuit Priscis appellari; hujus rei Virgilius est testis, & quidem locupletissimus, apud quem sic [m] loquitur Juno:

Heu stirpem invisam, & fatis contraria nostris
Fata Phrygum......

Quod est perinde, ac si dicat fata Phrygum contraria nostræ voluntati; quod enim volebat Juno, videlicet ut Carthago Orbis terrarum imperium consequeretur, Prhygum fata non permittebant; & alio in loco idem poëta [n] cecinit:

Filius huic fato Divûm, prolesque virilis
Nulla fuit......

Sed minorum Deorum voluntatem posse 2
putabant impediri; illud inevitabile Mortalibus Fatum, quod summus ille Deorum statuisset; & quid dico Mortalibus? Deum ipsum [o] Fati legibus teneri Stoici crediderunt; absurdum videtur id, & respuendum,

---

a Jul. Cæs. Scaliger. apud Vossium in Etymol. in V. Fatum. b Horat. libr. 1. Od. 28. c Plin. l. 7. c. 7. d Idem libr. 10. cap. 3. e Idem libr. 7. cap. 53. f Plutarch. in Vitâ Demosth. g Idem in Vit. Alexandri. h Tit. Liv. libr. 39. Plutarch. in Vitâ Hannib. & Q. Flaminii, & Plin. de Viris Illustrib. cap. 42. i Plin. libr. 7. cap. 53. l Hesiod. in Oper. & Dieb. v. 265. m Virgilius Ænaid. libr. 7. n Idem libr. 7. v. 50. o Seneca de Provid. c. 5.

dum, sed explicatum efficitur tolerabilius.
Deum quippe optimum optima consentaneum
est voluisse; non mutat ergo voluntatem,
quis non potest velle meliora; nam,
ut ait [a] Seneca, imminutio sit majestatis mutanda
fecisse; & quemadmodum quisque
firmior est, & melior, eo etiam habetur
constantior; & imbecillium est, & stultorum
voluntatis crebra mutatio; sic immensa
Dei fortitudo, immensa bonitas, immensa
sapientia immutabilis; quum paret
ergo Fatis, paret sibi, &, ut ait [b] Seneca,
ipse est necessitas sua. Quare desinat irridere
Lucianus decreta sapientum; desinat
cavillari nil posse Deum, quia Fatum possit
omnia; nam Deus ipse Fatum est: *vis*, inquit
[c] Seneca, *illum Fatum vocare? non errabis;
hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa
causarum*. Atque hanc Dei voluntatem
3 etiam Fortunam Sapientes vocaverunt; hinc
apud Ciceronem Varro sic inducitur [d] loquens:
*quem Deum appellant, omniumque rerum,
quæ sunt ei subjectæ quasi prudentiam
quandam procurantem Cœlestia maximè, deinde
in Terris, quæ pertinent ad homines; quam
interdum necessitatem appellant, quia nihil aliter
possit, atque ab eâ constitutum sit, intervenire,
quasi fatalem, & immutabilem continuationem
ordinis sempiterni; nonnunquam quidem
eandem fortunam, quòd efficiat multa improvisâ,
nec opinata nobis propter obscuritatem,
ignorationemque causarum*. Ex quibus apparet,
auctore Cicerone, eandem esse providentiam
Dei, Fatum, atque Fortunam; nec
aliud Virgilio videtur, qui Fortunam cum
Fato conjungit, & appellat [e] omnipotentem:

Fortuna, inquit, *omnipotens, & inevitabile
Fatum*.

Quem locum ineptè [f] Macrobius reprehendit,
4 hendit, quòd nimium Fortunæ tribuat,
quam Homerus ne nominet quidem, sed
omnia divino decreto fieri asseveret. Non
enim Virgilius eam Fortunam appellat omnipotentem,
quam [g] Plinio teste medium
invenit mortalitas ipsa Numen, quam Galenus
in oratione, qua juvenes exhortatur
ad artes, volubili rotæ insidentem, & stultorum
turbâ circumfusam describit; quam
Juvenalis [h] ab hominibus fieri Deam, Cœloque
locari affirmavit; quam [i] Seneca invidam
fortibus viris, non æqua bonis præmia
impertiri dixit; quam [l] inconstantem,
volubilem, cæcam, indignorumque fautricem
esse volunt. Mortalium ista convicia,
qui, ne providentiam Dei accusare videantur,
fortunæ nomine abutuntur; hujusmodi
fortunam agnoscat Aristoteles, si ve- 5
rum est, quod [m] Plutarchus in libris de Placitis
philosophorum, aliique Veteres tradiderunt;
Aristotelem putare non esse locum
providentiæ sub orbe Lunæ, sed cuncta
temere, casuque ferri, & fortunâ regi,
& gubernari; nobis verior sedeat sententia,
omnia Dei providentis nutu administrari;
& Salustii [n] veteris illius philosophi dictum
non improbemus; qui sobolem, partemque
providentiæ esse Fortunam arbitratur. Nec
aliud [o] Virgilio fortuna, quàm Fatum, aut
Deus; nec id novum; nam præter [p] Ciceronem
alii quoque multi Fortunam Deum
esse, & a Deo pendere putaverunt;
immo etiam vulgò Fortunam Δαίμονα ap-
pellarunt, quod nomen etiam illi summo 6
rerum Conditori convenire declarat [q] Plato;
hinc Aristophanes ait:

Τῦ σώματος γὰρ ἐκ ἔδει τὸν κύριον
Κρατεῖν ὁ Δαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον.

Ideo fortunatos εὐδαίμονας, miseros, & infortunatos
κακοδαίμονας quasi bonum, vel
malum dæmonem sortitos dixerunt. Ovidius
[r] quoque manifestò Fortunam Deum
vocat; sic enim ait:

At tu, seu ratio te nostris appulit oris,
Sive Deus, regni commoda carpe mei;

& Poëta Græcus, quæ nos dicimus esse dona
Fortunæ, Deorum dona dicit his versibus:

Οὕτοι τὰ χρήματ' ἴδια κέκτηνται βρότοι;
Τὰ τῶν Θεῶν ἔχοντες ἐπιμελόμεθα.

Quin eam causam esse duco, cur Homerus
abstinuerit Fortunæ nomine, quòd
eam semper Dæmonem appellarit, ut [s] hoc
versu:

Α'λλ' ἐμὲ τὸν δύστηνον ἐφέστιον ἤγαγε Δαίμων

Sed ut ad Virgilii locum, unde digressi
sumus, revertamur (quæ tamen digressio 7
ad alios Virgilii locos pertinet explicandos)
non omittendum est in hoc hemistichio
imitationem homericæ sententiæ latere;
nam Homerus, quum dixisset Achillis
iram Græcis fuisse causam multorum
funerum, subdidit [t]:

..... *Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή*,

hoc est:

Sunt expleta autem magni consulta Tonantis

[a] Senec. Quæst. Nat. libr. 1. in princip. [b] Idem de Provid. cap. 5. & Auctor libri de Mundo. [c] Idem Seneca Natural. Quæst. libr. 2. cap. 45. [d] Cicer. Academ. Quæst. secundæ Edit. libr. 1. [e] Virgil. Æneid. libr. 8. [f] Macrob. Saturnal. libr. 5. cap. 16. [g] Plin. libr. 2. cap. 7. [h] Juvenal. Sat. 10. v. ultim. [i] Senec. in Hercul. Furent. Act. 2. v. 523. [l] Horat. libr. 1. Od. 35. Cicer. libr. 3. de Natur. Deor. & Pacuvius apud Auctorem ad Herenn. libr. 2. [m] Plutarch. libr. 1. de Placit. Philosoph. Aristot. Phys. libr. 2. cap. 2. [n] Sallustius de Diis, & Mundo. [o] Virgilius Æneid. libr. 8. [p] Cicer. de Nat. Deor. libr. 3. Lactant. Firmianus libr. 3. cap. 2. & 29. de falsâ Sapientiâ, & Plinius libr. 2. cap. 8. [q] Plato in Apolog. Socr. [r] Ovid. Fastor. libr. 3. [s] Hom. Odyss. η. v. 248. [t] Idem Iliad. α. v. 5.

Noster autem affirmat Æneam exulasse, errasse multum, multaque mari, & terris, & bello esse perpessum; ea autem omnia pertulisse Fato; quod nihil aliud significat, quàm completam esse Dei voluntatem, & consilium ad exitum pervenisse.

DISSERTATIO XIV.

In ea verba, quæ consequuntur: *Lavinaque venit &c.*

Multi Hercules ante Herculem Amphitryonis filium floruerant; & proinde juramentum per Herculem apud Plautum in Amphitryone, non usurpatur per figuram prolepsin, ut Vir quidam doctus existimavit. Servium, dum putat Lavinium, Lavinum, & Laurentum eandem esse urbem, errare evincitur ex Dionysio Halicarnasseo, & Strabone. Elisio litteræ M. exprimit difficultatem; & repetitio copulæ Et *auget orationis granditatem.*

MUlta nimiùm diximus, Auditores, de principio divinæ Æneidos; ac vereor, ne vobis videar diutiùs, quàm oporteret, inprimis præclarissimi operis versibus enarrandis immoratus; sed veniam dabitis, Auditores, justæ moræ; nam quemadmodum qui templum magnificum opere, splendidum opulentiâ, artificio egregium sunt contemplaturi, antequam ingrediantur, in ipsâ ædificii facie spectandâ diutiùs immorantur; nec statim ad interiora progrediuntur, sed externâ
1 specie conspiciendâ non brevi spatio temporis oblectantur; ita nos aggressi ad opus in totâ linguâ latinâ longè luculentissimum explicandum, ejusque virtutes contemplandas, diutiùs in ipso initio, & quasi operis fronte spectandâ versati sumus, antequam ulteriùs procederemus. Accessit eodem suscepti operis magnitudo, quæ nobis incussit timorem, & attulit cunctationem, quæ necessariò sequitur magna conantes; ac videmur eos imitati, qui profundum ingressuri diutiùs morantur in litore, quum magnitudine numquam antea a se tentati pelagi terreantur; ita nos tantum opus aggressuri, & cum Virgiliano Ænea in altum vela daturi, & ejus errorem prope immensum persequuturi, cunctati sumus diutiùs, quàm constitueramus; quare in reliquis exequendis erimus fortasse breviores. Pergit autem Poëta persequi, quas res gesserit Æneas, & quò pervenit, & quæ pertulerit, & [a] ait: *Lavinaque venit littora*. Quo in loco quidam sublatâ *que* [b] particulâ malunt Lavinia legere; 2
nec id absurdum putant, nam licèt, quum Æneas in Italiam venit, nondum Lavinium litus a Laviniâ Latini filiâ diceretur; tamen poëtis uti conceditur figurâ, quæ Græcis prolepsis appellatur, quæ anticipatio latinè dicitur; ea usurpatur quotiescunque, quod posteriùs est gestum, vel nominatum, antè gestum, vel nominatum ponitur. Hujus exemplum figuræ [c] vir doctus existimat in Plauti Amphitryone reperiri; ubi per Herculem juratur, quum eo tempore, quo jurantes inducuntur, nondum Hercules natus esset; sed fallitur, nam ante Herculem Amphitryonis filium multi Hercules floruerant, per quos concipi poterat jusjurandum. Sed vulgatam lectionem malim retinere; quippe gravius car- 3
men videtur, si legatur *Lavinaque venit*; præterea non est uti figurâ, quia Lavinum litus, antequam Æneas in Italiam advenirет, a Lavino Latini fratre vocabatur, ut Servius [d] censuit; qui tamen reprehenditur, quòd Lavinium, Lavinum, Laurentum eandem urbem esse crediderit; quum Dionysius [e] Halicarnasseus, & [f] Strabo Lavinienses, & Laviniatas, & Laurentes tres esse populos doceant; sed de his hactenus. Quoniam autem Virgilii locus Lavinii nos admonet, non prætereunda est historia, qua cur Lavinium eo loco, ubi constitutum est, conditum fuerit, explicatur. Quum
Æneas [g] vel ab Erythræâ Sibyllâ, vel ab o- 4
raculo Jovis Dodonæi monitus esset, ut ad occasum Solis navigaret; & quum ad eum locum devenisset, ubi mensas comedisset, quadrupedem ducem nactus urbem conderet; fortè fortunâ accidit, ut quum Æneas Italiæ litoribus classem appulisset, Æneæ comites suppositum epulis apium, vel e pane quadras comederent; itaque visum est condendæ urbis tempus advenisse. Sacrum igitur apparabat Æneas, & jam aræ suem prægnantem immolaturus admoverat; sed ea e manibus elapsa sacerdotum fugit; Æneas fugientem sequutus est cum paucis, ratus eam oraculo signari ducem novæ coloniæ deducendæ; quum autem sus in collem quendam venisset viginti quatuor stadiis distantem a mari, in eo fessa conquievit. Ibi Æneas observato colle, & locis circumjectis, quum & humus non

satis

---

[a] Virgil. Æneid. libr. 1. in princip. [b] A. Gell. libr. 10. cap. 16. Jul. Cæsar Scalig. in Poëtic. libro 3. cap. 49. & Donatus in hunc Virg. locum. [c] Rubert. Titus loc. controvers. libr. 8. cap. 9. [d] Servius ad hunc Virgil. locum. [e] Dionysius Halic. Antiq. Roman. libr. 1. cap. 6. [f] Strabo libr. 5. de Italiâ. [g] Dionys. Halicarn. libr. 1. cap. 6.

satis fecunda, & locus remotus a mari, & mare importuosum videretur, cœpit in ancipiti curâ versari; nec satis constituere poterat, oraculo ne pareret, an regionem quæreret, locumque meliorem. Dubitantem vel audita repente vox, vel visi in somnis Dei monuerunt, ne a Diis paratam sibi felicitatem repudiaret; in loco, quem Numina ostendebant, urbem conderet; ex eo, licèt admodum sterili, & exiguo profectum multâ, & præstanti regione potiturum; & quum tot anni, quot sus fetus peperisset, effluxissent, ejus filium urbem magnam, fortunatamque conditurum, & Posteros maximum in Terris imperium consequuturos; quibus cognitis Æneas in eo ipso colle ubi sus consederat, Lavinium condidit. Sed nos ad alia progrediamur,
5 sequuntur [a] illa:

...... multum ille, & terris jactatus, & alto
Vi Superûm sævæ memorem Junonis ob iram.

Et in primis quidem verbis nihil aliud adnotandum, quàm hiatus illi: *multum ille & terris*, quibus efficitur grandior oratio, carmenque sonantius; illo etiam concursu *M* litteræ, & *Jotæ*, quo *M* eliditur, exprimitur difficultas, quam passus est Æneas in illo errore; sicuti sermo legentis moratur, & hæret in collisione duarum litterarum vocalis, & consonantis; ad hæc repetita copula auget orationis granditatem, ut notat Demetrius Phalereus. In secun-
6 do carmine Superûm via accipienda pro fato: quasi fatum, & voluntas fuerit omnium Deorum, ut Æneas non solùm Trojam, & Patriæ litus relinqueret, sed etiam ut multum jactaretur; vel ad Deorum vim respiciendum, quibus volentibus excisum Ilium est, quos Virgilius his versibus enumerat libro secundo:

Hîc ubi disjectas moles, avulsaque saxis
Saxa vides, mixtaque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque e sedibus urbem
Eruit; hic Juno Scæas sævissima portas
Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Jam summas arces Tritonia, respice, Pallas
Insedit nimbo effulgens, & Gorgone sæva;
Ipse pater Danais animos, viresque secundas
Sufficit, ipse Deos in Dardana suscitat arma.

Sed & in tertio libro Ilium eversum fuisse confirmat non solùm Junonis, verùm etiam omnium Superûm [b] voluntate:

Postquam res Asiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam visum Superis, ceciditque superbum
Ilium......

DISSERTATIO XV.

Ubi de illo Virgilii loco agitur. *Multa quoque &c.*

Quamplures fuerunt in Pace fortes, qui in bello nullam virtutem præsetulerunt. Demosthenes in prœlio clypeum dicitur abjecisse, fugæque se mandavisse. Fortitudo vera non tam in strenuè rebus gerendis cernitur, quàm in causis, propter quas res geruntur. Litterâ P. nondum repertâ Penas *dicebatur* Denas. *Palladium, & Penates Dardanus accepit in dotem a Chryse; & quum Arcades ex Peloponeso propter imbrium magnitudinem decessissent, translata sunt in Samothraciam, deinde Ilium, & eo capto Romam; nam verum Palladium Diomedes, & Ulysses minimè abstulerunt, sed effictum ad illius similitudinem; sicut Mamurius jussu Numæ fabricavit multa ancilia similia illi, quod Cœlo ceciderat, & vates cecinerant, imperium Terrarum futurum, ubi illud servaretur.*

Multi pacis artibus floruerunt, multi bellicis virtutibus immortalem sibi gloriam compararunt; sed pauci utroque laudis genere præstiterunt, & bello victores magnifici, & pace suorum civium principes extiterunt. Nec mirum, si paucissimis omnium virtutum complexus, concentusque contingit; quando una, eademque virtus in eodem homine raro tota reperitur. Nam quidam perferunt vulnera, non perferunt molestiam 1
morbi; Spartani [c] plagas magno animo tolerabant, ignominiam, contemptumque tolerare non poterant. Et, ne longiùs abeamus, fortitudo, & in pace, & in bello cernitur; sed non omnes, qui in pace fortes reperti sunt, eandem in bello fortitudinem præstiterunt; exemplum sit Aratus [d] ille Sicyonius; quis illo fortior, vel quum adversus tyrannos fuit conspirandum, vel quum perniciosorum civium impetus sustinendi, vel quum adversæ res fortiter perferendæ? sed ubi in aciem erat prodeundum, non modò fortitudo, sed etiam aliæ virtutes virum alioquin egregium

a Virgil. libr. 1. Æn. b Virg. Æn. libr. 3. in princ. c Cicer. Tuscul. Quæst. libr. 5. d Plutarchus in Vitâ Arati.

gium relinquebant; itaque hostes Græciam impleverunt trophæis de Arato constitutis. Idem accidit [a] Demostheni? magno animo Demosthenes Philippi potentiam lacessivit, magno animo fregit adversarios; sed ubi manu cum hoste fuit confligendum, destituit virum animi magnitudo; quapropter clypeum illum aureum, quo armatus in prœlium incesserat, dicitur abjecisse, fugæque se mandavisse. Ille igitur omnes numeros implet perfectæ fortitudinis, qui tam in pace, quàm in acie terribilia non reformidat. Atque hunc esse Æneam suum
2 Virgilius probat; &, ut ostendat omnes fortitudinis partes esse consequutum, postquam affirmavit, antequam bello implicaretur, multa mari, terraque constanter, & fortiter pertulisse, ne quis ei in bello fortitudinem putet defuisse, multis etiam perfunctum esse præclarè bellicis laboribus asseverat his versibus, quos hodierno die suscepimus [b] explicandos:

Multa quoque & bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque Deos Latio, genus unde Latinum,
Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ.

In quibus versibus adnotandum est bene, ac sapienter fecisse Virgilium, qui non tam laudavit Æneam, quòd bello sit multa perpessus, quàm ob causas quibus perpessus est; nimirum ut urbem conderet, & ut Deos patrios in certâ, & stabili sede collocaret; quorum alterum erga homines beneficentiæ, alterum pietatis erga Deos. Neque enim tam in strenuè rebus geren-
3 dis, quàm in causis, quibus res geruntur, vera, vereque laudanda cernitur fortitudo; nam, ut ait [c] Cicero libro primo de officiis; *temerè in acie versari, & manu cum hoste confligere immane quiddam, & belluarum simile est; sed quum tempus est, necessitasque postulat, decertandum manu est, & mors servituti, turpitudinique anteponenda.* Quàm ergo laudandus Æneas, qui & dum pacem agitat, & dum bellum gerit, fortis est; & quod fortiter agit, agit pietatis in Deos er-
4 go, & in homines benignitatis? Nec prætereundum, quos Deos Æneas Latio dicatur intulisse; atque omnes intelligunt Vestam, & Penates Deos ab Æneâ fugæ comites esse in Italiam transportatos; quum apud [d] Virgilium secundo libro legant:

Sacra, suosque tibi commendat Troja Penates;
Hos cape fatorum comites, his mœnia quære;

& apud [e] Propertium:

Huc meliùs profugos misisti Troja Penates.

Hi verò Dii colebantur in templo, quod erat [f] non procul a foro constitutum; eorum imagines sedentes, manibusque tenentes hastas antiquæ artis opera cernebantur. In multis aliis templis vetustis a se visa eorum simulacra Dionysius Halicarnasseus [g] asseverat omnia habitu militari, subscriptum verò sub basi *Denas* fuisse; quod nomen penates exprimebat antiquitus; quippe P litterâ nondum repertâ *Penas Denas* dicebatur; eos autem Deos a Samothraciâ usque pervectos ferunt. Chrysen [h] namque Pallantis filiam, quum Darda- 5
no nuberet, dotem dedisse non regna, non aurum, non gemmas, sed quod multo pretiosius censebatur, Palladium, & sacra Deorum, qui Magni vocabantur. Posteaquam verò Arcades relictâ Peloponeso propter imbrium magnitudinem in insulâ Thraciâ sedem posuerunt, Dardanum in eo loco templum his numinibus condidisse, arcana vulgo nomina ipsis imponentem, sacraque facientem recondita, & ab oculis remota profanorum. Quæ, quamdiu mansit Veterum superstitio, in Samothraciâ [i] sunt usurpata; ubi verò majorem populi partem Dardanus in Asiam trajecit, templa quidem, & mysteria manentibus in insulâ populis reliquisse, Deorum verò simulacra secum asportasse, quæ in urbe sibi cognomine a se conditâ collocavit; unde Ilium ab ejus cognatis translata dicuntur. Ilio capto Æneam ferunt in arcem transportasse unà 6
cum Palladio; neque [l] enim Ulyssem, & Diomedem verum Palladium abstulisse, sed quoddam simulacrum ita ad similitudinem Palladii artificiosè factum, ut a vero nemo fictum dignosceret; quippe Trojanos ea arte usos, qua [m] postea Numa lapsum Cœlo ancile occultavit; quum enim id ancile Cœlo cecidisset, vatesque cecinissent, ibi Imperium terrarum futurum, ubi id ancile servaretur, Numa, quò nemo ancile posset auferre, & ad alium populum Imperium transferre, quod translato ancili accidisset, Mamurio peritissimo fabro imperavit, ut multa ancilia fabricaret, quæ cœlestem illum clypeum perfectâ similitudine repræsentarent; unde in saliari carmine Mamurii nomen canebatur; eodem modo Trojanos jussisse alterum fieri Palladium omnino simile Palladio vero, & id in propatulo collocasse; quum alterum Dar-

[a] Plutarch. in Vit. X. Orator. cap. 8. [b] Virgil. Æneid. libr. 1. in princip. [c] Cicero de Offic. libr. 1. cap. *sed quum plerique*. [d] Virgilius Æneid. libr 2. [e] Propert. Eleg. 1. libr. 4. [f] Dionys. Halicarn. libr. 1. cap. 7. [g] Dionys. ibid. [h] Idem Dionys. ibidem. [i] Varro libr. 2. Rer. Human. apud Macrob. libr. 3. Saturnal. cap. 4. Dionys. Halicarn. libr. 1. c. 7. & Plutarch. in Vit. Camilli. [l] Dion. Halicarn. ibid. [m] Tit. Livius libr. 1. & Plutarch. in Vitâ Numæ.

Dardano datum a Jove in penetrali sede posuissent, venisse Diomedem, atque Ulyssem, & falsum Palladium pro vero abstulisse.

DISSERTATIO XVI.

De Palladio, & de Diis Penatibus.

Palladium ex ossibus Pelopis nonnulli factum prodiderunt; plerique tamen e Cœlo delapsum tradunt; & Ilo Regi datum Apollodorus refert. Penates esse Neptunum, & Apollinem quidam putaverunt; alii Jovem, quem interpretantur medium Æthera; Junonem, quam imum Aëra cum Terrâ; & Minervam, quam summum Ætheris cacumen; alii Fortunam, Cererem, Geniumque Jovialem, ac Palem, non illam, quæ pastorale numen habetur, sed Jovis ministrum, Penates esse existimant; alii denique Cœlum, & Tellurem. Dicuntur autem Penates a penu, & Samothraces ab Hebraico verbo, quod est occultare; Etrusci autem illos appellabant Consentes. Latium ex eo est appellatum, quod Saturnus ibi latuerit.

DEos, quos Æneas intulit Latio, Penates fuisse diximus, & Palladium; & ab Ulysse, & Diomede non verum Palladium esse raptum, sed ejus imitamentum; nunc reliqua de Palladio, & Penatibus exequemur. Verum [a] igitur Palladium in Italiam advectum ab Ænea, & Lavinii, mox Albæ, deinde Romæ custoditum tantâ religione, ut a nullo [b] præterquam a Vestalium maxima aspici fas esset; quapro-
1 pter Lucanus [c] cecinit:

Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam;

& alio [d] in loco:

...... nullique aspecta virorum
Pallas in abstruso pignus memorabile templo.

Causa tantâ religione custodiendi Palladii fuit, quòd æternum pignus Imperii crederetur, quo salvo salva Roma, salvum Imperium, salvæ Romanæ res viderentur; ad hanc opinionem Tullius aspexit, quum de Bruto [e] dixit: *ita conservandus est, ut signum, quod de Cœlo delapsum Vestæ custodiis continetur, quo salvo salvi sumus futuri*; sed & Livius, qui signum hoc Imperii pignus appellat; nam sic loquitur libro quinto: *quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod Imperii pignus custodiâ ejus templi tenetur, loquar?* Id signum fuit tribus cubitis altum,
quod [f] hastam dextrâ sublatam præfere- 2
bat, sinistrâ fusum, & colum habens quasi ingredientis; ex ossibus [g] Pelopis factum nonnulli tradiderunt; contra plerique e Cœlo delapsum memoriæ prodidere, & Ilo Regi datum, si credimus Apollodoro; ex quo fertur ceteris Palladiis præstitisse. Non enim hoc solum; sed Eustathio teste omnia simulacra Palladis Palladia nuncupantur; quæ eo libentiùs de Palladio diximus, quòd in libro secundo Virgilii Palladii ab Ulysse rapti mentio est; ubi Palladium fatale appellat, quod fatum fuisse diceretur, ut, nisi ablato Palladio, capi Troja non posset; sed jam ad Penates revertamur. Pe-
nates Trojanorum fuisse Neptunum, atque 3
Apollinem Labeonis, & Nigidii sententia est apud [h] Macrobium; ideo Virgilium dixisse:

Sic fatus meritos aris mactabat honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo.

Sed idem [i] Macrobius non dissimulat quibusdam videri Penates esse, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos animi rationem possidemus; eos esse Jovem, quem Interpretantur medium Æthera, Junonem, quam imum Aëra cum Terrâ, Minervam, quàm summum Ætheris cacumen; quorum sententiâ Palladium debet inter Deorum Penatium simulacra numerari; hos verò Deos [l] dicâ
θεοὺς μεγάλους, θεοὺς χρηστοὺς, θεοὺς δυνατοὺς hoc est: 4
Magnos Deos, Bonos Deos, Potentes Deos, & eas omnes appellationes expressisse Virgilium; nam Æneidos libro tertio dixisse:

Cum sociis, Natoque, Penatibus, & Magnis Diis;

item Junonem, quæ inter Deos penates recensetur, appellasse Magnam, quum [m] cecinit:

Junonis Magnæ primùm prece Numen adora;

appellasse bonam [n] eo versu:

Adsit lætitiæ Bacchus dator, & Bona Juno;

appellasse potentem eo [o] carmine:

Junoni cane vota libens, dominamque Potentem;

quam appellationem Vestæ [p] etiam tribuisse his verbis:

Sic ait, & manibus vittas, Vestamque Potentem;

quia Vesta vel inter Penates Deos recense-

[a] Plutarch. in Vitâ Camilli, & Valer. Maxim. libr. 1. cap. 8. [b] Ælius Lamprid. in Heliogab. [c] Lucanus Pharsal. libr. 1. [d] Idem libr. 9. vers. 995. [e] Cicero in Philippic. 2. [f] Dionys. Halicarnass. libr. 1. [g] Arnob. adversùs Gent. libr. 4. [h] Macr. libr. 3. Saturnal. cap. 4. [i] Idem Macrobius ibid. [l] Idem ibid. [m] Virgil. Æneid. libr. 3. [n] Idem libr. 1. Æneid. in fine. [o] Idem Æneid. libr. 3. [p] Idem Virg. libr. 2. Æneid.

feretur, vel esset eorum comes; quod Consules, & Prætores declarasse, qui rem divinam Lavinii Penatibus, & Vestæ pariter faciebant; aliam appellationem [a] Deorum Penatium fuisse Deos Patrios θεὺς πατρώυς eam Virgilium posuisse, quum [b] dixit:

Dii Patrii servate domum, servate nepotem.

His autem non assentiuntur illi, qui, ut
5 Arnobius [c] tradit, Fortunam, Cererem, Geniumque, quam Jovialem vocat, ac Palem, non illam, quæ pastorale Numen habetur, sed Jovis ministrum, Deos Penates existimant. Dionysius [d] Halicarnasseus autem Penatium Deorum appellationem a Græcis exprimi multis modis ait; nam, & πατρώυς θεὺς appellari, & γενεθλίυς, & κτησίυς, & μυχίυς, aut ἑρκέιυς. Nec defuerunt, qui Penatium Deorum nomina ignorari arbitrentur, dictosque [e] Penates a Penu, qui est in ædibus locus intimus, & reconditus; nec [f] aliâ ratione Deos Samothraces ab Hebraico verbo deductum vocabulum, quod significat occultare; inde putant factum, ut a Samothraciâ advecti esse credantur; hos ab Etruscis appella-
6 ri [g] Consentes, & in penetralibus coli; quocirca Festus [h] Pompejus ait penetralia esse Deorum Penatium sacraria; ideo Seneca Penates penetrales Deos appellavit; & Catullus eò videtur aspexisse quum dixit [i]:

Ad quam tum properans fertur simul undique pubes
Græca penetrales deseruisse Deos;

quæ lectio a nonnullis probatur, licèt alii legant *focos*. Sed sive Penates Dii habentur, Juno, Juppiter, Minerva, Vesta, sive Fortuna, Ceres, Geniusque, quem [l] Arnobius memorat, ac Pales Jovis minister, sive Consentes Dii, sive denique, ut quidam tradiderunt, Cœlum, & Tellus; hos Deos ab Ænea in Latium illatos esse confirmat hoc loco, quem illustravimus, quum dixit:

Inferretque Deos Latio......

Quem locum respexit Silius Italicus his versibus:

Intulerit Latio spretâ me Trojus, inquit,
Exul Dardaniam, & bis Numina capta Penates.

7 Sequuntur verba:

...... genus unde Latinum,
Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ

Quæri autem solet, cur ab Ænea genus Latinum originem Virgilius affirmet habuisse, quum ante Æneam multis ætatibus Latium vocaretur, quod multis in locis Virgilius ipse testatur; nam a Saturno dictum Latium his versibus asseverat, ubi de Saturno [m] loquens ait:

Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris;

& libro septimo Latinus Rex suos populares Latinos vocat his verbis:

Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo, nec legibus æquam
Sponte suâ, veterisque Dei se more tenentem;

& eodem libro, quum Æneas a Latino Rege pacem petiturus, urbemque conditurus ad eundem Regem misisset legatos, ita loquitur Poëta:

Jamque iter emensi turres, ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant;

& undecimo libro sic Æneas legatos Latini Regis alloquitur:

Quænam vos tanto fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello?......

Ex quibus locis, aliisque compluribus con- 8
stat Latinum genus ab Ænea non defluxisse; quum & antequam Æneas nasceretur, & quum urbem nondum condidisset, & Italos devicisset, auctore Virgilio, Latium, & ejus incolæ Latini populi vocarentur. Quod etiam aliis testibus demonstratur; quippe Ovidius a Saturno nomen Latio datum [n] asseverat:

Dicta quoque est Latium terra latente Deo;

& Arnobius libro quarto idem de Saturno loquens affirmavit: *numquid*, inquit, *pulsum a Saturno senem Italorum latuisse in finibus, & quòd tutus fuisset a filio, nomen Latio imposuisse pro munere?* Quomodo autem recte a Virgilio dictum sit Æneam Latini nominis fuisse conditorem, aliâ dissertatione dicemus.



DIS-

[a] Hygin. in libro de Diis Penat. apud Macrob. libr. 3. cap. 4. [b] Virg. Æn. libr. 2. [c] Arnob. adversf. Gent. libr. 3. [d] Dion. Halic. libr. 1. cap. 7. [e] Cicero l. 2. de Nat. Deor. & Arnob. libr. 3. adversf. Gent. [f] Fr. Junius ad Tertullianum de Spectac. cap. 8. & Voss. in Etymol. in V. *Penus*. [g] Arnobius adversf. Gent. libr. 3. [h] Festus Pomp. in V. *Penetrale*. [i] Catullus ad Malliom ep. 69. [l] Arnob. libr. 3. adversf. Gent. [m] Virgil. Æn. libr. 8. [n] Ovid. Fast. libr. 1.

DISSERTATIO XVII.

In illud Virgilii locum: *genus unde Latinum &c.*

Franci deletis Gallis regionem a se denominarunt. Æneas Lavinium condidit, Lavinienses autem Albam; ex qua triginta coloniæ Latinæ deductæ fuerunt; ideo Æneas Latini generis auctor dicitur a Virgilio; non verò quia Latinos debellaverit, ut docto Interpreti placet. Parti magnæ imperans universæ regioni imperare dicitur. Ædificia Romanorum immensæ altitudinis erant; adeo ut legibus statuenda fuerit eorum altitudo; quamobrem non sine causâ alta a Virgilio Roma vocatur.

Antequam Æneas in Italiam adveniret, proximam Tiberino flumini regionem Latium appellatam, & ejus incolas Latinos nuncupatos ostendimus, Auditores ornatissimi; non ergo videtur ab Ænea Latinum genus esse deductum; idcirco quæri solet, cur Virgilius [a] dixerit;

...... Genus unde Latinum,

Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ.

1 Non enim consentaneum veritati videtur, & ante Æneam Latinum nomen extitisse, & ab Ænea duxisse originem; hunc nodum hodierno die solv.m, tum cur Albani Patres appellentur, deinde cur alta Roma nuncupetur, explicabo. Vir inprimis doctus, & eruditus Maronis [b] interpres ideo putat Æneam dici Latini nominis conditorem, quia quum Latium subegisset, possetque jure victoriæ mutare nomen Latinis populis, eosque vel Trojanos, vel aliâ quapiam ratione appellare, maluit priscam appellationem retinere; immo etiam Trojanos in gentis a se devictæ migrare nomen coëgit; dedit ergo, inquit, Latinis, quod non ademit; & visus est condere, quod instauravit. Et sanè dubitari non potest, quin innumeræ nationes perdomitis a se regionibus nomen dederint; sic ab Henetis [c] in potestatem redacta Euganea regio Veneta est appellata: sic magna Italiæ pars ab Etruscis devicta Etruriæ nomen accepit: sic postquam Galli Alpes trajecerunt, & Etruscos debellarunt, quidquid interjacet inter Alpes, & [d] Apenninum, Gallia Cisalpina cœpit nominari: Sicilia [e] verò a Siculis victoribus dicta est: Jonia Asiæ regio ab [f] Atheniensibus; Italiæ autem ora a Græcis Magna Græcia nuncupata est. Multa præterea possent exempla proferri 2 gentium, quibus inducto vetere vocabulo victores nomen indiderunt. Ex quibus vir doctus effici putat, quum jure belli victori liceat gentis a se devictæ mutare nomen, & Æneas victor Latinorum fuerit, eum Latinis adimere nomen potuisse; quod quum minimè fecerit, dici posse putat dedisse, quod non abstulit. Quam viri docti conjecturam non ausim improbare; nec tamen dissimulandum eas ferè regiones a victoribus nomen accepisse, quæ veteres incolas vel internecione deletos, vel e sedibus pulsos prorsus amiserunt; ita Franci quum Galliam occupassent, subactæ a se regioni nomen dederunt, quia Gallos vel extorres actos, vel trucidatos prorsus deleverant; at Persæ, Macedones, Romani, licèt magnam terrarum partem subegerint, nulli regioni vetus nomen ademerunt, quia victis parcebant, & victoriâ elementer utebantur, & neminem, nisi in acie, occidebant. Quapropter quum Æneas nec delerit La- 3 tinos, nec delere posset, nisi vellet ipse a ferocibus accolis propter suorum paucitatem pelli, non poterat Latii nomen abolere, quum Latinis parcere cogeretur. Accedit eodem, quod non satis eleganter dicimus Æneam Latini generis auctorem, quia Latii nomen, quum posset, non immutavit; nam quis dicat a Romanis duxisse originem Afros, Ægyptios, Hispanos, ceteraque nationes, quia Romani Afris, Ægyptiis, Hispanis, ceterisque nationibus nomen non abstulerunt? Quare propiùs est vero ab Ænea dici Latinum genus esse 4 deductum, quia Æneas [g] Lavinium condidit, Lavinienses Albam, Albani triginta Latinas colonias deduxerunt; triginta igitur Latii civitates Æneam generis auctorem ferebant; maxima pars Latinorum ad Æneam gentis originem referebat; non mirum si Æneas dicitur Latinorum pater, si dicitur ab Ænea Latinum genus defluxisse; ab eo quippe, quod maximas partes continet, latissimeque funditur, tota res appellatur; nec id novum, Alexander, & Romani dicuntur Orbem terrarum subegisse, quia magnam terrarum partem subegerunt. Lucanus Cæsaris milites Mundi domitores vocat, etiam antequam Pompeji copias funderent; sic enim Cæsarem suos milites inducit [h] alloquentem:

O domitor Mundi, rerum fortuna mearum,

Miles, adest toties optatæ copia pugnæ;

& ta-

Tom. II. T

[a] Virgil. Æneid. libr. 1. [b] Serv. ad libr. 1. Æneid. Virg. v. *Genus unde Latinum &c.* [c] Tit. Liv. libr. 1. [d] Strabo libr. 5. de Italiâ. [e] Diodor. Siculus Bibliothec. Historic. libr. 5. [f] Strabo libr. 8. de Achajâ. [g] Tit. Liv. libr. 1. [h] Lucanus Pharsal. libr. 7.

& tamen quotam partem Mundi Cæsaris milites domuerant? Athenienses Græciæ
5 imperare post pulsos Græciâ Persas dicebantur, quum neque Spartanis, neque Spartanorum sociis imperarent: Siciliæ [a] Tyrannus Dionysius, Hiero [b] Siciliæ Rex vocabatur, & tamen Siciliæ partem, non totam Siciliam utraque imperio obtinebat; denique quod quisque magnæ parti est, universæ rei censetur esse. Magnæ Latinorum partis Æneas pater habebatur; jure Latii pater poterat nuncupari, jure Latinis originem præbuisse putabatur: Albani [c] verò Patres appellantur, quòd Albani Romam Romulo duce condiderunt; nam populus ille, qui coloniam deduxerat, ab eâ parentis loco colebatur, & veteris Patriæ cives patres vocabantur; sic apud Herodotum Athenienses dicuntur Jonum patres, quia Athenienses Joniam deductis coloniis frequentarant; in eo loco Themistocles hæc verba jubet in lapidibus incidi, ut Jonas ab amicitiâ Persarum [d] disjungat: ἄνδρες Ἴωνες ὐ ποιεῖτε τὰ δίκαια ἐπὶ τὺς πατέρας στρατευόμενοι, καὶ τὴν Ἑλλάδα καταδυλέμενοι: hoc est, *Jones viri, facitis injustè, quum adversùs patres ducatis exercitum, & Græciam in servitutem redigatis*. Sic apud Dionysium Halicarnasseum Metius æquum censet metropolim a coloniâ iisdem affici honoribus, quibus parentes a filiis afficiuntur; sic [e] enim loquitur: ὅσης γὰρ ἀξιῦσι τιμῆς τυγχάνειν οἱ πατέρες παρὰ τῶν ἐκγόνων, τοσαύτην οἱ κτίσαντες τὰς πόλεις παρὰ τῶν ἀποίκων: Quum igitur coloniæ civitatem, a qua deductæ fuerant, parentis loco venerarentur; non mirum, si Albani Patres nuncupantur, patres scilicet Romanorum, quorum urbis fuerant conditores. Restat ut
6 videamus, cur a Virgilio Roma alta appelletur; neque enim ea sola causa, quæ cuivis occurrat, affertur, altam dici Romam ob colles, in quibus condita est, sed magis [f] ob altitudinem ædificiorum, quibus urbs consurgebat, quam ingentem [g] fuisse Plinius his verbis testatur: *quo siquis altitudinem tectorum addat, dignam profectò æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto Orbe potuisse ei comparari*; & [h] Claudianus his versibus:

Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Cujus nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit . . . . . .

& [i] Aristides, qui sic ait: *nec verò superficiem tantùm soli occupat, sed longè supra omne exemplum in aëra altissimè ascendit*. Atque ea ædificiorum altitudo, quum quotidie ædes altiùs tollerentur, & veteris fundamenta non sufficerent auctæ moli sustinendæ, subitarum ruinarum causa existebat; de quibus queritur [l] Juvenalis his verbis:

. . . . . . horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula sævæ
Urbis . . . . . .

Cui malo ut obviam iret Augustus, legem
tulit, ne quis altiùs septuaginta pedibus æ- 7
dificium privatum tolleret; Trajanus autem modum altitudinis posuit sexaginta pedes; quæ leges, quum altitudinem privatarum ædium haud modicam esse voluissent, vulgò neglectæ declararunt, quàm altè ædium fastigia consurgerent; quæ si fuissent servatæ ingentem fuisse Romæ altitudinem inficias ire non possumus; neque enim vetera ædificia sustulerunt, & de publicis nihil sanxerunt, quorum mirifica excelsitas; quapropter non sine causâ videtur dixisse Rutilius [m] Gallicanus:

Non procul a Cœlo per tua templa sumus.

Ex quibus constat, cur propriè Virgilius Romam dicat altam; in quo ab Homeri imitatione non discessit, qui [n] Trojam appellat αἰπεινὴν, appellat ἠνεμόεσσαν, nam libro nono sic [o] ait:

. . . . . . ἐπεὶ ὐκέτι δήετε τέκμωρ
Ἰλίυ αἰπεινῆς . . . . . .

& [p] libro tertio:

Ἤτοι ἐγὼν εἶμι προτὶ Ἴλιον ἠνεμόεσσαν.



DIS-

[a] Diodor. Sicul. Bibliothec. Hist. libr. 16. & Plutarch. in Vit. Dionis. [b] Diodor. Sicul. Biblioth. Histor. libr. 11. [c] Tit. Liv. libr. 1. Dionys. Halicarn. Antiq. Roman. libr. 1. & Plutarch. in Vitâ Romuli. [d] Herodot. libr. 8. cap. 22. [e] Dionys. Halicarn. libr. 1. [f] Servius in Æneid. Virgilii libr. 1. v. *Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ*. [g] Plin. libr. 3. cap. 5. [h] Claudian. Cons. Stilic. carm. 24. v. 131. [i] In Encomio Urbis Rom. [l] Juvenal. Satyr. 3. v. 7. [m] Rutilius in Itinerario v. 50. [n] Homerus Iliad. libr. 15. vers. 558. [o] Idem Iliad. libr. 9. v. 418. [p] Idem Homerus Iliad. γ. v. 305.

DISSERTATIO XVIII.

In illum Virgilii locum: *Musa, mihi causas memora.*

Veteres initio rerum agendarum, vel dicendarum Diis preces adhibebant; adeout etiam orationum exordia a precibus in Deos auspicarentur; poetæ verò, ut plurimum Musas invocabant; sed Lucanus solum Neronem invocavit, & Apollinis auxilium sprevit; hinc quibusdam ejus carmina Nerone, quàm Apolline digniora videntur: Democritus negat quemquam sine furore divino ad excellentem Poëticæ gloriam posse pervenire; quod & Plato comprobat. Apelles dicebat se venustate omnes superasse. Cur Virgilii propriam Musam esse Erato Marsilius Ficinus autumet.

PErpetuum, ac solemne fuisse Veteribus nihil aggredi, nisi priùs divinum Numen precibus propitiassent, notiùs est, quàm ut cujusquam, qui rerum antiquarum studium primoribus, ut dicitur, labris delibàrit, effugere scientiam possit; hinc [a] & urbium conditores, antequam novæ urbis jacerent fundamenta, sacris rite perfectis divini Numinis opem implorabant; & imperatores antequam ad bellum proficiscerentur, in Capitolio vota nuncupabant; & antequam in aciem copias educerent, sacris, precibusque Deos placabant; & quum e portu solverent, a precibus, & votis navigationem auspicabantur; & renunciaturi magistratus Deos precabantur, & suscepturi Diis supplicabant; & pacem facturi priùs pacem Deum exorabant; & qui nuptias erant celebraturi, nuptiarum solemne a precibus inchoabant; nihil denique publicæ, aut privatæ rei gerebatur, quin priùs Deorum Numen invocaretur. Nec solùm initia rerum agendarum, sed etiam dicendarum a precationibus capiebant; siquidem [b] vetustus mos oratoribus Romanis fuit, ut a precibus orationum exordia ducerentur; quem etiam [c] Livius quodammodo usurpat in historiâ; & Aristides Quintilianus, qui de Arte Musicâ præclarum opus condidit, initio non aliquem Deum, Deamve, sed ipsum Deorum, atque hominum patrem vocat, & Universi conditorem; & [d] Julius Firmicus de stellarum potestatibus libros inchoaturus convenienter disciplinæ, quam susceperat explicandam, stellarum, quæ vocantur errantes, opem imploravit. Quod si in aliis operibus frequens, & usitatum est; in quo magis celebrandum est, quàm in alicujus præclari poëmatis exordio? &, si aliis scriptoribus usurpandum, quanto magis poëtis, qui non se ingenio, sed instinctu, afflatuque divino versus fundere gloriantur. Nec verò de se ipsi solùm id prædicant, sed magnus ille [e] Democritus, ille sacer naturæ mystes asseverat; qui negat posse quemquam ad excellentem Poëticæ gloriam pervenire, nisi furore divino fuerit concitatus; quod & [f] Plato multis in locis comprobavit. Profectò convenit, ut eorum invocent Numen, quorum ope in tantâ carminum gloriâ, & ingenii laude versantur; & illud opus ab invocatione Numinis inchoëtur, quod non sine Numinis favore perficitur. Idcirco a summis poëtis videmus usurpatam Superûm, & præcipuè Musarum invocationem; sic Musam in utroque opere [g] Homerus vocat; nam licèt in Iliade non Musam, sed Deam nominet, tamen [h] Eustathio teste Musam, & eam præstantissimam Calliopen intelligitur implorare; Musas [i] Hesiodus, & Antimachus, qui dixit: . . . . . .

Ἐννέπετε Κρονίδαο Διὸς μεγάλοιο θύγατρες:

Calliopen proprio nomine Stesichorus appellavit, Apollonius Phœbum, & eum sequutus [l] Valerius Flaccus; convenientissime [m] Lucretius de rerum naturâ ex Epicuri doctrinâ dicturus Venerem precatur, quasi omnis voluptatis effectricem; quæ sola videtur Epicureis expetenda; nec minus aptè [n] Virgilius de Re Rusticâ præcepta daturus Solem, & Lunam, a quibus omnis terræ fructus proficiscitur, quos appositè Liberum, & Cererem nuncupat, qui frugum & vini habentur inventores; quæ duo præcipuè ab agricolis appetuntur; Ovidius [o] in opere maximo omnes Deos invocavit; Aratus [p] Jovem, a quo putat inchoandum, & in quem desinendum. A qua consuetudine poëtarum paulisper illi deflexerunt, qui principes implorare maluerunt; quorum quidam post Musarum, aut Deorum invocationem ad Principes se converterunt, ut [q] Statius, & Valerius Flaccus [r], & Virgilius in Georgicis ubi Augusto tanquam Deo futuro adulatur; qui-

[a] Plato in Critia, vel libr. 4. de Leg. Dionys. Halicarnass. libr. 1. cap. 1. Lyl. Girald. de Deis Gent. Syntagm. 17. Servius ad libr. 3. Æneid. Virgilii v. *Connubiis, arvisque novis operata juventus!* [b] Valer. Maxim. libr. 1. in Prologo. [c] Tit. Liv. libr. 1. [d] Jul. Firmic. libr. 1. cap. 4. in fine. [e] Democrit. apud Clem. Alexandrin. libr. 6. Stromatum.

[f] Plato in Jone, vel de furore poëtico, & Clem. Alexandrin. ibid. [g] Homer. in principio Iliad. atque Odyss. [h] Eustath. ad librum 1. Il. Homer. [i] Hesiod. in Oper. & Dieb. & in Theogon. [l] Val. Flacc. in Argon. [m] Lucret. l. 1. [n] Virg. Georg. libr. 1. [o] Ovid. Metam. libr. 1. [p] Arat. in Phæn. in princ. [q] Stat. l. 1. Theb. [r] Val. Fl. in Argon.

quidam verò solùm Principes invocarunt, ut [a] Lucanus, & [b] Manilius; & Lucanus quidem Neronem, quem infra belluas ponere debebat, quasi jam Numen alloquitur; immo etiam spernit auxilium Apollinis, ut non mirum sit, si [c] ejus carmina quibusdam Nerone digniora, quàm Apolline videantur. Sed quid non audeat adulatio? Sapientiùs in Æneide Virgilius hunc morem Principibus assentandi repudiavit, quum in Georgicis haud esset aspernatus; hanc autem [d] assentationem in Æneide repudiavit, vel se ipso doctior factus, vel quia in opere leviore non dedecere videbatur hujusmodi blanditiis captare maximi post homines natos Principis benevolentiam; in gravissimo autem minimè convenire, quum nihil magis abhorreat a gravitate, quàm adulatio. Itaque non Augustum, cujus hor-
5 tatu Æneidem conscribendam suscepit, licèt id non prorsus ineptè facere posset, quum Augustus jam vulgò [e] Deus haberetur; sed Musam invocat, & ut adesse sibi velit, comprecatur, exemplo Principis Græcorum poëtarum; sic enim [f] ait:

Musa mihi causas memora, quo Numine læso,
Quidve dolens Regina Deûm tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit; tantæ ne animis cœlestibus iræ?

quem Silius Italicus [g] imitatus cecinit:

...... Da Musa decus memorare laborum
Antiquæ Hesperiæ......

6 Quæri autem potest, quæ sit ea Musa, cujus numen sibi Virgilius aspirare desiderat; Marsilius [h] Ficinus propriam Virgilii Musam Erato esse contendit; quod, ut opinor, Erato Musa est, quæ Veneris orbem moderatur, ob eamque causam omnes gratiæ, omnes lepores, omnes venustates ab eâ, tanquam fonte, promanant; ac meritò videtur Virgilio affuisse propter Virgiliani carminis incredibilem venustatem, gratissimamque gratiam, quæ ubique elucet, & luculentissimum poëma commendat. Quod enim summus pingendi magister [i] Apelles de se dicere solebat, sibi neminem esse parem propter venustatem, quæ in suis operibus emineret, id de Virgilio dici potest; sunt quidem in ejus poëmate omnes virtutes, sed inter eas venustas, qua vincit omnes, videtur principem locum obtinere; ut quum ab hoc discesseris, nihil propemodum venustum esse videatur; atque hoc est, quod Horatius [l] ait carminis genus:

...... molle, atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure camœnæ

Quare si Marsilium Ficinum audire volumus, verisimile est Virgilium Erato invocasse, quæ poëtæ fuerit maximè propria, & familiaris; sed de hac re alio die disseremus.

DISSERTATIO XIX.

In eundem Virgilii locum, & versus, qui consequuntur.

Calliope a pulcbritudine vocis est appellata. Platonici quum singulis orbibus cœlestibus suam Musam tribuant, quæ eos animet, Calliopen Universo tribuunt. Musæ antiquitus fuere tres tantùm; alii tamen duas fuisse tradunt; alii quinque; Mnaseas tamen quatuor esse voluit; septem Myrsilus, & Crates octo; ceterùm quisque eum Musarum numerum esse statuebat, in quem disciplinas dividebat. Socrates ajebat ea petenda esse a Deo, quæ per nos consequi non possumus. Causæ rerum latent, non ipsæ res. Pietas est omnium virtutum fundamentum. Ira est animi imbecillis, nec in Deum cadit ex Stoicorum sententiâ, licèt id improbet Lactantius; nam quum scelera Deus ulciscitur, non utitur irâ, sed justitiâ. Deorum iras dici numero dumtaxat multitudinis, nonnulli viri eruditi voluerunt; verùm poëtas id non observaße multa exempla docent.

Exponendi nobis hodierno die versus, quibus Poëta summus invocat Musam; ac primùm [m] quum Musæ novem esse dicantur, quam ex his Virgilius imploret, nobis est indagandum; tum de Musis nonnulla dicenda; deinde quædam, quæ ad horum carminum lucem pertinere videbuntur afferenda; sed ante [n] Virgilii versus proponam:

Musa mihi causas memora, quo Numine læso,
Quidve dolens Regina Deûm tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit; tantæne animis cœlestibus iræ?

Et superiore [o] quidem sermone confirmavimus Marsilio Ficino videri propriam Maronis Musam fuisse Erato, ob eamque causam posse quempiam suspicari a Virgilio Erato, quæ poëtæ propria fuit invocari; 1
sed

[a] Lucan. in Pharsal libr. 1. [b] Manil. in Astron. libr. 1. [c] Jul. Cæs. Scalig. libr. 3. Poët. cap. 28. & libr. 5. cap. 17. [d] Jul Scalig. Poët. libr. 5. c. 17. [e] Cornel. Tacit. l. 1. Annal. Servius ad illud Ecl. 1. *Namque erit ille mibi semper Deus &c.* & Suet. in Vitâ Augusti cap. 52. [f] Virgil. libr. 1. Æneid. [g] Silius Italic. de Bello Punico libr. 1. [h] Marsil. Ficin. in argumento Dialogi Platonis, qui inscribitur Io, vel de furore poëtico. [i] Plin. libr. 35. cap. 10. [l] Horat. Sat. 10. libr. 1. [m] Hesiod. in Theogon. [n] Virg. Æneid. libr. 1. [o] Dissert. 18. num. 6.

sed ea ratio per quam levis, & haudquaquam consentanea veritati judicanda est; nam quum Calliope sit ea, quæ [a]

...... libris heroica carmina mandat,

& heroicum sit poëma Virgilii, existimandum videtur Calliopen invocari; præsertim, quum propter excellentiam, qua reliquis præstat, quotiescunque musa generatim nominatur, non adjecto proprio nomine, Calliope debeat intelligi; quæ & a pulchritudine vocis nomen invenit, & antiquissima est Musarum, teste Aristarcho, & earundem princeps, ut tradit [b] Apollodorus. Platonici [c] verò, quum singulis
2 orbibus cœlestibus tribuant suam Musam, quæ eos cantu temperet, & moderetur, immo etiam animet [nihil enim aliud esse Musas philosophi putaverunt, quàm Cœlestium orbium animas, atque mentes] Calliopen Universo tribuunt, quæ molem hanc Mundi regat, & infuso spiritu moveat, quasi Calliope sit omnium aliarum complexa virtutes; ideo Eustathius in Iliadis librum primum tradit Calliopen habere nomen compositum ex omnium vi, & efficacitate Musarum; Joannes autem Grammaticus, aliique solam Calliopen poëticæ studiis, reliquas Musas aliis præsidere disciplinis asseverant. Quare quum Virgilius invocet Musam, eam intelligi debet invocare, quæ poëtis favet; quod & ipse Virgilius ostendit, qui ubi suam Musam proprio nomine appellavit Calliopen [d] dixit his verbis:

Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti.

Licèt id non sit magni momenti; nam idem alio in loco Erato [e] invocavit:

Nunc age, qui Reges, Erato, quæ tempora rerum.

Sed alii non Calliopen, aut Erato a Vir-
3 gilio implorari (hoc enim ab [f] Hesiodo nomen inventum est) putarunt, sed aliam Musam vetustiorem, quæ tamen eadem potestate, quam Calliope postea attribuerunt, prædita crederetur. Nam [g] Antiquis tres, Musæ fuisse dicuntur, quarum una præesset cantibus, alia flatibus, tertia pulsibus; sed quum Sicyonii Musarum simulacra tribus artificibus faciendà locavissent (artifices fuere [h] Cephisidorus, Strongylion, & Olympiosthenes) eorum unusquisque ternas Musas, qui tum Musarum numerus habebatur, expressit; quum autem difficulter judicari posset, quis nam eorum ceteros artificio superasset, omnesque Musæ, quas fecerant, mirificè placuissent, & affabrè factæ viderentur, non tres, ut antea statuerant, sed novem dedicarunt. Ex quo factum est, ut Musæ novem putarentur; quibus [i] Hesiodus nomen imposuit, qui numerus postea obtinuit; adeo ut Granius, & Ælius novemsiles Deos, quos Romani colebant, Musas putent. Alii verò [l] tra-
dunt Pierum Macedonem, a quo mons in 4
Macedoniâ nomen accepit, instituisse, ut novem Musæ colerentur, & nomina, quæ vulgo nota sunt, ipsis indidisse; idcirco Musas Pieridas appellatas, & Pierum habitum Musarum patrem; quum alioquin vetustiorum Musarum [m] pater fuisset Cœlum; mater Terra; quæ fortasse eadem est, ac Mæa, quam [n] Eustathius affirmat esse Musarum matrem; juniorum autem pater Juppiter, mater [o] Mnemosyne, nutrix [p] Eupheme, ut est a Pausania traditum. Alii
verò fabulam hujusmodi litteris mandave- 5
runt; Macarem [q] fuisse Regem Lesbiorum, habuisse filiam Megaclo, & quum esset merà asperitate naturæ, & iracundiæ impotens, uxorem suam asperrimè, inhumanissimeque tractare solitum; Megaclo, quum miseram matris conditionem miseraretur, emisse novem famulas, ac diligenter curasse, ut musicam artem optimè condiscerent; quum autem eæ summam ejus disciplinæ scientiam essent consequutæ, earum cantibus Macarem delinitum multum ex pristinâ iracundiâ remisisse, & ad mansuetudinem, lenitatemque esse deductum; Megiaco, ut ob acceptum beneficium puellis gratiam referret, æreas columnas ipsis dedicasse, ipsasque divinis honoribus affici in omnibus templis imperasse; ideo Musas esse novem, quia is numerus fuit famularum, quas Megaclo ad patrem cantu, fidibusque demulcendum adhibuit. Quam hi-
storiam veram, aut fictam esse non facilè 6
est affirmare; sed hinc Musarum supersti- 3
tionem non profluxisse contenderim; nam si novem initio Musæ fuissent consecratæ, non esset memoriæ proditum tres fuisse vetustissimas Musas, nec tam incertus Musarum numerus [r] haberetur; Mnaseas quippe quatuor esse voluit, septem Myrsilus; octo Crates existimavit. Sed trium antiquarum Musarum nomina fuere; Melete, Mneme, & Aœde; quæ, ut [s] Pausanias affirmat, Aloëi filii dedere Musis; ex quibus

[a] Virgil. Epigr. de Musarum inventis, vel Ausonii secundùm Scaliger. & alios. [b] Apollodor. in Biblioth. [c] Macrob. in Somn. Scipion. libr. 2 cap. 3. & Phornutus cap. de Musis. [d] Virgil Æneid. libr. 9 [e] Idem Æn. libr 7. [f] Hesiod. in Theogon. [g] Arnob. adversùs Gentes libr. 3. [h] Pausan. in Bœoticis, sive libr. 9. [i] Plutarch. in Sympos. libr. 4. quæst. 14. [l] Cœlius Rhodig. libr. 22. cap. 8. [m] Alcmæon apud Cæl. Rhodig. libr. 20. c. 16. [n] Eustath. ad libr. 1. Iliad. Hom. [o] Plato in Theæteto, vel de Scientiâ, Plutarch. de Liberis educandis, & Athen. libr. 15. cap. 16. [p] Pausan. in Bœotic. sive libr. 9. [q] Clem. Alexandr. in Protrept. [r] Arnob. advers. Gent. l. 3. [s] Pausan. in Bœoticis, sive libr. 9.

bus constat unam duntaxat cantibus præ-
fuisse. Atque id confirmat etiam [a] Plutar-
chus in Symposiacis, qui tres Antiquis Mu-
sas fuisse tradit, quia tres antiquitus habe-
rentur disciplinæ, rhetorum, philosopho-
rum, mathematicorum; eas verò discipli-
nas in ternas rursus esse partes distributas;
rhetoricen quidem in judicialem, delibera-
tivam, & demonstrativam; philosophiam in
eam, quæ ad mores, ad rationem, natu-
ramque pertinet; mathesin in musicen, in
arithmeticen, & geometriam; ita novem
factas esse Musas; quæ prout visum est sa-
pientibus dividere disciplinas, alium, at-
que alium numerum susceperunt; nam
præter illos Musarum numeros, de quibus
diximus, & duas, & quinque, & septem
Musas fecere sapientes. Sed quicunque
7 earum numerus habeatur, apparet unam
duntaxat præesse studiis poëtarum, & ideo
quum poëtæ invocant Musam, poëticam
credendi sunt invocare. Quapropter ani-
madvertimus omnes ferè poëtas heroicos
non Calliopen, aut Melpomenen, aut Eu-
terpen, aut aliam, sed Musam implorasse;
quemadmodum & [b] Virgilius, quum dixit:

Musa, mihi causas memora .....

In quibus verbis adnotandum est bene,
prudenterque Virgilium a Musâ non tam
postulare, ut sibi narret errores Æneæ, ut
bella, quæ in Italiâ gessit, exponat, quàm
ut causas memoret, quibus commota Ju-
no contra Æneam, Trojanosque adeo ve-
hementer exarsit; nam, ut [c] præclarè So-
crates ajebat, ea petenda sunt a Diis im-
mortalibus, quæ posita non sunt in nostrâ
potestate, quæ per nos consequi non pos-
sumus, quæ nequeunt ullâ nisi divinâ ope
nobis contingere; quæ verò pertulerit Æ-
neas, quæ maria transiverit, quas terras
peragrarit, quæ bella confecerit, utcun-
que Poëta poterat; quum & eloquentiâ
valeret, & omnes mente complexus esset
8 historias, expedire. Sed scire causas, quæ
animum Deæ exulcerarunt, quæ in virum
pietate præstantem incitarunt; quis nisi
instinctu, afflatuque divino commotus, &
Superis docentibus possit? cui mentium
divinarum arcana, præterquam Deo, pa-
teant, & aperiantur? In ipsis animis ho-
minum tantæ sunt latebræ, tam obscuri,
abstrusique recessus, ut quibus causis in i-
ram exarserint, quibus rebus offendantur,
quibus ad amorem, vel odium incitentur,
ne suspicari quidem possimus; quid dicen-
dum de Superûm mentibus? quis earum co-
gitationes deprehendet, quis causas, quibus
motæ fuerint, Mortalis investigabit? Jure
igitur a Deâ petit, ut sibi causas aperiat i-
rarum, quibus inflammata est Dea; quod
mortali ingenio se consequi posse diffidit;
ut quum, quod difficillimum est, impetra-
rit, etiam faciliora consequatur. Conve- 9
nienter etiam invocet Musam, ubi sunt
causæ retegendæ; nam Musæ ἀπὸ τοῦ μῶσθαι,
ab inquirendo scilicet, ut [d] Platoni, & Eu-
stathio placet, sunt appellatæ; ex quo per-
spici potest Musarum esse munus inquire-
re, quid autem plerumque inquiritur? cer-
tè nihil aliud, quàm causæ; nam res in
aperto sunt, causæ latent, & indagantur;
quod rerum naturam contemplantibus li-
quet; eorum quippe, quæ quotidie subje-
cta sunt oculis, causæ ignorantur. Videmus
quotidie Mundum converti; quæ causa
tantam molem in orbem contorqueat, a-
dhuc investigamus: videmus nimium fre-
quenter concuti terram; quæ causa con-
cutiat, vix excellenti ingenio viri tot sæ-
culis deprehenderunt; videmus accessus,
& recessus maris; quæ causa maritimos
fluctus reciprocet, indagatur; videmus rue-
re fulmina, furere ventos, sævire tempesta-
tes, ardere montes ignibus sempiternis;
causæ, quæ tantos motus cient, ac tanta
moliuntur, nisi diu, multumque perquiren-
do non cognoscuntur; denique nihil est
in rerum naturâ tam apertum, tamque per-
spicuum, cujus erui causæ nisi longâ in-
quisitione possint. Quum igitur causæ fe-
rè solæ sint inquirendæ, & Musarum sit
munus inquirere, meritò ad causas patefa-
ciendas Musa invocatur. Pertinet etiam ad
Musam verbum *memorare*; nam *memorare* a 10
memoriâ dicitur, Musa verò [e] Mnemosy-
nes idest, *memoriæ* filia est, vel est ipsa me-
moria; quid enim aliud μνήμη, quo nomi-
ne una ex Musis antiquitùs vocabatur,
nisi *memoriam* significat? Quæ verò conse-
quuntur, pertinent ad augendum miracu-
lum rei, reddendamque rationem, cur Mu-
sæ sit auxilium implorandum; est quippe
dignus Deo vindice nodus; nec explica-
ri facilè potest, cur insignem pietate virum
Juno sit insectata; nam quum pietas om-
nium virtutum sit fundamentum, consen-
taneum est pios Diis esse gratissimos, Deos-
que semper his esse placatos, & benevo-
los; cur ergo Dea Juno Æneam non so-
lum pium, sed etiam pietate virum singu-
lari acerbissimo odio persequuta est, agita-
vit, vexavit, oppressit? Nec vacat, quod
Reginam Deûm appellavit, quo nihil majus
dici potest; nam quo major est Juno, eo
mirabilius est eam tantâ iracundiâ, tantâ
ulciscendi cupiditate exarsisse; nam ira im-
becillium est animorum; itaque [f] Seneca
notat iracundiæ vitio pueros, & mulieru-
las

[a] Plutarch. libr. 4. quæst. 14. Sympos. [b] Virgil. Æneid. libr. 1. [c] Socrates apud Platonem in Alcibiade 2. & in Philebo. [d] Plato in Cratylo

[e] Pausanias in Bœotic. sive libr. 9. [f] Seneca de Irâ libr. 1. cap. 16.

lias maximè laborare; & Poëta [a] Græcus affirmat senes affectâ jam ætate fieri in iram proniores, & Juvenalis [b] ait:

...... quippe minuti
Semper, & infirmi est animi, exguique voluptas
Ultio......

Jure igitur Poëta miratur Reginam Deûm
11 irasci tantopere potuisse; & potuisse irasci viro pietate præstanti, cui propter hanc virtutem placata esse debebat; aptissimeque hac voce sermonem [c] concludit:

...... tantæne animis cœlestibus iræ?

Est enim planè mirandum esse iram animis cœlestibus; nam a veritate Lucretius non prorsus aberravit, quum primo [d] libro dixit:

Omnis enim per se Divûm natura necesse est,
Immortali ævo summâ cum pace fruatur.

Et Stoici negant cadere iram in Deum, quod verissimè dictum est, licèt [e] Lactantius Firmianus confutare conetur; neque enim utitur irâ Deus, quum in sontes animadvertit, quum scelera ulciscitur; sed utitur justitiâ, & humano generi consulit; vel enim ceteros deterret a scelere, vel eos, qui corrigi possunt, emendat Nec
12 omittendum hoc loco a viris eruditis observari [f] Virgilium dixisse:

...... tantæne animis cœlestibus iræ?

quia quum de Diis loquimur, ira non dicatur propriè, sed [g] iræ numero multitudinis; mihi ambigua videtur hæc conjectatio, quum sciam frequentissimè poëtas, & alios Auctores, quom de Diis verba facerent, uti iræ vocabulo numero singulari, non multitudinis; exempla passim occurrunt; Virgilius libro primo dixit:

...... memorem Junonis ob iram;

& [h] octavo:

Junoni fer rite preces, iramque, minasque
Supplicibus supera votis......

& libro [i] primo:

Navibus, infandum, amissis unius ob iram;

& alio [l] in loco:

Junonis gravis ira, & inexaturabile pectus;

& contra, quum de homine [m] loqueretur dixit:

...... sevæ jamque altiùs iræ
Dardanio assurgunt ductori......

& Horatius [n] de Thyeste loquens ait:

Iræ Thyesten exitio gravi
Stravere......

& auctor obsceni carminis de irâ Deorum sic ait:

Quid hoc novi est, quid ira nunciat Deûm?

& Ovidius:

Tantum odiis, iræque dabat Saturnia Juno;

Statius [o] de Oedipode dixit:

Talia conquestus paulatim sumpserat iras;

& [p] idem:

Occidimus, functasque manu stimulavimus iras.

Quæ exempla quum sint frequentissima, haud temerè affirmarim in hac re ullum discrimen observandum.

DISSERTATIO XX.

In Virgilii carmina, quibus explicat causas odii Junonis in Trojanos.

Cornelius Fronto docet antiquum esse, quod patrum memoriam excedit. Quo tempore Carthago condita fuerit, & cur antiqua dicatur a Virgilio, magna est inter Auctores dissensio. Cambyses bellum inferre Carthaginiensibus non potuit renuentibus Tyriis militare contra suos colonos, quos Liberorum loco habere debebant; quam justam causam detrectandæ militiæ Cambyses reputavit.

Explicat Poëta causas, cur Juno conjux illa summi Deorum, hominumque Regis tam acerbo odio virum pietate præstantem, & justitiâ singulari, auctorum olim Cœlestium religiones insectaretur; quæ explicatio causarum non solum pertinet ad totius operis perspicuitatem, cujus confectandæ causâ omnes Historici, omnesque ferè poëtæ, antequam narrare instituant, utuntur expositione causarum, sed etiam ad Æneam purgandum. Posset enim aliquis suspicari non talem fuisse Æneam, 1
qualis fingitur, quum in odium Deæ, ejusdemque maximæ incurrerit; nam quomodo pius ille, qui esset invisus Diis? Huic suspicioni occorrit Poëta, quum dicat non ob sacra neglecta, violatam religionem, profanata delubra Deorum, offensum perjurio Numen, Junonis iram exarsisse; sed ob veteres offensiones, quarum culpa ad Æneam non pertinebat, metumque, quo Regina Deûm Romam, quam erant Trojani condituri, Carthaginis arces excisuram expavescebat, conceptum

[a] Hesiod. in Hemiambis apud Jo: Stob. serm. 115. [b] Juvenal. Sat. 13, v. 186. [c] Virgil. Æneid. libr. 1. [d] Lucret. libr. 1. v. 57. [e] Lactant. Firmianus de Irâ Dei cap. 1. [f] Virgil. libr. 1. Æn. [g] Germ. Valens, & Jo: Lud. Cerda in hunc l. 1. Æn. Virg. v. 25. [h] Virg. Æn. libr. 8. v. 60. [i] Idem libro 1. Æneid. v. 255. [l] Idem Æneid. libr. 5. v. 781. [m] Idem libr. 10. Æneid. [n] Horat. libr. 1. Od. 16. [o] Stat. Thebaid. libr. 11. [p] Idem Thebaid. libr. 12.

ptum in gentem odium in Æneam innocentem affirmat convertisse. Carmina divini Poëtæ, quibus exponit hanc sententiam, sunt [a] hujusmodi:

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago Italiam contra, Tiberinaque longè
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli,
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabitâ coluisse Samo; hîc illius arma,
Hîc currus fuit; hoc regnum Dea gentibus esse,
Si quà fata sinant, jam tum tenditque, fovetque.
Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces,
Hinc populum latè Regem, belloque superbum
Venturum excidio Libyæ, sic volvere Parcas,
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis,
Nec dum etiam causæ irarum, sævique dolores
Exciderant animo; manet altâ mente repostum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et genus invisum, & rapti Ganymedis honores,

Atque hoc loco quæri solet, cur Poëta
2 confirmet antiquam fuisse Carthaginem Æneæ ætate, qua condebatur; quis enim recens conditam urbem, immo necdum conditam, sed imperfectam antiquam vocet? Enimvero quum, ut Cornelius Fronto [b] docet, antiquum sit, quod excedit patrum memoriam, nullo modo statim post captam Trojam antiqua Carthago fuit; tres enim opiniones esse celebriores accepimus de tempore, quo Carthago condita est; una est ea, quæ auctoritate Virgilii nititur, & licèt a veritate abhorrere videatur, tamen propter Poëtæ famam maximè vulgò celebrata est; quæ paucis annis antequam in Italiam Æneas perveniret, a Didone Carthaginis jacta fundamenta esse confirmat; quam unus ex [c] Historicis Cedrenus est sequutus; alia quæ ducentis annis circiter post adventum Æneæ a Didone Carthaginem constitutam [d] asseverat; tertia, quæ [e] a Psoro, & Carchedone Carthaginem conditam memoriæ prodidit annis ante Ilium captum quinquaginta. Si quamlibet harum opinionum sequi libeat, neutiquam dici potest antiqua Carthago, qua tempestate Æneas in Africam venit; nam aut nondum condita erat, aut recens condita, adeo ut ejus origo non excederet patrum memoriam. Ac nonnullis videtur antiqua Carthago dici quasi nobilis, 3
sed exempla vix occurrunt; *antiquior* sanè pro *meliore*, & *potiore* dicitur, sed antiquus vetustatem notat, ut Nonius Marcellus docet. Est & alia interpretatio Carthaginem Africæ principem civitatem antiquam appellari, quia [f] in Hispaniâ fuit alia Carthago, quæ nova nuncupata est, quam munitissimam urbem uno die [g] Scipio superior expugnavit. Sed & illa interpretatio videtur a veritate non abhorrere, comparatione Romæ antiquam haberi Carthaginem; nam quum Roma tot urbes a fundamentis excitarit, tot infrequentes populo missis colonis frequentarit, urbium parens meritò appellatur, & antiquitatis titulo gloriatur; sed Carthago quingentis ferè annis, priusquam Roma, condita est, si credimus [h] Appiano; multo igitur magis antiquitatis gloriam sibi vindicat; quamquam alii Carthaginis ortum faciunt recentiorem trecentis annis, quum affirment annis ducentis quadraginta post Æneæ fugam a Didone constitutam; Justinus [i] autem adhuc recentiorem, & Urbe Româ septuaginta duobus annis vetustiorem. Verumtamen de tempore, quo condita est 4
Carthago, & de conditoribus est inter Auctores magna dissensio; illud haud ambigitur [l] Tyrum inclytam Phœniciæ urbem parentem esse Carthaginis. Quocirca Herodotus [m] tradit, quum Cambyses Ægyptum subegisset, & regionem Cyrenaicam Imperio adjecisset, statuissetque inferre bellum Carthaginiensibus, quominus id, quod proposuerat, efficeret, esse impeditum Tyriorum constantiâ, quorum classe Cambyses utebatur; qui suos colonos, quos Liberorum loco debebant habere, in servitutem redigentibus Persis auxilio esse recusarunt; itaque quum Tyrios Cambyses habere justas causas ejus militiæ detrectandæ judicasset, belli faciendi Carthaginiensibus consilium repudiavit; quum neque Tyrios ad oppugnandam suam coloniam vellet compellere, neque sine Tyriorum navalibus copiis satis instructus ad id bellum sibi videretur. Justinus [n] quoque a Tyriis 5
conditam Carthaginem tradit, & [o] Appianus, & [p] Quinctus Curtius, qui quotannis a Carthaginiensibus missos Tyrum legatos ad celebrandum sacrum anniversarium,

---

[a] Virgil. Æneid. libr. 1. [b] Cornel. Fronto in diff. Vocab. [c] Georg. Cedren. in Compend. Histor. pag. 115. Edit. Basil. & Strabo libr. 17. [d] Appian. Alexandrin. in Libyc. [e] Idem Appian. Punicor. libr. in princ. [f] Strab. libr. 3. Plin. libr. 3. cap. 3. & Pompon. Mela libr. 2. cap. 6. [g] Idem de Bello Hispan. T. Liv. libr. 6. decad. 3. Plinius libr. 26. cap. 4. Paul. Oros. libr. 4. cap. 18. & Silius Italic. libr. 15. [h] Appian. in Punic. [i] Justin. libr. 18. in fine. [l] Cicer. de Natur. Deor. libr. 3. Pompon. Mela libr. 1. cap. 7. [m] Herodot. libr. 3. cap. 19. [n] Justin. libr. 18. [o] Appian. de Bell. Punic. in princip. [p] Quinct. Curt. libr. 4.

rium, Tyriosque a Pœnis parentum loco esse cultos memoriæ prodidit. Atque hoc est, quòd Virgilius [a] ait:

...... Tyrii tenuere coloni;

qua verò causâ Tyrii sint e Phœniciâ profecti, & quo duce usi magnam Carthaginem condiderint, alio die exponemus.

DISSERTATIO XXI.

Ubi agitur de Carthaginis ortu, & nomine, & de quibusdam Virgilii locis.

Carthago, quum ipsam Romani exeindendam decreverunt, trecentis urbibus imperabat; & in eâ septingenta hominum millia censebantur; ejus autem ambitus vigintitria millia passuum colligebat; quum verò incensa fuit, dies omnino septemdecim conflagravit. Byrsa dicta est arx Carthaginis a corio; alii tamen Bysram dictam putant, quæ vox Phœnicum linguâ significat locum munitum. Dido, quum frater Pygmalion Sicheum ejus virum, & avunculum interfecisset, in Africam venit, & Carthaginem condidit; alii tamen tradunt Psorum, & Carchedonem Carthaginem coloniam deduxisse; ideo a Græcis dicitur Carchedon a conditore; Carthago autem dicitur, quasi nova urbs; dicta est etiam Caccabe, quia, quum fundamenta jacerentur, inventum fuerit caput equi. Multæ extant ubique urbes Neapolis nomine appellatæ. Virtus virorum sine pecuniâ non sufficit ad comparandam magnam potentiam bello, ut exemplo Lacedæmoniorum docemur; contra verò nec opes prosunt sine virtute, quod Arabum imbecillitas demonstravit; quorum decem millia cecidit Ælius Gallus duobus dumtaxat militibus amissis; & nisi perfidia Sylæi impedimento fuisset, universam Arabiam paucis mensibus subegisset; quin etiam quum urbes obsedisset, ac expugnasset, & manus cum hostibus contulisset, in eo bello universo septem Romani tantummodo ferro cæsi fuerunt. Quinctus Flaminius dicebat Philopœmenem egregium ducem carere ventre, quum pecuniâ destitueretur. Byzacii ager centuplicem frugem reddebat. Licèt Polybius, & Livius prodiderint, quod Pœni ex plebe exercitus non conscriberent; tamen initio plebem quoque bellicosam fuisse certum est; nec admittenda est docti viri interpretatio, qui putat Virgilium dixisse Carthaginem belli studiis asperrimam, quia esset belli cupida, non quia scientiâ rei militaris præsta- *rm. Hostis victi virtus gloria est victoris; ideo Alexander Pori Regis, & Indorum virtute gavisus esse fertur. Regna Junonis dona sunt; ideo Juno Regina, & regia vocatur; quia & pro regno interdum accipitur; dicitur autem Saturnia, quum ejus sævitia est exprimenda; quemadmodum Trojanos quum impios, & perjuros significare vult Virgilius, laomedonteos nuncupat.*

De Carthaginis [b] origine hodie mihi differendum, cujus urbis magnitudinem interitus ipse, ipsæ ruinæ ostenderunt; siquidem quum Romani ultimum bellum Punicum decrevissent, quum jam ipsi exitium immineret, trecentis urbibus imperabat; in eaque jam diutino fessâ bello septingenta hominum millia censebantur; & ejus ambitus viginti tria millia pas-
suum colligebat; quæ jam capta multos dies 1
victoribus restitit, incertamque fecit victoriam, & incensa dies omnino septemdecim [c] conflagravit. Quapropter est operæpretium tantæ urbis initia quàm brevissimè exponere, quum præsertim id pertineat ad Auctorem nostrum explicandum, quod quum fuero exequutus, de Carthaginis nomine pauca delibabo, tum de nonnullis Virgilii locis differam. Igitur memoriæ [d] proditum est Pygmalionem Tyriorum fuisse tyrannum; cujus Dido soror Sichæo avunculo nupserat, Herculis Tyrii Sacerdoti, quæ secundùm Regem dignitas maxima habebatur; hunc, ut ejus thesauris potiretur, Pygmalion interficit. Id graviter Dido tulit; sed ut erat femina animo virili, & prudentiâ singulari, conceptum in fratrem odium tegit, fingit se ad eum migrare velle, ne luctus imagine in mariti ædibus turbaretur; lætus eam rem Pygmalion accipit ratus Didonem ad se cum Sichæi opibus migraturam; itaque mittit cum navibus delectos homines, qui Didonem deducerent. Illa conscensâ navi,
imposito auro, missis a Pygmalione viris 2
minatur sese eos apud fratrem accusaturam tanquam aurum, quod in mare dejici jusserat, dolo clepsissent, nisi se ducem fugæ sequerentur; illi minis territi, sævitiamque tyranni metuentes Didoni sunt obsequuti. Accesserunt etiam multi summo loco nati, qui tyrannum vel oderant, vel formidabant; ac primùm ad insulam Cyprum appulerunt, ubi comitem fugæ sacerdotem Jovis assumpserunt, & octoginta virgines, quas, ut [e] mos erat genti, ad quærendam corpore dotem, in litore prostitutas invenerant; deinde cum his in Africam tra-

[a] Virgil. Æneid. libr. 1. [b] Strabo libr. 17. de Carthagin. & Carthaginiensib. [c] Lucius Flor. libr. 2. cap. 15. [d] Justin. libr. 18. [e] Idem ibidem.

jecerunt; ac mercati solum, quantum tauri corio possent occupare, mirantibus Afris, & quid pararent, ignaris, corium tenuissimum in lorum secuerunt, quo multum complexi intervallum in eo arcem, quæ Byrsa est appellata, quia byrsa Græcis corium dicitur, condiderunt; quò princeps [a] poëtarum libro primo respexit his verbis:

Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo

& Silius [b] Italicus, qui sic ait:

Tum pretio mercata solum nova mœnia condit,
Cingere qua secto permissum litora tauro.

Quam tamen fabulam de corio in tenuis-
3 simum lorum secto a Græcia esse fictam ignoratione Phœniciæ linguæ doctissimi viri crediderunt; quum enim Carthaginis arx Bysra [c] vocaretur, Græci similitudine vocis decepti Byrsam putarunt appellari; & [d] quia Byrsa corium significat, commenti sunt fabulam de corio, quo Phœnices locum cinxerunt, qui satis esset urbi condendæ; qua ratio reddi posset cur arx Byrsa vocaretur, quum re verâ Bysra nomen esset arcis, quod significat locum munitum. Sed qui Psorum, & Carchedonem Carthaginis conditores esse voluerunt, aliam afferant causam, migrationis Phœnicum necesse est; eam nimirum, quæ ceteris fuit a natali solo migrandi, coloniasque deducendi, quam Dionysius [e] Halicarnasseus refert. Nam quotiescunque novâ quotidie subolescente pube hominum multitudine urbes abundarent, vel inclementiâ Cœli, vel æstu, vel aliâ qualibet aëris intemperie solitos fructus malignè terra produceret, ut alendæ tantæ multitudini haudquaquam annona sufficeret; partem juventutis alicui Deo consecratam e patriâ terrâ, armis datis dimittebant, antea multum precati suos cives, ne succenserent expellentibus necessitate, si colonos tristioribus causis, & irâ Deorum adducti mitterent; sin autem lætioribus, bonis ominibus, sacrisque rite perfectis proficiscentes prosequuti. Is autem Deus, cui multi-
4 tudo proficiscentium fuerat consecrata, favere putabatur exulibus, & eorum conatus ad prosperos exitus perducere; hi autem, qui proficiscebantur coloni, & colonia urbs, quam condiderant; Metropolis [f] ea, a qua missi fuerant, dicebatur; cujus cives urbis a se conditæ cives tanquam [g] Liberos diligebant, & ab ipsis parentum loco observabantur, & opem ferebant ipsis, quum indigerent, & ab ipsis defendebantur. Atque his de causis, & hoc modo Psorus, atque Carchedon Carthaginem condiderunt, & fecere coloniam Tyriorum, si verum est Psorum, atque Carchedonem fuisse Carthaginis conditores; quam historiam sequutos esse Græcos animadvertimus; nam Carthaginem Carchedonem a conditore Carchedone videntur appellasse, quum Carthago appellata, quasi nova urbs, ut quidam sunt auctores, esse dicatur, quò fortasse respexit [h] Virgilius libro primo, quum dixit:

Ut terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris......

Quo in loco novam Carthaginem dixit, ut 5
exprimeret Carthaginis nomen, quod nihil aliud, quàm novam urbem Phœnicum linguâ sonat; Græci dicunt Neapolim; dictaque nova est comparatione Tyri, quo nomine coloni urbes, quas condiderant, frequenter appellabant; nam & in Italiâ colonia Cumanorum Neapolis [i] est appellata, & in [l] Syriâ Neapolis fuit, & [m] in Cariâ, Thraciaque [n], & in [o] Africâ, & in [p] Galatiâ, & in [q] Sardiniâ populi Neapolitani fuerunt; quæ omnes urbes novæ sunt dictæ eâ ratione, qua filios, ut a patribus distinguamus, juniores vocare consuevimus; ut siquis exempli gratiâ Ciceronis filium Ciceronem juniorem vocet. Atque hanc rationem, qua Carthago nova urbs dicebatur, libro quarto Virgilius tangit his verbis:

Non aliter, quàm si immissis ruat hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros......

Ideo quippe Carthago dicitur nova, quia Tyrus habetur antiqua; vetustas igitur distinguit Tyrum a Carthagine, quum alioquin hæ duę civitates una, eademque civitas propter cognationem esse videantur. Est & aliud Carthaginis [r] nomen, quod ei fe-
cit eventus; Caccabe quippe nominata 6
est, quod significat equi caput; quum [s] enim, ut Carthaginis fundamenta jacerentur, humus foderetur, inventum est equi caput, quod urbem eam fore bellicosam indicavit; quam historiam Virgilius non prætermisit, sic enim libro primo loquitur:

Lucus in urbe fuit mediâ lætissimus umbrâ,
Quo primùm jactati undis, & turbine Pœni
Effodere loco signum, quod Regia Juno

Mon-

---

[a] Virgilius Æneid. libr. 1. [b] Silius Italicus libr. 1. [c] Strabo libr. 17. & Appianus Punic. in princip. [d] Suid. in V. Βυρσαῖετος. [e] Dionys. Halicarnass. libr. 1. Antiq. Roman. [f] Idem Dionys. Halicarn. libr. 3. cap. 2. Antiq. Roman. [g] Idem Dionysius Halicarn. ibid. [h] Virgil. Æneid. libr. 1. [i] Strabo libr. 5. [l] Plin. libr. 5. cap. 13. [m] Idem libr. 5. cap. 29. [n] Idem libr 4. cap. 11. [o] Idem Plinius libr. 5. cap. 4. [p] Idem Plin. libr. 5. cap. 32. [q] Idem libr 3. c 7. [r] Cæl. Rhod. l. 18. cap. 38. [s] Justin. l. 18. Hist. & Serv. in hunc Virg. loc.

Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per sæcula gentem.

Atque hæc de Carthaginis origine, & conditoribus, & nomine attulisse contenti
7 progrediamur, Auditores, ad nonnullos Virgilii locos illustrandos, qui in propositis versibus reperiuntur. Ac primus occurrit ille, ubi Poëta duabus rebus præstare Carthaginem dixit, studio rei [a] bellicæ, & opum magnitudine,

.....dives, inquit, *opum, studiisque asperrima belli.*

Est autem animadvertendum hoc loco duo Poëtam attigisse, quibus urbes ad summum potentiæ fastigium solent pervenire, opum scilicet affluentiam, & studium rei militaris, quæ in bello plurimum posse nemo non fateatur; pecuniam [b] quippe nervos esse belli vetustissimum dictum est, & omnium sæculorum consensu comprobatum. Ideo Polybius libro sexto confirmat Spartanorum leges esse idoneas ad tuendam libertatem; sed esse inutiles ad magnam potentiam bello comparandam, quia pauperem Spartam facerent, & ut [c] ait Pindarus, latè potentes opes invehi prohiberent. Quapro-
8 pter admodum facetè Quinctus [d] Flaminius Romanus imperator irridere solebat Philopœmenem egregium Achæorum ducem satis instructum peditum, equitumque copiis, inopem verò pecuniæ, quum diceret eum quidem habere manus, & pedes, sed carere ventre; quod Flaminii dictum nos admonet frustra magnos exercitus comparari, nisi pecuniæ vis, quæ magnitudinem copiarum alere possit, comparetur. Nam quemadmodum animanti parum prosint alia membra, si venter desit, a quo alimentum in corpus omne tribuatur; ita imperatorem parum ad res gerendas juvant arma, equi, viri, nisi pecuniæ copia suppetat, qua aluntur, & sustentantur exercitus; contra verò ingentes opes virorum virtute destitutæ rei bellicæ nihil afferunt adjumenti. Arabes illi, qui Felices appellan-
9 tur, dicuntur opibus ceteros Mortales præstitisse; id [e] Plinius, & [f] Strabo testantur, qui a toto Orbe terrarum tradunt in Arabiam pecuniam importari, ex Arabiâ verò nihil umquam pecuniæ prorsus exportari; ideo [g] Horatius Arabum opulentiam miratur his verbis:

Intactis opulentior
Thesauris Arabum, & divitiis Indiæ;

& quum [h] ait:

Icci beatis nunc Arabum invides

Gazis ......

Et tamen Arabes, quia quàm divitiis abundabant, tam carebant virorum robore, nihil antiquitus præclari gesserunt; immo præda fuissent omnium nationum, nisi locorum naturâ defenderentur. Id ostendit 10
exercitus Ælii Galli Romani ducis, qui quum [i] ad Arabiam Felicem perdomandam ductus esset, ingentes Arabum copias fudit, fugavitque, & eorum decem millia cecidit, quum duos in eo prœlio dumtaxat milites amisisset; ac nisi perfidia Sylæi legati Regis Nabatæorum magnis incommodis Romanos affecisset, universam Arabiam paucorum mensium intervallo subegisset. Quo in bello apparuit, quàm sit tutum bellare cum imbellibus viris; nam quum Romani urbes expugnassent, & obsedissent, manus cum hostibus contulissent, in eo [l] bello universo septem tantummodo ferro cæsos desiderarunt; quum non paucos fames, æstus, morbi, difficultates locorum absumpsissent. Non ergo prosunt divitiæ, ubi desunt virorum robora; nihil enim Arabibus, licèt essent Mortalium ditissimi, profuerunt; sed ubi cum magnis, exaggeratisque opibus virtus, & studium rei militaris conjungitur, efficitur illa præclara potentia, cui omnia succumbant, necesse est; quam Virgilius affirmat Carthagini contigisse; nam sic [m] ait:

..... dives opum, studiisque asperrima belli.

Quæ laudatio omnibus numeris absoluta
est; nec abhorret a veritate; siquidem Ap- 11
pianus [n] Alexandrinus affirmat Carthaginienses secundùm Persas plurimum opibus valuisse, virtute verò, & armis Græciæ non concessisse. Quantæ verò opes
Carthaginis fuerint rebus Pœnorum pro- 1
speris, declaravit adversa fortuna; vix respirarat a cladibus fessa Carthago, quum secundo bello victa Romæ succubuisset, quum [o] legatos Romanos ad dirimendas lites missos, quæ inter Masinissam Regem, Pœnosque de finibus quotidie oriebantur, felicitas Urbis terruit; quæ tantum brevi susceperat incrementum, ut rursus esset Romanis pertimescenda. Quæ Carthago paucis annis post exitiabile bellum, quod ipsam pœne funditus everterat, tantum opibus valuit; quantum credimus integram valuisse? quantâ opulentiâ consentaneum est præstitisse, quum tot sæculis prosperâ fortunâ uteretur, quæ vectigalis facta Romanis, & recentibus suarum cladium vestigiis ipsos victores opibus territabat? Causa

a Virgil. Æneid. libr. 1. b Plutarch. in Agide, & Cleomen. c Pind. Pyth. Od. 5. v. 1. d Plutarch. in Apophthegm. de Flamin. e Plin. l. 6. cap. 28. f Strabo l. 16. g Horat. Carm. libr. 3. Od. 24. h Idem libr. 1. Od. 29. i Strabo l. 16. de Arab. l Idem eundem loc. m Virgil. Æneid. libro prim. n Appian. in Bell. Punic. in princip. o T. Livius Decad. 4. libr. 4.

ſa tantæ opulentiæ ab [a] Appiano duæ ve-
riſſimæ aſſeruntur: ἥτε τῆς πεδίων εὐκαρπία, καὶ
θαλάσσης εὐκαιρία, *& fertilitas terræ, & oppor-
tunitas maris*. Fertilitas Carthaginienſis agri
tanta fuit, ut Plinio [b] teſte regio, quæ Byza-
cium vocabatur, cum centeſimâ fruge fœ-
nus agricolis redderet; maris autem ſumma
opportunitas, quum in Iſthmo eſſet Cartha-
go [c] ſita, haberet tutiſſimum portum, &
quamlibet magnarum claſſium capacem.
Accedebat eodem ſcientia rei nauticæ,
quam quum a Tyriis accepiſſent ſuis ma-
joribus, Pœni ſemper auxerant, ſemper
excoluerant; adeo [d] ut nulla natio cum
Pœnis maritimarum rerum peritiâ poſſet
comparari. Nec verò quod plerunque ac-
12 cidit, affluentes opes Carthaginienſium
animos molliverant, & a ſtudiis belli ad
luxum, ignaviamque converterant; quod
enim de Lacedæmoniis Cicero [e] ſcribit,
Lacedæmoniorum morem inflammatum
eſſe cupiditate vincendi, id de Carthagi-
nienſibus dici poteſt. Teſtes res in Siciliâ
a Pœnis geſtæ; trecenta millia militum [f] a
Gelone Tyranno cæſorum, quum in Si-
ciliam ejus inſulæ ſubigendæ causâ traje-
ciſſent, Pœni amiſerunt. Quæ gens un-
quam tantâ clade conterrita conſilium in-
vadendæ Siciliæ non abjeciſſet? Athenien-
ſes [g] certè, quum aliquot clades accepiſ-
ſent, dum Salamina bello petunt, legem
ſanxerunt in perpetuum, ut ſi quis id bel-
lum ſuaſiſſet, capite plecteretur; at Pœni
nec hac tantâ, nec aliis, cladibus perculſi
incepto deſtiterunt. Nonne igitur, quod
de Trojanis Homerus ait, pugnando ſatiari
non poſſe Trojanos, id in Pœnos conve-
nit? nonne verè a Poëtâ dicta Cartha-
go eſt belli ſtudiis aſperrima? Nec ve-
13 rò quis opponat mihi [h] Livii, & [i] Polybii
auctoritatem, qui tradunt Carthaginienſes
uti plerumque mercenario milite, quaſi
fuerit imbellis urbana plebs Carthaginien-
ſium, & ideo verè dici non poſſit bellico-
ſa Carthago; nam & ſi ex urbanâ plebe Pœ-
ni exercitus non conſcribebant, quia, ut
Livius [l] ait, plebs in urbe eſſet imbellis,
imbellis in agris, tamen & nobilitas belli
ſtudia colebat, & omnis populus ardebat
ingenti cupiditate armis quærendæ poten-
tiæ, & finium proferendorum. Declarat id
Africa imperio ſubjecta Carthaginienſium:
declarat Hiſpania, Sicilia, Sardinia in eo-
rum ditionem ac poteſtatem redacta: de-
clarat denique Italia victoriis peragrata Pœ-
norum, & armis, caput rerum Roma tre-
mefacta. Quin antiquitus & Carthaginien-
ſium plebem fuiſſe arbitror bellicoſam; Ap- 14
pianus [m] certè ſcribit initio Pœnos, quum
Carthaginem condidiſſent, regionibus cir-
cumjectis potitos, & fines imperii propa-
gaſſe, quia Afris bellicâ virtute præſtabant.
Et ſanè Carthaginis conditores nunquam
inter infeſtas, & barbaras nationes ad tan-
tas opes emerſiſſent, ſi imbellem plebem
habuiſſent; nam quo pacto, quum tantum
ſoli modò obtinerent, quantum urbs occu-
pabat, aut tueri urbem, aut ferocium acco-
larum injurias propulſare, aut agrum, qui
ſatis eſſet alendæ civitati, bello parare po-
tuiſſent, niſi ſuis copiis, ſuo milite ute-
rentur? neque enim conducendi militis
inter infeſta omnia facultas erat. Paula-
tim deinde maris opportunitas, ut opinor,
plebem avertit a ſtudio rei militaris, & ad
lucrum invitavit; quemadmodum Athe-
nienſes dicuntur, ubi, auctore Themiſto-
cle [n], rerum maritimarum ſtudio ſeſe ve-
hementiùs dediderunt, priſtinam virtutis
indolem paulatim amiſiſſe, & corruptâ Re-
publicâ uti cœpiſſe; tunc verò coacti ſunt
Carthaginienſes militem mercede condu-
cere, quum plebs cupida mercaturis quæ-
rendæ rei militiam detrectaret. Ceterùm
quantum armis per ſe poſſet ipſa [o] Cartha- 15
go oſtendit Libyco bello, quod adverſus
milites mercenarios geſſit; quum enim om-
nes Africæ civitates defeciſſent, & cum
mercenariis conjuraſſent, & bellum Car-
thaginienſibus intuliſſent, ſola Carthago
externis auxiliis deſtituta a ſuo milite op-
pugnata tantam belli tempeſtatem pertu-
lit; & totius Africæ viribus contuſis ur-
bes, quæ defecerant, rurſus in poteſtatem
ſuam redegit; & exercitus, qui contra ſe
conjurarant, occidione delevit. Verè igi-
tur Virgilius Carthaginem laudat, verèque
affirmat bellicis artibus præſtitiſſe; neque
enim [p] docti viri ſententiam probo, qui
putat Virgilium dixiſſe Carthaginem belli
ſtudiis aſperrimam, ideſt cupidam belli,
non præſtantem ſcientiâ rei militaris; ne
Romanos offenderet inimicâ urbe laudan-
dâ; immo ego arbitror non potuiſſe magni-
ficentiùs, & ſplendidiùs ornari Romanos,
quàm ſi Carthaginienſium virtutes bellicæ
laudibus tollerentur; a laude quippe victæ
Carthaginis Romanorum, qui vicerant, glo-
ria redundabat; nec Romani offendeban-
tur hoſtium, quos domuerant, laudibus,
ſed lætitiâ potiùs afficiebantur; & [q] ſicut
Alexander ille Magnus Regis Pori, & In- 16
dorum

[a] Appian. Alexandr. in Bell. Punic. [b] Plin. libr. 5. cap. 4. [c] Appian. Alex. de Bell. Pun. [d] Polyb. libr. 6. [e] Cicer. Officior. libr. 1. [f] Diodor. Sic. libr. 11. Ælian. libr. 6. cap. 11. Herodot. libr. 7. c. 166. [g] Plutarch in Vit. Solonis. [h] Tit. Liv. libr. 28. [i] Polyb. Hiſt. libr. 1. [l] Livius libro 9. Decad. 3. [m] Appian. de Bellis Pun. in principio. [n] Plutarch. in Vitâ Themiſtocl. [o] Polyb. Hiſt. libr. 1. & T. Liv. Decad. 3. libr. 4. [p] Servius in Virg. Æn. libr. 1. v. 14. [q] Plutarch. in Vitâ Alexandri, & Arrian. de Exped Alex. libr. 5.

dorum virtute gavisus esse fertur, quia sibi hostem, quem vicisse gloriosum esset, invenisse videbatur; ita Romani habebant, cur lætarentur laudibus Carthaginiensium bellicis, quum eos debellassent; nam eo victoria est præclarior, quo de hoste fortiore parta est. Non solùm igitur, quum Virgilius Carthaginem dixit belli studiis asperrimam, intelligi voluit cupidam bellandi, sed etiam ob artes bellicas, quibus excellebat, difficilem ad perdomandum; nec aliud significavit quum [a] dixit:

...... Gens dura, atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio......

Quibus verbis quid aliud significat, quàm gentem, quæ difficulter vinci posset, esse debellandam? atque hæc interpretatio magis congruit cum his, quæ consequuntur; consequitur enim [b] illud:

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabitâ coluisse Samo......

& [c] illud:

.... hoc regnum Dea gentibus esse,
Si quà fata sinant, jam tum tenditque, fovetque

Hac enim ratio apparet, cur diligeret, at-
17que foveret Carthaginem Juno; cur vellet esse gentibus regnum, quia nimirum virtute præstabat, quia non indigna regno putabatur. Cujus loci quoniam mentionem fecimus, adnotandum est non sine causâ voluisse Junonem Carthaginem Orbis terrarum esse reginam; nam regna ad Junonem pertinere, & regna donum esse Junonis credebantur; ideo Ovidius [d] dixit:

Regna Jovis conjux, virtutem filia jactat;
Ipse, potens, dubito, fortis an esse velim;

& Eustathius non solùm Junonis esse regnum dare, sed etiam Junonem interdum accipi pro regno affirmavit. Quòd autem regna in Junonis essent potestate, Juno Regina dicebatur; quo nomine Junonem Vejis [e] esse cultam Livius tradit, quam Vejis captis ipsâ non invitâ Camillus Romam transtulit; & Virgilio regia dicitur Juno libro decimo Æneidos:

...... Tum Regia Juno
Acta furore gravi......

18Nec prætereundum judico, quoniam de Junone dicimus, in propositis [f] carminibus Junonem appellari Saturniam his verbis:

...... veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis.

Quo cognomine uti Poëtam [g] Servius censet ad sævitiam Junonis exprimendam; & sanè quum Poëta quippiam a Junone malignè, ac crudeliter factum memorat, Saturniam semper appellat. Sic libro tertio, ubi [h] Juno prohibet Helenum Æneæ aperire arcana fatorum, dixit:

...... prohibent nam cetera parcæ
Scire Helenum, farique vetat Saturnia Juno;

& libro quarto, ubi struit dolos, Veneremque, quò fallat, alloquitur, ait [i]:

Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis;

& septimo, quo in loco Juno ad bellum Rutulos inflammat, ita loquitur:

Nec minùs interea extremam Saturnia bello
Imponit Regina manum......

& ubi belli fores [l] refringit, ait:

Belli ferratos rupit Saturnia postes.

Sed & Ovidius, ubi Herculem inducit Junoni sævitiam exprobrantem, his [m] verbis utitur:

Cladibus, exclamat, Saturnia, pascere nostris.

Est autem id a Virgilio semper observatum, vel quia Saturnum fabulæ ferunt admodum 19
fuisse crudelem, quum [n] dicatur suos filios, ne quis eriperet sibi regnum, devorasse; & [o] Diodorus Siculus testatur Saturnum impietate, & avaritiâ præstitisse; vel quia Saturni sidus malignioris esse naturæ astrologi [p] tradiderunt. Quum igitur Juno dolosum aliquid, aliquid sævum fingitur designare, meritò Saturnia appellatur; hæc enim appellatio verisimiles facit fraudes Junonis, & crudelitatem; siquidem [q] consentaneum est similem patris esse filiam. Atque id non in Junone solùm Virgilius observavit, sed in aliis; quia [r] Laomedon impius, & perjurus fuisse fertur, quotiescunque aliquos impietatem, & perjurium inducit Trojanis exprobrantes, Laomedonteam gentem a Rege Trojæ Laomedonte appellavit; sic enim loquitur [s]:

Laomedonteæ sentis perjuria gentis;

& alio in [t] loco:

Bellum etiam pro cæde boum, stratisque juvencis,
Laomedontiadæ, bellum ne inferre paratis?

DIS-

[a] Virgil. Æneid. libr. 5. [b] Idem Virg. Æn. libr. 1. [c] Virgil. ibid. [d] Ovid. in Epist. Parid. ad Helen. [e] T. Liv. libr. 5. [f] Virg. Æneid. libr. 1. [g] Servius in hunc Virgil. loc. & Jul. Scalig. Poët. libr. 3. cap. 25. [h] Virgil. Æn. libr. 3. v. 379. [i] Virg. Æneid. libr. 4. v. 93. [l] Virgil. in eodem libr. 7. Æneid. [m] Ovid. Metam. libr. 9. fab. 3. [n] Diod. Sicul. libr. 5. pag. 233. Cæl. Rhodigin. libr. 13. cap. 21. Fulgent. Mytholog. libr. 1. [o] Diodor. Sic. libr. 3. pag. 136. [p] Jul. Firm. libr. 5. cap. 3. Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 19. Propert. libr. 4. Eleg. 1. & libr. 1. Eleg. 6. Persius Sat. 5. Juvenal. Sat. 6. Lucan. libr. 1. Apul. 2. Florid. & Serv. in 1. Georg. Virg. [q] Isocrat. ad Demonic. [r] Horat. libr. 3. Od. 3. & Hygin. fab. 89. [s] Virgil. Æn. libr. 4. [t] Idem Æn. libr. 3.

DISSERTATIO XXII.

De quibusdam aliis Virgilii locis

Carthagine devictâ Romani Imperium per totum Orbem terrarum extenderunt, & de Regum controversiis cognoscebant; quin & innumeris gentibus Reges dederunt; Legatus autem populi Romani potentissimum Asiæ Regem virgâ ausus est circumscribere additâ voce: hic stans delibera. Venire *interdum significat* fieri, evadere. *Parthi defuncto Rege successorem Româ petebant; eorumque Reges filios obsides Romam mittebant. Indorum Rex, qui sexcentis Regibus imperabat, Augusti amicitiam per legatos petiit.*

Duæ fuerunt civitates, altera in Europâ, altera in Africâ sita; Roma nimirum, & Carthago, quæ Orbis terrarum Imperio dignæ viderentur; eas ut æmulas, & inimicas fortuna fecit; ita adversas, & inter se oppositas collocavit; nam Romæ situs contra respondet, & e regione est loco, in quo Carthago consurgebat; quod Virgilius indicavit his [a] verbis:

Carthago Italiam contra, tiberinaque longè Ostia.....

Et antequam eę inter se bello contenderent,
1 videtur ambigua voti hæsitasse fortuna, ac diu, multumque dubitasse utram magis foveret, & quò se inclinaret; & quasi vereretur, ne, si alterutram magis auxisset, careret voluptate spectandi duas opulentissimas in terris urbes paribus viribus concurrentes, dedisse operam, ut æquaret utriusque potentiam. Itaque [b] quum Africæ vires Italiæ pares esse non possent, Imperio Carthaginiensium adjecit Siciliam, atque Sardiniam; quum verò primo bello Punico apparuisset Carthaginiensium opes opibus, & virtute Romanorum præponderari, & insuper Sicilia, & [c] Sardinia Romanis accessisset; ut iterum Carthago Romæ par esse [d] posset, Hispaniam, quam nulla terra multitudine incolarum, & ferocitate [e] vincebat, provinciam voluit esse Pœnorum. Sed ubi secundo, ac deinde
2 tertio Punico bello succubuit Romæ Carthago, & funditus eversa est, velut subiatâ jam cunctandi causâ, statim omnes opes in Romanos fortuna congessit, ut simul cum Carthagine victus Orbis terrarum videretur; tunc ausi Romani [f] Græciam bello lacessere & Græciam, & inclytam perdomito Orbe terrarum Macedonum gentem subegerunt: tunc Antiochum [g] illum Magnum devicerunt, & Asiam Romæ vectigalem fecerunt; nec ulla natio fuit aut tam remota, aut tam præstanti virtute, aut tantâ feritate prædita, aut tam opibus affluens, aut multitudine præpotena, aut freta locorum difficultatibus, quæ resisteret opibus & virtuti Romanorum. Devictâ Carthagine omnes Reges, omnesque civitates legatos Romam miserunt; Romani de Regum controversiis cognoscebant, Orbemque terrarum nutu temperabant: devictâ Carthagine legatus [h] populi Romani ausus est potentissimum Asiæ Regem virgâ circumscribere, & addere illam vocem meritò celebratam: *hic stans delibera*: devictâ Carthagine Oriens, Occidensque horruit fasces Romanorum, & intellectum est nullam nationem parem esse, aut fuisse Romanis. Quum igitur excidio Carthaginis longissimè fines Romani protulerint, 3
& Imperium Oceano terminarint, meritò Poëta noster ita [i] loquitur:

Progeniem sedenim Trojano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces: 1
Hinc populum latè Regem, belloque superbum
Venturum excidio Libyæ......

Quorum carminum hujusmodi sententia est; angebatur Juno, quòd audiverat Trojanorum Posteros dilectæ Carthagini exitium allaturos; multo autem magis angebatur, quòd audiverat genus Trojanorum, quod oderat, quòd eversum volebat, quod omni vi oppugnabat, quum Carthaginem excidisset, latè regnaturum, & summam belli gloriam assequuturum. Nihil enim aliud significat venturum excidio Libyæ, quàm ob excidium Libyæ auctus viribus evasurum latè Regem; *venire* quippe interdum significat *fieri*, & *evadere*; quo significatu verbum *venire* Virgilius protulit libro primo Georgicorum [l]:

An Deus immensi venias maris.....

& [m] Propertius, qui libro primo sic ait:

Tu tamen in nostro lenta timore venis.

Latè verò Regem dixit, sicut Horatius quodam in loco [n] tyrannum:

Latè tyrannus, eras foliis nemus.

Quam explicationē hujus loci libuit afferre, ne quis Virgilium suspicaretur idem ineptè repetere; potest enim videri idem esse vertere arces Tyrias, & venire excidio Libyæ, hoc est venire ad excindendam Libyam; quo

[a] Virgil. Æneid. libr. 1. [b] Appian. in Bell. Punic. & Jul. Flor. libr. 2. cap. 2. [c] Polyb. Hist. libr. 1. in fine, & Appian. ibid. [d] Polybius eodem libr. 1. L. Flor. libr. 2. cap. 6. & Appian. in Hispan. sive Iberic. [e] Tit. Liv. libr. 34 & Appian. Hist. Roman. Iberic. [f] L. Flor. libr 2. cap. 7. & 8. [g] Polybius libr. 15. Histor. Appian. in Syriac. [h] Tit. Livius libr. 45. Appian. de Bell. Syriac. [i] Virg. Æneid. libr. 1. [l] Virgil. Georg. libr 1. vers. 29. [m] Propert. libr. 1. Eleg. 15. [n] Horat. carm. libr. 3. Od. 17.

quo sensu si Virgilius hæc verba protulisset, non solùm idem repetisset, & in id vitium, quod Græcis *ταυτολογία* appellatur, incidisset; sed etiam, quum crescere debeat oratio, & leviora præmitti, graviora subsequi, quod multo levius est, subiecisset; siquidem levius venire ad excindendam Carthaginem, quàm vertere arces Carthaginis. Sed abest a Poëtâ summo hujusmodi nævus; nam mirè crescit oratio; minus est enim Carthaginem superare, quàm Carthagine superatâ tam latè imperare, quàm Romani imperarunt; quod est & ad gloriam Romanorum præclarius, & ad Junonis dolorem gravius; quum ea prævideret nihil in terris futurum usquam, quod inimicæ sibi gentis imperiis non obtemperet. Propriè verò populum Romanum la-
4 tè Regem esse dicit; nam ut nihil loquar de animi regiâ magnificentiâ, qua Romani præstitere; ideo Julius [a] Firmicus affirmavit Italos esse regali splendore præfulgidos; ut prætermittam Imperii Romani magnitudinem, quod Appianus [b] Alexandrinus ab ortu solis, & occasu tradit Oceano terminari; nonne videntur Romani nullis finibus Imperium circumscripsisse? quum & eæ nationes, quas Romani perdomare neglexerant, ipsis fasces sponte submitterent; siquidem Appianus [c] Alexandrinus memoriæ prodidit multas fuisse gentes, quæ neque bello coactæ, neque belli minis perterritæ ultro mitterent Romam dedendi sui causâ legatos; quibus quia non erat operæ pretium ipsis imperare, vel non recipiebant in fidem, & liberas esse jubebant, vel Reges ipsis imponebant, quos innumeros constituisse proditum est. Et ceteræ quidem
5 nationes possunt prætermitti; Parthorum verò gentem quis prætereundam putet? quæ quum secundùm Romanas opes plurimum posset, latissimeque regnaret, ut ait Strabo [d], parum abfuit, quin suos dominos Romanos fateretur, & suum fastigium ad parendi obsequium sponte submitteret; siquidem Parthorum Reges filios obsides Romam mittebant, & Parthorum proceres Rege defuncto sæpenumero Regem Româ petebant; quod quantulum aberat a servitute? Quid de Indorum Rege dicam? qui, quum sexcentis Regibus imperaret, misit ad Augustum [e] legatos cum epistolis, quibus affirmabat amicitiæ cum Augusto jungendæ se esse cupidum, & omne obsequii genus, quod non esset indecorum, esse præstaturum pollicebatur; quàm verè igitur latè Rex populus Romanus, qui & ubi non regnabat, regnare videbatur?

DISSERTATIO XXIII.

In illud Virgilii: *quam Juno &c.*

Deos quasi custodes urbibus, regnisque, & singulis hominibus, & quibuscumque aliis rebus tribuebant Antiqui, quos genios appellabant. Juno priusquam Jovi nuberet, cum ipso clam concubuisse fertur, vel cum Eurymedonte; ideo Samiorum virgines, antequam legitimis nuptiis viro jungerentur, clandestino coitu cum Sponso, vel cum alio copulabantur. Truncus pro simulacro Junonis Thespiis colebatur, & in insulâ Samo tabulâ sine ullâ imagine. Dii, quos quæque natio veneraretur.

QUum singulorum hominum tutelæ [f] quosdam Deos excubare ab omnium parente Deo, quasi custodes, nobis attributos, qui mala averterent, bona conciliarent, Antiquis placuisset, quos geniorum nomine appellarunt, multo magis urbibus & regionibus, & regnis Deos esse tribuendos censuerunt, qui urbes, regiones, ac regna tuerentur. Non enim ambigebant res hominum per se ipsas adeo instabiles, fragilesque, & opis indigas, ut sine Deorum immortalium auxilio, tutelâ stare non possint. Quocirca quemadmodum universa Mundi moles ab illo rerum Auctore summo regitur, & administratur; ita partes ejus a quibusdam Numinibus gubernari, quæ tamen maximi rectoris nutu, & voluntate regerentur, putarunt; non solùm, inquam, magnas partes, ut Mare, quod Neptuno; Terram, quam Vestæ; Ignem, quem Vulcano; Aërem [g], quem Junoni; Ætherem, quem Jovi, & Minervæ consecrarunt; sed partium partes, ut stagna, fluvios, urbes, loca, regiones, insulas alicujus Numinis tutelæ dicatas esse voluerunt. Hujus exemplum rei in [h] Virgilii versibus nobis proponitur, qui sunt hujusmodi:

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabitâ coluisse Samo; hic illius arma,
Hic currus fuit, hoc regnum Dea gentibus esse,
Si quà fata sinant, jam tum tenditque, fovetque.

In quibus versibus Carthaginem Junoni sacram fuisse testatur, magisque Carthaginem cordi fuisse Deæ, quàm Samum; quod

non

[a] Jul. Firm. libr. 1. c. 1. [b] Appian. Alex. in Præf. [c] Idem ibid. [d] Strab. libr. 11. de Parth. [e] Suet. in Vit. Augusti cap. 21. & Dio Cassius Hist. l. 54. [f] Senec. Epist. 110. Plin. l. 2. Nat. Hist. c. 7. Plutarch. de Tranquill. Anim. Cens. de Die Nat. cap. 3. & Menand. apud Ammian Marcellin. libr. 21. [g] Cicer. de Natur. Deor. libr. 2. [h] Virgil. Æn. libr. 1.

non est temere, sed summâ ratione positum, & ad augendam rem magnopere pertinet; quandoquidem mirum est Junoni cariorem fuisse Carthaginem, quàm Samum; nam quum nihil sit dulcius [a] Patriâ, nihil natali solo jucundius, siquidem, ut [b] Ovidius ait:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non finit esse sui;

est profectò consentaneum nullam terram a Junone Samo anteponi, in qua Juno dicitur nata; quod Apollonii Rhodii vetus Interpres asseverat, qui refert in lucem editam apud Imbrasum flumen Sami; &, si ea loca solent nobis esse gratissima, quæ nobis aliquod insigne bonum attulerunt, quis gratior Junoni locus, quàm Samus, ubi Dea [c] summo Deorum nupsisse fertur? Cu-
3 jus rei memoriam Samii colentes virgines, antequam legitimis nuptiis viro jungerentur, solebant clandestino coitu cum sponso, vel cum alio copulare; quia Juno priùs, quàm Jovi nuberet, cum ipso clam concubuisse dicebatur; ideo summus Græcorum [d] Poëta dixit:

Εἰς εὐνὴν φοιτῶντε, φίλους λήθοντε τοκῆας

vel cum Eurymedonte uno ex Titanibus, quem postea Juppiter propter hanc caussam dejecit in Tartarum; Prometheum
1 verò ex eo coitu procreatum affixit Caucaso, ignem e Cœlo subripuisse criminatus. Sed & illud argumentum est Samum fuisse procreatricem, & altricem Junonis, quòd Parthenia [e] antiquitus vocabatur; propterea quod Junonem virginem aluerit, & eduearit; ideo in eâ fuit vetustissimum templum Junonis a [f] Lelegibus, & Nymphis conditum, quod Heræum est appellatum, cui vis asyli Amphictyonum decreto concessum refert Cornelius [g] Tacitus. & Portus Heraites, quem [h] Athenæus dictum a Junone testatur. Magnum ergo studium Junonis erga Carthaginienses expressit Poë-
4 ta, quum dixit illam Carthaginis curam antiquiorem habuisse, quàm Sami; in qua genita, in qua educata, in qua nupta Deorum maximo fuerat, & a cujus incolis tam eximiè colebatur; non dixit Argis antepo- fuisse Carthaginem, non Spartæ, non Mycenis, quas urbes gratas fuisse Junoni testatur [i] Homerus hoc versu:

Ἄργος τε Σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη:

non aliis denique locis, ubi eximiis honoribus, & cultu afficiebatur. Nam & Vejis insigne templum Junonis, & in eo Deæ simulacrum fuisse perhibent, quod [l] Romani Vejis captis in Aventinum ipso annuente transtulerunt; & [m] inter Insulas Fortunatas una dicitur extitisse, quæ a Junonis cultu Junonia vocabatur; & in Hispaniâ [n] Junonis fuit promontorium, & Tar- 5
tessos insula [o] Junonia ab incolis est appellata, & Thespiis Juno Cithæronia [p] colebatur, cujus pro simulacro truncus excisus erat dedicatus; quamadmodum & in insulâ [q] Samo quondam tabula sine ullâ imagine pro Junone adorabatur. Sed & Agrigentini [r] Junonis Laciniæ templum venerabantur, quod illustre fuit Zeuxidis tabulâ, quam quum pictor faceret, Agrigentinorum virgines nudas dicitur inspexisse; ut, quod in quaque laudatissimum esset, picturâ redderet; & [s] Ardeæ Junonis templum colebatur, quod Ludius Elotas egregiis picturis exornavit; & Ægienses [t] Junonem tantâ superstitione venerabantur, ut Deæ simulacrum ab alio, quàm a sacerdote, aspici nefas haberetur. Sed 6
ut eò, unde initium hujus dissertationis duximus, revertatur oratio; hæ quidem urbes, regionesque Junonis numen præcipuo cultu, & honore mactabant; aliæ omnes alicujus Dei præsidio niti putabantur; Athenæ [u] Minervam, a qua conditæ fuerant, & a qua nomen acceperant, gentis præsidem arbitrabantur, Cereremque, & Jacchum, & Proserpinam sibi bellum adversùs Medos gerentibus affuisse gloriabantur. Cyprus [x], & Cythera [y] insulæ Venerem, Creta [z] Jovem, Vulcanum [a] Lemnus, Herculem [b] suum Thebæ, Herculem Tyrium [c] Tyrus præcipuo cultu, & honore prosequebantur. Herculi [d] Gades, Enna [e] Cereri, Locri [f] Proserpinæ, Latium Saturno [g], Thraces [h] Marti, Galli [i] Mercurio, Ditique Patri, Germani [l] Soli, & Vul-

[a] Pindar Isthm. Od. 1. v. 4. [b] Ovidius de Ponto libr. 1. Eleg. 4. [c] D. Augustin. libr 6. de Civit. Dei cap. 7. Lactant Firmian. de Fals. Relig. libr. 1. cap. 17. Plutarch. in Vitâ Pompeji; Pausan. in Achaicis, & Tertull. in Apolog. cap. 24. [d] Homer. Iliad. ξ. v. 296. [e] Varro apud Lactantiũ de fals. Relig. libr. 1. cap. 17. [f] Athen. libr 15. cap. 4. [g] Cornel. Tacit. Annal. libr. 4. cap. 14. [h] Athen. libr. 15. cap. 4. [i] Homerus Iliad. δ. v. 52. [l] T. Livius libr. 5. & libr. 22. & Plutarch. in Vitâ Camill. [m] Ptolemæus, & Solin. c. 60. & Plin. libr. 6. cap. 32. [n] Plin. libr. 3. cap. 1. [o] Idem libr. 4. cap. 22. [p] Clemens Alexandrin. Admon. ad Gent. [q] Idem eodem loco. [r] Plin. libr. 35. cap. 9. [s] Idem libr. 35. cap. 10. [t] Pausan. libr. 7. [u] Lucianus in libr. de Sacrific. Plutarchus in Themistocl. Lactant. libr. 1. cap. 15. [x] Cornel. Tacit. libr. 18. [y] Virgil. Æneid. libr. 10. & Hesiod. in Theogon. [z] Virg. Æneid. libr. 3. v. 104. & Diodor. Sicul. libr. 5. [a] Solin. cap. 17 & Lactant. de fals. Relig. libr. 1. cap. 15. [b] Pausanias libr. 9. Plinius libr. 4. cap. 7. [c] Arrian. de Expedit. Alexandr. libr. 2. [d] Silius Ital. libr. 3. Punic. [e] Cicer. in Verrem Act. 6. & 7. & Lactant. de Orig Error. libr. 2. cap. 4. [f] Lactant. ibid cap. 8. [g] Dionys. Halicarnass. Antiq. Roman. libr. 1. & Lactant. de falsâ Relig. libr. 1. cap. 19. [h] Virgil. Æneid. libr. 3. & Minutius in Octav. [i] Lactant. Firmian. de fals. Relig. libr. 1. cap. 21. & Julius Cæs. libr. 6. de Bell. Gall. [l] Idem Jul. Cæs. ibid.

Vulcano, & Lunæ, Ægyptii [a] Isidi, & Osiridi plurimum venerationis detulerunt. Astarten [b], & Atergaten [c] Syri, Babylonii [d] Belum, Arabes [e], & [f] Persæ Solem, eundem Rhodii, Apollinem [g] Delphi, Arcades [h] Pana, Æthiopes duos [i] Deos, qui minimè nominantur, alterum mortalem, alterum immortalem, Apollinem [l] Hyperborei, Vestam [m] Scythæ, Meroës [n] insulæ incolæ Herculem, & Pana, & Isin, & quendam barbarum Deum inprimis coluerunt; sed quis omnium gentium Deos dicendo persequatur?

DISSERTATIO XXIV.

De propriis locorum Diis, quos Indigenas appellabant.

Zamolxin Getæ tanquam Deum coluerunt, qui Pithagoræ servus, & ab eo libertate donatus fuerat. Euthymus pugil, quia semper Olympia vicisset, nunquam, nisi semel, esset victus, oraculi jussu vivus tanquam Deus habitus est. Conditores suos, & legumlatores, aliosque urbes quæque tanquam Deos colebant, itemque singulorum locorum genios, qui dracone exprimebantur; hos autem omnes Deos indigenas vocabant; qui quum urbs aliqua obsideretur, evocabantur; ideo Romæ tutelare Numen, nomenque ejus, & Urbis occultabatur; tamen quidam Lunam Romæ tutelam gerere dixerunt; alii Jovem, alii Angeronam silentii Deam, alii Opem Consiviam. Valerius Soranus, qui nomen Urbis enunciavit, supplicium non effugit. Heroibus dicati erant angues; hinc Persii locus explicatur.

Cur Virgilius, quum tot urbes, tot regiones Junonis numen præcipuè adorarent, Samum potissimum elegerit, quam tanquam Junoni gratissimam nominaret hesterno die diximus, Auditores, qua occasione sumpta multas urbes, ac multas regiones, in quibus religio Junonis eximiè coleretur, recensuimus; nec id fuisse Junonis proprium, ut haberet quasdam terras, & oppida, a quibus egregiis honoribus afficeretur; sed omnes Deos alicujus loci patrocinium suscepisse, & ab aliqua gente præcipuo cultu affectos esse confirmavimus. Nunc de iis, qui, quum ab aliis Dii non putarentur, tamen apud quasdam gentes Dii habebantur, verba faciemus; ita quod initio diximus, apparebit, nullum in terris locum extitisse, qui Numinis alicujus tutelâ defendi non crederetur; præcipuè verò suos conditores urbes Deorum immortalium honoribus consecrabant. Nam
quemadmodum [o] Romani Romulum in 1
Cœlo [p] cum Diis agere ævum crediderunt; ita & nonnullæ civitates eos, a quibus conditæ fuerant, in Deorum numerum retulerunt; siquidem [q] Alabandenses Alabandum, quem suæ gentis auctorem acceperant, non minore superstitione, quàm majorum gentium Deos; venerabantur; & [r] Tenedii Tenem, qui Tenedum condiderat, reliquis gentibus ignotum tanquam Numen adorabant; sed & Athenienses, ut in Atticis tradit Pausanias, Theseo templum condiderunt; modestius [s] fecere Corinthii, qui Corinthum suum conditorem, a quo Corinthus nomen accepit, contenti a Jove natum tradidisse, templo non honorarunt; quod & Samii fecerunt, qui Alcæum Samii conditorem a Jove genitum crediderunt, ut Jamblicus in [t] Vitâ Pythagoræ memoriæ pro-
dit. Nec solùm conditoribus urbium, ve- 2
rùm etiam legumlatoribus & aliis divinos honores tribuerunt; nam [u] Lacedæmonii Lycurgo templum dedicarunt; & Getæ Zamolxin [x] sacrificiis, omnique Deorum cultu extulerunt; qui tantum abfuit, ut ab aliis Deus crederetur, ut ne liber quidem [y] fuisse tradatur, & Pythagoræ [z] auctori summo intelligendi servisse servitutem, & ab eo libertate donatum memoriæ proditum sit; sed aliis de causis quidam sunt apud quasdam gentes consecrati. Eu-

thy-

[a] Lactant. Firmian. de fals. Relig. libr. 1. cap. 21. & Plutarch. de Iside, & Osir. Herodot. libr. 2. cap. 59. & 144. Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 20. & 21. & Luctatius ad libr. 1. Thebaid. Statii in fine. [b] Herodot. libr. 1. Arnob. advers. Gent. libr. 8. & Tertullian. in Apologet. cap. 23. [c] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 23. [d] Lactant. Firmian. de falsa Relig. cap. 23. libr. 1. [e] Herodotus libr. 1. [f] Herodot. libr. 1. cap. 131. [g] Ovid. Metamorphos. libr. 1. [h] Pausan. libr. 8. sive in Arcadic. & Plin. libr. 8. c. 22. [i] Strabo libr. 17. de Æthiop. [l] Solinus cap. 21. Herodotus libr. 4. cap. 33. & Pausan. in Atticis. [m] Herodot. libr. 4. cap. 59. [n] Strabo libr. 17. [o] Dionys. Halicarnass. libr. 2. cap. 8. Tit. Liv. libr. 1. & Luc. Flor. libr. 1. c. 1.

[p] Ennius libr. 1. Annal. apud Cic. Tuscul. l. 1. & apud Servium ad libr. 6. Æneid. [q] Cic. de Natur. Deor. l. 3. Stephanus de Urbib. [r] Diodor. Sic. libr. 5. pag. 40. Cicer. 3. in Verrem, & in libr. 5. de Nat. Deor. Plutarch. probl. cap. 141. & Strabo libr. 13. [s] Pausan. in Corinth. sive libr. 2. in fin. [t] Jamblich. in Vitâ Pythag. cap. 51. [u] Herodot. libr. 1. c. 66. & Plutarch. in Vit. Lycurgi. [x] Herod. libr. 4. cap. 95. Strabo libr. 7. ex Menandro, Origenes advers. Celsum libr. 3. & Diogen. Laërt. libr. 8. in Vit. Pythagor. [y] Herodor. ibidem. [z] Auctor Etymologici, Suidas in Voce Ζάμολξις, Porphyr. in Vit. Pythag. Clem. Alex. Stromat. libr. 4.

thymus [a] pugil, quia semper olympia vicisset, nunquam, nisi semel, victus esset, oraculi jussu & vivus, vidensque tanquam Deus cultus, & in Deos relatus est, quum fato concessisset. Achillem [b] verò Leuce Insula, quæ Danubii ostiis adjacet, propter viri bellicam gloriam tanquam Deum venerata est; & Pelopi Elei [c] arietem atri coloris dicuntur sacrificare, quia Hercules eidem rem divinam fecisse ferebatur; & Telepho [d] Pergameni rem divinam faciebant; & Athenienses [e] Pandrosum Cecropis filiam templo ipsius nomini constituto consecrarunt. Sed quid ego recenseo, quæ
3 urbes, & quæ loca Deos peculiares habuerunt, quum possim dicere nullam fuisse regionem, nullam urbem, quæ non habuerit, quum omnibus locis præsidere suus genius putaretur? Quò Virgilius libro septimo respexit his [f] verbis:

...... frondenti tempora ramo
Implicat, & geniumque loci, primamque Deorum
Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota precatur
Flumina......

& Prudentius [g] contra Symmachum, qui sic ait:

At tuus hic urbis genius dicas volo; quando
Cepit adhuc parvæ primùm se infundere Romæ.

Immo non urbibus tantùm, sed singulis earum partibus proprios genios idem tradit præfuisse [h]:

Quamquam cur genium Romæ mihi fingitis unum?
Quum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos genios, perque omnia membra
Urbis, perque locos geniorum millia multa
Fingere......

Qui [i] Genius locorum specie draconis exprimi solebat, & apparere putabatur; id-
4 circo Virgilius, quum induxisset Æneam Anchisæ parentantem, anguemque se se Æneæ ostendentem, ait illum dubitasse, esset ne parentis famulus, an genius loci; siceenim [l] loquitur:

Incertus genium ne loci, famulum ne parentis
Esse putet......

Nam [m] & heroibus, qualis erat Anchises, anguis dicabatur, Plutarcho [n] teste, qui dixit: οἱ παλαιοὶ μάλιστα τῶν ζώων τὸν δράκοντα τοῖς ἥρωσι συνῳκείωσαν, & locorum genii draconis effigie exprimebantur, quò pertinere Persii locum quidam arbitrantur, ubi Poëta sic [o] ait:

Pinge duos angues; pueri, sacer est locus, extra
Mejite......

Atque hi Dei, quos sibi quæque urbs, aut locus asciverat, itemque genius urbis, at- 5
que loci, indigenæ Dei vocabantur, sic apud Thucydidem [p] Plateensium Legati testea appellant Plateensium: μάρτυρας δὲ θεὺς τούστε ὁρκίους τότε γενομένους ποιούμενοι, καὶ τὺς ὑμετέρυς πατρῴυς, καὶ ἡμετέρυς ἐγχωρίυς. Hos ne sibi succenserent, quotiescunque regionem aliquam bello petebant, precabantur. Exemplum est apud [q] Thucydidem, apud quem Archidamus, quum bellum Plateensibus intulisset, Deos, & heroes indigenas ad hunc modum precatur. *Dei, quicumque Plateensium terram incolitis, nobis estote testes, nos neque initio bis injustè jusjurandum violantibus adversùs hanc regionem venisse, in qua patres votis rite nuncupatis Medos devicerunt, quam præbuistis prosperam bellantibus Græcis, neque nunc, si quid incommodi afferemus, injuriâ allaturos; quum enim multa, & æqua postulaverimus, non impetravimus, ideo concedatis puniri eos, qui injuriam priores intulerunt, exigere verò pœnas, qui repetunt jure.* Ex hac religione profluxit mos Deos, 6
qui urbem tuebantur, evocandi, quotiescumque ipsam obsidione cingerent, quem Macrobius [r] libro tertio Saturnalium refert, carmenque recitat, quo Dii solebant evocari; eoque Virgilium putat respexisse libro secundo, quum dixit:

Excessere omnes adytis, arisque relictis
Dii, quibus Imperium hoc steterat......

Ob hanc autem causam [f] Romanos ferunt occuluisse nomen Dei, cujus tutelâ urbs defendebatur; & tamen quamvis id in vulgus efferre nefas haberetur, multi sunt ausi investigare, & mandare litteris; nam alii [t] Lunam esse prodiderunt, alii Jovem, alii Angeronam silentii Deam, alii Opem Consiviam, Numen, cui Romani Urbis custodiam mandaverant. Nec verò solùm Dei, qui Romam tuebatur, nomen silebatur, verùm etiam nomen Urbis, verùm tam arcanum habebatur, ut doctissimorum hominum scientiam fugeret; narratque Plinius Valerium [u] Soranum, qui id enunciarat, supplicium non effugisse; hoc autem eâ ratione observatum, ne Urbs ab hostibus devoveri, neve Deus, cujus tutelâ stabat Imperium, posset evocari.

DIS-

---

[a] Pausan. libr. 6. & Plin. libr. 7. cap. 47. [b] Pindar. Nem. Od. 4. v. 79. & ibi Erasm. Schmid. [c] Pauf. l. 5. Eliac. 1. [d] Idem Pausan. ibid. [e] Pausanias in Attic. sive libr. 1. [f] Virgil. libr. 7. vers. 135. [g] Prudentius libr. 2. contra Symmach. [h] Idem Prudent. ibid. [i] Isidor. libr. 12. Origin. cap. 4. Lil. Gyr. de Deis Gent. Synt. 15. pag. 419. v. 31. [l] Virgil. Æneid. libr. 5. [m] Artemidor. libr. 2. cap. 13. [n] Plutarch. in Vit. Agid. & Cleomen. in fin. [o] Persius Sat. 1. [p] Thucyd. libr. 2. [q] Idem ibid. [r] Macrob. libr. 3 Saturnal. cap. 9. [f] Idem eodem loco. [t] Idem ibidem. [u] Plinius Histor. libr. 3. cap. 5.

DISSERTATIO XXV.

De armis, quæ Junoni tribuebantur.

Deos habere maris, & feminæ naturam quidam tradiderunt; quia Dii Gentium nihil aliud sint, quàm Mundi partes, & elementa, quæ vim masculinam, & femineam habent; hinc Orpheus Jovem Sponsam nuncupavit; & Veteres Lunam, & Lunum Deum agnoverunt; Cyprii etiam simulacrum Veneris barbatum cum veste muliebri adorarunt; ideo Calvus poëta, & Virgilius Venerem Deum vocant. Junoni, & omnibus aliis Diis hasta, & arma tribuebantur, quum antiquitus hasta pro Deo coleretur; hinc Reges, quum semper divinitatem quandam affectaverint, hastas sumpserunt, quæ sceptra vocantur.

IN Deorum naturâ utranque vim maris,
& feminæ esse conjunctam doctissimi
viri tradiderunt; hinc Orpheus Jovem
Sponsam nuncupavit; & quum
Luna Dea esse videatur, Lunum etiam [a] Deum Veteres agnoverunt; Venerem [b] quoque maris, & feminæ specie esse cultam Macrobius asseverat; ideo Cyprios [c] simulacrum Veneris barbatum cum
1 veste muliebri adorasse, doctissimeque Calvum poëtam Venerem esse marem pronunciasse, quum dixit:

Pollentemque Deum Venerem;

& [d] Virgilium libro secundo Venerem Deum, non Deam his verbis appellasse:

Descendo, ac ducente Deo .....

& Aristides Quintilianus in opere præclaro, quod de Arte Musicâ faventibus Musis condidit Lunæ, Mercurio, & Marti utramque naturam putat esse tribuendam. Orpheus verò [e] non solum Lunæ, Mercurio, & Marti, sed etiam stellis reliquis, & universo Mundo vim maris, & feminæ esse affirmavit; nam singulis orbibus Cœli Bacchum suum, suamque Musam, præsidere dixit; nec aliud, ut opinor, per Bacchum, quàm vim masculam, aut per Musam, quàm vim femineam, quæ in singulis Mundi partibus cernitur, indicavit. Atque id poëtæ etiam de Junone senserunt, quum eam sine operâ viri Martem, & Vulcanum genuisse prodiderunt. Cur autem utramque vim maris,
2 & feminæ habere Dii censeantur, ea potissimùm causa possit afferri, quòd Dii sunt mentes; mentes autem alterius conjunctione non indigent ad suos fetus procreandos. Sed & illa causa non absurda judicetur, cur Antiquis Deos maris, & feminæ munere fungi placuerit, quòd Dii gentium nihil aliud, quàm elementa, & Mundi partes haberentur; in [f] omnibus verò elementis, & Mundi partibus utraque vis gignendi vigere videatur, & maris, & feminæ virtu- 2
tes, & proprietates ubique cernantur. Quid enim feminæ similius, quàm Terra, quæ omnium mater meritò appellatur, quæ omnium rerum semina suscipit, suscepta fovet, & educat, & nutrit? est tamen in eâ siccitas, & duritiés, quæ mari, non feminæ convenire censentur. Quid Igni, quàm mascula est virtus? & tamen is interdum ita temperatur, ut omnia, quæ generantur, ab ipsâ foveri tanquam a matre videantur. In mari est mollis, cedensque
natura feminæ similis; est & salis vis ingens, quæ ad maris acrimoniam, efficacitatemque accedit: in Aëre venti masculæ naturæ similitudinem reddunt; reddit femineæ mollities illa summa, quæ tam facilè suscipit alienam figuram, tam facilè cedit impulsu illa naturæ facilitas, qua suscipit externas affectiones; & vel humore perfusus madet, vel siccitate squallet, vel horrescit frigore, vel calore fervet, adeo, ut, quæ sint ejus proprietates, a doctissimis viris ignoretur. Quum igitur Dii mares, & feminæ simul esse fingerentur, non mirum si Deæ virilibus officiis fungi ferebantur; quid enim tam virile, quàm armis uti? & tamen hæc Junoni Poeta noster [g] attribuit: 3

...... hîc, inquit, *illius arma,*
Hîc currus fuit .....

Ne quis autem ineptè Junoni,

...... thoris quæ præsidet alma maritis,

ut ait [h] Ovidius, & ad opus Veneris, non
Martis videtur homines concitare, arma 4
tribui, & bellicum currum arbitretur; putetque Junoni posse dici, quod Homericus Juppiter [i] dixit Veneri:

Οὔτοι, τέκνον ἐμὸν, δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
Ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο:
Non concessa tibi sævi fera munera Martis,
Tu sed opus thalami jucundum, filia, tractes,

ostendam non solum Junonem, sed etiam alios Deos, Deasque armis insigniri consuevisse. Hastam igitur fuisse Junoni sacram [l] Plutarchus memoriæ prodidit; idcirco simulacra Junonis hastæ innixa fingeban-

[a] Cæl. Rhodigin. libr 20. cap. 7. [b] Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 8. [c] Calvus poët. apud Macrob. eodem loco. [d] Virgil. Æn. libr. 2. [e] Orpheus in hymn. Lunæ 8. [f] Cæl. Rhodiginus libr. 18. cap. 6. [g] Virgilius Æneid. libr. 1. [h] Ovid. Epistol. 2. Phyll. Demophoonti. [i] Hom. Iliad. ε. v. 428. [l] Plutarch. in Quæst. Roman.

gebantur; & Juno Curitis [a] vocabatur, quia Curis [b] lingua Sabinâ hastam significat; Ovidius [c]:

Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis.

Idem Ovidius arma Junonis esse propria affirmavit his [d] verbis:

Pæniteat, quod non fovi Carthaginis arces

Quum mea sint illo currus, & arma loco;

& Hyginus [e] tradit Phoroneum primum
5 Junoni arma sacrificasse, & ab eâ præmium regiam potestatem accepisse; ideo Junonem armatam Antiqui consecrabant; & quid dico Junonem? Venerem [f] etiam pacis, & amoris conciliatricem armatam Lacedæmonii posuerunt; de qua elegantissimum in [g] Anthologiâ extat epigramma, quod Ausonius Latinis versibus eleganter expressit. Atque arma fuerunt insigne omnium pæne Deorum; de Palladis simulacro Virgilius [h] cecinit:

...... sævæque petunt Tritonidis arcem,

Sub pedibusque Deæ, clypeique sub orbe teguntur;

& alio [i] loco:

Emicuit, parmamque ferens, hastamque trementem.

Nec minùs Gradivi simulacrum hastâ insi-
6 gne conspiciebatur, immo [l] Varronis auctoritate constat apud Romanos antiquitus hastam fuisse pro simulacro Martis; & Ægii in urbe Siciliæ vetustissimæ Deæ Materæ colebantur, quarum simulacris Ulysses, & Meriones hastas affixisse dicuntur. Et quid singulos Deos enumero? quum omnes hastis armati dedicarentur; quod colligi videtur ex Livio, qui libro quadragesimo refert pontificibus hastas motas esse nunciatum, quibus nimirum simulacra Deorum armabantur; & Justinus id libro quadragesimo tertio apertè confirmat his verbis: *ab origine rerum pro Diis immortalibus Veteres hastas coluere, ob cujus religionis memoriam Deorum simulacris hastæ adduntur*; ubi notes morem hastas adorandi, ut non mirum videatur, si [m] Virgilianus ille Mezentius ait:

Dextra mihi, Deus & telum, quod missile libro.

Eadem impietas, ab antiquo tamen deducta more, Cæneo [n] fuit, qui hospites hastam pro Deo colere fertur coëgisse. Ve-
7 runtamen, quum Reges, ut id hominum genus est gloriosum, & appetens immodicorum honorum, divinitatem quandam sibi vindicarent, hastas divinitatis insigne pro diademate assumpserunt; hastæ verò sceptra vocabantur, quæ quia Deorum propriæ, & pro Diis cultæ fuerant, mos invaluit per sceptrum jurandi sic [o] Homericus Achilles ait:

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον.....

Non hoc per sceptrum.

Quum autem hasta Regum gestamen haberetur, ideo Junoni hasta propriè dicabatur; nam [p] Juno Deorum Regina; qua de causâ Livius Junonem Reginam vocat libro quinto: *quibus*, inquit *deportanda Romam Regina Juno assignata erat, venerabundi templum iniere*; & Fulgentius [q] Planciades Regnis præesse Junonem asseverat. Quapropter & eum sceptro fingebatur, & in throno sedens, ut Albricus de Deorum imaginibus, & Fulgentius testatur; insignem quoque diademate posuerunt. Fingebatur etiam Juno cum scuto, quemadmodum sospitam Lanuvii Junonem coli solitam libro tertio de Naturâ Deorum Cicero asseverat, & [r] Pausanias Polycleti Junonem, quæ Argis colebatur, eum sceptro fuisse memoriæ prodidit.

DISSERTATIO XXVI.

De curru Junonis, & aliorum Deorum, & cur Diis currus tribueretur.

Juno, quia Veneris mater est, nuptiis præest, & armis, quia Martem genuit; tum etiam quia Aër est, & aëre sereno nihil jucundius; nihil verò terribilius eo perturbato. Horatius Platonem sequutus volucrem currum Jovis appellavit. Panyasis Solem poculo vehi prodidit. Quisque Deorum quibusdam peculiaribus animalibus vehebatur. Platonici tribuunt animis, ac Diis corpus quoddam æthereum, quo corpus cum animo conjungatur, & vehiculum appellant; hinc poëtæ curru vehi Deos finxerunt.

NUptiis [s] præesse Junonem quidam voluerunt, quia Juno Veneris mater esset; ut minimè sit mirum, si, quia Martem [t] genuit, arma quoque ad ipsam pertinere videantur; certè [u] Juno Tropæa est appel-

[a] Sext. Fest. in V. Cælibari, & in V. Curis. [b] Idem Fest. ibid. [c] Ovidius Fastor. libr. 2. [d] Ovid. libr. 6. Fast. [e] Hyg. fab. 143. [f] Lactant. de fals. Rel. l. 1. c. 20. & Cæl. Rhod. l. 29. c. 18. [g] Anthol. libr. 1. epigr. εἰς θεὰς, epigr. 7. [h] Virgil. Æn. l. 2. [i] Virg. in eod. libr. [l] Varro apud Clemeot. Alex. in admon. ad Gent. & Cæl. Rhodig. l. 21. cap. 6. & Arnob. l. 5. Gyrald. de Deis Gent. Synt. de De. Mater. [m] Virgil. Æn. l. 10. [n] Eusthat. ad l. 1. Iliad. Cæl. Rhod. l. 21. c. 6. [o] Homer. Il. α. v. 234. [p] Virgil. Æn. l. 1. [q] Fulgent. Planciad. Mythol. l. 2. de Jun. [r] Pausan. libr. 2. [s] Virg. l. 4. Æn. Fest. Pomp. l. 9. & Ovid. in Ep. Phyllid. ad Demoph. [t] Olen poët. apud Pausan. in Corinth. sive l. 2. & Hygin. in procem. [u] Lycaphron apud Cæl. Rhod. libr. 12. cap. 19.

appellata, quòd Junoni trophæa dicarentur; & eadem *Gorgas*, id est *terribilis*, & *torva*
1 dicitur a Caslandrâ Lycophronis:

Τὴν ἡ παλίμφρων γοργὰς ἐν κλήροις Θεῶν
Κἀθιερώσει πημάτων ἀρχηγέτις:

& ὁπλοσμία [a] ab *armis* nuncupatur, & [b] equestris Juno colebatur, quæ omnia ad vim Deæ bellicam spectant. Et meritò Junoni arma tribuuntur, & placidum conciliandi nuptias munus, quæ duo inter se prorsus diversa censeri necesse est; quid enim aliud [c] Juno, quàm aër? nihil autem placidius, nihil jucundius, nihil amabilius, pulchriusque aëre sereno, tranquillo, & pacato; sed ubi hujus elementi tranquillitas perturbatur, nihil terribilius, violentius, tetrius; densissimis nubibus omnia obsidentur, tenebris repente obortis Solis lumen extinguitur, terrificant animos fulgora, & tonitrua, ruunt fulmina, sæviunt venti, & procellæ, & typhones, & turbines; qui non modò stirpes, & arbores, verùm etiam domos, turresque convellunt. Jam ingentes nimbi, quibus omnia obruuntur, jam inusitatæ magnitudinis grandines, quibus cuncta percelluntur, omnium terum edunt ingentem stragem; denique nihil est in rerum naturâ, quod aëre perturbato non pertubetur; fluctibus mare intumescit, Cœlum, ut ita dicam, tristatur, terra mæret, & omni amœnitate spoliatur, ignis fulminibus terret Mortales, quos lucis jucunditate delectabat. Quum igitur aëre nihil sit blandius, nihil placidius, nihilque rursus terribilius, non sine causâ Junonem & nuptiis conciliandis blandam, & armis tractandis terribilem esse voluerunt. Quapropter arma ipsi valde propriè tribuerunt; quod & Virgilius fecit, qui sic [d] ait:

...... *hic illius arma*.
Hic currus fuit.....

Sed de armis nimiùm multa superiore ser-
2 mone diximus; nunc de curru dicemus; & ad hæc Virgilii verba illustranda Junoni tribui solere currum; nec Junoni solùm, sed omnibus Diis ostendemus, & cur tribueretur, indagabimus. Currum igitur ad Junonem maximè pertinere Pausanias declarat Bœoticis, qui tradit in Antrum Trophonii descensuros Junoni Heniochæ (quæ vox *aurigam* sonat) sacrificasse: declarat Homerus, qui Iliadis libro nono Junonem currus moderatricem facit, quem se fracturum Juppiter, equosque debilitaturum minatur his verbis:

Debilitabo equites altis sub curribus ipsas,
Prosternamque solo, atque infringam turbidus axem;

& quintodecimo libro Juppiter miratur, quòd Juno reliquerit currum, & sic ait:

Quò cupide, Juno, quò Cælo tendis ab alto?
Nec tibi currus adest, nec vim moderaris equorum;

& apud [e] Ovidium:

..... *habili Saturnia curru*
Ingreditur liquidum pavonibus aëra pictis.

Prætermitto multa, quæ spectant eodem, 3
ne vos obtundam referendo poëtarum locos, ubi Juno moderans currum inducitur; sed & alios Deos poëtæ curribus utentes faciunt; ideo de Jove cecinit [f] Horatius:

Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum.

Quem locum a Platone sumpsit Horatius, qui Jovem inducit πτηνὸν ἅρμα *volucrem currum* agitantem sequente Geniorum, Deorumque exercitu, & [g] Homerus ait:

Ζεὺς δὲ πατὴρ Ἴδηθεν ἐύτροχον ἅρμα, καὶ ἵππους
Οὔλυμπόνδ' ἐδίωκε, Θεῶν δ' ἐξίκετο θώκους:

qui versus ita vertuntur;

Juppiter ex Idâ alipedes, currumque volantem
Ad Cœlum pervenit agens, sedesque Deorum;

& alibi multis in locis Juppiter agitat currum; sicut & Mars in illis [h] versibus: 4

Ὣς φάτο, καί ῥ' ἵππους κέλετο Δεῖμόν τε, Φόβον τε
Ζευγνύμεν, αὐτὸς δ' ἔντε' ἐδύσετο παμφανόωντα:

id est:

Hæc ubi dicta dedit Mars, Terroremque, Metumque
Jungere jussit equos, fulgentiaque induit arma;

& apud [i] Virgilium Cyclopes Marti fabricant currum:

Parte aliâ Marti currumque, rotasque volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes;

& Statius de [l] Marte cecinit:

..... *hircano in sanguine pulcher*
Ipse subit currum, diraque aspergine latos
Mutat agros, spolia a tergo, flentesque catervæ.
Dant Silvæ, nixque alta locum, regit atra jugales
Sanguineâ Bellonâ manu.....

& Neptunus eodem [m] Homero teste curru vehi dicitur libro decimo tertio: 5

...... *ἐῦ δ' ἐπεβήσετο δίφρου:*
Βῆ δ' ἐλάαν ἐπὶ κύματα.....

hoc est:

Ascenditque suum currum, fluctusque per altos
Egit equos......

&

---

[a] Cæl. Rhodig. libr. 13. cap. 24. & Lil. Greg. Gyr. de Deis Gent. Synt. 3. de Junone. [b] Pauf. Eliac. 1. sive libr. 5. [c] Macrob. libr. 1. c. 17. in Somn. Scip. & libr. 3. Saturnal. cap. 4. [d] Virg. Æneid. libr. 1. [e] Ovid. Metam. libr. 2. fab. 7. [f] Horat. Carm l. 1. Od. 24. [g] Hom. Il. Θ v. 438. [h] Idem Hom. Iliad. ο. v. 119. [i] Virg. Æn. l. 8. [l] Stat. libr. 7. Theb. v. 69. [m] Hom. Iliad. ν. v. 26.

& paulo [a] post:

Ἔνθ' ἵππους ἔστησε Ποσειδάων ἐνοσίχθων
Λύσας ἐξ ὀχέων ....

quæ verba sic reddimus:

Hic statuit Neptunus equos temone solutos,
Qui quatit ingenti terræ sola vasta tridente.

Ipsum [b] Plutonem nonne curru vectum
6 tradunt rapuisse Proserpinam? & quid singulos recenseam? quum omnes propemodum Deos possim nominare; hinc tigres Bacchum [c] vehere credebantur, leones Cybelen [d], Junonem [e] pavones, juvencæ Lunam [f], belluæ marinæ Tritonem, Venerem cycni, ex quo illud [g] Horatii,

Junctis visit oloribus;

& Statius [h] ita loquitur:

...... *Thalamique egressa superbum*
Limen amyclæos ad frena citavit olores;

Solem [i] equi, quamquam Solem non curru vehi, sed poculo Stesichorus [l] poëta Græcus affirmavit, Cererem Dracones; & ut rem paucis comprehendam currus, ut arma, ferè Diis omnibus est attributus. Ideo non mirum si Virgilius ad exprimendum amorem Junonis adversùs Carthaginienses ait Carthagine fuisse arma, currumque Junonis; quod est perinde ac si dicat Junonem in eâ urbe domicilium collocasse; nam ubi sedes fiximus, eò res ad usum quotidianum necessarias conferre consuevimus. Quæri autem potest [ut quod ultimo loco
7 proposuimus tandem exequamur] cur poëtæ Deos ferè universos curru inducant invehentes; & mihi rem diligentiùs perpendenti videtur affirmandum id commentum ex philosophiæ fontibus profluxisse. Existimant Platonici animos hominum cœlestes, & immortales, & expertes materiæ cum hoc terreno, mortali, concretoque corpore non posse, nisi aliquo vinculo colligante, conjungi; nam quo pacto mortale cum immortali copuletur? Itaque animos volunt e Cœlo deferre corpus æthereum, quod & cum animo, & cum hoc terreno corpore congruat; cum animo, quòd sit immortale; cum corpore, quòd non sit penitus corporeæ concretionis expers; id animorum vehiculum, & quasi currum vocant; idcirco Plato in Phædro uniuscujusque mentem aurigæ munere fungi affirmavit. Id autem corpus æthereum, tenue, pellucidum non solùm animis Mortalium, sed etiam mentibus immortalium Deorum tribuerunt; eas Cœli particulam secum circumferre, in eaque quasi in curru consistere tradiderunt; quod a philosophis vetustissimis poëtæ sumentes (nihil enim prohibet hanc sententiam esse Platone, & Pythagora vetustiorem) & corpus, quod animi vehiculum, & mentium divinarum a philosophis dicitur, currum appellantes Deos curru vehi tradiderunt.

DISSERTATIO XXVII.

De Caussis odii Junonis in Trojanos.

Paridis fabula, qui rapuit Helenam, nec tranquillè eam possedit, significat omnes homines, & præcipuè Principes, qui se voluptati dediderunt, nec potentiam tueri, nec virtutem, sed libidine pessundari regna; puramque voluptatem nonnisi ejus contemptoribus contingere. Ganymedes ab aquilâ raptus dicitur, quia signum ejus legionis, quæ illum rapuit, esset aquila; ejus nomen gaudium mentis sonat; quare in Cœlum translatus fingitur, quia is, cui gaudio mentis frui contigit, inter homines non versatur; nec absurda erit interpretatio, si quis dicat eum miscere Superis ambrosiam, quòd omnis Deorum felicitas gaudio mentis terminetur.

REginam Deorum Junonem succensuisse Trojanis, eosque perditos, & funditus eversos voluisse affirmat Virgilius; & quia hostes erant Græcorum, atque adeo Argivorum, quos ipsa diligebat (nam Argis [m] Juno eximiè colebatur, qua de caussâ [n] Argiva est appellata, Poëtâ teste, qui dixit [o]:

Junoni Argivæ jussos adolemus honores)

& quia sciebat Trojanos Romam condituros, quam Carthagini, quam fovebat, & ubi domicilium collocarat, & quam decreverat Orbi terrarum Reginam imponere, videbat exitium allaturam; & quia excidio Carthaginis auctam Romanam potentiam latissimè regnaturam, & omnia subjecta inimicæ sibi genti fore intelligebat. Accedebant aliæ caussæ, quæ Junonem odio

---

[a] Hom. Iliad. ν v. 34. [b] Hygin. fab. 146. & Claudian. libr. 1. de Rapt. Proserp. [c] Virgil. Æneid. libr. 6. v. 805. Sil. Ital. libr. 17. Martial. libr. 8. epigr. 28. Ovid. libr. 1. de Art. Amandi, & Sidonius in Burg. [d] D. Aug. de Civ. Dei l. 7. cap. 24. ex Varr. & Fulg. Planciad. l. 3. Mythol. de Berecynthiâ. [e] Athen. l. 14. c. 20. & Ovid. de Medicam. faciei. [f] Ausonius, & Fulgent. in procem. l. 1. [g] Horat l. 3. Od. 28. [h] Statius libr. 1. Sil. in Epithal. Stellæ. [i] Ovid. Metam. libr. 2. & libr. 2. Eleg. 1. Amor. & Propert. libr. 2. Eleg. 15. [l] Stesich. apud Athen. Deipnosoph. libr. 11. c. 5. [m] Hom. libr. 4 Iliad. Plutarch. in Vit. Pompeji, Lucian. in libro de Sacrificiis, & Tertullianus in Coronâ militis. [n] Pausan. in Lacon. sive libr. 3. [o] Virgil. Æneid. libr. 2.

dio in Trojanos accendebant; nam Æneas dux Trojanorum originem ducebat a Dardano, qui [a] natus erat ex concubitu Jovis, & Electræ, quam tanquam pellicem oderat Juno. Dardanus quippe Erichthoniom, Erichthonius [b] Troem, Tros Assaraeum, Assaracus Capyn, Capys Anchisen, Anchises Æneam procreavit; qua de causâ & omne genus Trojanorum inimicum sibi, invisumque ducebat; Ilus [c] enim pronepos Dardani Ilium condidit. Præterea Trojanus [d] Paris Venerem Ju-
2 none pulchriorem judicarat; & Trojanus Ganymedes [e] ita formæ præstantiâ incenderat Jovem, ut raptum, & in Cœlo collocatum sibi ad pocula jusserit ministrare. Hæ sex causæ fuerunt odii Junonis in Trojanos; hæ Deam maximè dicuntur incitasse ad Trojanos, eorumque docem Æneam insectandum, quas Virgilius his versibus recenset; quos, licèt alio die recitaverimus, operæ pretium est & hodierno die proponere, ut quæ diximus, possint recognosci:

Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces;
Hinc populum latè regem, belloque superbum
Venturum excidio Libyæ; sic volvere Parcas.
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris gesserat
Argis.
Nec dum etiam causæ irarum, sævique dolores
Exciderant animo; manet altâ mente repostum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et genus invisum, & rapti Ganymedis honores.

3 Et ceteras quidem causas odii Junonis adversùs Trojanos a Virgilio prudenter esse positas omnes ferè consentiunt, sed Junonem summi Deorum conjugem, & sororem exarsisse odio in virum pietate præstantem, & justitiâ singulari ob judicium Paridis, raptum a Jove Ganymedem libidinis causâ, id verò dedecere majestatem Deorum [f] Macrobius putat, in eoque Virgilium reprehendit; Homerum laudat, quòd neutram fabulam agnoverit. Ego autem contendam, si quid a Virgilio peccatum est, id ei commune cum Homero esse peccatum; sed neque Virgilium, neque Homerum peccavisse confirmabo; quia verò hodierno die non facilè hæc possunt explicari, in aliud tempus ea rejiciam; & ea, quæ de Paride, Paridisque judicio fabulis prodita sunt, breviter enarrabo; & duas afferam historias, unde Paridis fabula, Ganymedisque profluxit. Hecuba Cis- 4
sei [g] filia, vel, ut alii volunt, Dryantis, vel Sangarii fluminis, & Meropes, uxor verò Priami, quum Paridem esset paritura, sibi visa est in somnis ardentem facem, quæ universum Ilium incendio involveret, utero edidisse; consultus Æsaeus Priami filius peritissimus conjector somniorum respondit puerum exitium Trojanis allaturum; id metuens Priamus infantem, quum jam natus esset, Agelao, vel Archelao famulo in Idâ monte tradidit exponendum, ut vel a feris consumptus, vel fame interiret; sed ursa puero præbuit mammam, eumque quinque dies aluit, a ferisque defendit. Id conspicatus Agelaus infantem sustulit, & pro suo nutrivit, & educavit, quum Paridem appellasset; qui quum adolevisset, & formâ excelleret, & robore corporis, & multa fortiter faceret, prædonumque vim arceret, ex re Alexandri cognomen invenit. Interim quum nuptiæ
Thetidis, & Pelei celebrarentur, sola ex 5
Numinibus Discordia ad convivium non invitata, ut inter Deos litem fereret, & injuriam, quam acceperat, ulcisceretur, projecit aureum pomum; in quo erat inscriptio, quæ declararet ei esse dandum, quæ formâ ceteris antecelleret. Eâ de causâ quum tres Deæ Juno, Minerva, & Venus inter se de formæ prestantiâ contenderent, & æquum censerent sibi pomum adjudicari, ejus rei judicium Paridi Jupiter delegavit; qui, quum Juno regnum, Minerva virtutem, Venus Helenæ nuptias promitteret, Venerem pulcherrimam pronunciavit, Helenamque regno, virtutique præposuit; & quum inter hæc agnitus esset Priami filius, constructis, armatisque navibus ad Helenam rapiendam navigavit. Hu-
jus fabulæ hanc originem nonnulli tra- 6
dunt extitisse; hi Paridem [h] fuisse ferunt adolescentem eloquentiæ studiosum, & Græcarum litterarum inprimis peritum; composuisse autem orationem haudquaquam inelegantem, qua voluptatem, potentiæ, virtutique, & sapientiæ anteponebat. Id ingeniis poëtarum putant fingendi causam præbuisse Paridem inter Deas pul-

[a] Hygin. libr. 2. de Signis Cœlest. de Tauro & fab. 155. & Dionys. Halicarn. libr. 1. Antiq. Roman. [b] Dionys. Halicarn. libr. 1. ibid. Hom. Iliad. 20. v. 215. [c] Strabo libr. 13. de Troad. Hom. ibid. v. 231. [d] Eurip. in Iphigen. Ovid. in Epist. Paridis ad Helenam, & libr. 2. de Arte A. Hygin. fab. 92. & Fulgentius libr. 2. Mythol. [e] Strabo libr. 13. Athen. l. 13. Hygin. libr. 2. de Signis Cœlest. de Aquilâ, Fulgentius Mytholog. libr. 1. Horat. libr. 4. Od. 4. Apollod libr. 2. & 3. Hom. Il. 5. v. 266. & 20. v. 232. Plato l. 1. Leg. Ovid. libr. 10. Metamorph. & Virg. Æneid. libr. 5. [f] Macrob. Saturnal. libr. 5. cap. 16. [g] Hyginus fabul. 91. & 92. [h] Cæl. Rhodigin libr. 29. cap. 19. at Fulgentius Mytholog. libr. 2. aliam affert hujus fabulæ originem.

pulchritudinis judicem constitutum, quum Venerem Junoni, & Minervæ prætulisset, Venerem quidem propitiam, iratam Junonem, & Minervam habuisse; quibus infestis, exitiumque ipsi, generique, & Patriæ molientibus, miserrime concidisse; nec illam ipsam, quam petierat, voluptatem hilarem, & tranquillam consequutum. Quod commentum quid significare dicemus, nisi omnes homines, & præcipuè Principes, qui se voluptati dediderunt, nec potentiam tueri, nec virtutem facilè posse; sed libidine pessumdari regna, puramque, & sine tristitiâ voluptatem non nisi ejus contemptoribus contingere; quando Epicurus ipse, qui felicitatem voluptate metitur, veram voluptatem multis contemnendis voluptatibus comparari judicavit. Ganyme-
7 dem [a] autem puerum fuisse formosissimum tradunt, quem quum Tantalus ejus amore incensus rapere conaretur, cum Ilo Ganymedis fratre certamen contraxit; in qua pugnâ, tumultuque quum puer infelix occidisset, invenisse poëtas tam acerbi casus inane solatium; & Ganymedem a principe Deorum in Cœlum sublatum, Jovi ad cyathos ministrare, quod erat munus formosorum, & ætate florentium. Nec desunt, qui dici putent ab aquilâ raptum, quia [b] signum ejus legionis, quæ rapuit Ganymedem, esset aquila. Sed impiâ in speciem fabulâ documentum includitur non vulgare, nec alienum a veritate; quid enim aliud Ganymedes, nisi gaudium mentis? [id enim Ganymedis nomen sonat] cui verò mentis gaudio frui contigit, is inter homines non versari, sed epulis Deorum credatur interesse. Nec absurdè quis fabulam interpretetur, si dicat Ganymedem miscere Superis ambrosiam fingi, quòd omnis Deorum felicitas gaudio mentis continetur.



DISSERTATIO XXVIII.

Qua Macrobii judicium reprehenditur.

Homerus frequentiores, & magis indecoras Diis narrat fabulas, quàm Virgilius, ut recensendis illis patet; nec tamen Homerus reprehendendus; Macrobius verò audiendus non est, qui Virgilium reprehendit.

Hesterno die de tribus nobis esse dicendum proposuimus, Auditores; & quod erat ex his primum, absolvimus, fabulam scilicet de Paride, Paridisque judicio, & raptu Ganymedis; nunc, quod erat mihi secundo loco propositum, Virgilius a calumniâ [c] Macrobii vindicandus; qui Poëtam putat in referendis causis odii Junonis in Trojanos ab Homeri exemplo plurimum recessisse, ob eamque causam in vitium, quum sine duce erraret, incidisse; quapropter hodie ostendam non posse Virgilium accusari, quin Homerus unà reprehendatur; quod quum fuero consequutus, utrumque Poëtam, vel potius omnes poëtas alio die conabor defendere; sed jam ad inceptum veniamus. Accusat [d] Ma- 1
crobius Virgilium, quòd parum decoram causam iræ, qua Juno in Æneam, Trojanosque ferebatur, confinxerit: accusat, quòd Homerum auctorem suum non sit imitatus, qui de hujusmodi causâ ne mentionem quidem fecerit. In quo miror Macrobium laudare Græcum Poëtam; nam etsi Homerus meo judicio omni laude cumulatissimus, quum utrumque ejus opus quasi [e] Polycleti signum sit canon omnium poëtarum, nunquam tamen sibi duxit ab hujusmodi fabulis abstinendum; quas in Virgilio tanquam a majestate divinæ naturæ abhorrentes Macrobius reprehendit. An verò ignoramus utrumque Homeri poëma his esse plenum, & refertum? Accusatur Virgilius, quòd Paridis judicio Junonem induxerit offensam, & iratam; quòd raptum a Jove dixerit Ganymedem; quid? 2
non accusandus [f] Homerus, qui toties Junonem cum Jove jurgantem faciat, quod ne dicam Deæ sed feminis honestis est indecorum, quas a viri consiliis non decet dissentire? non [g] accusandus, quòd Jovem tradiderit Agamemnoni somnium, quo vir ille deciperetur, immisisse, quum, quasi Jo-

[a] Herodian. in Vitâ Commodi. [b] Fulgent. libr. 1. Mythol de Ganymed. [c] Macrob. Saturnal. libr. 5. cap. 16. [d] Idem Macrob. ibid. [e] Plinius libr. 34. cap. 8. [f] Homer. Iliad. libr. 1. v. 540. & libr. 4. v. 25. & libr. 15. v. 40. [g] Homer. Iliad. β. vers. 8.

Jove imperante, & certam promittente victoriam, deceptus res Græcorum extremâ pæne calamitate afflixit? non accusandus, quòd [a] Palladem induxerit ictum a Græcis cum Trojanis fœdus confundentem, quum Pandarum est cohortata, ut Græcos abstinentes injuriâ sagittis lacesseret? in quo bis Pallas peccavit, & quòd causâ fuit fœderis violandi, & quòd Pandarum decepit; quum Vulcanum [b] tradit Cœlo dejectum a Jove in insulam Lemnum decidisse, eoque casu crus infregisse; quum [c] Martis, & Veneris adulterium describit, utrumque autem Vulcani artificio in lecto, quem contaminabat, deprehensum, fœdum Superis omnibus, & mali exempli spectaculum præbuisse? Hæc scilicet decora Diis; illa Virgilii inhonesta? nemo profectò id audeat affirmare. Quid quod in Homero, quàm in Virgilio, hujusmodi fabulæ sunt frequentiores? apud Homerum [d] Venus, & Mars au-
3 xilio Palladis vulnerantur a Diomede; ab Oto, & [e] Ephialte Mars tanquam mancipium bello captum vinculis adstringitur; Juno, & [f] Pluto sagittis ab Hercule configuntur; Juppiter adolescentulus Junoni sorori virgini clam suis parentibus fucum facit; pugnant [g] inter se Divi, adversùs Apollinem Neptunus, adversùs Martem Minerva, adversùs Junonem Diana, adversùs Latonam Mercurius, adversùs Vulcanum Seamander fluvius consurgunt. Nec in eâ pugnâ Dei se fortiter gerunt; Mars a Pallade [h] saxo percussus prosternitur; huic auxilium ferens Venus [i] manu in pectus incussâ a Minervâ concidit, & concidenti animus deficit; Dianæ [l] Juno eripit arcum, fugientemque arcu percutit. Omninoque
4 nihil inter Deos est boni moris; nam quoties Neptunus Jove prohibente Græcos juvat? quoties Juno, & Minerva Jovis voluntati reluctantur, cui morem gerere altera tamquam conjugi, altera tanquam parenti, utraque verò tanquam Regi Deorum debebat. Ipse Juppiter nonne Junonis illecebris delinitus, & amore, incensus cupidine explendæ voluptatis omittit curas graviores; ab uxore decipitur, & sublitum sibi os serò tandem intelligit? Mars [m] autem contemptâ Jovis voluntate sævit, ac furit, ac nisi a Junone, & Pallade attineretur, in exitium rueret? Pluto [n] verò euntium ad pugnam, & se invicem adhortantium vocem, & strepitum quasi puer pertimescit, & e solio exilit consterritus. Quid quod in libro primo Jovem a Diis aliis in vinculis pæne conjectum esse testatur, nisi [o] Briareus ille centimanus suppetias ipsi Thetidis hortatù tulisset? in [p] decimonono autem libro narratur summus Deorum a Junone deceptus non potuisse Herculem Regem constituere. Hanc ipsam fabulam Gany- 5
medis nonne narrat his [q] verbis:

...... καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης,
Ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων,
Τὸν καὶ ἀνηρέψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν
Κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη:

quos versus ad hunc modum utcunque reddidimus:

Et similis Divûm Ganymedes regia proles,
Omnes purpureo qui vicit lumine formæ;
Quem rapuere Dei, quò pocula grata Tonanti
Porrigeret, capti speciosæ flore juventæ;
Ut Divos inter species divina niteret.

quod [r] quantulum abest ab illo Virgilii: *.... & rapti Ganymedis honores?* Fatetur Ganymedem raptum a Divis, & raptum ob formam, ut Jovi ministraret; non dicit offensam Junonem, neque enim ferebat id locus; verumtamen homericam Junonem non minùs, quàm virgilianam zelotypiâ laborasse conjicias ex eo, quod Homerus Herculi tam infestam fuisse fateatur. Quanquam virgiliana Juno non tam zelotypiâ, quàm injuriâ filiæ commovetur; 6
non enim ob raptum Ganymedis Trojanis irascitur, sed ob honores, quos Ganymedes expulsâ Junonis filiâ est consequutus; nam quum antea Hebe [f] Junonis filia Iovi a cyathis esset, postquam in Cœlum sublatus est Ganymedes, munus in eum collatum est, quo Hebe fungebatur; minùs est igitur levis virgiliana Juno, quæ offenditur injuriâ filiæ, quàm homerica, quæ zelotypiâ incenditur. Quid igitur, dixerit quispiam, tu Homerum reprehendis? ego verò Homerum extra omnem ingenii aleam positum judico, & levissimos duco, & omnium irrisione explodendos, qui de eo minus honorificè loquuti sunt, quàm oportebat; sed molestè fero a Macrobio Virgilium accusari, eique Homeri auctoritatem opponi; quem in rebus, quæ ad Superos pertinent, constat longè audaciùs, quàm Virgilium esse versatum. Sed poëtas in hac re non esse reprehendendos aliis dissertationibus, ut polliciti sumus, probare conabimur.

[a] Homer. Iliad. libr. 4. v. 73. [b] Idem Iliad. libr. 1. v. 590. [c] Idem Odyss. θ. v. 267. [d] Idem Hom. Iliad ε. v. 335. 855. & φ. v. 396. [e] Idem Hom. Iliad. ε. v. 385. [f] Idem ibid. v. 392. [g] Homer. Il. υ. v. 65. & Iliad. φ. v. 385. [h] Idem Iliad. φ. v 400. [i] Idem ibid. v. 422. [l] Idem ibidem v. 480. [m] Idem libr. 5. v. 30. [n] Homer. Iliad. υ. v. 60. [o] Homer. Iliad. α. v. 403. [p] Idem libro 19. Iliad. v. 96. [q] Hom. Il. υ. v. 232. [r] Virgil. Æneid. l. 1. [f] Cic. de Nat. Deor. l. 1. & Serv.

DISSERTATIO XXIX.

De Poëtarum Allegoriis.

Plerique omnes philosophi licèt Aristarchus, Lucianus, & Scaliger dissentiant, existimant poëtas fabulis, & allegoriis res philosophicas explicare; qui mos fuit etiam divinorum prophetarum.

HEraclides [a] Ponticus vetustus, & non contemnendus Auctor in libro, quem de Homeri allegoriis conscripsit, Homerum putat physicas rationes in suas fabulas inclusisse; nec esse dubitandum, quin allegoria quædam principis Poëtæ carminibus insit; nisi velimus credere eum Salmonei furorem, & impietatem in Deos æquasse, vel Tantali, qui, ut [b] Euripidis verbis utar,

Ἀτόλμητον ἔχει γλῶσσαν αἰσχίστην νόσον.

Itaque quæ de Diis impiè dicta censentur,
1 sic accipit, ut non in iis impium quid apparere, sed arcana naturæ latere videantur, quibus Dei majestas declaratur. Quæ sententia fuit & Plotini philosophi summi, qui multas poëtarum fabulas ad sapientum documenta spectare confirmat; & Porphyrii, & Procli hominum acutissimorum, qui de hac re etiam commentarios libros ediderunt; & Longini, qui in libro de sublimi genere dicendi cuidam [c] Homeri loco, ubi præ timore e solio exilientem Poëta Plutonem inducit, medendum allegoriâ censet, ne impiè loquutus esse videatur. Sed & Dionysius Halicarnasseus libro secundo in fabulis Græcorum multa & ad mores utilia, & ad cognoscendam rerum naturam allegoriâ putat occultari; & Macrobius [d] hanc rationem fabulis explicandi probat, ac multas hoc pacto ipse explicat, & Eustathius in Homerum, qui omnibus Homeri fabulis ferme allegoriam inesse arbitratur; & Stoici omnes, quos Cicero de Naturâ Deorum poëtarum fabulas interpretari testatur, & philosophicas rationes ipsis occultari contendere. Multi
2 præterea doctissimi viri hanc sententiam videntur comprobasse; quam licèt improber Aristarchus, Lucianus irrideat, Scaliger [e] contemnat, alii non indocti viri putent explodendam; tamen quum a gravissimis philosophis videam esse confirmatam, repudiare non possum. Quapropter ostendam hodierno die verosimile esse poëtas, & præcipuè vetustissimos quosque allegoriâ frequenter usos, & hac figurâ veritatem abdidisse, ne vulgi oculis conspecta vilesceret; ob eamque causam quasdam fabulas, quæ impiæ videantur, non dedecere majestatem Deorum, quia his non eorum vitia, sed opera naturæ exprimantur. Et sanè dubitari non potest, quin poëtarum sit aliud dicere, aliud intelligi velle; citat Ponticus [f] Heraclides Alcæi locos nonnullos, aliorumque Græcorum poëtarum, ex quibus constat poëtas aliud dixisse, aliud in mente habuisse; nec apud Latinos non id figuræ genus frequens, & usitatum; exempla quivis potest annotare; ideo nos contenti erimus pauca attulisse. Horatius [g] in pulcherrimâ Ode, cujus initium: 3

O navis referent in mare te novi
Fluctus.....

Romanam Rempublicam civili bello perfunctam, & in idem rursus relabentem, vel potiùs Brutum victis jam partibus iterum civile bellum instaurantem navi comparat, & tanquam navim alloquitur; quæ sævissimâ tempestate jactata, & fluctibus pæne obruta, & conquassata, æstus violentiâ refertur in mare, & in eadem pericula rursus revolvitur; ubi:

Nudum remigio latus,

&

Malus celeri saucius Africo,

& *lintea non integra*, sunt opes partium fractæ, exercitus fusi; fluctus autem nihil aliud sunt, quàm adversa bellorum, portus verò pax, quam ut bello anteponat, Brutum cohortatur. Idem Poëta puellam nuptiis immaturam indomitæ juvencæ [h] expressit imagine:

Nondum, inquit, *subactâ ferre jugum valet*
Cervice, nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tuæ
Campos juvencæ, nunc fluviis gravem
Solantis æstum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Prægestientis.....

Virgilius autem in eclogis utitur hac figurâ plurimùm, quum res pastorales ad Ro- 4
manas accommodat; & quæ [i] sibi, & suis acciderunt, pastoribus tradit accidisse, & per ambages amicos, & Romanos proceres, & Augustum laudat. Quum autem allegoria illa vulgatior, qua etiam oratores utuntur, sit poëtis adeo familiaris, ut exempla, quæ attulimus declarant, & quivis potest animadvertere; illa magis recondita, quæ præcepta vitæ utilia continet, vel arcana natu-

[a] Heraclid. Pontic. de Homer. Allegor. in princip. [b] Euripid. in Prolog. Orestis. [c] Hom. Iliad. υ. v. 60. [d] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 17. [e] Jul. Cæs. Scal. Poët. libr. 3. c. 83. [f] Heracl. Pont. de Alleg. Hom. paulo post princ. [g] Horat. l. 1. Od. 14. [h] Hor. Carm. l. 2. Od. 5. [i] Virg. Ecl. 1. &c.

naturæ, divinæque philosophiæ velo fa-
bularum tegit, & occultat, a poëtis aliena
credi non debet; quæ si a poëtarum car-
minibus excludatur, locum, in quo con-
sistat, vix habet. Poëtis enim præcipuè
convenit; nam [a] poëtæ sese instinctu, af-
flatuque divino commoveri gloriantur; id
autem genus proprium est eorum, qui præ-
sentiâ Numinis concitantur; quod Vete-
rum declarant oracula: declarant carmina
Sibyllarum: & qood majus est, declarant
vaticinia divinorum prophetarum, quæ sa-
cris paginis continentur; qoæ allegoriâ
plerunque obscurantur. Accedit eodem,
5 quod id genus admirationis plurimum ha-
bet, ex qua oritur delectatio, quam poë-
tæ inprimis consectantur; quàm enim le-
ctorem delectat sagaciter invenire, quod
poëta fabularum involucris occultavit?
Nonne hic est ingeniorum venatus mul-
to jucundissimus, abdita perscrutari, de-
prehendere latentia, in lucem obscura
proferre? nonne sapientum ingenia sibi
gratulentur, necesse est, quum quod vul-
gi intelligentiam effugiebat, perspicere po-
tuerunt? quum sub absurdis commentis
delitescentem veritatem deprehenderunt?
Quo fit, ut hujusmodi fabulis, & imperi-
ti gaudeant, & sapientes; nam imperitos
fabulosa narratio, sapientes fabulis inclu-
sa veritas afficit voluptate; quæ, nescio
quo pacto, videtur augustior, quum latet
ex aliquâ parte, quàm qoum se profert
universam; nam quemadmodum quasdam
pulcherrimas feminas velatas ex parte
pulchriores esse visas accepimos; ita veri-
tas velo tecta fabularum majorem pulchri-
tudinem præsefert; & sicut mystica sacra,
quia sunt ab oculis remota profanorum,
& ignota volgo majestate præcellunt, &
habentur sanctiora; ita sapientum senten-
tiæ sermonis ambagibus occultatæ viden-
tur esse graviores, & habere quandam su-
blimitatem; quia ad earum intelligentiam
non potest vulgus aspirare. Nec aliâ ratio-
6 ne meliùs poëta consequitur, ut de se pos-
sit [b] illud prædicare:

Odi profanum vulgus, & arceo.

Nam si obscuritate sermonis uteretur ejus
oratio a vulgo abhorreret, sed nihil dele-
ctationis afferret; nunc autem, quum fabu-
lis utatur allegoriâ celantibus verum, non
est injucunda; nihil enim ab historiâ dif-
fert, nec est humilis, aut vulgaris, quom
promittat aliquid arcanum, & a vulgi sen-
su remotum, & ostendat notas occultæ ve-
ritatis.

DISSERTATIO XXX.

De iisdem Allegoriis.

Heraclitus ob operum obscuritatem dictus est σκοτεινὸς; *idest* tenebrosus. *Sapientum vetustissimum genus fuerunt apud Græcos poëtæ, vetustissimi autem sapientes allegoriis utebantur, ut ex sacris litteris constat; consentaneum est igitur etiam poëtas usos; præsertim quum etiam philosophi recentiores, & qui a studiis litterarum abhorrent, iisdem usi fuerint.*

OMnium sapientum vetustissimum
apud Græcos poëtarum genus
esse compertum est; vetustis-
mos verò sapientes libenter u-
sos allegoriâ, & sermonis am-
bagibus vel sacræ litteræ declarant, quæ
videntur hoc orationis genere abundare;
consentaneum est igitur poëtas id genus
esse complexos, quod vetustissimis tem-
poribus fuit propriom sapientum, nec eo-
rom fabulas esse inanes, & anilium nuga-
rum similes, quæ ad aures puerorum de-
mulcendas tantummodo sunt accommoda-
tæ, sed continere præcepta sapientiæ, con-
tinere physicas rationes, & arcana quædam 1
naturæ, quæ sapientes illi in vulgus ef-
ferri noluerunt; quod hesterno die conati
sumus ostendere, & hodierno maximè co-
nabimur. Et sanè vetustissimis philosopho-
rum videmus occultandæ studium veritatis
placuisse; cujus rei testes locupletissimi ci-
tantor [c] Ægyptii, qui sapientiam suam ar-
canis quibusdam notis dum abdunt, pro-
diderunt; testis appellator [d] Heraclitus il-
le, qui ob operum obscuritatem σκοτεινὸς
idest *tenebrosus* dictus est: testis [e] Orpheus,
sive is Auctor habendus est ille vates ma-
tre Musâ natus, sive pythagoreus quidam,
ut plerisque [f] video placuisse: testis Par-
menides, cujus utinam extarent ingenii mo-
numenta; multa hujus rei, & præclara e-
xempla haberemus; & tamen ex initio li-
bri, qood citat, & explicat Sextus [g] Em-
piricus, id, quod affirmavimus, liquet; nec
potest dubitari, quin vir ille hac dicendi
ratione sit usus, nisi eum inanes sonos fu-
dere, & furere arbitremur. Quid Pythago-
rei? nonne præcipuè genus id comproba- 2
runt, & sequuti sunt? nec aliud sibi volont

[a] Ovid. Fast. libr. 6. in princ. [b] Horat. libr. 3. Od. 1. [c] Clem. Alex. Strom. libr. 1. [d] Herael. apud Clem. Alex. in libr. 5. Stromat. Diog. Laërt. libr. 9. Tatian. in Orat. advers. Græc. [e] Diog. Laërt. in procem. Orig. advers. Cels. libr. 1. & Clem Alexandrinus. [f] Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 1. [g] Sext. Empiric. advers. Mathem. pag. 157.

illa Pythagoræ dicta: ignem [a] gladio ne scindas: super chœnicem [b] ne insideas: ollæ [c] vestigium in cinere confundas: a fabis [d] abstineto: contra [e] Solem mejere non oportet: hirundinem tecto [f] recipere non convenit: ab eo, quod babet nigram caudam, cavendum; aliaque hujusmodi, quæ in ore doctorum sunt. Nec illa magis recondita, quibus usos Pythagoréos testatur Clemens [g] Alexandrinus, Saturni lacrymam appellasse mare; Proserpinæ canes stellas errantes; cujusmodi [h] multa referuntur Orphei, qui semen μίτον, idest *filum*, Jovis lacrymas imbrea, ἄνθινον, idest *floridum*, ver, Venerem tempus arandi, & ferendi, ἀγρίδα noctem nuncupavit; nec [i] aliud ephesias litteras, quàm ænigmata ferunt continuisse. Jaoi Empedo-
3 clia molta recitantur, quæ ad id genus referontur: multa habet summus auctor intelligendi Plato, quorum sensus allegoriâ involvitur, & occultatur; cujusmodi est antrum illud nobile, quòd ab egregio Philosopho describitur; currus alatus animorum, equique gemini, quorum alter melior, alter deterior, alter pareat aurigæ, reluctetur alter, in Phædro; ortus amoris ex inopiâ, Deoque copiæ, & consilii, in Convivio; & in eodem fabula, quam narrantem inducit Aristophanem; qoa tradit homines olim fuisse rotundos, & quatuor manus, & pedes habuisse, sed hi quum se insolentiùs gererent, Jovem homines in binas partes secuisse, ita factum esse bipes hominum genus; eodem nonnulli putant pertinere animorum in alia corpora migrationem, quæ refertur in Timæo. Nec
4 verò solùm philosophi sunt hoc genere delectati, sed & alii, qui a litteria prorsus abhorrebant; ita [l] Persæ quum ab aliquo populo postulabant, ut in suam venirat potestatem, legatos, qui terram, aquamque Persia peterent, misisse dicuntur: sic Idanthyrsus [m] Scytharum Rex Dario, quum Istrum trajecisset misit murem, avem, ranam, sagittam, & aratrum; quo significabat ille barbarus Scytharum sagittis Persas oppetituros, quamvis, ut mures, sub terram se abderent, vel, ut ranæ, se in aquam demergerent, vel, ut aves, Cœlum peterent; neque enim Scythas colere agros, & in certâ sede permanere. Sic [n] Lacedæmonii minati sunt Philippo, quum nihil aliud ipsi scripsissent, quàm, *Dionysius Corinthi:* sic [o] Thrasybulus Periandro per ambages præcepit, quum nuncio misso 5
consuleratur, quomodo regnum contra jus occupatum stabiliret, ut primores civitatis necaret; nam ingressus in campum segete jam adultâ eminentes aristas baculo decussit; quo facto ostendit his, qui contra leges in civitate nacti sunt principatum, eminentissimum quemque esse tollendum: sic [p] Tarquinius a filio eadem de re consultus Gabiis occupatis idem sanguinarium consilium tyrannis dedit, celsiora capita papaverum decerpendo. Quod si philosophi, quos nuda, nullisque coloribus fucata veritas magis decet, tamen ab hoc genere non abhorrent; si reliqui, quos animi sententiam simpliciùs, planiusque proferre oportet, id genus aperiendi sua consilia, mentemque non repudiant; quanto magis poëtis convenit, qui philosophari nisi occultè, & aliud agentes non possunt? qui a pedestri, & pervulgato genere dicendi quammaximè dissident; qui omnes rhetorum arculas, omnia myrothecia excutiunt, omnes orationis illecebras, omnes veneres consectantur, quibus nullum figuræ genus non est familiare. Id autem si poëtis conceditur, quod æquum 6
est concedi, apparet, cur Numinibus tribuant affectiones ab illâ divinâ, immortalique naturâ abhorrentes; cur facta fingant Deorum, quæ turpe sit hominibus non omnino perditis designare. Non enim hæc Numinum peccata, sed naturæ affectiones, non adulteria, contentiones, iræ, libidines, sed elementorum pugnæ, rerum mixturæ, desideria naturæ debent intelligi. Quo probè constituto, liquet non esse Homerum, aliosque poëtas reprehendendos, si pulcherrima documenta, physicasque rationes impiis in speciem fabulis incluserunt; quod ipsos fecisse, nisi longum videretur, allatis exemplis planum facerem; neque tamen magnopere necesse est, quum nihil aliud mythologorum scripta declarent.



DIS-

[a] Diogen. Laërt. libr. 8. in Vit. Pythag. segm. 18. Plutarch de liber. educand. [b] Diogen. Laërtius ibid. [c] Clem. Alexandrin. libr. 5. Strom. & Diogen. Laërt. ibid. [d] Diogen. Laërt. ibid. Cic. de Divinat libr. 1. Plinius libr. 18. cap. 12. & Aul. Gell libr. 4. cap. 11. [e] Diog. Laërt. in Vit. Pythag segm. 18. Porphyr. in Vit. Pythag. & Jamblichus in Protrapt. cap. 21. [f] Diog. Laërt. ibid. D. Hieronym. in Apologiâ adversus Rufinum, & Malchus in Vit. Pythagor. [g] Clem. Alexandrin. libr. 5. Strom. [h] Clem. Alex. ibid. [i] Idem ibid. paull. super. [l] Herodot. l. 4. cap. 127. [m] Clem. Alexandr. Stromat. libr. 5. [n] Plutarch. in libro περὶ τῆς ἀδολεσχίας. [o] Herodot. libr. 5. c. 92. Diog. Laërt. libr. 1. segm. 100. in Vit. Periandr. sed aliter Aristot. Polit. libr. 3. cap. 13. [p] T. Livius libr. 1.

DISSERTATIO XXXI.

Quàm piè de Deo senserint philosophi; quàm impiè de Diis vulgus.

Galli simulacra e viminibus contexta hominibus implebant, eaque in honorem Deorum succendebant. Herculi Lindio conviciis sacrificabatur. Mulieres in Capitolio comptæ sedere solebant, quia se a Jove amari in animum induxissent.

QUæ de allegoriâ poëtarum diximus, & recondito sensu fabulatum, satis esse possent, Auditores ornatissimi, ad poëtas defendendos, qui de Diis multa dixerunt, quæ a majestate Deorum videntur abhorrere; nisi quidam nimis præfractè negarent, quod tot doctissimi viri tanquam certissimum tradiderunt; sed quia non desunt, neque defuerunt a doctrinæ studiis homines non alieni, quibus tam falsum, quàm sunt ipsæ fabulæ, videtur, inesse fabulis aliud, quàm fabulam, & inane otiosarum aurium oblectamentum; alia mihi via est ineunda, aliâ ratione de-
1 fendenda est causa poëtarum; non quòd ea, qua sum hactenus usus, improbanda videatur, sed ut pluribus firmamentis innixa veritas labefactari non possit. Sed antequam ostendam Homerum, aliosque poëtas non esse reprahendendos, quòd humanis vitiis Deos obnoxios induxerunt, opus est, ut quid de Diis Antiqui senserint, explicem; quod hodierno die faciam, Auditores. Triplex igitur, ut Varro doctissimus Romanorum tradidit, apud Veteres fuit theologia, & ratio de divinâ naturâ disserendi; una populi, alia philosophorum, tertia poëtarum; & philosophorum quidem ratio pia, & plena sanctitatis, digna de Deo cogitavit. Illum esse incorporeum, immensum, ineffabilem, omnium 2
auctorem, & conditorem, sed supra omnia; non vitam, sed supra vitam; non sapientiam, sed supra sapientiam; non mentem, sed supra mentem; fontem boni non comprehensum, sed omnia comprehendentem, & irrigantem; in quo quidquid est, verè fit, & vivat, Plato [a] ille divinus confirmavit. Rectorem [b] Universi Aristoteles, immotum, cunctisque motum impertientem; Stoici [c] vim, & rationem universa permeantem; Anaxagoras mentem omnia [d] disponentem; Thales Milesius [e] mentem ex aquâ cuncta effingentem. Nec minùs piè scriptor orphicorum [f] carminum cecinit:

Εἷς ἔς' αὐτογενής: ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περινίσσεται, οὐδέ τις αὐτὸν.
Εἰσοράᾳ θνητῶν, αὐτὸς δέτε πάντας ὁρᾶται..

Sed populares opiniones de divinâ naturâ quàm longè a philosophorum sapientiâ, & 3
pietate recesserunt? primùm omnium ipsam in partes discerpserunt, easque tam multas, ut, Plinio [g] teste, major Deorum numerus, quàm hominum haberetur; ita factum est, ut quod solum ex omnibus unum, simplexque verè est, omnium maximè multiplex esse videretur. Non enim solùm hominibus, [h] sed rebus omnibus proprium Numen tribuerunt; & sicut in eo vehementer errarunt, quod ipsum unum in multitudinem infinitam distraxerunt; sic in eo, quod ipsum bonum malis, & fugiendis rebus addixerunt. Hinc pro Diis culta vitia, cultæ [i] febres, cultæ [l] tetterrimæ animi perturbationes; deinde quàm impio cultu hæc ipsa Numina affecerunt! Carthaginienses [l] Saturno nobilissimos pueros im- 4
molabant: Galli Mercurio [m] humanâ hostiâ faciebant; qui [n] immani magnitudine simulacra e viminibus contexta quum hominibus implevissent, in honorem Deorum succendebant: Cyprios [o], & [p] Scythas, aliosque populos permultos, & inter eos veteres Latinos [q] humano sanguine Deos

[a] Plato in Sophistâ. De Deo Platonis Vid. Maximum Tyrium Dissert. 1. & Alcin. de Doctr. Platonis cap. 10. [b] Aristotel. Metaphysic. libr. 12. cap. 7. & in Epistol. ad Alexandr. apud Jo: Stob. Ecl. physic. cap. 6 libr. 1. [c] Plutarch. de Placit. Philosophor. libr. 1. cap. 7. [d] Clem. Alexandr. in Protrept. & Jo: Stob. Ecl. physic. cap. 1. libr. 1. [e] Jo: Stob. ibid. [f] Orpheus apud Clem. Alexandrin. in Protrepr. [g] Plinius libr. 2. cap. 7. [h] Cic. libr. 1. de Natur. Deor. Plinius libr. 2. cap. 7. Minutius Felix in Octavio, & Cyprian. libr. de Idolorum vanitate. [i] Clem. Alexandr. in Protrept. D. Augustin. libr. 20. contra Faustum cap. 9. & de Civit. Dei libr. 4. cap. 23. Epistol. 44. vel 17. Ed. Antuerp. ad Maxim. Madaur. & in Enarratione Ps. 104. [l] Plato in Dialog. cui titulus *Minos*, Dionys. Halicarnass. libr. 1. Diodor. Sicul. libr. 20. Sil. Italic. libr. 4. in fine, Tertullian. in Apologetic. cap. 9. Lactant. Firmian. libr. 1. de falsâ Relig. cap. 21. Justin. libr. 19. Euseb. de Præparat. Evangelic. libr. 4. & Paul. Oros. libr. 4. cap. 6. [m] Cicer. in Orat. pro M. Fontejo, Cæsar de Bell. Gallic. libr 6. Strab. libr. 4. & 14. Diodorus Siculus libr. 5. & 6. Dionys. Halicarn. libr. 1. Plinius libr. 30. cap. 1. Pompon. Mel. libr. 3. cap. 2. Solin. cap. 24. Lactant. Firmian. ibid. libr. 1. cap. 21. & Martianus Capell. libr. 6. [n] Jul. Cæsar de Bello Gallic. libr. 6. & Strabo libr. 4. [o] Lactant. Firmian. libr. 1. de fals. Relig. cap. 21. [p] Lucianus de Sacrificio circa finem. Philostratus in Vit. Apollon. libr. 6. cap. 10. Lucanus libr. 1. Pharsal. & Herodot. libr. 4. [q] Lactant. Firmian. de falsâ Relig. libr. 1. cap. 21.

Deos placavisse memoriæ proditū est. Her-
culi Lindio [a] conviciis sacrificabant; in
honorem [b] Bacchi phallos, ideſt pudenda
virilia circumferebant; qui [c] Matri Magnæ
ſerviebant, virilitatem ſibi abſcindebant; la-
certos cultris [d] cædebant Bellonæ ſacerdo-
tes. Jam ſcenicos ludos Romani [e] ad pla-
5 candam Deorum iram celebrabant; in qui-
bus virgines prætextata verba audiebant:
in Veneris [f] templo Babylonii advenis om-
nes mulieres proſtituebant: jam [g] beſtiarii,
jam gladiatores [h] nonne Deorum numi-
ni placando mactabantur? jam [i] Majuma,
jam Floralia [l] nonne obſcenorum ludorum
ſunt nomina ad Deos propitiandos reper-
torum? Quid ea, quæ fiebant in Capito-
lio, quàm planè ſtultitiam arguunt civi-
lis theologiæ! ſiquidem apud Beatum Au-
guſtinum [m] Seneca teſtatur alios horas Jo-
vi nunciaſſe, alios, tanquam ungerent Jo-
vem, vano brachiorum motu imitatos un-
gentem; alios Diis libellos obtuliſſe, eoſ-
que ſuam cauſam docuiſſe; fuiſſe mulieres,
quæ crines Minervæ, Junonique diſpone-
rent, quæ ſpeculum tenerent; fuiſſe artifi-
ces, qui, quaſi Deus iisdem, quibus ho-
mines, rebus caperetur, artificio ſuo Jovem
oblectare conarentur. Nec mirum eſt his
6 obſequiis, quibus homines capi ſolent, &
devinciri, eo tempore homines benevolen-
tiam Deorum eſſe aucupatos; iisdem quip-
pe Deos, quibus homines, perturbationi-
bus exiſtimabant [n] commoveri, eadem ap-
petere, & declinare, nec eſſe expertes affe-
ctuum humanorum. Sed ignoſcendum for-
taſſe illis, ſi mediocres, aut honeſtas cu-
piditates in Deorum naturam cadere vo-
luiſſent; illud ferri non poteſt tantam li-
bidinem innatam putaſſe immortalibus il-
lis, diviniſque mentibus, ut aſotorum om-
nium cupiditates, ac libidinem ſuperarent;
quod licèt ex his, quæ diximus, & ex
genere ludorum, quibus Dii delectari pu-
tabantur, intelligi poſſit, clariùs tamen ad-
hoc oſtendemus. Principio quum inter om-
7 nes cupiditates maximè vehemens eſſe vi-
deatur, maximeque perturbare hominum
mentes libido venereæ voluptatis, hac Deos
duci vulgò creditum eſt. Affirmat [o] Sene-
ca mulierculas in Capitolio ſedere ſolitas
comptas, & ornatas; quia ſe a Jove amari
in animum induxiſſent; & fortaſſe erant,
qui deceptis fucum facerent, & ſimulati
Numinis induti perſonam explerent volu-
ptatem ſuam. Minùs autem mirum mulier-
culis imperitis, quæ formæ ſuæ gloriâ du-
cuntur, & ad quidlibet credendum addu-
cuntur, id eſſe perſuaſum, quum populus
univerſus, & graves interdum viri a tam
puerili opinione non abhorrerent. In Eu-
thyphrone Plato indicat Socratem eſſe ab
adverſariis in cauſam, crimenque vocatum,
quòd & hanc cupiditatem, & alias in Deum
cadere conſtantiſſimè pernegaret. Sed finem
dicendi non facerem, ſi omnia, quæ huc
pertinent, velim exponere; quapropter ea
in præſens tempus omittemus, & alio die
perſequemur.

DISSERTATIO XXXII.

Quæ fuerint populi opiniones de Naturâ Deorum.

Multi etiam poſt heroica tempora Deorum filii exiſtimati ſunt; licèt Clemens Alexandrinus aliter ſentiat; ex quo conſtat vulgus crediđiſſe Deos libidine incitari, & nullam turpitudinem ab ipſis abhorrere; ſicut fabulæ turpiſſimæ, quæ de Diis narrantur, aoſtendunt.

ALexander ille Magnus, quum per-
domito Orbe [p] terrarum Her-
culis, Liberique Patris victo-
rias æmulatus Deus quibusdam
videretur, & ab [q] oraculo Jovis
Hammonis filios Jovis eſſet ſalutatus, dua-
bus [r] rebus ajebat ſe admoneri ſuæ mor-
talitatis, ſomno ſcilicet, & venereâ volu-
ptate; tam ille alienam a naturâ Deorum
venerem arbitrabatur, ut quum ſibi con- 1
ſcius eſſet aliorum quoque vitiorum, in
quæ pronior fuiſſe fertur, quòd conco-
bitu modicè, & temperanter uteretur,
fiduciam ſuæ divinitatis abjecerit. Ita-
que non tam ſibi viſus eſt indignus im-
mortalitatis opinione, quòd iræ impotens
Cli-

a Lactant. Firmian. de fals. Relig. libr 1. cap. 21. b Clem. Alexandrin. in Protrept. c Plin. libr. 11. c. 49. & libr. 35. cap. 12. d Lucanus libr. 1. Lactant Firmian de fals. Religion. cap. 21. & Ælius Lamprid. in Vitâ Commodi. e Tit Liv. libr. 7. in princip. & D. Auguſtin. de Civit. Dei libr. 1. cap. 32. f Herodotus Hiſtor. libr. 1. cap. 199. g Tertullian. in Apologet. h Auſonius Eclog. de Feriis Romanor. & Julius Capitolin. in Vitâ Maximini, & Balbini. i Suid. in Voce Μαϊουμᾶς, D. Jo: Chryſoſtom. Hom. 6. & 7. in Matthæum, l Vetus Juvenal Scholiaſt. Sat. 6. v. 249. Ovid. Faſtor. libr. 5. & Plin. libr. 18. cap. 29. m Seneca de Superſtitione apud D. Auguſtin. de Civit. Dei libr. 6. cap. 10. n Clem. Alexandrin. in Protrept. o Seneca de Superſtitione apud D. Auguſtin. de Civit. Dei libr. 6. cap. 10. p Arrianus de Exped. Alexandr. libr. 3. circa init. Plutarch. in Apophth. & de Fortun. vel Virtut. Alexandr. Orat. 1. q Plutarch. in Vitâ Alexandri, & ibidem. r Idem de Adulat. & Amici diſcrimine.

Clitum [a], a quo servatus fuerat, inter po-
cula interfecerat; quòd [b] Callisthenem
odio adductus occidendum mandaverat;
quòd Parmenionem, & Philotam viros
virtute, & rerum gestarum gloriâ prin-
cipes e medio sustulerat; quòd [c] nobilis-
simam Persarum Regiam mulierculæ hor-
tatu ebrius inflammarat, quàm quòd a
re venereâ non prorsus abhorreret; eam
libidinem fœdiorem, quàm ut in Deum ca-
dere posset, arbitrabatur. Sed non vulgus
hominum sententiam maximi Regis com-
probavit; nam & aliis vitiis Deos obno-
xios, & inprimis intemperantiæ libidinis
credidit. Nec erat, cur [d] Clemens Alexan-
drinus quæreret, qua de causâ, quum heroi-
cis temporibus toties cum mortalibus fe-
minis concubuisse dicerentur; deinde tot
sæculis, quasi mutatâ voluntate, hujusmodi
congressibus abstinuerint; neque enim, ut
ait [e] Satyricus, adeo

...... *senuerunt Juppiter, & Mars*,

& alii Dii, ut & post heroica tempora lon-
go intervallo non fama obtineret eos se se
cum feminis miscuisse, & excellenti virtu-
te homines procreasse. Siquidem [f] & Ro-
2 mulum Martis editum satu, & Aristome-
nem [g] Messenium cujusdam Dei, qui cum
Nicoteliâ matre specie draconis concu-
buerit, & [h] Platonem Apollinis fuisse fi-
lium, & Alexandrum [i] Macedonem Jovis,
& Aratum [l] Æsculapii, & [m] superiorem
Scipionem Jovis, & Augustum [n] Apollinis
memoriæ prodiderunt. Quæ opinio nun-
quam invaluisset, nisi Deos libidine incita-
ri, & cum feminis rem habere mortalibus
vulgus credidisset. Nec ea turpitudo ab o-
pinione vulgi, quæ de naturâ Deorum fuit,
abhorrebat; non hîc ego commemorabo
traditum esse a Veteribus [o] Jovem cum
sorore Junone incestis nuptiis copulatum;
jura [p] lecti maritalis Venerem violasse; &
Vulcano fecisse injuriam, quæ Marti copiam
sui corporis fecerit: prætermitto [q] alia
sexcenta, quæ sunt a poëtis prodita; quæ
tamen non tanquam fabulæ poëtarum, sed
tanquam res verè gestæ a populo proba-
bantur, & publicis cæremoniis, & sacris
confirmatæ sunt. Quis nescit iras, & con-
tentiones inter Deos, & bella extitisse,
omnis antiquitatis testimonio creditum 3
vulgò? Nec sanctiùs de Diis illi sentiebant,
qui se eorū voluntatis esse conscios, & men-
tis interpretes, & naturæ peritissimos, &
sacrorum antistites gloriabantur. Euthy-
phron ille apud [r] Platonem, qui se vatem
summum, & Deorum administrum profi-
tetur, patrem capitis arcessit, quòd ejus
incuriâ mercenarius obierit; id autem ju-
stum putat exemplo Jovis adductus, qui in
vincula Saturnum dicitur conjecisse. Nec
aliâ de [s] causâ Syrorum sacerdotes pisces
venerabantur, nisi quia Venus, quum Ty-
phonem fugeret, pisce delituisse, iramque
Typhonis vitavisse putabatur. Nam quod
de Baccho narrat [t] Arnobius, id est hu-
jusmodi, ut omnem turpitudinem, quæ
excogitari unquam possit, superare videa-
tur. Refert hic scriptor in Bacchi sacris
ostendi phallos, & hanc esse ejus ritus o- 4
riginem; quum [u] Bacchus ad Inferos vel-
let descendere, ut ea, quæ de Inferis di-
cuntur, cognosceret, & viam, quæ illuc
duceret, ignoraret, Prosumnum consuluit,
quem sciebat ejus itineris non esse impe-
ritum. Prosumnus, quum amore Bacchi
flagraret (erat enim Bacchus adolescens for-
mâ pulcherrimus) se viam negavit osten-
surum, nisi faceret sibi copiam, & frui æ-
tatis flore concederet, quum ab Inferis re-
vertisset. Haud difficulter annuit Bacchus,
& jurejurando affirmavit se, si per Prosum-
num compos voti fieret, ejus voluntati
morem esse gesturum; ostendit viam Pro-
sumnus, Bacchus ad Inferos penetravit;
invisit regionem Tartari, sed dum Bacchus
apud Inferos commoratur, Prosumnus esse
desiit; reversus ab Inferis Bacchus, & au-
ditâ Prosumni morte, quò jurisjurandi re-
ligione solveretur, phallum studiosè fin-
xit, eique sic insedit, ut quam vivo tur-
pitudinem se debere censebat, mortuo re-
præsentaret; ad ejus rei memoriam instau-
randam tradunt institutum, ut in Bacchi
sacris phalli circumferrentur. Atque hujus
generis innumerabilia possent exempla pro- 5
ferri, quæ sciens prætermitto, alterum ex
eodem [x] Auctore attulisse contentus, qui
a Ti-

[a] Plutarch. in Vitâ Alexandri. [b] Idem de Adulat. & Amici discrimine, & in Vit. Alex. [c] Q. Curt. libr. 5. cap. 7. & Plutarch. in Vit. Alex. [d] Clem. Alexandr. in Protrept. [e] Juvenal. Sat. 6. v. 59. [f] T. Liv. libr. 1. [g] Pausan. in Messenic. sive l. 4. [h] Speusippus de Cenâ Platonis, & Clearchus in in Laudatione Platonis, & Anaxilides de Philosophis libr. 2. omnes apud Diogen. Laërtium libr. 3. segm. 2. Apulejus de Doctr. Platon. Origen. contra Celsum libr. 1. & 6. D. Hieronym. contra Jovinianum libr. 1. & Plutarch. in Sympos. libro 8. quæst. 1. [i] Plutarch. in Alexandro, & Pausan. in Messenic. sive libr. 4. [l] Pausan. ibid. & in Corinthiac. sive libr. 2. [m] Tit. Liv. libr. 26. Val. Maximus libr. 1. cap. 3. Aul. Gell. libr. 7. cap. 1. & Plin. de Vir. Illustrib. cap. 49. [n] Sueton. in Vitâ Augusti cap. 94. [o] Virgil. Æneid. libr. 1. v. 50. Homer. Iliad. libr. 16. Senec. in Hercul. Furent. in princip. & in Agamemn. Apulejus libr. 6. Metam. & Cic. de Nat. Deor. libr. 2. [p] Ovid. Met. libr. 4. fab. 5. & l. 2. de Art. Am. & libr. 1. Amor. Eleg. 9. Hygin. fab. 148. & Stat. libr. 7. Thebaidos. [q] Clem. Alexandr. in Protrept. [r] Plato in Euthyphr. sive de Sanctitat. [s] Xenoph. de Expedit. Cyr. libr. 1. Cic. de Nat. Deor. l. 3. [t] Arnob. advers. Gent. [u] Clem. Alexandrin. in Protrept. [x] Arnob. advers. Gent.

a Timotheo proditum memoriæ testatur; in Phrygiâ esse inauditæ magnitudinis petram, quam Acdum incolæ vocant; in eâ quum Mater Deûm consopita jaceret, ejus amore incesto Jovem deflagrasse, & explere conatum voluptatem suam; sed eâ reluctante, filiique complexus repellente, in Petram libidinem effudisse; ex eâ natum Acdestin immani robore corporis, immani animi ferocitate Superûm contemptorem, hominum vastatorem; cujus audaciam ut contunderet, Bacchum Acdestin vino consopitum exectis genitalibus mitem reddidisse; initio ingentem fluxisse e vulnere sanguinis vim, ex eo natum cum pomis punicam malum; ejus pomum quum Sangarii fluminis filia sino teneret, utero puarum concepisse; ex eâ natum Atyn hunc, quum adolevisset, & præstantiâ formæ omnes vinceret, & Acdestin, & Matrem Deûm dilexisse; hoic Midam Regem filiam in matrimonium collocasse, & ne quis nuptias impediret, quum eæ celebrarentur, claudi portas urbis imperasse; id Matrem Deûm rescisse, & quò nuptias eas disturbaret, quas dilecto puero sciebat exitium allaturas, ingressam urbem clausam, mœnibus ejus capite sublatis [ideo turritam Berecynthiam fingi ferunt] supervenisse Acdestin, & omnia tumultu miscuisse; Atyn aufugisse, & raptâ testulâ sibi genitalia abscidisse; ex eo vulnere Atyn mortuum; natam e sanguine pueri violam. Hæc autem, quum a doctissimis viris proderentur, & Deorum cæremoniis probari viderentur, qois credat ullam fuisse turpitudinem, a qua Dii Gentium abhorrere putarentur?



DISSERTATIO XXXIII.

Non a fabulis poëtarum natas vulgi de Diis opiniones, sed contra.

Eleusinia sacra sive a Melampo, ut Clemens Alexandrinus tradit, sive, ut Diodorus Siculus censet, ab Atheniensibus instituta sint, longè antiquiora sunt omnibus poëtis. Homerus enim vetustissimus fuit poëtarum juxta Herodotum, & Vellejum Paterculum; qui quadringentis annis post Herculem floruit: & si qui ante Homerum poëtæ vixerunt juxta alios, non tamen Hercule fuerunt antiquiores; quemadmodum sunt vetustiora Hercule Eleusinia sacra; idemque dicendum de aliis mysteriis; quum autem in his turpissime Deorum actiones repræsentarentur, evincitur opinionem populi de Diis fuisse poëtarum fabulis vetustiorem.

MUlta collegimus Auditores, quibus, quàm turpes, & quàm absurdas de Deorum naturâ populos, & quod majus est, sacrorum antistites haberent opiniones, appareret; nunc quia posset aliquis suspicari opiniones hujusmodi esse natas e fabulis poëtarum, qui miscendo humana divinis religionem, atque adeo omnem vitam perturbarint, poëtas vacare culpâ ostendemus, & sponte suâ populum in tantâ turpitudine versari Deos credidisse. Non enim fabulæ poëtarum hujusmodi nugis originem præbuerunt, sed contra reputando, ab his opinionibus vulgi poëtarum commenta profluxisse comperiemus; quum opiniones vulgi antiquiores poëtarum fabulis reperiantur. Quid enim [a] sacris Cereris Eleusiniæ vetustius? quid autem aliud in sacris Cereris Eleusiniæ, quàm Proserpinæ raptus exprimebatur, [b] errorésque Cereris, & labores in quærendâ filiâ suscepti? qui Proserpinæ raptus, & Cereris errores quantæ sunt in Plutone, qui rapuit, cupiditatis, & in Cerere, quæ raptam quæsivit, infirmitatis argumentum? ille fratris filiam virginem ad incestas nuptias violenter avexit; quod facinus non dico sobrii, & moderati homines, verùm etiam dissoluti horreant perpetrasse; & ejus virginitati vitium obtulit, quam illibatam servare, & summâ vi tueri debebat; hæc autem quum esset Dea, raptorem ignoravit, terrarum Orbem errabunda peragravit, ærumnas pertulit, luctu, & mærore contabuit. Et tamen hæ cæremoniæ testes

a Lactant. Firmian. libr. 2. de Orig. Error. cap. 4.
b Festus Pompejus libr. 7. Lactantius Firmian. de falsâ Religion. libr. 1. cap. 21.

ſtes Deorum libidinis, & imbecillitatis eo
2 tempore ſunt conſtitutæ, quo nondum poëtarum genus fabulis suctoritatem dederat; ſiquidem Cereris Eleuſiniæ ſacrs ante Herculem Thebanum multis ætatibus inventa perhibentur, qui primus exterorum his fertur initiatus. Melampus enim Amythaonis filius ea dicitur oſtendiſſe, ut tradit Clemens [a] Alexandrinus; vel, ut refert Diodorus [b] Sieulus, Athenienſes ipſi, qui a Cerere ingentis beneficia acceperunt, his cæremoniis, & myſteriis Deam ſunt remunerati; ſed poëtarum vetuſtiſſimum Homerum [c] Herodotus, Vellejuſque Paterculus, aliique ſcriptores agnoſcunt, qui quadringentis snnis poſt Herculem Thebanum floruit. Quod ſi illos audire lubet,
3 qui ante Homerum poëtss fuiſſe contendunt, non tamen vetuſtiores myſteriis eleuſiniis poëtæ reperientur; neque enim aut Orœbantius Trœzenius, aut Phrygius Dares, sut Meliſander Mileſius, quos memorat [d] Ælianus, neque Helena poëtria, cujus apud Photium [e] mentio eſt, quæ ſcripſit verſibus bellum trojanum, a qua multa Homerum perhibent mutuatum, Trojanis temporibus vetuſtiores, nedum Cereris myſteriis; neque Muſæus, aut Orpheus Herculis ætatem anteceſſerunt; ſi tamen hos unquam fuiſſe concedimus, quod clariſſimos viros [f] negaſſe animadvertimus; Linus [g] ipſe, quem Herculis doctorem ferunt iniquam ab eo mercedem tuliſſe mortem, non fuit his myſteriis antiquior. Licet idem de reliquia myſte-
4 riis dicere; Dardanus [h], qui Dardaniam Trojâ vetuſtiorem urbem condidit, srcana Matris Magnæ ſacra conſtituit; Eetion [i] orgia Samothracum princeps celebravit; Cinyras [l] Veneris initia prodidit, in quibus initiatis phallus oſtendebatur; quæ omnia, antequam poëtæ fabulas carminibus illuſtraſſent, ſunt inſtituta; & tamen in his omnibus Deorum turpitudo ob oculos ponebatur. In Bacchi [m] myſteriis, quæ ſabazia nuncupantur, concubitus Jovis cum Proſerpinâ filiâ referebatur; diſcerptus a Titanibus Bacchus, collecta ab Apolline membra defuncti, humoque mandata myſteriis exprimebantur. Quid dicam, quàm abſurdas opiniones de Diis habuerint multæ barbaræ nationes, quæ has certè a poëtis non acceperunt, quum poëticam facultatem nunquam coluerint? quid Ægyptiorum ſacra commemorem, quæ Deorum imbecillitatem, perverſoſque mores declarabant? quæ non poëtarum fabulis, ſed Ægyptiorum hiſtoriis continebantur;
Ægyptiorum [n] quippe monumenta trade- 5
bant Solem, quum conſpexiſſet Saturnum clam concumbentem cum Rheâ, imprecatum Deæ, ut neque menſe, neque anno pareret; Mercurium autem, quum Deam deperiret, ejus amore potitum hujuſmodi fraudem eſſe commentum; ad calculorum luſum Lunam provocaſſe, interque ludendum ſeptuageſimam partem lucis Lunæ abſtuliſſe, & quinque dies confeciſſe, qui neque anno, neque ullo menſium continerentur, quibus Rhæa quinque Deos pepererit; primo die Oſirin, ſecundo Arverem, tertio Typhonem, quarto Iſin, quinto Nephtem; Iſin autem, & Oſirin, antequam naſcerentur, amore mutuo captos in utero matris concubuiſſe; ex eo coitu Horum nonnulli ferunt procreatum. Jam Oſirin a Typhone deceptum,
quum in arcam ſe conjeciſſet, in profun- 6
dum eſſe demerſum; Oſiridis morte conſternatos Panas, atque Satyros, factumque ex eo, ut ſubiti terrores populi, vel exercitus, conſternationeſque ſine causâ coortæ panici terrores vocarentur; Iſidis luctum lugentis mortem fratris, & viri (ex quo Ægypti regionem ἀπὸ τοῦ κόπτεσθαι, quod *plangere* ſignificat, Copto volunt appellatam) ejuſdem errores cadaver inſupultum quærentis, & diſſipatos artus componentis ærumnas; tum ſimulatam Iſidem Malcandro Regi, Aſtartæque Reginæ, eorum filium nutriendi curâ ſuſceptâ infanti non
mammam, ſed digitum exugendum præ- 7
buiſſe; quem quum immortalitate donare cuperet, & in ignem conjeciſſet, a Reginâ prohibitam incepto deſtitiſſe, non poëtarum fabulæ, ſed ipſis antiquiores Ægyptiorum, qui poëtis carebant, prodiderunt. Ex quibus intelligi poteſt homines, antequam poëtæ ſuas fabulas proferrent, prolatas verſibus illuſtrarent, iiſdem erroribus implicitos non expertes putaſſe perturbationum, humanorumque vitiorum Deos immortales.

[a] Clem. Alex. admon. ad Gent. [b] Diod. Sicul. libr. 1. [c] Herodot. in Vit. Homer. [d] Ælian. libr. 12. cap. 2. [e] Phot. Biblioth. libr. 190. [f] Ariſtotel. apud Cicer. de Natur. Deor. libr. 1. & Suidas in Voc. Ὀρφεύς. [g] Clem. Alex. Strom. l. 1. & Cal. Rhodig. libr. 19. cap. 23. [h] Clem. Alexandr. admonit. ad Gent. [i] Idem eod. loc. [l] Idem eodem loco. [m] Clem. Alex. in Protreptic. [n] Totum id apud Plutarch. de Iſide, & Oſir.

DISSERTATIO XXXIV.

Qua artis leges non egredi poëtas ostenditur, quum Deos faciunt vitiis, & perturbationibus humanis obnoxios.

Homerum Plato ab eâ, quam instituit, Republicâ multo verborum honore compellatum, coronatumque, & unguentis delibutum dimittit; præcipuè quia multa de Diis finxerit, quæ ipsos dedeceant; quamobrem Beatus Augustinus Platonem, quatenus piè potest, inter Deos Gentium putat esse referendum. Poëtæ vetustissimi suis fabulis pessimè Reipublicæ, & moribus consuluerunt; verùm ipsi opinionem vulgi potiùs, quàm veritatem sequuntur; sic Medeam filiorum cæde maculatam traducunt; quum tamen Corinthii id facinus perpetrarint; sic impudicam Helenam, imbellem Paridem, Minoëm immanissimum fingunt, quum verius sit contrarium.

HOmerum [a] Plato in eâ, quam instituit, ac fingit, præstantissimâ civitate multo verborum honore compellatum, coronatumque, & unguentis delibutum dimitti jubet cum ob alias causas, tum quòd de Diis multa finxerit, quæ divinam naturam dedecere videantur. Quod Platonis
1 effatum adeo [b] Beatus Augustinus admiratur, ut Platonem, quatenus piè potest, inter Deos Gentium putet esse referendum. Dionysius quoque [c] Halicarnasseus Romulum, & Romanos jure laudat, quòd Græcorum fabulas non comprobarint, & e sacris, cæremoniisque suis prorsus abdicarint. Et sanè dubitari non potest, quin vetustissimi poëtæ, qui fabulis hujusmodi sua scripta referserunt, pessimè Reipublicæ, & moribus consuluerint; nam etsi, ut est a nobis demonstratum, antequam poëtæ insanire cœperunt, multa vulgò credebantur, quæ ab illâ divinâ, immortalique naturâ abhorrebant, nec poëtæ fuerunt auctores earum opinionum, quum & Ægyptii, & aliæ nationes iis non caruerint, quæ poëtis caruerunt; tamen inficiari non possumus has de Diis nugas carminum dulcedine vulgo commendatas, & conditas omni suavitate verborum altiùs mentibus insedisse; & fortasse multis ad peccandum fuisse incitamento, quum se Diis auctoribus peccare sibi persuaderent; nam quomodo potest, qui vitia a divinâ naturâ non putat aliena, ab humanâ aliena arbitrari? Qua-
propter haudquaquam negaverim eos poëtas, qui principes id genus fabularum in 2
lucem ediderunt, tanquam vitæ Mortalium damnosos esse reprehendendos; illud tamen constantissimè contenderim ab artis præceptis non aberrasse, nec transisse leges decori poëtici, nec prætergresse lineas, quæ sunt a doctissimis positæ ingeniis poëtarum. Præclarè quippe se res habet; jam satis ostendimus vulgò creditum Deos immortales humanis vitiis laborare, & iracundiâ interdum ardere, & libidine inflammari, & voluptatis illecebris irretiri, existere inter Deos discidia, existere contentiones, & bella, nec eorum conjugia adulteriis caruisse, & jurgiis. Hoc probè constituto quis non videt nihil a poëtis contra artis præcepta peccatum, si communem omnium opinionem sequuti tales Deos descripserunt, quales vulgò credebantur? nam poëtæ non tam rerum veritatem spectant, quàm anticipatam de unaquaque re hominum notionem, &, ut Horatii verbis utar, famam sequuntur; idcirco poëtis hæc præcepta [d] dantur:

Scriptor, honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Non enim historias excutiunt, nec quærunt, an talis Achilles fuerit, qualis fingitur, an eas res gesserit, quas gessisse dicitur; sed hominum opinione ducuntur; nec illorum interest, utrum Achilles fortior, an Hector fuerit; Græci Trojanos, an Trojani Græcos devicerint; sed famâ contenti sunt. Eodem modo Helenam fin-
gunt impudicam, quæ fortasse non fuit; 3
neque enim sponte Paridem sequuta est, sed vi rapta, & imposita in [e] navem, & in Ægyptum tempestate delata; & a Proteo, qui tum Ægyptiis imperabat, a Paridis defensa libidine, & Menelao restituta jure conjugii non violavit; licèt [f] Helena insula, quæ Atticæ litoribus adjacet, ex eo dicta memoretur, quòd in eâ primùm Helenam Paris compresserit; vel etiam, ut quidam [g] tradiderunt, parentis concessu Paridi legitimo matrimonio copulata, quòd Helenæ procos & dignitate formæ, & opum affluentiâ, & potentiâ patris, & imperii magnitudine, & rebus gestis, & virtute superaret. Quam Helenæ pudicitiam Stesichorus [h] præclaro carmine testatus dicitur; sed ille poëtico more finxit incredibi-

[a] Plato Dialog. 8. de Republ. [b] D. August. libr. 2. de Civ. Dei cap. 14. [c] Dionys. Halic. libr. 2. c. 3. [d] Horat. in Art. Poët. [e] Herodot. Hist. l. 2. cap. 112 [f] Hom. Iliad. γ. v. 444. & Strab. l. 9. [g] Dio Chrysost. in Trojan. [h] Plato in Phædr. & Isocrat. in Encom. Helenæ.

dibilia; & non Helenam veram, sed Helenæ [a] simulacrum ab Alexandro esse raptum affirmavit; & sicut [b] Ixion non cum Junone congressus est, sed cum nebulâ, quæ Junonis similitudinem præseferebat; ita Paridem non cum Helenâ concubuisse, sed cum Helenæ simulacro. In ipsâ Pa-
4 ridis personâ nonne poëtæ negligunt veritatem, sequuntur famam? qui Paridem inducunt mollem, & delicatum, & Veneris, quàm Martis prœliis aptiorem; cui summam exprobrant mollitiem, quum de eo ita [c] loquantur:

Bella gerant fortes, tu, Pari, semper ama;



Nequidquam [d] Veneris præsidio ferox
Pectes Cæsariem, grataque feminis
Imbelli citharâ carmina divides.

Quum tamen rem ipsam intuenti, & non verba poëtarum, Paris [e] fortissimus fuisse videatur; qui & Achillem summum bellatorem occiderit, omnesque Trojanos cæstu superarit. Medeam [f] ferocem, cru-
5 delemque fingunt, utpote quæ filiorum parvulorum cæde maternas manus contaminarit, quum acceperimus id facinus fecisse Corinthios, & Medeam fuisse constet innocentem: Minoëm [g] Cretensium Regem tanquam immanem poëtæ traducunt, qui quotannis septem adolescentes Athenienses nobilitate præstanti monstro traderet devorandos [h]; qui tantâ virtute fuit, ut cœlesti satu editus crederetur, & leges Cretensibus tulerit maximè celebratas, quas præstantissimi legumlatores feruntur imitati; nec tamen poëtæ reprehendendi, qui famam spectant, non veritatem. Quemadmodum ergo non erraret
6 poëta, qui pareret Horatii [i] præcepto:

Sit Medea ferox, invictaque, flebilis Ino;

sed rectam insisteret viam; nec ille culparetur, qui Minoëm aliquâ crudelitatis notâ insigniret; quia, quamquam res longè aliter se habet, tamen fama obtinuit eos illa perpetrasse, quæ ipsorum animum immitem, efferatumque declararent; ita non fuerunt accusandi poëtæ, qui tales Deos finxerunt, quia tales vulgò credebantur; quod enim omnium opinione confirmatur, etsi non verum est, speciem habet veritatis; quod autem est hujusmodi, verisimile est, non suapte naturâ, sed inductione quadam animorum; verisimile autem relictâ veritate poëtæ consectantur. Non ergo peccant, si quod omnium consensus verisimile fecit, amplectuntur, alioquin si veritatem dumtaxat spectare cogemus poëtas, artem pervertemus; cujus laus est illa peculiaris, quam Musis tribuit Hesiodus [l]:

Ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,

hoc est:

Scimus multa loqui mendacia proxima veris.

Quod est [m] Horatii dicto simile, atque germanum:

...... *sic veris falsa remiscet*

DISSERTATIO XXXV.

Qua poëtas etiam auctoritate philosophorum defendi contendimus.

Philosophi adduci non potuerunt, ut crederent immensum illud intervallum inter Cælum, Terramque vacare animantibus; ita pariter sibi persuadere non potuerunt inter Deos, hominesque nullam esse naturam, quæ cum utrisque conveniret; ideo arbitrati sunt quoddam genus, quod immortalitate cum Diis conveniat, cum hominibus, quod non sit expers affectuum; id genus Græci Dæmonas appellant, Cicero Lares, nec absurdè Genios dixeris; horum aliqui sunt pravæ naturæ, quos Divinæ justitiæ, & ultionis administros Plato existimat; nec defuerunt, qui bonorum animos, quum e corpore evolaverunt, bonos Genios evadere; malorum verò malos.

Hactenus, Audiores, ad poëtas defendendos abusi sumus opinione populari; sed mihi viderer injuriam facere Musis, si earum cultoribus in hac causâ, qua neglecti decori poëtici a nonnullis damnantur, ad populum dumtaxat provocandum putarem; quapropter ad sapientum auctoritatem confugiendum, eorumque judicio poëtæ sunt nobis defendendi. Et sanè consentaneum est, quum vetustissimis illis tem- 1
poribus, quibus artes bonæ coli cœperunt, iidem & poëtæ, & sapientes haberentur; quidquid est ab antiquissimis poëtis institutum, quidquid usurpatum, non ab opinionibus vulgi, sed a sapientiæ fonte manasse. Ajo igitur poëtas, quum humana vitia, affectusque Numinibus tribuerunt, non

[a] Euripid. in Helenâ, & Plato de Republ. libr. 9. [b] Hygin. fabul. 62. [c] Ovid. Epist. 16. Heroid. [d] Horat. libr. 1. Od. 15. [e] Virg. Æneid. libr. 6. v. 57. & Pausan. in Attic. sive libr. 1. [f] Horat. in Arte Poëtic. & Hyg. fab. 25. [g] Hygin. fab. 41. [h] Plato in Min. vel de Lege, & Plutarch. de iis, qui serò a Numine puniuntur. [i] Horat. in Arte Poëtic. [l] Hesiod. in Theogon. v. 27. [m] Horat. in Arte Poëtic.

non opinionem modò popularem sequu-
tos esse, verùm etiam placita sapientum;
qui quosdam ex eorum numero, quos
Antiqui Deos appellabant, non omnino
vacare affectibus tradiderunt, ob eamque
causam poëtas non esse reprendendos,
qui quod omnium judicio & indocto-
rum, & sapientum a naturâ Deorum non
alienum videbatur, in Deos cadere pro-
diderunt. Nam licèt philosophi summum
2 illum Mundi architectum, & omnium pa-
trem, & procreatorem Deum, cujus nutu
reguntur omnia, & sapientissimè admini-
strantur; præterea Deos, qui supra Cœ-
lum positi, ipsius beatissimâ luce per-
fruuntur, Deos, qui propterea quod in
Cœlo tanquam in suâ sede manent, cœle-
stes vocabantur, vacare vitiis humanis,
vacare perturbationibus, vacare affectibus,
non irâ, non odio, non cupidine commo-
veti putarint; tamen inter hos, & huma-
nam naturam, animantesque terrenas esse
interjectum quoddam genus animantium
sagax, providum, immortale, sicut cœle-
stibus non comparandum, ita hominum
genere longè præstantius, quod incoleret
interjectas inter Cœlum, terramque regio-
nes. Neque enim, quum Cœlum animis
immortalibus plenum censerent, terram
autem ubique animantibus refertam vide-
rent, adduci poterant, ut crederent tam
immensum intervallum vacare, quod non
propriis, & sui generis animantibus cele-
braretur; & quum tantum esse discrimen
inter Deos cœlestes, & homines intellige-
rent, sibi persuadere non poterant nullum
esse inter utrosque naturam, quæ cum u-
trisque conveniret; quum nunquam ad
3 extrema, quæ longo distant intervallo, ni-
si per medium, natura procedat; ut a plan-
tis ad animantes procreandos per ea, quæ
Zoophyta Græci vocant, & habent quid-
dam cum utrisque commune, transit; & a
mutis animantibus ad animantes rationis
compotes per animantia, quæ sunt soler-
tiora, & in quibus cernitur quoddam vesti-
gium inchoatæ, imperfectæque rationis.
Esse [a] igitur sunt arbitrati inter Deos im-
mortales, & homines mortales quoddam
genus, quod cum Diis conveniat, quòd sit
immortale, cum hominibus, quòd non sit
expers affectuum; id genus Dæmonas Græ-
ci [b] appellarunt, Cicero [c] lares vocat; nec
absurdè genios dixeris. Hos [d] per omnem
aëream, æthereamque regionem esse dissi-
tos, atque sparsos, hos esse ministros Cœ-
lestium, hos hominibus singulis attribui,
quasi curatores, hos preces nostras ad Deos
ferre, his esse commissam urbium, Regno-
rumque tutelam; ideo [e] Menander dixit
unicuique nostrûm adsistere genium, &
Censorinus [f] de Die natali tradit, simu-
latque natus est homo, genium ipsius tute-
læ excubare; hos non esse omnino exper-
tes cupiditatum, quibus homines commo-
ventur; quin etiam eorum quosdam pra-
væ esse naturæ. Ideo Chalcidius in Ti-
mæum Platonis ita loquitur: *reliqui dæmo-*
nes neque ita probabiles, neque ita commodi, 4
nec invisibiles semper, sed interdum contem-
plabiles, quum in diversas convertuntur figu-
ras, exanguium quoque simulacrorum umbra-
ticas formas induuntur, obesi corporis illuviem
trahentes, sæpe etiam scelerum, & impietatis
ultores juxta justitiæ divinæ sanctionem; ultro
etiam plerumque lædunt; tanguntur enim ex
viciniâ terræ terrenâ libidine, habentque ni-
miam cum silvâ communionem, quam malignam
animam Veteres vocabant; & Xenocrates a-
jebat dies, quas ἀποφράδας Græci vocant,
Latini verò nefastas, & corporis laceratio-
nes, quales Galli usurpabant, & jejunia,
& maledicta, & obscena verba, quibus
quædam festa abundabant, prava esse ge-
niis dedicata, ut in illis occupati minus
hominibus noceant; sic Ægyptii Typho-
nem, sic [g] Bellonam ejus sacerdotes absur-
do ritu placaverunt. Hos autem malos
genius perpetuo supplicio puniri Empe- 5
docles [h] asseverat his verbis:

Αἰθέριον γὰρ σφὲ μένος, ποντόνδε διώκει,
Πόντος δ' ἐς χθονὸς οὖδας ἀπέπλυσε, γαῖα δ' ἐς αὖθις
Ἠελίου ἀκάμαντος, ὁ δ' Αἴθερος ἔμβαλε δίναις,
Ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται: στυγέουσι δὲ πάντες.

Qui versus ita mihi videntur non incom-
modè posse explicari:

Projicit in pontum vis illos Ætheris alti;
At mare fluctisonum in terram expuit, ip-
saque tellus
Solis in immensos jacit aspernata meatus,
Ætheris & rapidis injecit vorticibus Sol;
Ex alioque alii accipiunt, odere sed omnes.

Hos esse Divinæ justitiæ, & ultionis admi-
nistros [i] Plato existimavit; quapropter in 6
Republicâ [l] ab his animam tyranni excru-
ciari facit; hujus generis Empusa [m] puta-
batur,

[a] Plato de Legib. libr. 4. Plutarch. de Oraculorum defectu, & D. Augustinus de Civitat. Dei libr. 8. cap. 14. [b] Lactantius Firmianus de Origine Err. cap. 15. libr. 2. Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 24. Apulejus de Deo Socratis, & Plato in Convivio, & alibi &c. [c] Cicer. de Universitat. [d] Apulejus de Dogmat. Platon. [e] Menander apud Ammian. Marcellin. libr. 21. & apud Plutarch. de Animi tranquillit. [f] Censorinus de Die Natali cap. 3. [g] Lactantius Firmian. libr. 1. c. 21. de fals. Rel. Lucanus libr. 1. & Æl. Lampridius in Vit. Commodi, & Lil. Gregor. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm 17. [h] Empedocles apud Plutarch. de Iside, & Osirid. [i] Apulejus de Dogmat. Platonis. [l] Plato de Republ. libr. 10. [m] Aristoph. in Ranis, & Hesychius in V. *Empusa*, Philostrat. in Vitâ Apollonii, & Lucianus de Saltation.

batur, & alii genii, qui terricula nobis objiciunt. Nec defuerunt, qui [a] bonorum animos, quum e corpore evolaverunt, bonos genios evadere, malorum autem malos; quod Empedocles eſt arbitratus; quod & Pythagoras videtur exiſtimaſſe, qui ſic ait:

Corpore depoſito quum liber ad Æthera perges,
Evades hominem, factus Deus Ætheris alti.

Quum autem quorumdam geniorum naturam vel pravam eſſe, vel depravari poſſe cenſerent, quid mirum, ſi non modò his animi affectionibus commoveri, quæ non ſunt vituperandæ, ſed turpioribus interdum cupiditatibus incendi putaverunt?

DISSERTATIO XXXVI.

Qua de Naturâ Geniorum diſſeritur.

Nymphas, & Genios vivere circiter annorum decem millia Heſiodus tradit. Hamadryades appellatæ ſunt, quia exigant vitam æqualem ævo, quo quercus durant. Quidquid homine potentius, & præſtantius eſt, Veteres Deum vocabant. Genios cum mulieribus coire nonnulli etiam Chriſtiani Patres crediderunt.

ET philoſophis placuiſſe diximus, Auditores, eſſe quoſdam Deos, quos genios nuncupabant, inter humanam, divinamque naturam interjectos, interpretes utriuſque, qui humanis cupiditatibus incendantur; horum alios eſſe pravos, alios bonos; bonos [b] Heſiodus cuſtodes hominum appellavit; nec hominum modò cuſtodes vulgus credidit, ſed etiam civitatum, & po-
1 pulorum; ſiquidem [c] Cythnii Edemum genium, Tenii Calliſtagoram, Ælienſes Anium, Lacones Aſtrabacum quaſi patronum aſciverunt; malos autem eſſe oſores hominum, eſſe perniciem, & peſtem, quam ſemper Mortalibus moliuntur. Hodierno die de iiſdem geniis adhuc nonnulla dicemus; quæ omnia eò pertinebunt, ut oſtendamus, non perperam poëtas Numinibus iras contentiones, diffidia, cupiditates, æmulationes tribuiſſe; neque enim omnia imbecillitatis expers geniorum, qui Dii dicebantur, natura habebatur; immo & quoſdam Deos morti obnoxios eſſe creditum eſt. Quapropter Plutarchus libro de Oraculorum defectu tradit Æmylianum, quum in Italiam navigaret, audiſſe vocem cum magno gemitu nunciantem Pana magnum Deum exceſſiſſe; & [d] Heſiodus Nymphas, & genios vivere circiter annorum decem millia, ut Plutarchus interpretatur, affirmavit; & [e] Pindarus ætatem exigere Nymphas aſſeverat æquali ævo, quo quercus arborum firmiſſimæ durant, ob eamque cauſam Hamadryades appellari. Quin & Adamantion definitioni, qua homo ani- 2
mal finitur particeps rationis mortale, philoſophos reſtatur addidiſſe diſciplinæ capax, atque doctrinæ, ut diſtingueretur a quibuſdam geniis, quos eſſe mortales volunt, ſed diſciplinæ non indigere, quum omnium, quæ ſciunt, naturâ ſcientiam ſint aſſequuti. Quo probè conſtituto, ſi mortis expertes non eſſe quoſdam genios voluerunt, certè non aliis malis, quibus humanum genus conflictatur, carere exiſtimarunt; ex quo Julianus Imperator, quoſdam genios vecordes, & malos audet appellare. Atque ut magis hæc hominum, atque geniorum ſimilitudo cognoſcatur, ſciendum eſt, ſicut homines eo ſunt corporis temperamento, ut alii ad terræ naturam magis accedant, alii ut humore plurimum abundent, in aliis autem aër, vel ignis excellat; ſic & genios alios eſſe terrenos, alios ad aquam pertinere, alios aëreâ, vel igneâ mobilitate vigere; & in eo elemento plerumque verſari, unde corpus acceperunt, & pro cujuſque naturâ affectus cuique eſſe ingeneratos, ut in hominibus videmus. Quare quum audimus
poëtas Diis humanas perturbationes tri- 3
buentes, non Dii cœleſtes intelligendi ſunt, aut his etiam ſuperiores, quos *ὑπερουρανίους* vocant, ſed genii, qui ultimum obtinent locum; quod & Euſtathius intellexit, qui tradit poëtas non omnes Deos obnoxios humanis affectibus arbitrari, quum ipſos *ῥέα ζώοντας facilè viventes* vocent; qui animo facilè vivit, tranquillè vivit, & caret perturbationibus, quæ Græcis animi morbi nuncupantur; Genios autem certum eſt a poëtis [f] Deos nominari; ſic enim [g] Homerus Calypſo Nympham appellavit:

..... *Καλυψὼ*, inquit, *δῖα θεάων*:

ſic

[a] Apulejus de Deo Socratis, & de Dogmat. Platonis, D. Auguſtin. de Civitat. Dei libr. 9. cap. 11. Martian. Capell. in Nuptiis Mercur. & Philolog. & Plutarch. de Oraculor. defect. [b] Heſiod. apud Lactant. Firm. de Orig. Error. libr. 2. cap. 15. & apud Clem. Alexandrin. in Protrept. & apud Plutarch. de Oraculor. defectu. V. etiam Platonem libr. 10. de Republ. Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 5. Cenſorin. de Die Nat. cap 3. & Lil Gyrald. de Deis Gent. Synt. 15. [c] Clem. Alexandr. admonit ad Gent. [d] Heſiod. apud Plutarch. de Oraculor. defectu. [e] Pindar. apud Plutarch. ib. [f] Lactant. Firmian. de fals. Relig. libr. 1. cap. 15. & Plutarch. de defectu Oraculorum. [g] Homer. Odyſſ. a. v. 14.

sic Virgilius [a] Juturnam Nympham, quum dixit:

Extemplo Turni sic est affata sororem,
Diva Deam, stagnis quæ, fluminibusque sonoris
Præsidet......

sic Æschylus [b] poëta Prometheum Deum nominat: sic [c] Plinius Genios apertè Deos esse pronunciat libro secundo, ubi sic loquitur: *quum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant Junones, geniosque adoptando sibi*: omninoque quidquid est homine po-
4 tentius, & præstantius Dei nomine vocabatur. Ex quo factum est, ut vox κρείττονες, quæ significat *meliores*, & *potentiores*, pro Diis accipiatur; hinc [d] Suidas ait: κρείττονος, τοῦ Θεοῦ. προνοίᾳ δὲ δή τινι τοῦ κρείττονος στοχαζόμενος τοῦ συνοίσοντος τὰ τοιάδε ἐπετέλει ὁ Καῖσαρ: quod multis Auctorum locis probare possem, sed parco vestris auribus. Ex quibus intelligi potest, quot Deorum genera inter hominis, & illam divinam, immortalemque, & omnis imbecillitatis expertem naturam Antiqui collocarent; & fuisse Deos, qui non multo præstantiores homine putarentur, quum etiam uniuscujusque post obitum manes [e] Dii vocarentur. De hoc autem Deorum genere, quod est
5 infra cœlestia, longeque abest a summâ præstantiâ, loquutos esse poëtas vel illud est argumento, quod philosophi sommum illum Deorum, Deosque, ut ita dicam majorum gentiom, gerere quidem curam rerum humanarum censuerunt, sed humanis non misceri; uti autem ad ea, quæ pertinent ad homines, procuranda Diis hisce minoribus administris; Dii verò poëtarum & miscentur humanis, & singulorum tutelam gerunt; nec aliud apud Homerum [f] Minerva, quæ Diomedis, & Ulyssis virtutem juvat; aut Juno, quæ Achillem, & Agamemnonem tuetur; aut Apollo [g], qui Hectorem, aut [h] Venus, quæ Æneam periculis liberat, quàm genii, quibus eos custodiendi munus injunctum fuerat; nec aliud [i] Neptunus, qui rebus Græcorum favet, nec [l] Mars, qui pro Trojanis prœliatur, aut alii, qui alterutras partes defendunt, nisi quidam Dei ex hoc infimo genere, quibus Trojanos, Græcosque propugnandi a præstantioribus fuerat de-
6 mandata provincia. Juppiter ipse Homericos non est ille Divûm pater, atque hominum [m] Rex, licèt hoc titulo afficiatur, sed aliquis, qui Jovi famolatur. Nam placuit esse quosdam genios, qui Jovi subservirent, alios, qui Saturno, & ob id Saturnii vocarentur, alios, qui Mercuriales, & Martii dicerentur, quòd eorum Numinum imperiis obsequerentur. Hos eorum nomine, quorum in famulatu sunt, poëticâ licentiâ appellari haudquaquam mirum est; qui si quid peccantes inducuntur, si irâ, si cupidine concitati, non est id reprehendendum magis, quàm quum homines iisdem affici memorantur; quum philosophi [n] doceant his affectibus, quemadmodum homines, commoveri; quod & Christiani Patres nonnulli minimè respuerunt, & libidine inflammari, & coire cum feminis a veritate non abhorrere crediderunt.

DISSERTATIO XXXVII.

Aliter narrare Poëtas, aliter Historicos.

Poëmata non sunt ab initio rerum gestarum inchoanda, ut unitas fabulæ constet, & ut ab historiis, & orationibus differant; plerique tamen poëtæ id non observarunt.

Horatius in arte poëticâ laudat Homerum his versibus:

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum trojanum orditur ab ovo.

Quibus præcipit poëtas aliter initium facere narrandi debere, aliter Historicos; nam Historici ab initiis rerum, quas exponendas susceperunt, vel ab iis, quæ initia antecedunt, exordiuntur; poëtas censet oportere initiis prætermissis a medio narrationem inchoare. Observavit id Homerus, itaque bellom Trojanum aggressus res, quæ decem anno- 1
rum spatio gestæ fuerant, prætermisit, & ab Achillis [o] irâ, quæ decimo demum anno belli Trojani, Agamemnonis injuriâ lacessita exarsit, luculentissimum poëma est auspicatus; in Odysseâ verò non Ulyssis errores incipit ab exciso Ilio, quemadmodum fecisset Historicus, qui rerum ordinem scripturâ consequitur, sed prioribus præ-

[a] Virgil. Æneid. libr. 12. v. 138. [b] Æschylus in Prometheo. [c] Plinius libr. 2. cap. 6. [d] Suid. in V. Κρείττονος. [e] Apulejus de Deo Socratis, & antiq. Inscription apud Gruter. [f] Homer. Iliad. ε. v. 120. & ζ. v. 800. & κ. v. 365. [g] Idem Homer. Iliad. ρ. v. 580. & υ. v. 444. [h] Idem Iliad. ε. v. 310. [i] Idem Homer. Iliad. ν. in princ. [l] Idem Il ν v. 38. [m] Virg. Æn. libr. 1. & Valer. Soran. apud D. Aug de Civ. Dei libr. 7. cap 9 [n] Plato in Tim. Apulejus de Deo Socratis, & D. Aug. de Civitat. Dei libr. 8. cap. 14. & 16. [o] Homerus Iliad. libr. 1.

prætermissis, a digressu Ulyssis a Calypso-
ne [a] Nymphâ carminum ducit exordium,
quod erar Ulyssis errorum extremum; de-
inde revocat sese, & Ulyssem apud Phæacas
inducit exponentem, quæcumque fuerat
in illo errore perpessus. Id eâ ratione fa-
2 ctum, quòd ut docet Aristoteles in poëti-
câ, fabulam [b] oportet unam esse instar ani-
mantis, cui [c] si unum aliquod membrum
adimatur, totum animal relinquitur im-
becillum, & imperfectum; si itaque Ho-
merus Iliadem ab initio belli Trojani, vel
Odysseam ab eo tempore incepisset, quo
Ulysses ex Asiâ Ilio capto, & everso pro-
fectus est, multas res gestas non unam com-
plexus esset; nec haberet principium, me-
dium, & finem, sed plura principia, me-
dia, & fines; nec universa facilè sub aspe-
ctum caderet, & latiùs, quàm deceret, fun-
deretur; nec ita tota fabula constaret, ut
uno quopiam sublato tota moveretur, quo-
modo fabulam constare Philosophus con-
tendit oportere. Quocirca reprehendit il-
3 los, qui [d] Theseida, vel Heracleam con-
scripserunt; reprehendit [e] Cypriorum car-
minum, & Iliadis parvæ conditorem; Ho-
merum verò suspicit, quòd ex Iliadis,
& Odysseæ argumento una dumtaxat tra-
gœdia confici possit, adeo simplex, & unum
est; quum ex Cypriaco poëmate multæ,
ex Iliade parvâ octo tragœdiæ conficiun-
tur. Est & alia ratio, cur id sic fieri de-
ceat, quia sic poëta effugit Historici, &
oratoris similitudinem, a quibus poëtam
oportet esse diversum; & sicut non pro-
baretur orator, qui Historico esset omnino
similis in narrando, ita non probandus
planè poëta, qui non utriusque similitu-
dinem vitet. Quapropter inter hæc scri-
4 ptorum genera discrimen illud statuitur; in
narrando Historicus rem gestam, ut gesta
est, exponit, & simplicem, nudamque veri-
tatem consectatur, admixtis tamen & regio-
num descriptionibus, & expositionibus con-
siliorum, & ejus, quod Auctor probet, aut
improbet, explicationibus; orator auget
dicendo rem, aut minuit, liberiùs inter
narrandum utitur sententiis, & orationis
argumentis, & excurrit licentiùs, & opus
jucundâ varietate distinguit, & illuminat
coloribus; poëta cum hæc omnia adhi-
bet, pauloque licentiùs utitur ornamen-
tis, & luminibus orationis, & præcipuè
frequentissimè personas inducit loquen-
tes, ipse, quàm minimè potest, loquitur;
tum ab oratore discrepat, quod non ser-
vat ordinem quodammodo, sed a medio
incipit, & pleraque differt, & [f] præsens
in tempus omittit; quo sublato vix ha-
bet poëta, quo ab oratore toto genere di-
screpet; nam alioquin licèt sit orator ad-
strictior, poëta solutior, tamen uterque fal-
sis utitur, eaque veris commiscet, & iisdem
luminibus ornat, & illustrat orationem.
Atque utinam ceteris Græcis, Latinisque
poëtis Homerum placuisset imitari, magis 5
artificiosè facta eorum carmina videren-
tur; nunc verò quis in hac re ad Home-
ri artificium aspiravit? Apollonius, quum
Jasonis [g] in Colchos expeditionem con-
deret, ab adventu Jasonis in concionem
Thessalorum, & timore Peliæ, quo sibi re-
gnum erepturum Jasonem [ita fata mina-
bantur] metuebat: idem initium operis
Valerio [h] Flacco: Lucanus [i] etiam bellum
civile ab initio exorditur, & causas expo-
nit, ut Historicus: nec Silius [l] Italicus u-
nam dumtaxat actionem, ut voluit [m] Ari-
stoteles, nec unius tantùm ducis res gestas,
sed multorum exprimit, ut, si reprehendendi
sunt, qui Theseidia conscripserunt, multo
magis reprehendendus videatur, qui non
unius viri facta, ut qui Theseum lauda-
runt, sed multorum comprehenderit. En-
nius [n] quoque, ut hunc etiam vetustissi-
mum epicorum poëtarum nominemus, in
eandem reprehensionem incurrit, immo ce-
teris latiùs est evagatus; siquidem annales
conscripsit, & res disjunctissimas conjunxit
eodem poëmate. Minùs, quàm alii, ab Ho- 6
meri lege deflexit [o] Papinius, nam expe-
ditionem Argivorum susceptam adversùs
Thebanos dumtaxat exposuit, quod sim-
plicius est Silii, & Ennii argumento; ne-
que tamen in narrando homericum exem-
plar sequutus est; nam historico more nar-
ravit id bellum, & ab ejus initio ad finem
carmen deduxit. Unus omnium Virgilius
ceteris virtutibus longè clarissimus hanc
legem servandam existimavit; non errores
Æneæ, laboresque, quos in condendâ ur-
be suscepit, aggressus explicare, Æneam
non a Trojæ, sed a Siciliæ litoribus de-
ducit, quod Æneæ errorum extremum fuit;
sic enim narrationem est [p] auspicatus:

Vix conspectu siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & spumas salis ære rue-
bant.

** ** **
** **

DIS-

[a] Homer. Odyss. libr. 5. [b] Aristoteles in Poëticâ cap. 8. [c] Idem Aristot. ibid. cap. 7. [d] Idem in Poët. cap. 8. [e] Idem ibid. cap. 23. [f] Horat. in Arte Poët. [g] Apollon. Argon. libr. 1. [h] Valer. Flacc. in Argon. [i] Lucan. Pharsal. libr. 1. [l] Sil. Italic. de Bell. Punic. [m] Aristot. in Poët. cap. 8. [n] Ennius in Annalib. [o] Stat. in Theb. [p] Virgil. Æneid. libr. 1.

DISSERTATIO XXXVIII.

In illud Virgilii: *Vix e conspectu &c.*

Unitas fabulæ, quam Aristoteles in Odyssea tantopere commendat, in Æneide maximè elucet; quum hæc duo poëmata in hoc fint simillima. Quod Plato docet singulas litteras in suo sono varias res exprimere, id Virgilius in suis carminibus mirificè consequitur. Monosyllaba in fine versus aliquando parvitatem rerum, aliquando magnitudinem exprimunt.

1

VIrgilium diximus, Auditores, diversâ usum ratione narrandi ab eâ, qua utuntur Historici, & Homerum solum auctorem habuisse; alios autem poëtas ad similitudinem historicæ narrationis accessisse; Virgilium solum, quum in Italiam esset Æneam deducturus, ab ultimâ parte errorum Æneæ poëma inchoasse, & e Siciliâ solventem induxisse; sic enim narrare primùm [a] instituisse:

Vix e conspectu siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant.

Hodierno die de artificio horum carminum dixeremus, sed ostendemus ante, hoc initio narrandi sumpto, Virgilium consequutum, ut quod inprimis requirit Aristoteles [b], unum, & simplex maximè esset divini poëmatis argumentum; nec in plures fabulas distrahi posset, ut distraheretur, si Æneam ab Asiæ litoribus deduxisset. Solvit igitur Æneas e [c] Siciliâ, ut apud Homerum solvit [d] Ulysses ex insulâ Calypsonia: in [e] Africam Æneas tempestate defertur; in Corcyram naufragus [f] Ulysses ejicitur; excipitur [g] Æneas Didonis hospitio; Ulysses [h] Regis Alcinoi: Æneas [i] Didoni, Pœnisque excidium Trojæ, & suos narrat errores; Alcinoo [l], & Phæacibus suos casus Ulysses: ex [m] Africâ profectus Æneas in Italiam venit; pervenit [n] in Ithacam e Corcyrâ profectus Ulysses: Æneas [o] urbem in Latio condit, Turnumque devincit, qui sibi pactam Laviniam conjugem eripere conabatur; [p] Ulysses Penolopæ procos ulciscitur, regnumque suum a procis injuriâ occupatum recuperat. Quum igitur Odysseam tanquam simplicem, unamque maximè [q] Aristoteles probet; quis neget Æneidem, quæ eodem prorsus filo contexta est, esse comprobandam? Et fanè quid simplicius dici potest? 2
Æneas e Siciliâ proximâ regione profectus in Italiam venit, & urbe conditâ, hostibusque superatis, regnum in Latio constituit Trojanorum; potest ne magis esse connexum cum principio medium, & finis? potest ne faciliùs fabula cadere sub aspectum, quod inprimis desiderat [r] Aristoteles? non est enim disiecta, non divulsa, non in multas actiones dividitur. Atque hæc de Æneidos fabulâ; in versibus autem, quos proposui, adnotandum Virgilium ex Platone non solum hausisse præcepta sapientiæ, sed etiam eloquentiæ leges. Nam Plato in Cratylo docet verba imaginem quandam præseferre rerum, quæ verbis exprimuntur; & in compositis quidem id exemplis pluribus planum facit; in simplicibus id docere conatur ex naturâ litterarum, quæ vario sono præditæ sunt, ad exprimendam vim rerum accommodato; exempli causa *R* litteram pronunciari maximo linguæ motu; idcirco verbis, atque nominibus convenire, quæ significant vehementem motum; in *lambda* litterâ efferendâ lapsare per p latum linguam, ideo eam litteram lapsum quemdam repræsentare; *sigma*, & *Zeta* magno spiritu proferri, idcirco quadrare verbis, quæ vehementiam, spiritum, concussionemque significant; sic litteris singulis inesse suas proprietates. Id Virgilius arripuit, & nunquam temere usus est concussu litterarum; ita in versibus, quos proposuimus, ubi ob oculos ponenda fuit vis vehemens, motusque rostrorum undas scindentium, ruentiumque, committit duas litteras, quæ violentiam exprimunt, & motum; *S* scilicet, & *R* in illo hemistichio: 3 4

...... spumas salis ære ruebant.

Nec minus illud est insigne [s] carmen:

Convulsum remis, rostrisque stridentibus æquor.

Omninoque, ubi motus est exprimendus, frequens in Virgilio usus *R* litteræ, ut in illis [t] carminibus:

Proxima Circeæ raduntur litora terræ;

& [u]:

Volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vertex;

&

[a] Virgil. Æneid. libr. 1. [b] Aristotel. in Poët. c. 8. [c] Virg. Æneid. libr. 1. [d] Hom. Odyss. ε. [e] Virgil. Æn. libr. 1. [f] Homer. ibid. [g] Virgil. eodem loco. [h] Hom Odyss. ζ. [i] Virgil. Æneid. libr. 2. [l] Homer. Odyss. ι. in princ. [m] Virg. l. 4. Æneid. [n] Hom. Odyss. ν. v. 110. [o] Virgil Æn. libr. 12. [p] Homer. Odyss. χ. [q] Aristot. in Poëtic. cap. 8. & 23. [r] Aristot. ibid. cap. 7. [s] Virgil. Æn. l. 4. [t] Idem Æn. libr. 7. [u] Idem ibid. libr. 1.

& [a]:

Franguntur remi; tum prora avertit, & undis
Dat latus ......

Quam verò celeritatem, quem motum, quem sonum exprimit [b] his versibus?

...... *tremere omnia visa repente*
Liminaque, laurusque Dei, totusque moveri
Mons circum, & mugire adytis cortina reclusis;

aut [c] his:

...... *olli certamine summo*
Procumbunt; vastis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturque solum, tum creber anhelitus artus,
Aridaque ora quatit, sudor fluit undique rivis.

Putidum esset omnes Virgilii locos colligere, ubi Poëta summus hujus litteræ frequentiâ nobis ob oculos posuit celeritatem, motum, vehementiam, sonum, quæ hac litterâ signari Plato confirmavit. Nec mi-
5 nus usus est *S* litterâ ad exprimendum spiritum, agitationem, aliaque hujusmodi, ut quum [d] ait:

...... *venientis sibilus Austri;*

nonne magis versus, quàm Auster ipse, sibilat? quid quum exprimit sonum, & spiritum ex Ætnæ crateribus prodeuntem, nonne verbis rem pingit, quæ pingi coloribus non [e] potest?

Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse, sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis:

Quid quum ebullientis aquæ fervorem, exundationemque describit, quàm feliciter utitur hujus litteræ [f] frequentatione?

...... *magno veluti quum flamma sonore*
Virgea suggeritur costis undantis aheni,
Exultantque æstu latices, furit intus aquæ vis,
Fumidus atque altæ spumis exuberat amnis:

Ubi ad exprimendam magis aquæ ebullientis vim, & sonum, & spiritum bis litterâ *X* utitur, quæ etiam majore spiritu, quàm sigma pronunciatur; *L* autem ad lapsum signandum adhibet sæpe, ut in eo carmine, quo volumina, lapsumque serpentis [g] repræsentat:

Lubrica convolvit sublato pectore terga;

& eo, quo Priamum in sanguine filii lapsantem [h] describit:

Traxit, & in multo lapsantem sanguine Nati,
Implicuitque comam lævâ ......

Ex vocalibus tres *A*, *E*, & *O* sunt pleniores, & majore hiatu oris pronunciantur; his 6
præclarè utitur ad rerum magnitudinem, latitudinemque designandam; sic in Entello corporis vastitatem his verbis [i] notat:

Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque
Exuit ......

ubi syllaba etiam quodammodo redundat, ut inusitata corporis moles ostendatur. Alio verò loco quàm concinnè ponit ob oculos nobis immensam maris [l] magnitudinem!

Apparent rari nantes in gurgite vasto;

& libro secundo sic [m] ait:

...... *jamque excisâ trabe firma cavavit*
Robora, & ingentem lato dedit ore fenestram;

in quibus vocales pleniores in conspicuo loco mirificè rerum magnitudini quadrarit. Jam verò monosyllaba in ultimo posita 7
interdum rerum congruunt parvitati, ut notat [n] Demetrius, qui exemplum hujus rei profert e Xenophonte, qui Teleboæ fluminis exiguitatem his verbis denotavit: ἐπὶ Τηλεβόαν ποταμὸν Ε῎λληνες ἀφίκοντο, οὗτος δὲ ἦν μέγας μὲν οὔ, καλὸς δέ: interdum verò conveniunt magnitudini, ut in hoc [o] Homeri loco:

...... Διὸς πρὸς χαλκοβατὲς δῶ:

utriusque rei in Virgilio exempla affatim reperiuntur; est Virgilii versus pulcherrimus in [p] Georgicis:

Tum variæ illudunt pestes, sæpe exiguus mus;

illo autem [q] carmine:

Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos,

magnitudo, & ruina procumbentis bovis non potuit aptiùs reddi, quum versus ipse planè procumbat; quid quum [r] ait?

Dat latus; insequitur cumulo præruptus aquæ mons.

Jam verò celeritas rerum brevitate sylla- 8
barum quàm concinnè [s] describitur!

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum;

& [t]

Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis; ferit æthera clamor;

& [u]

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Denique rerum naturæ, quas exprimit, verborum sonum semper accommodat; ideo

[a] Virgilius Æneid. libr. 1. [b] Idem Æneid libr. 3. [c] Idem libr. 5. Æn [d] Virg. Ecl. 5. [e] Idem Virgil. Æn. libr. 3. [f] Idem Æneid. libr. 7. [g] Idem Æneid. l. 2. [h] Idem ibid. [i] Virgil. Æn. libr. 5. [l] Idem Æneid. libr. 1. [m] Idem Virgil. Æn. libr. 2. [n] Demetrius Phalereus. [o] Homer. Iliad α. v. 426. [p] Virgil Georg. libr. 1. [q] Idem Æneid. libr. 5. [r] Idem Æn. libr. 1. [s] Idem libr. 8. Æn. [t] Idem Æn. libr. 5. [u] Idem Georg. libr. 3.

deo nulla pictura cum Virgilianis versibus certaverit; nec ipsum [a] Apellem, quamvis ea, quæ pingi non possunt, pinxisse dicatur, crediderim in rerum imaginibus exprimendis posse cum Virgilio comparari; nec tam illum coloribus, quàm hunc verbis omnium similitudinem reddidisse.

DISSERTATIO XXXIX.

De Junonis oratione.

Orationum exordia concitata, & vehementibus referta figuris esse non debent. Quum Ajax Cassandram a templo Minervæ abstraxisset, & constuprasset, vel ut alii tradunt, in templo vitiasset, Minerva Græcis irata tempestatem immisit; hinc Nauplius, ut filii Palamedis mortem ulcisceretur, ignem e Caphareis scopulis suspendit, quibus allisi Græci omnes perierunt.

EX orâ [b] Siciliæ solventes Trojanos Italiæ propinquitate lætos quum Juno videret, magis, ac magis metuens, ne optatâ terrâ potirentur, ac victa resurgeret Troja, & capta regnaret, & diruta staret superbior; statuit obviam ire Trojanorum fortunæ jam renascenti, classemque obruere fluctibus, aut in desertissimas oras abjectam dissipare; quod ut impleat consilium, ventorum auxilium implorat, & tempestatum; sed antequam Æolum ventis, turbi-
1 nibusque imperantem adeat, & instiget, ad Æneam, & Trojanos tempestate vexandos, & opprimendos, se ipsam instigat, majoremque in animo suo æstum concitat hac oratione [c]:

...... mene incepto desistere victam,
Nec posse Italiâ Teucrorum avertere Regem?
Quippe vetor fatis; Pallas ne exurere classem
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto
Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei?
Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis;
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto;
Ast ego, quæ Divûm incedo Regina, Jovisque
Et soror, & conjux unâ cum gente tot annos
Bella gero? & quisquam numen Junonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?

Quæ oratio Junonis animo perturbato, & fluctus, & tempestates molienti convenit; 2
est enim principium abruptum, & tota amarulentior, & qualem ira suggerit, fluctuans, & incitata; hujusmodi orationes frequenter Virgilius Junoni tribuit indignanti; sic libro septimo legitur illa conscripta divinitus [d]:

Heu stirpem invisam, & fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis?
Num capti potuere capi? &c. .....

Quam [e] Macrobius jure laudat, & artificiosissimè compositam esse contendit; sic libro decimo Juno respondet Veneris [f] orationi:

...... quid me alta silentia cogis
Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem?

In qua oratione omnia principio respondent; est enim oratio tota plena doloris, plena acerbitatis, plena amarulentæ cujusdam irrisionis; sententiæ abruptæ, & breves, & acribus contortæ figuris, qualis est iratorum oratio, quæ, sicut eorum animus, quodam æstu rapitur, variosque motus accipit. Atque hujusmodi principiis, & genere dicendi etiam oratores utuntur, cu- 3
jusmodi est illud Ciceronis [g] in Catilinam: *quousque tandem abutêre, Catilina, patientiâ nostrâ*; quod principium totum est incitatum, & fervens, ob eamque causam maximè pathos movet, & indignitati rei congruit. Alioquin principia orationum sedata esse convenit, ut est animus auditorum, & oratoris, qui nondum concaluit; idcirco illi irridendi, qui, ut exordium minimè vulgare esse videatur, statim figuris utuntur vehementibus, & initio interrogant, admirantur, exclamant, indignantur, exultant, commiserantur. Has enim permotiones animis oportet admovere jam præparatis, & quum jam sequi oratorem cœperunt; ne, dum intempestivè movere auditorem volumus, ipsi furere videamur; est enim planè furiosorum sine causâ vehementer commoveri. Sed, ut ad verba Junonis revertar, indignatur Juno, se incepto victam desistere; 4
ubi notes, quantum res verbis augeantur; si, quod erat, dixisset Juno, nihil indignum pati videretur; si, quum Jove repugnante Æneam immerito oppugnaret, inceptum omittere cogeretur; nunc autem se cum Ænea certavisse, victamque esse queritur, quod indignissimum est. Idignum est enim hominem cum Deâ contendere; indignissimum ab homine Deam superari; ita Æneas ille pius, ille Superis gratissimus

---

[a] Plinius libr. 35. cap. 10. [b] Virgil. Æneid. libr. 1. [c] Idem Virgil. Æneid. libr. 1. [d] Idem Virgil. Æneid. libr. 7. [e] Macrob. Saturnal. libr. 4. c. 2. [f] Virgil. Æneid. libr. 10. [g] Cicer. Oration. 1. in Catilinam.

mus impius efficitur oratione Junonis; nam Æneas Gigantum more cum Deâ certasse dicitur, quum illi, qui non omnino sunt impii, & eum Salmoneo comparandi, omne cum Superis certamen defugiant,& illam vocem libenter [a] usurpent:

Οὐκ ἂν ἔγωγε θεοῖσιν ἐπουρανίοισι μαχοίμην.

At quid eo certamine petebat Juno? quod
5 æquissimum erat ipsam obtinere; nam si, inquit Juno, contenderem, ut expellerem Trojâ Teucrorum Regem, haberet aliquid iniquitatis conatus; Regem suo Regno spoliari, extorrem agi e patriâ terrâ, in ignotas regiones detrudi. Nunc non id volo, sed ut Italiâ tantummodo arceatur; non annitor, ut semper erret, ut semper exulet, ut Regno careat, ut miserrimâ morte extinguatur; vivat, & regnet in qualibet aliâ regione, sit felix, sit potens, dum in Italiâ pedem non ponat, dum Italiâ non potiatur; quid Teucrorum Regi cum Italiâ? quid Trojanis cum Latio? & tamen, quum tam æqua cupiam, consequi non possum. Rem auget exemplo: Minerva, inquit, offensa Ajacis Oilei sacrilegio, ob unius facinus totam classem Græcorum delevit, tempestatem concitavit, fulmen immisit, Ajacem transfixum cœlesti telo exanimavit; Græcos partim incendio classis correptos, partim mari submersos, partim scopulis illisos interemit. At ego certè Minervâ præstantior, quum sim Reginâ Deûm, & soror, & conjux Jovis, non unius injuriis, sed totius gentis lacessita non potui, quum tot annos bellum gesserim, non dico totam gentem excindere, sed ne ipsius quidem Regem Italiâ avertere. His coloribus Juno causam probare nititur; sed ut hujus orationis vis plenius intelligatur, nonnulla sunt exponenda. Ajax [b] Oilei filius, quum
6 Troja a Græcis capta diriperetur, Cassandram simulacrum Palladis amplexantem abstraxit a templo, & constupravit; hinc Propertius [c] cecinit:

Victor Oilide, rape nunc, & dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva suâ;

& Virgilius abductam a templo Minervæ Cassandram testatur his [d] verbis:

Ecce trahebatur passis priameia virgo
Crinibus a templo Cassandra, adytisque Minervæ,
Ad Cœlum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.

Sunt autem, qui putent in ipso Palladis tem-
7 plo Cassandram ab Ajace fuisse vitiatam; siquidem [e] Strabo libro sexto refert, quum Cassandra violaretur, Minervæ simulacrum tantæ fœditatis conspectu se se avertisse; hoc scelere Pallas irritata iram, quam hactenus in Trojanos exercuerat, convertit in Græcos; quò respexit Horatius, quum dixit [f]:

Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio
In impiam Ajacis ratem.

Nam quum [g] Græcorum classis victrix in Græciam reverteretur, & jam ad Eubœam insulam pervenisset, horribilem Minerva tempestatem concitavit, qua grajа classis partim naufragium faceret, partim miserrimè jactaretur, ipsumque Ajacem fulmine ictum interemit, navemque, qua vehebatur, incendit. Quum autem nox esset, & reliquæ 8
naves fluctibus jactatæ non longè ab exitio abfuissent, tempore arrepto Nauplius Palamedis pater, ut Græcos ulcisceretur, qui suum filium iniquo judicio circumventum capitali supplicio affecerant, ex eo loco suspendit ignem, ubi scopuli naufragiis infames erant; Græci quum viderent ignem, suæque salutis causâ prolatum putarent, eò cursum direxerunt, ubi lucebat ignis, & in scopulos naves impegerunt, & naufragio miserrimè perierunt; ideò Propertius [h]:

Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Græcia pressa suis.

Hi verò scopuli, quibus allisæ Græcorum naves naufragium fecerunt, Capharei vo- 9
cabantur [i] a Caphareo Eubœæ promontorio; qua de causâ Caphareum Virgilius appellat ultorem, quia Palamedis mortem vindicavit [l]:

...... Scit triste Minervæ
Sidus, & Euboicæ cautes, ultorque Caphereus.

Hanc cladem Græcis illatam plerique tradiderunt, quia captâ Trojâ Deorum templis non pepercissent; sed Virgiliana Juno, quò plus Palladi licuisse videatur, ob unius Ajacis facinus totam Græciam dedisse pœnas asseverat; cui Lycophron in Cassandrâ assentitur his verbis:

Ἑνὸς δὲ λώβης ἀντὶ μυρίων τέκνα
Ἑλλὰς στενάξει πᾶσα τοὺς κενοὺς τάφους.



[a] Homer Iliad ζ. v. 129 [b] Hyginus fabul. 116. [c] Propertius libr. 4 Eleg. 1. [d] Virgilius Æneid. libr. 2 [e] Strabo l.6. de Italiâ circa fin. [f] Horat. in Epodo Od. 10. in Mævium. [g] Hyginus fabul. 116. & Philostrat. Imagin. Deor. libr. 2. [h] Propert. libr. 4 Eleg. 1. [i] Strabo libr. 6. & Pausan. in Corinth. sive libr. 2. [l] Virgil. Æn. libr. 11.

DISSERTATIO XL.

In eundem Virgilii locum.

Junonis nutrices Asterionis fluminis filiæ extiterunt, licèt alii ab Horis nutritam ferant. Argivi annos Junonis sacerdotum nominibus notabant, & omnes, quæ huic sacerdotio præfuerant, statuis honorabant; adeout etiam ipsam Chrysidem, cujus incuriâ templum conflagraverat, eodem honore prosequuti sint, licèt ea, ne supplicio afficeretur, aufugisset. Fulmen esse proprium Jovis Virgilius indicare videtur; sed multis quoque aliis Diis tribuitur. Elicius dicitur Juppiter, quòd ab eo fulmen eliciatur. Summanus nocturna, & maximè dira fulmina jaculatur. Ægidem Juppiter, & Pallas habet; sed Minervæ Ægidem alii pectoris tegmen; alii clypeum faciunt.

MUlta sunt in oratione Junonis, quam hesterno die recitavimus, quibus iniquè secum agi Juno probat; & plus Palladi in Ajace puniendo licuisse, quàm sibi Deorum Reginæ in insectandis Trojanis, & eorum Rege declarat; de quibus hodierno die, ut hujus orationis eluceat artificium, differemus; licèt id argumentum hesternâ dissertatione delibaverimus; quia multa diximus, quæ eodem pertinebant; deinde nonnulla addemus, quæ ad hunc Virgilii locum illustrandum spectare videbuntur. Nam Pallas [a], inquit Juno, potuit
1 victricem Argivorum classem exurere, ipsosque mari mersos delere prope universos; ego victos Trojanos Italiâ prohibere non possum; quanto est igitur majus victores vincere, quàm non posse victis resistere, tanto mihi Pallas antecellit; quod quàm iniquum est, quum, ut pote Regina Deorum, omnibus debeam anteponi? Præterea ego, quamvis Argivi mihi essent gratissimi, tamen non obstiti alterius Numinis voluntati Argivos perdere cupienti; mihi Trojanis incommodare nonnihil volenti impedimento sit Numinum voluntas? hoc enim forsitan [b] significat:

Quippe vetor fatis .....

nam fatum, ut [c] ostendimus, est voluntas Deorum [d]. Auget etiam, gravioremque Junonis querelam facit Poëta, quum dicit Argivorum classem periisse non Grajorum; quum revera omnibus Græcis illud commune naufragium fuerit; nam Argivos, non Grajos, aut Danaos, aut Achæos, aut aliam gentem nominat, ut graviùs Juno queri videatur. Argivi quippe Junoni gratissimi; Nutrices [e] enim Junonis Argivæ A- 2
sterionis fluminis filiæ extitere, quæ Acræa, Prosymna, & Eubœa sunt [f] appellatæ, licèt alii ab Horis nutritam ferant; ideo Juno Argiva nuncupatur, quod Virgilius [g] testatur his verbis:

Junoni Argivæ jussos adolemus honores.

Et Argis tanto in honore Junonis fuere sacerdotes, ut quemadmodum Romæ Consules [h] nomina fastis dabant, Athenis Archontes [i], totâ verò Græciâ Olympiæ victores; ita Argis Junonis sacerdotum nominibus anni notarentur; sic apud Thucydidem [l] legimus ἐπὶ χρυσίδος ἐν Ἄργει ἱερωμένης: hoc est: *Argis sacerdotium gerente Chryside*. Sed & ille sacerdotibus honos non mediocris habebatur, quòd omnes, qui ei sacerdotio præfuerant, statuis publicè constitutis honorabantur; adeo [m] ut Pausanias notet ipsam Chrysidem, qua antistite Junonis templum conflagravit, licèt propter incuriam supplicium meruisset, cujus vitandi causâ profugit Argis, honore statuæ non caruisse; tanta fuit ejus reverentia sacerdotii, ut cujus culpâ deletum fuerat templum Junonis, sacerdotis honores non delerentur. Quum igitur Argivi
tantâ religione Junonem colerent, est cur 3
Juno conqueratur a Pallade fluctibus obrutos, fulmine concrematos. Exaggerat etiam Palladis audaciam, quòd ausa sit e nubibus, hoc est e regno Junonis (nam nubes in aëre, qui est regnum Junonis, congregantur) Argivos punire Junoni gratissimos; quòd usa sit armis Jovis, non suis; quòd abusa sit omnibus elementis ad pœnam Argivorum; nam aërem nubibus obsitum turbinibus conturbavit, ignem coëgit in fulmen, mare ventis evertit, Cœlesti flammâ ambustum, & correptum turbine scopulo [n] infixit Ajacem:

Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis;
Ipsum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.

In quibus versibus causæ serviens Poëta proprium Jovis vult esse fulmen, & Palla-
dem alienis armis dolorem suum vindicas- 4
se, quia communis opinio Jovi soli fulmen tribuebat; ideo dixit [o] Ovidius libro secundo:

..... *vasti quoque rector Olympi,*
Qui fera terribili jaculatur fulmina dextrâ.

Et

[a] Apud Virg. Æn. libr. 1. [b] Virgil. ibid. [c] Differt. in Anthol. 10 n. 21. Diss. 5. n. 7. in Eurip. Diss. 18. n. 8. & in Virg. Diss. 13. n. 1. [d] D. Augustin. de Civ. Dei libr. 5. c. 8. [e] Pauf. libr. 2. [f] Olen poët. apud Pauf. l. 2. [g] Virgil. Æn. l. 3. [h] Ut in T. Liv. Histor. & Dionis. [i] Diod. Sicul. in Bibl. Hist. [l] Thuc. l. 2. in princ. [m] Pauf. l. 2. [n] Virgil. Æn. l. 1. [o] Ovid. Metam. libr. 2. v. 60.

Et Juppiter, non alius Deus, a fulgure Aftrapæus, ut tradit Euftathius, eft appellatus, & Tonans, & Elicius, quod ab eo fulmen eliceretur, & [a] κεραύνιος, cujus ara Elide colebatur; immo præcipua causa, cur Juppiter effe crederetur, fuit fulmen, quod ab alio vibrari non poffe videbatur. Quapropter Horatius [b] affirmat idcirco nobis effe perfuafum in Cœlo regnum Jovem obtinere, quia audimus tonitrua:

Cœlo tonantem credidimus Jovem
Regnare......

& [c] Manilius ait eos, qui rerum naturam indagarunt, Jovem exarmaffe, & fuperftitione animos exolviffe:

Eripuitque Jovis fulmen, virefque Tonantis,
Et fonitum ventis, conceffit nubibus ignem.

Ceterum neutiquam diffimulandum & alios
5 quoque Deos, & ipfam Palladem effe memoriæ proditum fulmen habuiffe; nam Plinio [d] tefte Etrufcorum litteræ tradiderunt novem effe Deos, quibus fulmina tribuantur; nec eos omnes nominat, fed tantummodo Jovem, cui tria fulminum genera tradit effe attributa, & Saturnum, & Martem, & Summanum, qui nocturna fulmina, & maximè dira emittere credebatur; neque promptum eft indagare, quinam reliqui fuerint; tamen & Vulcanum torquere fulmen, & Minervam fcriptum in Tufcorum libris inveniri Servius teftatur. Valerius Flaccus quoque Minervam inducit fulminantem; fic enim [e] loquitur:

Prima corufcanti fignum dedit Ægide Virgo
Fulmineam jaculata facem......

Quin etiam folam ex Numinibus Palladem jus habuiffe Jovis fulmen jaculandi ex Æfchylo [f] conftat, qui fic ait:

Καὶ κλῇδας οἶδα δωμάτων μόνη θεῶν,
Ἐν οἷ κέραυνός ἐςι......

hoc eft:

Clavefque novi fola Divorum Domus,
Ubi ignis afservatur altifoni Jovis:

& ex [g] Ariftide, qui de eadem Pallade fic loquitur: μόνη δὲ τοῖς τῦ πατρὸς ὅπλοις κοσμεῖται: hoc eft, *fola verò patris armis decoratur*: quod idcirco volui admonere, ut appareat ex eruditione recondità a [h] Virgilio dictum:

Ipfa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.

Nec mirum Minervam folam Jovis fulmen vibrare potuiffe, quum & Ægide fola ex
6 Numinibus Minerva, & Apollo uteretur; quod ex Martiale difcas, qui Minervam alloquens ait:

Pro ducibus noftris Ægida femper habe;

& ex Virgilio, qui libro octavo fic loquitur:

Ægidaque horrificam turbatæ Palladis arma
Certatim fquamis ferpentum, auroque polibant;

& ex [i] Ovidio, qui dixit:

Hanc pelagi rector templo vitiaffe Minervæ
Dicitur; averfa eft, & caftos Ægide vultus
Nata Jovis texit......

Nec dubitari poteft, quin Ægis fuerit etiam Jovis, quum [l] Homerus Jovem Ægiochum, 7
id eft *Ægidem ferentem* adeo frequenter appellet, & Virgilius [m] dicat:

...... Arcades ipfum
Credunt fe vidiffe Jovem, quum fæpe nigrantem
Ægida concuteret dextrâ, nimbofque cieret;

& [n] Claudianus inducat ita loquentem Jovem:

Sentiet iratam procul Ægida, fentiet ictum
Fulminis......

Sed Ægidem Minervæ alii faciunt pectoris tegmen, alii clypeum; clypeum [o] Homerus, qui dixit:

Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' Αἰγίδα θυσσανόεσσαν:

pectoris tegmen [p] Martialis, qui fic ait:

Pectore quum facro federit, Ægis erit.

Præterea Junonem [q] Accius fulmine armat his verbis: *præ fervido fulgore ardor injectus Junonis dexterâ ingenti incidit*; ita feptem Dii jaculari fulmen reperiuntur; reliquos duos, quibus manubias [r] ideft fulminum jactus Etrufcorum libri tribuerunt, nondum potui invenire. Nec id fanè magnopere pertinet ad Virgilium illuftrandum; illud pertinet, quod de fulmine adnotandum eft; maximè mortiferum effe fulmen, quod pectus feriatur; non folùm quia vitales corporis partes offenduntur, fed etiam quia fpiritus intercluditur; nam & ipfo ictu, & interclufo fpiritu fulmen exanimat; ideo poëtæ, quos Juppiter fulmine icit, in pectus icere tradiderunt; Euripides Alceftide:

Ζεὺς γὰρ κατακτὰς παῖδα τὸν ἐμὸν αἴτιος,
Ἀσκλήπιον, ςέρνοισιν ἐμβαλὼν φλόγα.

Quod & Virgilius hoc loco, quem illuftramus, obfervavit, quum [f] dixit:

Illum expirantem transfixo pectore flammas.

DIS-

[a] Paufanias libr. 5. [b] Horat. libr. 3. Od. 5. [c] Manilius verf. 104. libr. 1. Aftronom. [d] Plin. libr 2. cap. 52. [e] Valer. Flacc. libr 4. Argon. v. 670. [f] Æfchyl. in Eumen. [g] Ariftid. Orat. 2. [h] Virgil. Æneid. 1. [i] Ovid. libr. 4. Metam. in fine. [l] Hom. Iliad. α v. 222. β. v. 157. ε. v. 742. &c. [m] Virg. Æneid. libr. 8. [n] Claudian. carm. 36. v. 60. de Raptu Proferp. libr. 3. [o] Homer. Iliad. ε. v. 738. [p] Martial. libr. 7. ep. 1. [q] Accius apud Servium in Virgil. [r] Acron in Horat. Od. 2. libr. 1. & Senec. Natur. Quæft. libr. 2. cap 41. & Servius in Virgil. Æn. libr. 1. v. *Ipfa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem*. [f] Virgil. Æneid. libr. 1.

DISSERTATIO XLI.

In illud carmen: *Præterea, aut supplex aris imponat honorem.*

Sacrificia ab Auctoribus dicuntur Deorum honores; quomodo ea peragerentur. Exta dicuntur ab execando, *vel, ut Festo placet, ab* extando; *quid eorum nomine comprehenderetur. Lances a latitudine nuncupatæ sunt. Acerra erat arcula, qua tus recondebatur, & etiam ara, quæ ante Mortuos poni solebat. Persii locus explicatur aliter, quàm Casaubonus interpretetur. Costum, ac tus sola ex odoribus Diis grata. Verbenam Servius putat fuisse rorem marinum; Donatus omnem herbam; alii alia. Focus lanâ circumdari consuevisse videtur ex Propertio, quod Scaliger negat. Mola salsa, quàm οὐλοχύτας Græci dicunt, conficiebatur ex tosto farre, & sale bonis; apud Græcos autem e sale, & hordeo neque tosto, neque molito.* Κριθη, *hoc est* hordeum *unde dicatur. Romani trecentis annis farre victitarunt. Fibræ quid sint. Holocaustum unde dicatur. Persæ solâ victimæ animâ contentum esse Deum opinabantur. Dii aliqui nullâ victimâ colebantur.*

IN extremâ parte sermonis, quem proximis diebus explicavimus, quo Juno sese incitat, & instigat ad Æneam, & Trojanos opprimendos, affirmat Dea, quum nequiverit suos hostes ulcisci, sui numinis religionem ad nihilum recasuram, & Junoni qui sacrificent defuturos [a]:

...... & quisquam numen Junonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?

1 Et meritò metuit, ne sublatâ nocendi potestate tollatur & sui numinis cultus; nam quum a Poëtâ dictum putetur non prorsus [b] inscienter:

Primus in Orbe Deos fecit timor......

quum sibi ademptam terroris incutiendi facultatem Dea conqueratur, ademptum iri sibi jure vaticinatur & honores Deorum, qui sacrificiis, & adorantium precibus continentur; id enim [c] significat:

...... & quisquam numen Junonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?

2 Nam sacrificia Deorum honores appellantur; sic Homerus [d] ait:

Λοιβῆς τε, κνίσσης τε, τὸ γὰρ λάχομεν γέρας ἡμεῖς:

hoc est, *libationis & nidoris, id enim honoris sumus assequuti*. Sed id obvium, & perspicuum; quis enim nescit sacrificia Deorum honores dici? sic Virgilius ea appellavit [e]:

Sæpe in honore Deûm medio stans hostia ad aras,
Linea dum niveâ circundatur infula vittâ,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros;

sic Tibullus de genii [f] sacris loquitur:

Ipse suos genius adsit visurus honores;

& Euthyphron [g] apud Platonem, quæ Diis ab hominibus offeruntur γέρας idest *honorarium* vel *honorem* vocat. Quapropter in hoc diutiùs non immorabor, sed potiùs quid e sacrificiis aræ imponeretur, exponam; & de sacrificiis e multis pauca dicam. Immolatâ igitur victimâ exta [ea fuerunt, cor, pulmo, jecur, & fel] eximebantur; ea dicta sunt [h] ab *execando*, quasi exsecto, vel, ut [i] Festo placet, ab extando; 3
proprio verò verbo prosecari dicebantur; id me Livius docet libro quincto, qui sic ait: *immolante Rege Vejentium, vocem haruspicis dicentis, qui ejus hostiæ exta prosecuisset, ei victoriam dari, exauditam in cuniculo movisse Romanos milites, ut adaperto cuniculo exta raperent, & ad Dictatorem ferrent*; & Festus [l] his verbis: *exta dicta, quòd ea Diis prosecentur*. Exempta verò exta lancibus imponebantur (lances verò nominantur patinæ latiores a latitudine sic appellatæ) lances verò in hunc usum sacris adhiberi Virgilius [m] testatur his verbis:

Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta,

Nec aliò respicit his [n] versibus:

Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque, & liba feremus.

Lances autem sic extis cumulatæ imponebantur aræ Virgilio teste, qui libro duodecimo cecinit: 4

In flammam jugulant pecudes, & viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.

Imponebantur aræ etiam lances ture cumulatæ, quod in divitum sacrificiis fiebat, quum apparatu splendidiore Dei colebantur; quum alioquin Acerra turis modico sacrificio satis esse videretur; utriusque rei testis [o] Ovidius citatur, qui sic ait:

Nec,

---

a Virg. Æneid. libr. 1. b Petron. Arbit. in Fragm. c Virgil. libr. 1. Æneid. d Hom. Iliad. δ. v. 49. e Virg. Georg. libr. 3. f Tibull. libr. 2. Eleg. 2. g Plato in Euthyphr. vel de Sanctitat. h Vossius in Etymolog. in V. Exta. i Pompejus Festus in eadem Voce. l Idem Festus Pompejus ibidem. m Virgil. Georgic. libr. 2. n Idem Virgil. Georgic. libr. 2. o Ovidius de Ponto libr. 4. Eleg. 8. ad Suillium.

Nec, quæ de parvâ pauper Diis libat acerrâ,
Tura minùs, grandi quàm data lance valent;

idem [a]:

Turaque mente magis plenâ, quàm lance dedisset.

Videndumque, an huc spectet Persii locus
5 insignis ubi poëta ita [b] loquitur:

Quid damus id Superis, de magnâ quod dare lance
Non possit magni Massalæ lippa propago?

Quod tamen haud pro certo affirmarim, quum doctissimus vir [c] Casaubonus Persii versus ad ea putet pertinere, quæ inter epulandum Diis libabantur; de Acerrâ verò locus est Horatii libro tertio ode octavâ:

Martiis cælebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores, & acerra turis
Plena, miraris; . . . .

& Ovidii [d] versus:

Cumque meri paterâ turis acerra fuit.

Acerram verò arculam fuisse accepimus, in qua tus recondebatur; licèt [e] & aram fuisse, quæ ante Mortuum poni solebat, in qua odores incenderentur, Festus affirmet. Imponebatur & costum aromatis Indici genus, Propertio teste, qui [f] dixit:

Costum molle date, & blandi mihi turis honores.

Hæc duo præcipuè odorum genera grata
6 Diis, & accepta putabantur; præterea victimarum femora adipe mactati animalis contegebant; id ex Homeri verbis discimus, qui sic [g] ait:

Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν

hoc est:

& femora secuerunt, & adipe operuerunt.

Id autem ideo faciebant, ut femora validiore flammâ consumerentur, quum adeps igni præberet alimentum, ejusque vim, & ardorem intenderet; si enim lentè comburerentur, litare sibi non videbantur, ut Eustathius docet; quapropter tragici poëtæ, tanquam terribile ostentum, narrant adipem femoribus sponte defluxisse. Ita verò contecta femora aræ imponi consuevisse declarat Lucianus his verbis: *καὶ τοσαῦτά σοι μηρία ταύρων τε, καὶ αἰγῶν ἔκαυσα ἐπὶ τῶν βωμῶν*: hoc est, *& tot femora taurorum, & caprarum tibi super aras incendi*. Atque hæc, quæ numeravimus, sunt dona, quibus aræ strui a Virgilio dicuntur his [h] verbis:

Annua vota tamen, solennesque ordine pompas
Exequerer, strueremque suis altaria donis.

Jam Servius [i] refert in more positum apud Romanos fuisse, ut cespitem aræ superim- 7
ponerent, & liba sacrificarent, quem morem Virgilius [l] his carminibus indicavit:

In medioque focos, & Diis communibus aras
Gramineas, alii fontemque, ignemque ferebant,
Velati lino, & verbenâ tempora vincti;

& Horatius libro primo, ubi [m] sic ait:

Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas, pueri, ponite, turaque;

nec aliò respexit, quum [n] dixit:

. . . . . . positusq; e carbo in
Cespite vivo

Jam verbenis solitas aras coronari constat ex Donato [o] ad Andriam Terentii, qui sic 8
ait: *Verbenæ quasi herbenæ redimicula sunt ararum*; & ex Acrone, qui in Horatii librum quartum ode undecimâ verbenis aras testatur coronari; ideo Græcis dicta verbena *hiera botane*, ut ex [p] Diosoride, Plinioque [q] discimus, quasi *herba sacra*. Hunc morem aspicit [r] Horatius, qui sic cecinit:

. . . . . . ara castis
Vincta Verbenis avet immolato
Spargier agno;

& Terentius [s] his verbis:

Ex arâ hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne . . . . . .

Verbenam verò Servius [t] putat esse rorem marinum, Donatus [u] Καταχρηστικῶς omnes herbas, & frondes festas ad aras coronandas ex puro loco decerptas verbenas tradit appellari; nec [x] desunt, qui laurum, oleam, myrtum verbenam dici putent. Videtur etiam focus impositus aræ lanâ cir- 9
cumdari consuevisse, quum [y] Propertius dixerit:

Terque focum circa laneus orbis eat;

sed negat [z] Scaliger hunc morem sibi esse observatum; nec alium sanè testem, quàm Propertium citare possumus; quapropter ad notiora transeamus. In arâ vinum libabatur, quod Virgilius testatur his verbis libro [a] duodecimo:

. . . . . . paterisque altaria libant;

alludit, & libro [b] primo, ubi leguntur hæc verba:

Dixit, & in mensâ laticum libavit honorem.

Spargebatur & vino culter, quo victima immolabatur, ut doctissimus Interpres Virgilii

a Ovid. de Ponto libr. 4. Eleg. 9. b Persius Sat. 2. c Casaubon ad Sat. 2. Persii loco superiùs allato. d Ovid. Fastor. libr. 4. in fine. e Festus Pompejus, sive Paull. in V. Acerra. f Propert. libr. 4. Eleg. 6. g Hom. Iliad. α. v. 460. h Virg. Æn. libr. 5. i Servius in libr. 12. Æneid. Virgil. v. *In medioque focos &c.* l Idem Æn. libr. 12. m Horatius libr. 1. Od. 19. n Idem libr. 3. Od. 8. o Donat. ad Andriam Terentii Act. 4. Sc. 4. p Diosc. libr. 4. cap. 56. q Plin. libr. 25. c. 9. r Horat. libr. 4. Od. 11. s Terent. in Andriâ Act. 4. Sc. 4. t Serv. ad Eclog. 8. Virg. & ad l. 12. Æn. *Verbenâ tempora vincti*. u Donat. ad Terent. Andr. Act. 4. Sc. 4. x Serv. ad Eclog. 8. Virgil. y Propertius libr. 4. El. 6. z Jos. Scalig. ad hunc Propert. loc. a Virg. Æneid. libr. 12. v. 173. b Idem Æneid. libr. 1. circa finem.

gilii [a] asseverat. Praeter[illegible] sale, & farre ex-
ra victimæ spargebantur, [illegible] culter, & foci;
Valerius [b] Maximus hujus rei testis addu-
citur, qui sic ait: *ideoque in sacrificiis mola,
quæ vocabatur, ex farre, & sale constat, exta
farre sparguntur;* & Servius in illum Vir-
gilii [c] locum:

Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ;

qui sic loquitur: *& far, quod dicitur mola
salsa, qua & frons victimæ, & foci asperge-
bantur, & cultri, fit ex hornâ fruge, & horno
sale;* ubi discas far commixtum sale [d] mo-
10 lam salsam in sacris appellari, & hujusmo-
di molam non ex quolibet farre, & ex
quolibet sale, sed ex horno; unde lucem
accipit [e] Horatii locus in Odis:

Si ture placaris, & hornâ
Fruge lares, avidaque porcâ.

Addit [f] Festus hujusmodi far esse tostum
debuisse, quod his verbis asseverat: *mola
etiam vocatur far tostum, & sale sparsum, quod
eo molito hostiæ asperguntur;* hinc in sacris
crebra mentio farris, & salis; Tibullus
ait [g]:

...... omnia noctis
Farre pio placant, & saliente sale;

& Ovidius [h] libro primo Fastorum:

Imponis libum, farraque mixta sale;

& alio [i] in loco:

Ante Deos homini quod conciliare vale-
ret,
Far erat, & puri lucida mica salis;

& [l] Horatius:

Mollibit aversos Penates
Farre pio, & saliente micâ.

Hanc molam οὐλοχύτας Græci appellabant,
11 Homero [m] teste, qui Iliadis libro primo
sic ait:

Α'υτὰρ ἐπεί ῥ' ἔυξαντο, κ̀ οὐλοχύτας προβάλοντο.

Sed mola Græcorum [n] fiebat ex hordeo,
non ex farre, ex hordeo, inquam, non mo-
lito, neque tosto, & e sale; quapropter ab
Eusthatio [o] mola definitur κριθαὶ μεθ' ἁλῶν,
hordeum cum sale; quo in loco doctissimus in-
terpres fundi super aram molam solere te-
statur, & id genus πρόθυμα appellari, quia
sacrificio proluderet, & ante omnia Deo
sacraretur, quasi quædam primitiæ; pro-
pterea quod hordeum primum ex frugibus
inventum diceretur, quum homines glan-
de vesci desierunt; qua de causâ putat hor-
deum κριθὴν dici ἀπὸ τῦ διακρίνειν, nimirum *a
secernendo;* quòd quum antea homines iis-
dem, quibus belluæ, alimentis victitarent,
hordeum repertum hominum victum a vi-
ctu belluarum secreverit. Ad ejus rei me-
moriam instaurandam in sacrificiis primum
Deo dicabatur, quia primus fuerat ho-
minibus proprius cibus; qua de causâ &
Romani ad hunc usum farre utebantur,
quod id primum frumenti genus fuisset,
quo Prisci vescerentur, ut apud [p] Plinium
Verrius tradit, qui trecentis annis Ro-
manos non alio frumento, quàm farre vi-
ctitasse memoriæ prodidit. Ex ipsâ etiam 12
victimâ libamina prima petebantur; nam
antequam victima cæderetur, setæ in ipsius
fronte carpebantur, & injiciebantur fo-
co; quod [q] Virgilius indicavit his ver-
bis:

Et summas carpens media inter cornua setas
Ignibus imponit sacris, libamina prima.

Alludit & [r] Statius libro quarto Thebaidos:

...... jamque ardua ferro
Signati capita, & frugum libamine puro,
In vulnus cecidere greges.....

& [s] Homerus:

Α'λλ' ὅγ' απαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ
βάλλεν.

Eustathius testatur particulas etiam ex sin-
gulis hostiæ membris amputari, & imponi 13
femoribus, ut eodem igne concremarentur;
tur; nam ubi hæc omnia super altare con-
gesta fuerant, in ignem ponebantur, adó-
lebanturque tura, & odores, & femora
cum adipe, & particulæ animantis, & ex-
ta; hinc [t] Virgilius ait:

Inde neque impositis ardent altaria fibris.

Fibræ quippe sunt extremitates extorum,
& præcipuè jecoris; & alibi clarius [u] dixit:

Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum fundens ardentibus
extis;

& Homerus [x] femora victimæ comburi so-
lita testatur his verbis:

Α'υτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη

& alio [y] in loco:

Η' εἰ δή ποτέ σοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα
Ταύρων, ἠδ' αἰγῶν, τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ.

Reliquas victimæ partes, qui sacrificabant,
comedebant, præterquam in eo sacrifi- 14
cii genere, in quo tota victima flam-
mis absumebatur; quod ob eam causam
Holocaustum [z] dicitur ἀπὸ τῦ καίειν ὅλον:
quod sacrificii genus, qui usurpabant, to-
tam victimam aræ imponebant; quod sa-
crum contrarium erat Persarum sacris, qui
ex victimâ nihil, aut omentum dumtaxat
adole-

a Servius ad libr. 12. Æneid. Virgil. v. *Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro &c.* *b* Valer. Max. libr. 2. cap. 1. §. ultim. de modo comedendi antiquorum. *c* Virgil. Æneid libr. 2. *d* Plin. libr. 18. cap. 2. *e* Horat. libr. 3. Od. 23. *f* Festus in V. Mola. *g* Tibull. libr. 3. Eleg. 4. *h* Ovid. Fastor. libr. 1. v. 128. *i* Ovid. Fast. libr. 1. *l* Horatius libr. 3. Od. 23. *m* Homer. Iliad. α. v. 458.

n Plutarch. In Problem. cap. 119. *o* Eusthathius in Hom. Iliad. α. *p* Plinius libr. 18. c. 7. *q* Virgil. Æneid. libr. 6. *r* Stat. libr 4. Theb. v. 461. *s* Homer. Odyss. ξ. v. 422. *t* Virgil. Georg. libr. 3. *u* Idem Æneid. libr. 6. *x* Hom. Il. α. v. 464. *y* Idem Iliad α. v. 40. *z* Vossius in Etymolog. in V. Holocaustum.

adolebant; quò Catullus aspexit his verbis [a]:

Nam Magus ex matre, & gnato gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia relligio;
Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos,
Omentum in flammâ pingue liquefaciens.

Quod idcirco faciebant, quòd animam solam animantis Deo sacrandam arbitrabantur; hanc solam esse dignum Deo donum, nec hostiarum nidore, sed animâ Numen delectari. Interdum [b] & apud alias gentes
15 non victimam aris admovebant, nec sanguine Deos placabant, sed tus, vel placentam altaribus imponebant; hinc Lucianus de sacrificiis ait: προσάγουσι τὰς θυσίας, βοῦν μὲν ἀρότηρα ὁ γεωργὸς, ἄρνα δὲ ὁ ποιμὴν, καὶ αἶγα τις αἰπόλος, ὁδὲ τις λιβανωτὸν, ἢ πόπανον, hoc est: *adducunt ad sacrificandum bovem aratorem agricola, agnum pastor, & capram caprarius, aliquis verò tus, vel placentam*: & Jovi [c] Hypato sacrum facientes, ut auctor est Pausanias, neque victimam ullam, neque vinum adhibebant; & [d] Athenis fuit ara Misericordiæ, quam nullâ cæde victimarum cruentari, sed perfundi lacrymis miserorum, & ornari sertis consuevisse Statius declarat [e] his versibus:

Urbe fuit mediâ nulli concessa potentum
Ara Deûm; mitis posuit Clementia sedem,
Et miseri fecere sacram, sine supplice nunquam
Illa novo, nullâ damnavit vota repulsâ;
Auditi quicunque rogant, noctesque, diesque
Ire datum, & solis Numen placare querelis.
Parca superstitio; non turea flamma, nec altus
Accipitur sanguis, lacrymis altaria sudant,
Mæstarumque, super libamina, serta comarum
Pendent, & vestes mutatâ sorte relictæ.

Et in insula [f] Delo fuit Apollinis genito-
16 ris ara, quæ nullo victimarum cruore colebatur; & Paphiæ [g] Veneris ara sertis dumtaxat, & turis acervis onerabatur; quò Virgilius libro primo respexit his [h] verbis:

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Læta suas, ubi templum illi, centumque Sabæo
Ture calent aræ, sertisque recentibus halant.

Sed ne longiùs evagemur, & eò, unde digressi sumus, revertamur; hæc, quæ aris imponi diximus, sunt honores, quibus ne careat, Virgiliana Juno pertimescit; & meritò pertimescit; nam his, quibus gaudemus, ne spoliemur, facilè metuimus; Juno autem, utpote Dea, gaudet honoribus, qui ab hominibus deferuntur; nam, ut ait Euripides,

Ἔνεστι γὰρ δὴ κᾀν θεῶν γένει τόδε,
Τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο,

hoc est:

Id quippe generi est insitum Cœlestium;
Honore gaudent affici Mortalium.

DISSERTATIO XLII.

Ubi de Sacrificiis agitur.

Sacrificantes puros esse corpore, mente, ac veste oportebat; ideo vasa erant in templis ad lavandum, quæ Perirrhanteria nuncupabantur; & a sacris arcebantur venereâ voluptate impuri; vestis autem pura dicebatur, quæ nec obstita, nec fulgurita esset. Vestibus, quibus in funere usi fueranı, Θ inscribebant, quæ verò fulmine tactæ fuerant, K; quibus litteris mortem, & fulmen significabant. Color albus Deo gratissimus; hinc Romani in spectaculis candidâ veste utebantur. Hostiarum aliæ dicebantur animales, injuges aliæ, aliæ bidentes, quibus continentur, ut Nigidius affirmat, bestiæ omnes bimæ; licèt quidam sint arbitrati oves tantùm significari; præcipuè tamen hoc vocabulum ovibus convenit; & ita appellatæ sunt quasi biennes.

Quum Virgilii locum explicaremus hesterno die, ubi Poëta summus inducit Junonem ita loquentem [i]:

...... & quisquam numen Junonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?

quid in sacrificiis aræ soleret imponi, hoc est, quid Diis adoleretur, diximus, Auditores; nunc operæpretium est, quid in sacrificiis fieret, antequam donis aræ cumularentur, exponere; quæ etsi ad præsentem Virgilii locum illustrandum minimè pertinebunt, multis aliis ejusdem Auctoris locis afferent lucem. Qui sacrificabant igitur, aquâ purgabantur, ut puri sacra
1 tractarent; hinc Homerus sacrificium describens, quod Græci fecerunt Apollini, primùm omnium, qui sacrum administrabant, facit lavantes [l] manus:

[a] Catull. epigr. 91. [b] Pausan. in Arcadic. sive libr. 8. [c] Pausan. in Attic. sive libr. 1. [d] Idem Pausan. in Attic. sive libr. 1. Diodor. Sicul. libr. 13 Stat. libr. 12. Thebaid. & Claudian. de Bello Gildonic. [e] Stat. libr. 12. Thebaid. v. 481. [f] Cloatius Verus libr. 2. Ordinatorum apud Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 6. & Censorin. de Die Natal. cap. 2. [g] Empedocl. apud Athen. libr. 12. & Corn. Tac. Histor. libr. 2 [h] Virgil. Æneid. libr. 1. v. 419. [i] Virgil. Æn. libr. 1. [l] Homer. Iliad. α. v. 449.

Χερνίψαντο δ' ἔπειτα, inquit, καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο:

& Ovidius libro quarto fastorum hunc ritum tangit his verbis:

His Dea placanda est, haec tu conversus ad ortus
Dic quater, & vivo perlue rore manus;

& [a] Tibullus, qui sic ait:

Quidve, piè dum sacra colis, pureque lavari
Te memini, & puro secubuisse toro?

& Propertius, qui libro quarto ita loquitur [b]:

Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.

Ad [c] hunc usum habebant in templis va-
2 sa, quae περιῤῥαντήρια Graeci nuncupant, quorum meminit Herodotus libro primo, ubi duo περιῤῥαντήρια alterum ex auro, alterum ex argento tradit a Croeso Apollini Delphico dedicata, & Heraclides Ponticus, & Lucianus; unde περιῤῥαντηρίοις χρῆσθαι apud Clementem [d] Alexandrinum est aquâ corpus aspergere; omninoque dabant operam, ut puro corpore Deorum opem implorarent. Hinc Hector apud Homerum negat se e pugnâ reversum, & pulvere, & cruore sordidum Jovi vinum libaturum, & vota [e] suscepturum.

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισι Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι, οὐδέ πῃ ἔστι κελαινεφέϊ Κρονίωνι
Αἵματι, καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι:

quos versus ita interpretamur:

Illotis manibus vinum libare Tonanti
Relligio est, precibusque Jovis deposcere pacem
Non fas, quum fœdet me mixtus sanguine pulvis.

Nec purum modò corpus aris admove-
3 bant, sed etiam mentem; Tibullus [f] edicit, ne quis ad aras accedat, qui non castitatem coluerit:

Vos quoque abesse procul jubeo; discedite ab aris
Queis tulit hesternâ gaudia nocte Venus;

& in quibusdam sacris accepimus longam a venereis voluptatibus abstinentiam solitam imperari. Puro autem corpori, animoque vestis congruebat, quam puram sumere solebant sacrificaturi; hinc Tibullus jubet sacra [g] facturos

...... purâ cum veste venire,
Et manibus puris sumere fontis aquam;

& Virgilius ait [h] libro duodecimo:

...... puraque in veste Sacerdos
Setigerae fetum suis, intonsamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.

Puram autem vestem Festus [i] interpretatur non obstitam, nun fulguritam, non fu- 4
nestam, non maculam habentem; Servius autem [l], *pura*, inquit, *dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi, ut neque funesta sit, neque fulgurita, neque maculam habeat* Θ, K; ubi notes, vestibus, quibus usi fuissent in funere, inscribi Θ litteram solere, quae θάνατον idest *mortem* significaret; quae verò fulmine essent afflatae, Kappa notari, quae κέραυνον hoc est *fulmen* significaret; nec igitur feralibus ministeriis pollutam, nec tactam fulmine, nec ullâ labe notatam, nec obsoletam esse vestem sacrificantium oportebat; Donatus etiam [m] vult esse candidam, nec purpurae variatam picturis. Et sanè [n] albus color Deo gratissimus habebatur; hinc Ægyptii Sacerdotes [o] lineâ veste utebantur; ex eo genere lini, quod xylinon dicitur, cujus candori nullus candor poterat comparari; & apud Athenienses Solonis lege cautum est, ne quis in Panathenaeis pompam in coloratâ veste spectaret; quia decebat sacro spectaculo non interesse nisi indutum eo vestimento, quod Deae gratissimum videretur. Nec aliâ ratione Romani amicti candidâ veste spectabant, nisi quia in lu- 5
dis honos Diis habebatur; de qua re lepidum Martialis extat Epigramma de Horatio quodam hujus moris [p] contemptore:

Spectabat modò solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Quum plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet;
Toto nix cecidit repente Caelo;
Albis spectat Horatius lacernis.

Et haec quidem ad sacrificantes pertinent, illa verò ad hostias; hostiarum duo genera 6
fecere [q] scriptores juris pontificii; unum genus placuit esse earum, quarum extis inspectis Numinum voluntas exploratur; alterum, in quo sola anima Deo consecratur; & ad id genus respexisse Virgilium volunt, quum Entellum inducit Eryci bovem immolantem, quem praemium victoriae de Darete pugilatu fuerat consequutus, & ad hunc modum [r] loquentem:

Hanc

[a] Tibullus libr. 1. Eleg. 3. [b] Propert. libr. 4. Eleg. 6. [c] Suid. in V. Περιῤῥαντήρια. [d] Clemens Alexandrin. Strom. libr. 1. [e] Hom. Iliad. ζ. v. 266. [f] Tibullus libr. 2. Eleg. 1. [g] Idem Tibullus ibid. [h] Virgilius libr. 12. v. 168. [i] Festus, sive Paullus in V. Pura. [l] Serv. ad libr. 12. Æneid. Virg. v. 168. [m] Donatus ad eundem Virg. loc. [n] Donatus ibidem, & Cicer. libr. 2. de Legib. [o] Plinius libr. 19. cap. 1. Apulejus in Apologiâ prim. & Philostratus in Vitâ Apollonii libr. 3. cap. 4. [p] Martialis libr. 4. epigramm. 2. [q] Trebatius libr. 1. de Religionibus apud Macrob. libr. 3. Saturnal. cap. 5. [r] Virgil. Æneid. libr. 5.

Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis.

Et hujus generis hostias animales nuncupabant, quia, ut constat ex allato Virgilii loco, nihil aliud, quàm anima, dicabatur. Rursus [a] hostiæ eximiæ dicebantur, quòd propter excellentem speciem eximerentur e grege, quò pertinere putant Virgilii carmen [b]:

Quattuor eximios præstanti corpore tauros.

Dicebantur & [c] injuges hostiæ, quæ non-
7 dum passæ fuerant jugum, quod genus hostiarum Virgilius significavit his [d] verbis:

:..... & intactâ totidem cervice Juvencas.

Præterea hostiæ [e] bidentes vocabantur, non oves tantùm, ut quidam sunt arbitrati, sed omnes bimæ hostiæ, ut [f] Nigidius affirmavit, quas appellari bidentes voluerunt, quasi biennes, & immissâ litterâ *D* bidennes, vel [g] bidentes; quòd eâ ætate duos dentes ceteris altiores, vel duos ordines haberent dentium; hoc autem vocabulum præcipuè convenit ovibus, ut ex his Virgilii versibus [h] constat:

Centum lanigeras mactabat rite bidentes;

& [i]:

...... cædis quinas de more bidentes,
Totque sues, totidem nigrantes terga juvencos.

& [l]:

Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

8 Et sanè oves bimæ sacrificiis aptiores, non boves; boves enim quinquennes rei divinæ legebantur; ideo princeps Græcorum poëtarum Agamemnonem facit immolantem Jovi quinquennem [m] bovem:

Αὐτὰρ ὁ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
Πίονα, πενταέτηρον ὑπερμενέϊ Κρονίωνι:

qui versus ita explicantur:

Ipse bovem mactat magnorum ductor Achivûm
Pinguem, quinquennem tibi, Rex invicte Deorum.



DISSERTATIO XLIII.

Qua de Sacrificiis agitur.

Quæ desiderarentur in hostiis. Clitumnus fluvius Faliscorum faciebat plerumque candidos boves. Victimæ albæ Diis acceptiores. In quo differat victima ab hostiâ. Victima appellata est, quòd ob victos hostes immolaretur. Maxima victima taurus est, ovis autem maxima hostia propter mansuetudinem. Quæ essent hostiæ majores.

Quum de sacrificiis ageremus, Auditores, de his, qui sacrificabant, diximus, & quid agerent, antequam ad sacrum accederent, & qua veste induerentur; tum de hostiis verba facere cœperamus, & extremo loco aliquot hostiarum genera recensuimus; hodierno die sermonem de iisdem hostiis habere pergemus; ac primum videndum, quoniam non quaslibet hostias, sed lectas immolari multis Auctorum locis admonemur, quænam potissimùm hostiæ legerentur. Servius [n] tradit eas victimas idoneas esse 1
sacris, quæ non haberent caudam aculeatam, nec linguam fissam, nec nigram; Julius Pollux victimas, quæ aris admoverentur, esse censet oportere integras, perfectas inlæsas, atque sanas, quæ omnibus membris utantur, neque mutilæ sint, neque distortæ, rectis membris, nec extremis partibus amputatis deformes, & ex quibus nihil ablatum, deralum sit; Plinius [o] autem vitulum non esse idoneum sacrificio asseverat, nisi articulum suffraginis caudâ contingat; quòd, ut opinor, in vitulis probatur caudæ longitudo; ex quo Maro laudat [p] bovem,

Quæ gradiens imâ verrit vestigia caudâ.

Omninoque curabant, ut victimæ, quæ Diis immolarentur, tales essent, ut culpari non possent; hinc Ovidius dixit:

Victima labe carens, & præstantissima formâ,
Sistitur ante aras......

& [q] Lucanus:

...... sacris tunc admovet aris
Electâ cervice marem......

In triumphis etiam candidæ victimæ quærebantur, & quia Clitumnos [r] fluvius Fa- 2
lisco-

[a] Macrobius Saturnal. libr. 3. cap. 5. [b] Virg. Georgic. libr. 4. in fine. [c] Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 5. [d] Virg. Georg. libr. 4. in fin. [e] Aul. Gell. libr. 16. cap. 6. [f] Nigidius de Extis apud Aul. Gell. ibid. [g] Jul. Hyginus libr 4. de Vergil. apud Aul. Gell. ibid. [h] Virgilius Æneid. libr. 7. [i] Idem Virgil. Æneid. libr. 5. [l] Idem Æneid. libr. 6. [m] Homer. Iliad. β. v. 403. [n] Servius ad libr. 6. Æneid. Virgilii v. *lectas de more bidentes*. [o] Plinius libr. 8. cap. 45. [p] Virgil. Georg. l. 3. [q] Lucan. libr. 1. [r] Virgil. Georg. libr. 2. & Servius ad hunc libr. v. *Hinc albi Clitumne &c.* Plinius libr. 2. cap. 103. Ovid. libr. 3. Amor. El. 12. Propert. libr. 2. Eleg. 19. & Stat. libr. 3. Silv. 4.

liſcorum faciebat plerunque candidos boves, Faliſci boves in ſacris triumphalibus mactabantur. Quapropter [a] Claudianus cecinit:

Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Viſere cura fuit......

& [b] Ovidius:

Candidaque adductâ collum percuſſa ſecuri
Victima purpureo ſanguine tingit humum;

& apud Ammianum [c] Marcellinum, quum Marcus Imperator ſummâ ope bellum appararet, vulgò jactatum: λευκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι, ἢν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα: hoc eſt: *albi boves Marco Cæſari; ſi tu viceris, nos occidimus;* & niſi candidos boves reperiſſent, cretâ ſolebant dealbare; Juvenalis [d]:

...... duc in capitolia magnum,
Cretatumque bovem......

Nec in triumphis modò, ſed in omnibus
3 ſacris albæ victimæ probabantur; hinc apud Virgilium Dido ſacrificat candentem vaccam [e]:

Ipſa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido
Candentis Vaccæ media inter cornua fundit;

& Juvenalis duodecimâ ſatyrâ Junoni, Minervæque agnam candidam [f] cædit:

...... niveam Reginæ cædimus agnam;
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maurâ;

& [g] Virgilianus Chloanthus Diis marinis candidum taurum pollicetur:

Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum
Conſtituam ante aras voti reus.....

& [h] Arnobius teſtatur antiquitus in Albano monte non alios tauros mactare licuiſſe, quàm eos, qui inſigni corporis candore præſtarent; & Ovidius boves albos a Conſulibus, quum Superis gratias agerent, immolari declarat his [i] verbis:

Nunc pro Cæſaribus, Superis decernere grates,
Albaque opimorum colla ferire boum.

Atque hæc in hoſtiarum corpore Veteres requirebant, probabantque; nec prætere-
4 undum, quoniam de hoſtiis dicimus, diſcrimen, quod inter hoſtiam, & victimam intercedit; neque enim, licèt videantur eſſe, ſunt idem; nam hoſtia a quolibet ſacerdote, victima unius victoris dextrâ immolatur, Ovidio [l] teſte; qui dixit:

Victima, quæ cecidit dextrâ victrice, vocatur.

Hoſtia [m] dicebatur ea, quæ, quum ad bellum proficiſcebantur, ſacrificabatur; victima, quæ hoſtibus perdomitis propter victoriam mactabatur; hinc Feſtus affirmat [n] victimam eſſe dictam, propterea quod ob hoſtes victos immolaretur; & Servius [o] ait: *Hoſtiæ dicuntur ſacrificia, quæ ab his fiunt, qui in hoſtem pergunt; victimæ verò ſacrificia, quæ poſt victoriam fiunt.* Addit aliud diſcrimen [p] Fronto, & hoſtiam minorem eſſe, victimam majorem aſſeverat. Maxima victimarum taurus habebatur, quum Virgilius libro ſecundo Geor- 5
gicorum dicat:

...... & maxima taurus
Victima......

Ovis autem hoſtiarum, ut Feſto [q] Pompejo credi convenit non mole corporis, ſed præſtantiâ, & quia Diis propter manſuetudinem gratiſſima crederetur. Atque hæc fuit maxima victima, & maxima hoſtia; majores verò hoſtiæ quæ toties a Livio [r] dicantur, videtur ipſe Livius [ſ] explicare, qui libro vigeſimo ſecundo ſic loquitur: *decretum, ut ea prodigia partim majoribus hoſtiis, partim lactentibus procurarentur;* ex quibus colligas majores hoſtias fuiſſe jam adultas, &, ut Horatii verbis utar, lacte depulſas; tam enim ſunt hoſtiæ majores illæ, quas Horatius Julio cenſet immolandas, quum [t] ait:

Te decem tauri, totidemque vaccæ;

quàm vitulus ille, quo ſe rem divinam facturum profitetur his [u] verbis:

Me tener ſolvet vitulus relictâ
Matre, qui largis juveneſcit herbis
In mea vota,
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium Lunæ referentis ortum.

Sed quum ſatis multa dixerimus, Audito-
res, & de generibus hoſtiarum, & quæ ho- 6
ſtiæ maximè probarentur, & qua re hoſtiæ victimis differant; jam ſunt ad aras victimæ, ſive hoſtiæ admovendæ; in quo illud obſervatum, quod Plinius libro [x] octavo naturalis hiſtoriæ tradit, vitulo, qui fuerit ad aras humeris hominis allatus, non ferè litari; nec acceptum Deo ſacrificium videbatur, quotieſcumque ſeſe victima ab arâ retraxiſſet [y], ſed ſponte ſtare victimam opor-

---

a Claudian. carm. 28. v. 506. *b* Ovid. libr. 4. Triſtium Eleg. 2. *c* Ammianus Marcell. libr. 16. de Conſt. triumph. *d* Juven. Sat. 10. v. 65. *e* Virg. Æn. l. 4. *f* Juvenalis Sat. 12. v. 3. *g* Virg. Æn. libr. 5. *h* Arnob. adverſ. Gent. libr. 2. *i* Ovidius libr. 4. de Ponto Eleg. 9. ad Græcinum. *l* Ovid. Faſtor. libr. 1. *m* Idem Ovidius ibid. *n* Feſtus in V. *Victima*. *o* Servius ad libr. 1. Æneid. Virgil. *p* Cornel. Fronto in libr. different. in fine, & Iſidorus libr. 6. vel 7. cap. 19. *q* Feſtus Pompejus, ſive Paullus in V. *Maximam Hoſtiam*. *r* Liv. libr. 21. & libr. 26. 27. & 28. & libr. 30. &c. *ſ* Livius libr. 22. in princ. *t* Horat. libr. 4. Od. 2. *u* Horat. eodem loco. *x* Plin. libr. 8. cap. 45. *y* Val. Maxim. libr. 1. cap. 6. Servius ad libr. 2. Æneid. verſ. *& magno mercentur Atridæ*, & Ammian. Marcellin. libr. 24.

portebat; quò quidam putant Virgilium respexisse, quum [a] dixit:

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Nec [b] inornata victima ducebatur, sed ejus cornua auro liniebantur [c] Virgilius:

Et statuam ante aras auratâ fronte juvencum;

& Martialis [d] libro nono:

Casurum tibi rusticas ad aras
Ducam cornibus aureis juvencum;

& [e] Juvenalis:

...... & auratam Junoni cæde juvencam;

& Plinius libro trigesimo tertio id testa-
7 tur his verbis: *Deorum verò honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quàm ut auratis cornibus hostiæ majores dumtaxat immolarentur*; & Tertullianus de coronâ militis: *hinc tibi, Juppiter, bovem cornibus auro coronatis vovemus esse futurum*. Præterea hostiæ vittis ornabantur, & sertis; hinc [g] Virgilius ait:

Victori velatum auro, vittisque juvencum;

& libro secundo Sinonem, qui se aræ destinatum a Græcis mentitur, sic inducit loquentem:

...... vos aræ, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittæque Deûm, quas hostia gessi;

& [h] rursus:

...... mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ;

& apud [i] Ovidium Pythagoras de bove, quæ aræ, ut immoletur, admovetur, sic loquitur:

.....vittis præsignis, & auro
Sistitur ante aras, auditque ignara precantem.



DISSERTATIO XLIV.

In qua de Sacrificiis differitur.

Coronare *significat* implere. *Quum in sacrificiis jubebantur favere linguis, silentium imperari tradunt Seneca, Donatus, Festus, & Euripides; vel jubebantur, ut boni ominis verba dicerent, sicut Servius, Acron, & Porphyrion putant, quod etiam ex Ovidio colligitur. Ex quibus rebus conficeretur mola salsa.*

ARistoteles [l] apud Athenæum confirmat coronis plenitudinem quandam significari, quum Homero teste *coronare* sit *implere*; non ergo mirum, si quum nihil Deo, nisi plenum, perfectumque oporteat dedicare, coronâ insigniretur, quidquid Deo offerebatur; immo etiam Deorum simulacra coronabantur; ideo Propertius [m] dixit:

Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hìc imos ante corona pedes.

Sed præcipuus usus coronarum in sacrifi-
ciis; nam & qui sacrificabant [n] coronâ 1
cingebant caput, & [o] altare, sociique coronabantur, & victimæ sertis insignes ducebantur; & certè nunquam justiore titulo usurpatæ coronæ, quàm quum Diis honos habebatur, quæ, Plinio [p] teste, vetustissimis temporibus, solis Diis tribuebantur, solos Deos ambiebant; sed & sacerdotes, & eorum ministros, & aras, focosque coronatos fuisse alio loco diximus, Auditores; in præsentiâ verò de victimis differendum. Victimas igitur coronatas solitas aris admoveri testatur Plinius [q] libro decimosexto capite quarto, ubi sic loquitur: *postea Deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis*: testatur Tertullianus libro de coronâ militis, ubi verbis his utitur: *ipsæ denique fores, ipsæ hostiæ, & aræ, ipsi ministri, & sacerdotes eorum coronantur*: alludit, & [r] Juvenalis satyrâ decimatertiâ, qui sic ait:

Prodigiosa fides, & Tuscis digna libellis,
Quæque coronatâ lustrari debeat agnâ.

Nec ambigendum, quin eâ fronde victimæ 2
coronatæ ducerentur, quæ Deo, cui sa-
crum

[a] Virgil. Georgic. libr. 2. [b] Plin. libr. 33. cap. 3. in princip. [c] Virgil. libr. 9. Æneid. [d] Martialis libr. 9. epigr. 43. [e] Juvenal. Sat. 6. v. 48. [f] Plinius libr. 33. cap. 3. [g] Virgil. Æn. l. 5. [h] Idem eod. libr. 2. [i] Ov. Met. l. 15. fab. 2. [l] Aristot. in Conviv. apud Athen. l. 15. c. 5. [m] Propert. l. 2. Eleg. 10. [n] Virgil. libr. 3. Æneid. v. 82. T. Livius libr. 23 de Q. Fabio Pictore, Plato de Republic. libr. 1. & Dio Chrysost. Orat. 30. [o] Cornel. Tac. libr. 4. Histor. & Arnob. advers. Gentes libr. 7. [p] Plin. libr. 16. cap. 4. [q] Plinius ibidem. [r] Juvenal. Sat. 13. v. 62.

crum fiebat, haberetur accepta; itaque Jovis [a] hostiæ æsculo, Veneris [b] myrto, Apollinis [c] lauro, Bacchi [d] hederâ, Herculis populo [e], Sylvani cupressu, Minervæ olivâ redimitæ immolabantur. Ubi verò sic ornata victima ad aram fuerat, antequam sacrificium inchoaretur, qui aderant, omnes favere linguis jubebantur; hinc Martialis [f] dixit:

Linguis omnibus, & favete votis;

& [g] Virgilius:

Ore favete omnes, & cingite tempora ramis;

& [h] Tibullus:

Quisquis ades, linguâ vir, mulierque fave;

& Ovidius [i] libro decimo quinto:

...... Cognovit Numina castus
Evinctus vittâ crines albente sacerdos;
En Deus est, Deus est; animis, linguisque favete;

alludit & Horatius [l] his verbis:

Odi profanum vulgus, & arceo,
Favete linguis......

3 Qua voce Seneca putat silentium imperari, cujus ea verba leguntur in libro de beatâ [m] vitâ: *& quoties mentio sacra litterarum intervenerit, favete linguis; hoc verbum non, ut plerique existimant, a favore trahitur, sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nullâ voce malâ obstrepente;* cui Donatus assentitur, qui, *in sacris*, inquit, *ore favere est silentium accommodare.* Quod Festus [n] extulit aliis verbis, qui sic ait: *Pascito linguam in sacrificiis dicebatur, idest coërceto, contineto, taceto;* quibus Euripides in Hecubâ concinit, qui silentium in sacris imperari confirmat; nam sacrificium, quo Polyxena est immolata, descripturus his verbis per præconem silentium factum esse tradit:

Σιγᾶτ', Ἀχαιοί, σῖγα πᾶς ἔστω λεώς·

Mihi tamen & silentium his verbis impe-
4 rari videtur, &, ut bonis verbis utatur populus, admoneri; nec aliud significare favete linguis, quàm aut tacete, aut bona verba dicite, quod Servius asseverat hoc modo: *nam in sacris taciturnitas necessaria est, quod etiam præco magistratu sacrificante dicebat: favete linguis, favete vocibus, hoc est bona omina habete, aut tacete;* quod ex Ovidio colligi potest, qui libro primo fastorum dixit:

Prospera lux oritur, linguisque, animisque favete;
Nunc dicenda bonâ sunt bona verba die.

Nam si favere linguis esset dumtaxat silentium sacris adhibere, frustra bonis verbis utendum Poëta præciperet; sed hac voce nimirum, qui sacro intererant, admonebantur, ut male ominatis verbis abstinerent; quod Horatius [o] in sacris pro Cæsaris victoriâ susceptis faciendum esse præcipit his verbis:

...... vos, o pueri, & puellæ
Jam virum expertæ, male ominatis
Parcite verbis.

Ad quem locum Acron, atque Porphyrion ait: *in sacris præcepto silentio edici, ut qui aderant, mali ominis verbis parcerent;* sed 5
jam ad victimam revertamur. Invergebatur vinum victimæ fronti; quem ritum Virgilius [p] tangit his verbis:

Quattuor hîc primùm nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos;

& [q] Lucanus:

...... jam fundere Bacchum
Cœperat, obliquoque molas inducere cultro;

& [r] Ovidius:

Rode, caper, vitem, tamen hinc, quum stabis ad aras,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Sed si capra immolaretur, non vino, sed aquâ frons victimæ aspergebatur; atque hoc modo [s] victima probabatur, nam si affuso vino, vel aquâ immobilis perstitisset, neque reluctaretur, inepta sacrificio putabatur; neque enim rerum naturam pati credebant animal vino, vel aquâ largè perfusum non commoveri, sed immotum obstupescere; itaque hujusmodi hostiam tanquam morbidam, nec gratam Diis ab aris amovebant, & aliam adducebant. Far [t] quoque cum sale mixtum, quod molam salsam diximus appellari, fundebatur 6
in victimæ frontem; quò respexit Ovidius, qui de bove, qui sacro destinatus, & admotus est aræ, sic loquitur:

Imponique suæ videt inter cornua fronti,
Quas coluit fruges......

Atque id ὐλοθυτεῖν Græco vocabulo dicebatur;

---

[a] Virgil. Georg. libr. 2. & Plinius libr. 12. cap. 1. & libr. 16. cap. 4. [b] Virgil. Eclog. 7. Diodor. Sic. libr. 1. Acron ad libr. 3. Od. 4. Horatii, & Ovid. Fastor. libr. 4. [c] Oppianus libr. 1. Cyn. & Virgil. Diod. Sicul. & Acron ibid. [d] Plin. libr. 16. cap. 34. & 35. Tibull. libr. 3. El. 6. Ovid. libr. 3. Fast. libr. 1. Trist. Eleg. 6. [e] Macrob. libr. 5. cap. 12. Saturnal. Pausanias libr. 5. [f] Martialis libro 10. Epigr. 87. [g] Virgil. Æneid. libr. 5. [h] Tibullus libr. 2. Eleg. 2. [i] Ovid. Metamorph. libr. 15. fabul. 50. de Æsculapio. [l] Horat. libr. 3. Od. 1. [m] Senec. de Beatâ Vitâ c. 26. [n] Fest. sive Paull. in V. Pascito linguam. [o] Horat. libr. 3. Od. 14. [p] Virgil. Æneid. libr. 6. [q] Lucan. libr. 1. Pharsal. [r] Ovid. libr. 1. Fastor. [s] Servius ad. Æn. libr. 4. Virgil. v. *Ipsa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido*, & ad libr. 6. v. *Quattuor hîc primùm nigrantes terga juvencos.* [t] Cæl. Rhodigin. libr. 12. cap. 1. & Lil. Gyrald. de Dei Gent. Syntagm. 17.

tur; Suidas [a]: ὐλοθυτεῖν κριθὰς ἐπιχέειν τοῖς θύμασιν: hoc est: ὐλοθυτεῖν est *aspergere victimis bordeum*; & paulo post idem [b] scriptor: κὴ τὰς μὲν κριθὰς μέχρι νῦν ὅλας χέουσιν οἱ ἐπιθύοντες ταῖς σπονδαῖς ἐπὶ σύμβολον τῆς παλαιᾶς τροφῆς; ubi notes discrimen inter molam salsam Romanorum, & οὐλοχύτας Græcorum; nam Græcorum ὐλοχύται hordeum non molitum, Romanorum mola far tostum, molitumque, ut jam indicavimus. Præterea [c] si Diis Cœlestibus fieret sa-
7 crum, ita victimæ collum refringebatur, ut ad Cœlum victimæ facies converteretur; quod ἂυ ἐρύειν idest *retro trahere* Græci dicebant, quòd victimæ collum quodammodo retro traheretur; sin autem victima Numinibus inferis esset immolanda, terram, ut natura fert, ipsam spectare sinebant. Quem sacrorum morem Homerus expressit hoc [d] versu:

Αὖ ἔρυσαν μὲν πρῶτα, κὴ ἔσφαξαν, κὴ ἔδειραν:

ad quem Homeri locum Eustathius ὧν πρῶτον, inquit, ὡς ἔθος Ἑλληνικὸν, εἰ μὲν τοῖς ἄνω ἔθυον, ἀνακλῶν τὸν τοῦ ἱερέου τράχηλον, ὥστε ἀφορᾶν ὡς εἰς οὐρανὸν, κὴ ἐλέγετο τοῦτ' αὖ ἐρύειν. Deinde: ἐὰν μέντοι ἥρωσιν, ἢ ἄλλως τοῖς κατοιχομένοις ἔθυον, κάτω τὸ ἱερεῖον ἀποβλέπον ἐσφάζετο: quæ verba non reddam latinè, quia nihil aliud, quàm ea, quæ diximus, continent. Quid autem αὖ ἐρύειν verbum significaret, Sophocles indicavit, qui quum idem, quod Homerus, exprimere vellet, dixit:

Ἄνω τρέπων ἔσφαζεν.



DISSERTATIO XLV.

Quæ de Sacrificiis est quincta.

Popæ, sacrificuli, victimarii, & cultrarii iidem erant; alii tamen victimarios distinguunt a cultrariis. Cultrum, quo victimæ jugulum fodiebatur, nonnulli secespitam dictum tradiderunt; Paulus tamen tradit usos ad secandum libum, quod secium vocabatur; sed ait alios arbitrari secespitam esse securim, alios cultellum, alios dolabram. Ex multis Auctoribus jugulari consuevisse victimas constat; & etiam securi, vel malleo percuti; quare probabile videtur, hostias majores priùs percuti, deinde jugulari solere.

JAm sacrificii reliquis partibus explicatis ad immolandam victimam veniamus, Auditores. Victimas plerumque cædebant [e] popæ, qui & victimarii [f] vocabantur; hinc Philoxeni glossæ popam ajunt dici θυτὴν, quasi *sacrificulum*; hi succincti sacerdotibus ministrabant; quapropter Propertius [g] dixit:

Illa dies bornis cædem denunciat agnis,
Succinctique calent ad nova lucra popæ;

& [h] Lucanus:

Cornua succincti premerent quum torva ministri.

Quòd autem popæ helluones haberentur, Persius [i] popam ventrem appellavit:

...... *est*, inquit, *illi tremat omento popa venter*

Hi videntur victimæ jugulum cultro perfodisse; nam Virgilius libro quarto Æneidos ita victimam Trojanos describit immolantes: 2

Subjiciunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris, ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam;

& libro quarto Georgicorum Cyrenen sic inducit monstrantem, quo sacrificii genere placet Orphei [l] manes:

Quattuor his aras alta ad delubra Dearum
Constitue, & sacrum jugulis demitte cruorem,
Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.

Apulejus [m] quoque libro primo victimas jugu-

[a] Suidas in Voce Οὐλοθυτεῖν. [b] Suidas in eadem Voce. [c] Interpres Apollon. ad libr. 1. Argon. [d] Homer. Iliad α. vers. 459. [e] Propertius libr. 4. Eleg. 3. Persius Satyr. 6. vers. 74. Suetonius in Vitâ Caligulæ cap. 32. [f] Tit. Livius decad. 5. libr. 1. Valer. Maxim. libr. 1. cap. 1. num. 12. de Publ. Cornel. Lampridius in Vitâ Commodi, & l. ult. ff. de jure immunit. [g] Propertius libro 4. Eleg. 3. [h] Lucanus libro 1. [i] Persius Satyr. 6. vers. 74. [l] Virgilius Georgic. libro 4. in fine. [m] Apulejus libr. 1. Metamorph.

jugulari solitas videtur ostendere, quippe ita loquitur: *per jugulum sinistrum capulo tenus gladium totum ei demergit, & sanguinis eruptionem utercula admoto excipit diligenter, ut nulla stilla compareret usquam. Hæc ego meis oculis aspexi; nam etiam, ne quid demutaret, credo, a victimæ religione immissa dextera per vulnus illud ad viscera penitus cor miseri contubernalis mei Moroë bona scrutata protulit;* ubi & jugulatum hominem instar victimæ, & exceptum e jugulo profluentem cruorem, & extractum cor indicavit. A cultro autem, quo victimas popæ jugu-
3 labant, cultrarios animadvertimus appellatos; id intelligi potest ex Suetonio, qui in [a] Caligulæ vitâ sic ait: *admotâ altaribus victimâ succinctus poparum habitu elato altè malleo cultrarium mactavit.* Hunc autem cultrum, quo victimæ jugulum fodiebatur, nonnulli [b] secespitam dictum tradiderunt; sanè secespita culter fuit, quo Veteres in sacris utebantur; ea sic a Festo [c] describitur: *culter ferreus, oblongus, manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum auro, argentoque, fixo clavis æneis, ære cyprio, quo Flamines, Flaminicæ Virgines, pontificesque ad sacrificia utebantur;* sed neutiquam affirmat usos ad victimas jugulandas. Paulus tradit [d] usos ad secandum libum, quod secium vocabatur; idem [e] Paulus ait alios arbitrari secespitam securim esse, alios cultellum, alios dolabram. Contra verò ex multis Auctoribus colligas non victimæ jugulum feriri cultro, sed cervicem securi percuti; nam [f] Virgilius cecinit:

Quales mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus, & incertam excussit cervice securim;

& [g] Horatius:

Nam quæ nivali pascitur Algido
Devota quercus inter, & ilices,
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, Pontificum secures
Cervice tinget......

& [h] Ovidius:

Colla boves niveos certæ præbere securi,
Quos aluit campis terra falisca suis.

Quæ carmina cum superioribus pugnant;
4 in illis enim victimæ cultro in jugulum demisso mactari videbantur, in his autem dejectâ in cervicem securi immolari; sed inter se conciliari possunt, si dicamus, tauros, & majores hostias priùs occidi solitas malleo, vel securi percussas deinde jugulari; quod ex his [i] Ovidii versibus discas, qui sunt in septimo libro:

...... Mugitus victima diros
Edidit, & subito collapsa sine ictibus ullis
Exiguo tinxit subjectos sanguine cultros.

Nam Poëta confirmat victimam non expectasse ictum securis, aut mallei, quo victimæ cædi solebant, sed sponte mortuam concidisse; quum autem deinde jugularetur, ex jugulo parum cruoris profluxisse; priùs ergo victima cervice percussâ mactabatur; deinde cultro in jugulum impresso sanguis educebatur. Quapropter qui-
dam arbitrantur eum, qui victimam ma- 5
ctabat, victimarium, qui jugulabat cultrarium appellari; nec idem esse victimarium, & cultrarium; erat autem necesse victimam jugulari, quò commodiùs posset excipi sanguis; nam jugulatæ victimæ supponebant vas illud, quod Græci σφαγεῖον nuncupabant; testatur id Etymologicum magnum in voce σφαγεῖον, ubi leguntur hæc verba σφαγεῖον τὸ ἀγγεῖον, εἰς ὃ τὸ αἷμα τῶν σφαζομένων ἱερείων δέχονται, quæ sic explicantur: *Sphageum vas est, quo cruorem hostiarum, quæ mactantur, excipiunt;* quod & Julius Pollux affirmavit; quod vas fortasse patera fuit; nam cruor hostiarum pateris excipiebatur, Virgilio [l] teste, qui dixit:

Sanguinis & sacri pateras, animamque sepulcro
Condimus......

& [m] alio in loco:

...... tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris......

Eum verò cruorem quum excepissent sa-
cerdotes, aræ affundebant; Lucianus de 6
sacrificiis: καὶ τὸ αἷμα πίνοντες τοῖς βωμοῖς προσχεόμενον, *& sanguinem altaribus affusum bibentes;* & alio in loco: ὁ δ' ἱερεὺς αὐτὸς, inquit, ἕστηκεν ᾑμαγμένος, καὶ ὥσπερ ὁ Κύκλωψ ἐκεῖνος ἀνατέμνων, καὶ τὰ ἔγκατα ἐξαιρῶν, καὶ καρδιουλκῶν, καὶ τὸ αἷμα τῷ βωμῷ περιχέων: quæ verba sic interpretamur: *at sacerdos ipse cruentatus consistit, & sicut Cyclops ille secans, & eximens viscera, revellensque cor, & aram cruore circumfundens.* Nec altare solum cruore spargebat sacerdos, verum etiam se ipsum, & omnia membra perfundebat; ideo Lucianus adstare dixit cruentatum sacerdotem; hunc morem Prudentius tangit his [n] versibus hymno decimo:

Quin os supinat, obvias offert genas,
Supponit aures, labra, nares objicit,
Oculos & ipsos perluit liquoribus;

Nec

[a] Sueton. in Vitâ Caligulæ cap. 32. [b] Idem in Vitâ Tiberii cap. 25. [c] Paull. & Fest. in V. Secespita. [d] Paull. in V. Secium. [e] Paull. idem in V. Secespitam. [f] Virgil. Æneid libr. 2. [g] Horat. libr. 3. Od. 13. [h] Ovid. de Pont. libr 4. Eleg. 4. ad Sext. Pomp. [i] Ovid. Metamorph. libr. 7. [l] Virgilius Æneid. libr. 3. [m] Idem Virgilius Æneid. libro 6. [n] Prudent. hymn. 10. περὶ στεφάνων de Romano Martyre.

Nec jam palato parcit, & linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.


Sed inprimis mactatâ victimâ, ejusque dis-
7 secto pectore exta spirantis adhuc evellere, & rapere festinabant; ex habitu quippe extorum quàm grata fuisset Numinibus, & an litassent, cognoscebant; hinc princeps poëtarum [a] dixit:

...... pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta;
& [b] alio in loco:
In flammam jugulant pecudes, & viscera vivis
Eripiunt......

Quæ declarant solitos haruspices festinare, ut, quoad ejus fieri posset, viventis adhuc hostiæ exta spirantia inspectarent, ne mortua eorrumperentur, aut aliquam mutationem susciperent; præcipuè verò extremas extorum partes observabant, quæ fibræ, uti jam diximus, vocabantur. His futurorum seriem inprimis declarari, & eventa rerum arbitrabantur; quid ego testimonia citem poëtarum, quum tam multa nobis occurrant, ut recenseri facilè non possint; Lucanus ait:

Et fibris sit nulla fides;
Virgilius [c]:
Tristibus aut extis fibræ apparere minaces;
Propertius [d]:
Aut sibi commissos fibra loquuta Deos.

Finis Dissertationum in Virgilium.



[a] Virgil. Æneid. libr. 4. [b] Idem Virgilius Æneid. libr. 12. [c] Virgilius Georgic. libr. 1. [d] Propertius libr. 4. Eleg. 1.





BENEDICTI AVERANII IN CICERONEM

DISSERTATIONES DUÆ, ET NONAGINTA.

DISSERTATIO I.

Otium omnes desiderant.

Augustus Imperii resignandi consilium sæpe cepit; Diocletianus autem, & Maximianus resignarunt; Sylla quoque dictaturâ sese abdicavit. Pontes erant mensæ, quibus suffragiorum cistæ imponebantur; aliis tamen videntur fuisse viæ quædam angustæ, per quas centuriæ in septa, & ovile introducebantur. Ætatis anno sexagesimo Romani omni publico munere solvebantur; hinc depontani senes dicebantur; ex quo fabula nata est, quòd antiquitus Romani sexagenarios e ponte in Tiberim dejicerent. Hiperborei senes ætate confectos ex altissimâ rupe in Mare præcipites dabant. Cato ajebat magnorum virorum non solùm negotii, sed & otii rationem extare oportere.

Ui gerendis negotiis, & Reipublicæ administrandæ se penitus dediderunt, non ita actuosam vitam sequuntur, ut otii, & quietis obliti esse videantur; sed in illis rerum fluctibus, & molestiarum quasi turbinibus, &

procellis ad tranquillitatis portum plerum-
que respicere, cursumque dirigere con-
sueverunt; verissimumque est, quod Ve-
nusinus Poëta [a] dixit omnes otium exo- 1
ptare.

Otium Divos rogat in patenti
Prensus Ægæo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetrâ decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpurâ ve-
..... nale, neque auro.

Nam illi quoque, qui bella ex bellis ges-
serunt, qui turbulentissimam Reipublicæ
tractandæ rationem sequuti sunt, & sedi-
tionum in civitate auctores, & principes
extiterunt, quum otium fugere viderentur,
otium inprimis concupisse deprehen-
duntur. Sertorius [b] ille, qui Syllam do-
minantem Tribunus Plebis lacessivit, par- 2
tesque Cinnanas sequutus, his victis, quum
in Hispaniam se contulisset, tantam ibi ci-
vilis belli molem concivit, ut præstantis-
simos Romanorum duces, Romanamque
potentiam defatigaret, nihil aliud optasse
fertur, quàm in Patriâ privatus degere, &
otio securo frui; & quum id impetrare
nullâ ratione posset, cogitasse in insulas
Fortunatas trajicere; & vale dicto poten-
tiæ, opibusque, quibus nixus tot annos

a Horat. libr. 2. Od. 16. b Plutarch in Vit. Sertor. & Appian. de Bell. Civil.

cum Romanis bella gesserat, in illâ parte terrarum ab Orbe divisâ fati necessitatem inglorium quidem, sed tranquillum expectare. Nec unus id e seditiosis civibus Sertorius concupivit; Livius [a] Drusus, qui Gracchi seditionem concitavit, quum illâ tempestate perturbatæ Reipublicæ jactaretur, otii cupiditate, quod nondum positâ prætextâ exuerat, ne puero quidem sibi ferias contigisse querebatur. Quid Impe-
3 ratores? Augustus, quo [b] nemo major, nemo felicior imperantium unquam fuit, quoties consilium cepit Imperii resignandi, & fortunâ illâ, qua proximè ad Deos immortales accedebat, se se abdicandi? quoties amore quietis privatam vitam desideravit, quod ad senatum missis litteris sæpe testatus est? Ejus autem [c] successor Tiberius, qua de causâ relictâ Româ in insulam Capreas secessit, nisi cupidine otii? quo licèt intemperanter sit usus, tamen ostendit se se vitam quietam, & tranquillam imperantium fortunæ longè anteponere. Sed hi ab illâ splendidâ servitute, qua regnantes adstringuntur, asserere se non prorsus potuerunt; Diocletianus [d] autem, Maximianusque tranquillitatis, & otii appetentes privatæ vitæ exemplo sanèmirabili se reddiderunt. Fecerat [e] idem Sylla principatu Romæ nondum constituto, Republicâ jam senescente, qui Marii partibus deletis, excisis inimicis, causâ nobilitatis defensâ quum dictaturâ se abdicasset, seipsum post ereptam Patriæ libertatem in libertatem vindicavit. Tanta est otii dulcedo, ut
4 Regnis, & Imperiis anteponatur, & meritò sane; siquidem ut præclarè Cicero oratione pro Sextio confirmavit, optimus quisque omnium laborum suorum fructum putat esse amplissimum otium cum dignitate, sine quo nemo ne liber quidem esse potest. Quapropter idem Cicero [f] quadam ad Atticum epistolâ, quod aliquantum otii nactus esset, se semiliberum esse dicit; tanquam si pleno otio, & securo frueretur, liber omnino futurus; & secundo de Oratore: *mihi enim*, inquit, *liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit*. Itaque hanc unam libertatem [g] Epicurus agnovit, & Deorum naturæ tribuit præstantissimæ, & immortali; quos in summâ voluptate frui putat otio sempiterno. Non ergo mirum, si [h] Tullius initio operis, quod
de Oratore conscripsit, eos beatos fuisse 5
prædicat, quibus otio frui cum dignitate permissum fuit; quum publicis curis essent defuncti, senatoriisque muneribus; & sibi idem otium injuriâ communium temporum, propriisque casibus queritur non contigisse; in quo loco illustrando, Auditores, versamur, & deinceps versabimur, qui ita se habet: *cogitanti mihi sæpenumero, & memoriâ vetera repetenti perbeati fuisse, Quincte frater, illi videri solent, qui in optimâ Republicâ, quum & honoribus, & rerum gestarum gloriâ florerent, eum vitæ cursum tenere potuerunt, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent &c.* Veteres nimirum bene constitutâ Republicâ, quum essent nulla bella civilia, nulla vis in civitate versaretur, postquam magistratus gessissent, & externa bella confecissent, quod ætatis erat reliquum, quodque supererat publicis negotiis, ad privatum otium conferebant. Sic
ille Cincinnatus [i] ambitione defunctus 6
ab aratro ad dictaturam est accersitus: sic Serranum [l] serentem honores invenerunt: sic etiam Cato [m] major quum egregii imperatoris, & prudentissimi senatoris, & disertissimi oratoris esset gloriam consequutus, otium consumpsit in discendis litteris Græcis, & Originibus componendis, tradendisque de agriculturâ præceptis: sic Lælius [n], & Scipio soluti gravioribus curis incredibiliter solebant repuerascere, & umbilicos, conchasque legere in Cajetæ litore; quum satias eos Reipublicæ, negotiorumque cepisset. Erat etiam legitimum tempus constitutum, quod tempus ætatis qui complevisset, omni publico munere solvebatur; id autem sexagesimo anno finiebatur; ex quo sexagenarii [o] depontani senes vocabantur; quod essent expertes
ferendi suffragia. Erant enim Pontes, ut 7
quibusdam placet, mensæ quædam, quibus imponebantur cistæ suffragiorum; vel, ut aliis visum, viæ quædam angustæ, per quas centuriæ in septa, & ovile introducebantur; quod ovile fuit locus cancellis circumseptus a similitudine ovilis ita appellatus; cujus mentio est apud Lucanum, ubi sic [p] ait:

...... *& miseræ maculavit ovilia Romæ.*

Nu-

[a] Plutarch. in Vit. Gracchor. [b] Suet. in Vit. Augusti cap 28. [c] Corn. Tac. Annal. libr. 4. [d] Cedren. Compend. Histor. pag. 221. Edit. Basileæ. [e] Plin. de Vir. illustr. cap. 75. & Plutarch. in Vitâ Syllæ, Juven. Sat. 1. vers. 16. [f] Cicer. ad Atticum libr. 13. Ep. 25. [g] Lucret. libr. 1. in princip. Senec. libr. 4. de Benefic. Diogen. Laërt. libr. 10. segm. 77. in Vit. Epicuri, & Lactant. Firmian. de Irâ Dei cap. 4. [h] Cicer. libr. 1. de Oratore in princip. [i] Plin. de Vir. Illustrib. cap. 17. T. Liv. libr. 3. Valer. Maxim. libr. 4. cap. 4. Lucius Flor. libr. 1. cap 11. D. August. libr. 5. cap. 18. de Civit. Dei, & Plin. libr. 18. Natur. Histor. cap. 3. [l] Plin. Histor. Nat. libr. 18. cap. 3. Virg. Æneid. libr. 6. v. 844. [m] Valer. Maxim. libr. 8. cap. 7. & Cicer. in Catone majore. [n] Val. Max. libr. 8. cap. 8. [o] Fest. Pomp. in V. *Depontani*, Macrob. libr. 1. Saturn. c. 5. Cic. pro Sext. Roscic. & libr. 3. de Leg. & Plutarch. in Probl. [p] Lucan. libr. 2. v. 197.

Numerus autem Pontium fuisse fertur par numero tribuum, quæ triginta quinque censebantur; ab his Pontibus, qui propter ætatem suffragia non ferebant, depontani sunt [a] dicti, quasi de ponte dejecti; quæ appellatio præbuit occasionem fabulæ, qua traditum est antiquitus a Romanis sexagenarios e ponte dejici solitos in Tiberim; perinde quasi Romani [b] Hyperboreos imitarentur, qui senes ætate confectos ex altissimâ rupe In Mare præcipites dabant.

8 Non ea Romanis immanitas, sed contra summa humanitas, volebant suos cives aliquando sibi vivere, qui meliores annos in administrandâ Republicâ consumpserant. De hoc autem otio, quod post sexagesimum annum contingebat, non [c] loquitur Tullios; neque enim quum libros de Oratore conscripsit, ad eam ætatem pervenerat, quum anno [d] sexagesimo quarto sit intetemptus; sed de eo, quod in quietâ, tranquillaque Republicâ post gestos magistratus, & inter publicas euras dabatur, quod sibi ereptum dolet; & quoniam magnorum virorum, atque elarorum non solum negotii, ot ait Cato, sed & otii extare oportet rationem, se id in præelaris artibus celebrandis fuisse dicit collocaturum.



DISSERTATIO II.

Quot, quantisque procellis ætate Ciceronis Respublica, nec non & ipse conflictati fuerint.

Mithridatis Imperium quadragies centenis millibus passuum patebat. Si quos Marius non resalutasset, si quibus manus osculandas non præbuisset, ii tanquam inimici ab ejus satellitibus obtruncabantur. Sylla quindecim hostium ducibus cum totidem exercitibus fusis, fugatisque Româ potitus est; Dictaturam perpetuam invasit, quæ potestas centum viginti annis ante Syllam desita fuerat usurpari, non quadringentis, ut errore manifesto tradit Appianus Alexandrinus; judicia ab equitibus ad Senatum transtulit, & induxit in civitatem proscriptionem; & quò militibus ad quodlibet scelus perpetrandum promptioribus uteretur, præter æquum ipsis indulsit, & disciplinam militarem corrupit. Cicero annum vigesimum tertium agens juxta Cornelium Nepotem, vigesimum verò sextum juxta Fenestellam, vel vigesimum septimum juxta Agellium Roscium Amerinum defendit Catilina filiam virginem constupravit; cum conjuratis fœdus humano sanguine sancivit. Fulvia quum audisset a Quincta Spurio, qui cum eâ consueverat, conjurationem Catilinæ patefecit; legati autem Allobrogum detexerunt Ciceroni fraudem Catilinæ, qui in Urbe reliquerat Lentulum, & Cethegum, ut Ciceronem, quum ad eum specie salutandi venissent, interficerent.

INvidisse mihi videtur profectò fortuna clariorem, uberioremque populo Romano sapientiæ, & eloquentiæ laudem, quum fortitudinis, & bellicæ virtutis gloriam longè majorem, quàm aliis gentibus concessisset. Nam quo tempore subacto Orbe terrarum civitas Romanorum ab exteris bellis otium est consequuta, & ad pacis artes conversa studia litterarum vehementiùs concupivit, civilibus bellis est atrociter conflictata. Quot illæ discordiæ victura perpetuis litterarum monumentis ingenia sustolerunt? quot autem incredibili sapientiâ viros a pacis artibus ad belli studia converterunt? Sed aliorum præstantium doctrinâ, & ingenio virorum horribiles, miserosque casus, sed 1 alia damna, cladesque, quibus oppressæ bonæ artes funditus conciderunt, non est hujus loci commemorare; unum illud rei litte-

[a] Festus Pompejus in Voce *Depontani*. [b] Plinius Hist. lib. 4. cap. 12. [c] Cic. de Oratore lib. 1. loco superiùs allato. [d] Plutarchus in Vitâ Ciceronis.

litterariæ vulnus inflictum referre est opportunum, & nos Ciceronis locus admonet; quo vel maximè civiles discordiæ rem litterariam vulnerarunt. Nam illud immortalitate dignum ingenium Ciceronis, illam vim mentis naturæ capacem, illud eloquentiæ Latinæ clarissimum lumen diu jactatum, agitatumque ad extremum extinxerunt; cujus interitu, ut Cornelius Severus poëta disertissimus verissimè confirmavit,

Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ.

2 Nec verò deplorare jacturam litterarum mihi consilium est, Auditores, neque enim id instituti mei, neque hujus loci; sed cujus causâ hæc a me suscepta est oratio, id nunc exequar. Sequitur Ciceronis locus, in quo summus orator queritur, perturbatione Reipublicæ sibi ademptum ocium ad artium præclararum studia recolenda; is autem locus ita se [a] habet: *nam primâ ætate incidimus in ipsam perturbationem disciplinæ veteris; & consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen, atque discrimen; & hoc tempus omne post consulatum objecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peste depulsi in nos metipsos redundarunt.* Quapropter, ut hunc locum explicemus, nobis est exponendum, de qua perturbatione veteris disciplinæ loquatur Tullius, in quam se incidisse affirmat, antequam gereret consulatum; & quibus discriminibus in consulatu sit circumventus; & quibus fluctibus objecerit caput post consulatum, quos in se queritur a communi peste depulsos redundasse. Sciendum est ergo, antequam

3 Cicero honores peteret, aut omnino reos defenderet, aut ullo publico munere fungeretur, Marii [b], & Syllæ civile bellum exarsisse; id autem eâ de causâ fertur esse conflatum. Mithridates [c] Ponti Rex, qui unus post homines natos Scythas domuerat, & tantum terrarum in suam ditionem, potestatemque redegerat, ut Athenæus [d] testetur ejus Imperium circa Pontum Euxinum, Mæoticamque paludem quadragies centenis millibus passuum patuisse, ascito in societatem belli [e] Tigrane potentissimo Rege, occupatâ Bithyniâ, & Cappadociâ, sollicitatis ad arma Romanis inferenda Cimbris, & Sarmatis, & Bastarnis, & Gallogræcis, totoque Oriente concito, bellum Romanis indixerat; immo jam victis Aquilio, & Melchinio ducibus acerrimè gerebat. Huic tanto Regi

4 par imperator quærebatur; excellebant inter duces Romanos duo Marius, & Sylla, qui ambo id bellum sibi decerni postulabant; sed Marius annis jam gravis, & ægro corpore; Sylla validus juventâ, & cuilibet moli rerum par; quapropter senatus, populique Romani voluntas in Syllam propensior ætate florentem, & rerum gestarum gloriâ. Id quum Marius animadvertisset, statuit, quod a volentibus impetrare nequibat, per vim invitis extorquere; & quominus per se poterat, subsidio sibi Sulpicii Tribuni plebis audaciam comparavit. Is vi a foro pulsis Consulibus, & alterius eorum filio interfecto, Syllaque fugato Marium adversùs Mithridatem imperatorem creat, exercitumque, cui Sylla præfuerat, Mario decernit; Marius magnam cædem facit Syllæ amicorum. Non tulit injuriam Sylla, & cum exercitu Ro- 5 mam venit; pellitur Marius, & Ostiæ conscenso navigio primùm Minturnas, deinde Carthaginem appellitur; qua de re Juvenalis [f] ita cecinit:

Exilium, & carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victâ Carthagine panis
Hinc causas habuere......

& [g] Lucanus:

Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ,
Et Pœnos pressit cineres; solatia fati
Carthago, Mariusque tulit, pariterque jacentes
Ignovere Deis......

Interea Sylla cum Mithridatis ducibus prosperè bellum gerebat; at Romæ duo Consules [h] Octavius, & Cinna seditionem inceptabant; pulsus ab Octavio Cinna Italiam contra collegam concibat. Eam occasionem ratus opportunam Marius in Patriam revertendi cum haud pluribus mille armatis in Italiam venit; ibi servitio ad arma concitato, agricolis, & pastoribus coactis, auctus viribus Octavium satellitibus in urbem missis trucidavit, in urbemque reversus eam immensâ cæde complevit. Si quos enim Marius non resalutasset, si quibus manus osculandas non præbuisset, ii tamquam inimici ab ejus satellitibus obtruncabantur; cædes præterea ingentes ubique fiebant. Nec solùm odium, & ultio, sed libido, & avaritia sæviebat; quippe ferro semel civili cæde polluto non pro causâ victoria tantùm, sed ad suam quisque libidinem explendam utebatur. His malis ut Sylla mederetur, compositis 6 Asiæ rebus, intraque Pontum compulso Mithridate, in Italiam revertitur, Mariumque

---

a Cicer. de Orat. libr. 1. b Plutarch. in Vitâ Marii, & Syllæ, & Plin. de Viris Illustribus cap. 68. c Plin. de Viris Illustr. cap. 76. d Athenæus libr. 5. cap. 13. e Appian. Alex. de Bello Mithrid. & Plutarch. in Vitâ Marii, & Syllæ. f Juvenal. Satyr. 10. v. 275. g Lucan. l. 2. v. 90. h Lucius Flor. libr. 3. cap. 21.

que hostem interficit, rursusque in Mithridatem rebellantem proficiscitur; eoque cladibus ingentibus debellato, & ad petendam suppliciter pacem compulso iterum Italiam petit ardentem bello, & adversarum partium copiis oppressam; ibi quindecim hostium duces cum totidem exercitibus fundit, fugatque, Româ potitur; & dum mederi vult afflictæ Reipublicæ, ipsam perdidit, & majori peste obruit, quàm antea premebatur; itaque, ut ait [a] Lucanus,

Excessit medicina modum......

Siquidem nullus Romæ, nullus in Italiâ locus non civium sanguine redundavit; nihil sceleris [b] prætermissum:

Infandum domini per viscera ferrum
Exegit famulus; Nati maduere paterno
Sanguine, certatum est, cui cervix cæsa parentis
Cederet, in fratrum ceciderunt præmia fratres.

Ipsa Reipublicæ forma mutata, Sylla [c] per-
7 petuam dictaturam invasit; quæ potestas centum viginti annis ante Syllam desita fuerat usurpari, non quadringentis, ut errore manifesto tradit Appianus Alexandrinus; sublata pæne tribunitia potestas, judicia ab equitibus ad senatum translata, duæque res populo Romano perniciosissimæ in civitatem invectæ, tyrannis, & proscriptio; corrupta disciplina militaris; quippe Sylla, quò militibus ad quodlibet scelus perpetrandum promptioribus uteretur, ipsis præter æquum, præterque morem indulsit; inductumque pessimum exemplum, ut ob civiles dissensiones acie justâ, & signis collatis inter cives dimicaretur; quod ante Marium, Syllamque fuerat inauditum. Nam [d] Gracchorum, Saturninique [e] seditiones, quæ sævissimæ omnium exarserant in Urbe tribunitiis procellis agitatæ, non justis prœliis exercitæ perturbarunt quidem Rempublicam, sed non multum civium san-
8 guinis profuderunt. Hæc est perturbatio veteris disciplinæ, in quam se primâ ætate ante consulatum Cicero [f] testatur incidisse; nam quo tempore Sylla jam satiatus civili cæde, & ultus inimicos cœperat de deponendâ dictaturâ cogitare, Cicero [g] Sextum Roscium Amerinum parricidii reum defendit, quum annum ageret si [h] Cornelio Nepoti credimus, vigesimum tertium, vel, ut [i] Fenestella testatur, vigesimum sextum, vel, ut Agellius [l] tradit, vigesimum septimum; qua tempestate Tullius eversâ Republicâ, judiciis pæne sublatis, quum æternam eam fore temporum caliginem arbitraretur, se philosophiæ studiis totum dediderat. Quin etiam quum Roscio Amerino defendendo ne Syllam offendisset, vereretur, excessit ex Urbe, & [m] Athenas profectus Antiochum philosophum diligenter audivit; deinde se Rhodum contulit, & Apollonio Moloni summo dicendi magistro operam dedit; deinde in [n] Asiam navigavit, ut Asiaticorum rhetorum dicendi rationem cognosceret; quæ licèt redundaret, & effunderetur, tamen ad copiam, & flumen orationis, quo excellebat, nonnihil conferre posse videbatur. Sed quum Sylla dictaturâ se abdicasset, reviviscere paulatim libertas, cœperuntque 9
judicia exerceri; tunc [o] amicorum litteris Cicero Romam accersitus regnum fori tenuit: tunc quasi post longam Syllani temporis noctem clarius, populoque Romano gratiùs ejus effulsit ingenium: tunc summus orator eloquentiæ beneficio Prætor primus, Consul prior centuriis cunctis renunciatus est; sed in consulatu alia tempestas hominem sedentem ad Reipublicæ gubernacula repente excepit. Lucius Catilina [p] summo genere natus, sed luxuriâ perditus, quum ære alieno obrutus salvâ Republicâ salvus esse non posset, eum statum rerum, qui Syllâ dominante fuerat, cœpit desiderare; sub quo adeo fuerat debacchatus, ut fratrem occiderit; & ne ejus cædis arcesseretur, curarit, ut inter proscriptos a Syllâ referretur. Hic quum perturbare, & permiscere omnia cuperet [erat enim audaciâ, & scelere singulari, utpote 10
qui filiam virginem constupr‍arit] consulatum petit, a quo, Cicerone competitore, dejectus nihilo secius incepta exequi statuit; exercitum perditorum hominum clam congregat, multos rerum spe novarum in societatem sceleris adsciscit; quod fœdus, ut firmius haberetur, humano sanguine sancitum ferunt, quem circumlatum pateris conjurati biberunt. Eam conjurationem Quinctus Spurius Fulviæ, cum qua consueverat, dum se regnaturum jactat, patefecit, Fulvia Ciceroni; quibus cognitis Cicero luculentissimam habuit orationem, qua Catilina perculsus ex Urbe cessit; reliquit tamen Lentulum, & Cethegum, qui Ciceronem, quum ad eum specie salutandi venissent, interficerent, Urbemque multis locis incenderent; ut ipse, quum exercitum admovisset, multiplici terrore circumventam occuparet; eâ frau-

[a] Lucan. libr. 2. vers. 142. [b] Idem libr. 2. v. 148. [c] Plutarch. in Vitâ Syllæ, & Appianus de Bellis Civil. libr. 1. [d] Plutarch. in Vit. Gracchorum, & Luc. Flor. libr. 3. c. 14. & 15. [e] Luc. Flor. ibid. cap. 16. [f] Cic. de Orator. l. 1. [g] Idem pro Sexto Roscio Amerino. [h] Cornelius Nep. libr. 1. in Vitâ Cicer. apud A. Gell. libr. 15. c. 28. [i] Fenestell. apud Pædian. Ascon. & A. Gell. l. 15. c. 28. [l] A. Gell. ibid. [m] Cic. in Brut. in fin. Plutarch. in Vitâ Cic. [n] Iidem iisdem loc. [o] Plutarch. eod. loc. [p] Sallust. in Bello Catilin. Luc. Flor. libr. 4. cap. 1. & Cicero in Catilin.

fraude per legatos Allobrogum detectâ conjurati comprehensi sceleris immanissimi pœnas dederunt; Catilina cum exercitu cæsus Urbem perpetuo metu liberavit. Hoc est illud rerum omnium certamen, atque discrimen, in quod se Cicero consulatu devenisse confirmat. Post consulatum autem [a] Clodius infensus Ciceroni, quòd, quum Clodius Bonæ Deæ sacris, quæ [b] a maribus aspici nefas habebatur, stuprum intulisset, ob eamque rem accusaretur, testimonium in ipsum Cicero dixerat, tribunatum plebis assequutus invehi cœpit in Ciceronis consulatum, tanquam primores civitatis indictâ causâ damnatos peremisset. Nec quisquam obviam ibat furori Clodiano; nam Consules Clodius pactione provinciarum devinxerat; Crassus infensus erat Ciceroni; Cæsar non molestè ferebat e medio tolli hominem studiosum libertatis, regno, quod ipse moliebatur, infestum; Pompejus [c] Crasso, Cæsarique se totum dediderat. Itaque Cicero, quum frustra se ad omnium pedes abjecisset, quum frustra Pompeji colloquium expetivisset, cedere coactus est Inimici furori, & Patriam, quam servarat, relinquere; nec diutiùs, quàm sexdecim mensibus, exilium pertulit; desideravit absentem Patria, quem retinere præsentem haudquaquam potuerat; Pompejus ipse, quum se, illo velut propugnaculo nudatum, objectum videret furoribus clodianis, reditum Ciceroni universâ Republicâ postulante, confecit. Hi sunt illi fluctus, quos a communi peste depulsos in se ipsum refert redundasse; quòd enim conjurationem extinxisset, & conjuratos e medio sustulisset, in invidiam, erimenque vocatus exilii causâ solum vertit.



DISSERTATIO III.

Qua quæritur, an libri ad Herennium sint Ciceronis.

Auctores multi multa ab aliis desumpserunt, nec eos quidem laudarunt; Plinius ipse, qui Auctores, ex quibus aliquid hausit, omnes diligentissimè nominat, multa a Dioscoride mutuatus est, nec unquam ejus mentionem facit. Adulator quidam Antonium objurgabat, quod Cleopatram parum diligeret; & quidam Tiberium objurgabat, quòd amore Republicæ nimis curis se ipsum maceraret. Extant aliquæ conjecturæ, quòd libri ad Herennium sint Cornificii; licèt Priscianus eos tanquam Ciceronis agnoscat.

Exeidisse puero sibi libros rhetoricos rudes, & inchoatos; neque satis eos dignos fuisse [d] Cicero confirmat usu, quem eollegerat ex eausarum multitudine, ac varietate maximarum. Hi verò libri, quos innuit hoc loco Tullius, an illi sint, qui de arte dicendi ad Herennium scripti circumferuntur, inter eruditos magna dissensio est. Nam quibusdam rhetoricorum libri videntur esse Ciceronis; qui hujus opinionis Priscianum habent auctorem, qui multis locis libros ad Herennium tanquam Ciceronis eitat; quin & Herennium fuisse Ciceronis familiarem colligunt ex oratione pro Cœlio, & eodem tempore vixisse, quo Cicero vixit, ex Agellii libro decimo eapite vigelimo; quo in loco Agellius recitat verba Sallustii, quibus Historicus affirmat Herennium legem Syllæ de Pompeji reditu impedivisse. Præterea libri de inventione, quin Ciceronis sint, nemo ferè dubitat; & tamen ab eodem Auctore, a quo ad Herennium libri scripti sunt, esse conditos declarare videntur eadem pæne legum, & poëtarum exempla, quæ in utroque volumine afferuntur. Nec defuerunt Auctores, qui Ciceronis locum [e] hunc, de quo loquimur: *vis enim, ut mihi sæpe dixisti, quoniam, quæ pueris, aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata, atque rudia exciderunt vix hac ætate digna, & hoc usu, quem ex causis, quas diximus, tot, tantisque consequuti sumus, aliquid iisdem de rebus politiùs a nobis, perfectiusque proferri*: hæc, inquam, verba Ciceronis non desunt, qui sic interpretentur, ut dicant inchoatos intelligi libros de inventione

a Plutarchus in Vitâ Cæsar. & Cicer. b Tibullus libr. 1. Eleg. 7. v. *Sacra Bona maribus non adeunda Dea*, & Plutarch. in Problem. cap. 19. c Plutarchus in Vitâ Pomp. d Cicero de Oratore libr. 1. e Cicero de Oratore libr. 1.

tione, rudes libros, ad Herennium. Hæc
2 autem argumenta licèt aliquid habeant momenti, nec sint prorsus contemnenda, non tamen planè vincunt id opus esse Ciceronis. Nam & Priscianus potuit errore communi duci, & inscriptione decipi, quæ Ciceronis nomen præseferebat; & non idcirco, quòd Herennius usus est Cicerone familiariter, & eadem ætate vixit, necessariò sequitur a nemine alio rhetoricos libros ipsi potuisse noncupari. Nec verò necesse est credere hunc Cajum Herennium, cui de arte dicendi libri dicati sunt, esse eum Herennium, qui æqualis fuit, & amicus Ciceronis, & non alium; nam quod ad exempla legum, & poëtarum attinet, quæ & in libris de inventione, & in rhetoricis ad Herennium eadem passim reperiuntur; ea non eundem scriptorem esse declarant, sed eum, qui libros ad Herennium conscripsit, a Cicerone multa esse mutuatum. Neque enim est novum aliorum
3 inventis uti pro suis, & Auctorem silentio dissimulare, per quem profeceris; sic Pliniom Solinus nunquam laudavit, quum pleraque omnia Plinii in suum Polyhistorem transcripserit: multa sumpsit a Dioscoride [a] Plinius, & quum Auctores, ex quibus aliquid hauserat, diligentissimè nominaret, nunquam mentionem Dioscoridis fecisse reperitur. Quid Macrobius? nonne pluribus in locis furti manifesti tenetur? quàm multa ex Lucano Ocello in libros physicorum transtulit Aristoteles? Apulejus ex Luciani libro suum Asinum aureum concinnavit; exempla solertiæ militaris, quæ στρατηγήματα Græci vocant, frequenter occurrunt eadem in Frontino, & in Polyæno. Eodem igitur modo fieri potest, ut qui
4 rhetoricos libros ad Herennium scripsit, exempla multa sumpserit e Ciceronis libris de inventione; quia minùs fuerant ab auctore comprobati, ob eamque causam obscuriores, & minus vulgi manibus terebantur; ideoque scriptor hic magis compilarit, quàm alios illustriores, quia furtū suum latere posse sperabat. Quapropter in eam sententiam multos video concessisse, ut crederent libros ad Herennium a Cicerone non esse conscriptos; plerique etiam eorum scriptorem Cornificium agnoscunt, quem Quintilianus [b] testatur artis rhetoricæ præcepta tradidisse; quæ opinio potest hac conjectorâ confirmari. Est figura quædam,
5 qua rhetores frequenter utuntur, quum liberè loqui videntur; & tamen suâ libertate non offendunt auditorem, sed potiùs laudant; ut quum Cicero pro Ligario fatetur liberè se arma contra Cæsarem tulisse, qua oratione non potuit magis Orator laudare clementiam victoris; quæ eum, qui suas fortunas isset oppugnatum, etiam pro alio deprecari pateretur; & quidam adulator Antonium [c] increpabat, quòd nimis esset durus, qui Cleopatram parum diligeret, aut omnino non curaret, quæ ejus amore misera contabesceret; & quidam Tiberium objurgabat, quòd amore Reipoblicæ nimis curis se ipsum maceraret. Hanc [d] Quintilianus liberam orationem vocat, & ait a Cornificio appellari licentiam, quo nomine a scriptore [e] librorum ad Herennium nuncupatur; ut Cornificius, non alius, quàm is, qui artem rhetoricam ad Herennium composuit, esse videatur.
Et sanè horum librorum auctoris dicendi 6
ratio immane quantum discrepat a stylo Ciceronis! nec minùs discrepant opiniones, quas referre longum est; unam tamen afferre non fuerit supervacuum. Cicero semper utitur exemplis ex aliquo illustri poëtâ, vel oratore petitis, nunquam, aut rarò suis; Auctor ad Herennium exemplis uti non suis putat esse reprehendendum. Præterea sunt quædam in libris ad Herennium, quæ vix mihi persuadeo a Cicerone quantumvis adolescentulo potuisse comprobari, ut sunt [f] illa: *avium dulcedo ducit ad avium &c. amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari &c. demus operam, Quirites, omnino, ne Patres conscripti circumscripti putentur*; aliaque, quæ oppidò quàm sunt frigida, & indigna Ciceronis ingenio! Huc accedit, quod quum 7
constet rhetoricos libros adolescentolo, vel puero potiùs Ciceroni excidisse, in libris ad Herennium [g] mentio est Tollii filii, quem Tullius ex Terentiâ, quum annum ageret quadragesimum secundum, procreavit; ex quibus effici videtur libros ad Herennium non esse Ciceronis; quod tamen nec nimis præfractè negarim, nec affirmarim.

[a] Plin. in Elencho, sive libr. 1. [b] Quintilian. libro 3. cap. 1. de Scriptoribus artis rhetoricæ. [c] Plutarch. in Vitâ Antonii. [d] Quintilian. libr. 9. cap. de figuris sententiarum. [e] Auctor libror. ad Herennium libr 4. [f] Auctor ad Herennium libro 4. de Annominatione. [g] Auctor ad Herennium in libr. 1. in capite de Constitutione causarum.

DISSERTATIO IV.

De artis oratoriæ difficultate, & oratorum paucitate.

Socrates ajebat omnes in iis, quæ planè ſciunt, ſatis eſſe eloquentes. Philippus dicebat ſe Athenienſium felicitatem admirari, qui ſingulis bellis decem duces præficere poſſent; quum ipſe unum ducem Parmenionem reperiret. Ars imperatoris, & Reipublicæ adminiſtrandæ, necnon philoſophia difficillimæ ſunt propter multitudinem eorum, quæ ſcire oportet. Poſidonium immerito reprehendit Seneca, quòd etiam ignobiles artes à philoſophiâ repertas arbitratur.

QUum orator a Græcis Ῥήτωρ a *dicendo* [a] nuncupetur; eum poſſe de rebus univerſis ornatè, copioſèque dicere, & nullis omnino finibus circumſcribere jus ſuum conſentaneum veritati eſt; cur enim qui eloquentiam profitetur, in forenſibus quidem cauſis non indiſertus habeatur; at quum de Republicâ ordinandâ, de virtute morum, de condendis legibus, de imperatore eligendo, gerendoque bello, de rerum naturâ, de religione, de Deo diſſerendum eſt, infans reperiatur? nonne abſurdum eſt, qui ſibi eloquentiam arroget, eum infantem inveniri? Atqui niſi orator ſcientiam teneat artium maximarum, ne-
1 ceſſe eſt, quum de iis, quæ ad eas pertinent, ſunt verba facienda, non ſolùm oratoris non impleat munus, ſed prorſus obmuteſcat; nam de eo, quod quis ignoret, loqui non hominis inepti eſt, ſed planè furioſi. Vereor, ut verum ſit, quod Socrates ajebat, omnes in iis, quæ planè ſciunt, ſatis eſſe eloquentes; ſunt enim multi, qui quæ optimè tenent, non poſſint ornare verbis, nec explicare dicendo; illud veriſſimum non poſſe quemquam, quamvis & acutum ingenio, & linguâ promptum, & rhetorum ſtudiis exercitatum de eo, quod planè neſcit, ſine riſu auditorum, & ſine imptudentiæ notâ ſermonem habere. Non ergo poteſt orator omnibus numeris abſolutus ſine ſcientiâ omnium di-
2 ſciplinarum exiſtere. Atque hanc eſſe cauſam Cicero affirmat oratorum paucitatis; ideo vult in omnibus artibus longè plures, quàm in dicendo, admirabiles extitiſſe, quòd ad alias facultates ejus ipſius facultatis dumtaxat, quam quiſque profitetur, doctrina requiratur; ad ſummam eloquentiæ laudem non comendæ orationis modò, ſed etiam aliarum diſciplinarum cognitio ſit neceſſaria; quod cum illa ſententia Symmachi mirificè concinit; qui, *orator eſt*, inquit, *ex omnibus artibus, & diſciplinis collecta perfectio*. Id autem noſter Auctor exemplis planum facit aliarum facultatum; 3
nam imperatoris ars magna ſanè, ac difficllis inprimis meritò judicatur; qua [b] de re Philippi Regis dictum celebratur: qui ſe mirari dicebat Athenienſium felicitatem, qui ſingulis bellis decem duces præficere poſſent, ſe enim unum ducem Parmenionem reperire. Et ſanè arduum eſt virum invenire, qui nec rebus adverſis concidat, nec proſperis extollatur, & inſoleſcat; qui in ipſo Martis diſcrimine inter tela, ſtragem inter, & gemitus morientium, conſilia poſſit expedire, nec ullâ ſpecie periculi terreatur; fortuita, ut ait [c] Tacitus, ad ſapientiam vertat; qui omnes hoſtium conatus eludat, omnia conſilia exploret; quem nihil eorum fugiat, quæ apud hoſtes geruntur; qui decipi non poſſit; qui fallere ſciat; qui occultet arcana; qui benevolentiam militum aucupetur, nec exuat ſeveritatem; qui conſulat corporum ſalubritati, animorum ſecuritati, ſuppeditet in hoſtili terrâ commeatus, erigat afflictos, comprimat exultantes; quàm minimùm fortunæ credat, ex præteritis conjecturam facillimè ſciat capere futurorum; & tamen in hac arte tam arduâ, tantaque certum eſt, quàm in dicendi facultate, plures excellenti laude floruiſſe. Quis enim recenſeat Græcos, quis Romanos, quis barbaros imperatores, qui incredibili ſcientiâ rei militaris præſtiterunt? ſic [d] Rem- 4
publicam conſilio regere, fundare legibus civitates, diſſolutos licentiâ mores componere magnum opus, ac pæne divinum; tot diſcordes animos, tantam diſcrepantiam voluntatum, tantam varietatem ingeniorum unius mente gubernari poſſe vix crederemus; niſi tot exempla ſuppeterent præſtantium virorum gloriâ civitatum regendarum; & tamen oratorum numerus exiguus, magnus eorum, qui in Republicâ adminiſtrandâ fuerint cum laude verſati. Tranſit deinde ad exempla artium reconditarum; & primum ponit e- 5
xemplum philoſophorum, quantâ rerum ſcientiâ abundent, oportet. Philoſophi veteres illi, qui ſibi nomen hoc meritò vindicarunt, nihil intentatum reliquerunt; omnia, quæ Cœlo, terrâ, Mari continentur, explorarunt; herbarum, lapidum, plantarum, fruticum formas, naturas, poteſtates cognoverunt; medendi vias non ignora-

[a] Voſſius in Etymolog. in V. *Oro*. [b] Plutarchus in Apophthegmat. [c] Cornel. Tacit. Annalium libr. libr. 2. numer. 77. [d] Pindarus Olymp. Ode 8 verſ. 30.

rarunt, differendi rationem tenuerunt; omnem animantium multitudinem, figuras, mores, appetitiones descripserunt; siderum motus explicarunt; geometriam, musicen, numerorum scientiam cognitam, & perspectam habuere; morum disciplinam nobis perfectissimam reliquerunt; Reipublicæ administrandæ, reique familiaris, legumque condendarum rationem, dicendi præcepta tradiderunt; de Deo, de divinis mentibus, de nostris animis disputarunt; & non in singulis singuli, sed in omnibus universi elaborarunt. Quum philosophi sint tanta moliti, tam multa cognoverint, quis credat plures philosophiâ, quàm dicendi arte præstitisse, nisi ex numero oratorum, & philosophorum id quivis facillimè posset intelligere? quæ enim major est ars philosophiâ? ea verò non solùm ars est magna, sed omnium artium [a] procreatrix. Posidonius [b] quidem
6 etiam artes ignobiles, ut tecta moliendi, ceterasque a philosophiâ repertas arbitratur; in quem licèt Seneca invehatur, declamatoriè magis, quàm firmis argumentis Posidonii sententiam redarguit; nam verisimile non esse confirmat philosophiam frugalitatis, & continentiæ magistram docuisse artes, quibus homines utuntur ad luxum. Sed jam me video in aliud [c] Ciceronis dictum incidisse, qui philosophiam artium procreatricem, & parentem vocat; de quo alio mihi die disserendum est.



DISSERTATIO V.

Qua ostenditur philosophiam esse procreatricem, & parentem artium reliquarum, & de oratorum paucitate disseritur.

Ferri fabricam invenerunt Dactyli Idæi Celmis, & Damnaneus. Venationem a philosopho abhorrere cur Seneca dicat, non satis percipitur. Belluarum multarum solertia. Atlas navem princeps dicitur compegisse. Tylen, qua bajuli ad onera ferenda utuntur, Protagoras invenit. Moses Ægyptiorum litteris, & sapientiæ præceptis institutus est. Pythagoras in vocibus proportionem sesquialteram, sesquitertiam, & duplam primus ostendit, quas διὰ πέντε, διὰ τεσσάρων, διὰ πασῶν appellavit.

Quum philosophiam [d] Cicero vocet omnium artium procreatricem, & parentem, diximus id auctoritate Posidonii confirmari; qui non solùm artes libero homine dignas, verùm etiam alias a philosophia inventas, in lucemque prolatas existimat. Id [e] Seneca reprehendit, perinde quasi philosophiæ omnium facultatum reginæ ignobilem quandam prolem tribuerit, & illiberalem; nos autem Senecæ reprehensionem haudquaquam proba- 1
mus, & omnes artes humano generi utiles, aut necessariæ non esse fetum indignum philosophiâ judicamus; & ut in Liberis solet contingere, ut alii magis, alii minùs matris preseferant similitudinem; sic artium, liberales quæ sunt, ad similitudinem propiùs accedere philosophiæ; illiberales ab ejus indole regiâ abesse arbitramur; quum tamen utræque ab eadem sint procreatæ. Illo etiam [f] Seneca utitur argumento, quo Posidonii dictum refellat; non esse verisimile philosophiam frugalitatis, & continentiæ magistram docuisse artes, quibus homines ad luxum abutuntur; id autem, pace Senecæ dixerim, perquam leve est; quum enim, exempli gratiâ, homines ingenio solertes, & contemplandæ naturæ studiosi, & ut verbo absolvam, philosophi, humanæ naturæ imbecillitate perspectâ, cognitoque quantum ea vel hiemis asperitate, vel æstatis ardore læderetur, quantumque a belluarum ferocitate detrimenti, & calamitatis acciperet, docuerunt

[a] Cicero de Oratore libr. 1. in princip. [b] Seneca in Epistol. 90. [c] Cicer. de Oratore libr. 1. & libr. 2. de Finib. [d] Cicer. de Orator. libr. 1. [e] Senec. ad Lucilium Epist. 90. [f] Senec. ibid.

runt artem ædificia construendi; quibus
tecti homines & inclementiam Cœli, &
ferarum incursus arcerent; non docuerunt
tecta tectis superstruere, non ebore, & au-
ro fulgentia lacunaria moliri, nec pretio-
sis marmorum crustis parietes operire, nec
sternere gemmis pavimenta; sed utilitati
nostræ, securitatique prospexerunt; at ho-
minum perversa sagacitas eorum, quæ sa-
lubriter excogitata fuerant, usum ad lu-
xum, superbiamque convertit. Eodem mo-
2 do idem Ferrarias, ferrique fabricam a sa-
pientibus inventam asseverat, quod non
video, cur tantopere Seneca reprehendat,
quum proditum sit ab Historicis [a] ferrum
ab Idæis Dactylis Celmi, & Damnaneo in
insulâ Cypro repertum: hos autem Idæos
Dactylos [b] fuisse constet sapientes, quum
& rythmos, & musicos modos, & Ephe-
sias litteras dicantur invenisse; &, ut Sallu-
stius [c] prodit, ferantur principes divini in-
telligendi fuisse. Ne [d] venationem quidem
cur a philosopho adeo alienam esse dicat,
intelligo; quum Veteres ejus inventionem
Diis immortalibus tribuant, & hominum
vitam a belluarum immanitate tueatur;
miraque sit in eâ solertia, qua feræ fal-
luntur, & observatio non injucunda, qua
& earum astus deprehenduntur, & quan-
tam dederit animantibus tuendi sui natu-
3 ra solertiam cognoscitur. Quis enim, nisi
venatores animadvertit elephantos [e] alte-
ro ex dentibus uti semper ad ea, quibus
vescuntur, amputanda, comminuenda,
frangenda, alterum intactum ad prœlium
conservare? leones [f], quum ingrediun-
tur, reductis, contractisque unguibus in-
gredi, ne atterantur arma, quibus prœlian-
tur; vulpes [g], antequam transeant flu-
men glacie concretum, aures admovere,
& quum sentiunt clarum murmur fluentis
aquæ, non se flumini committere; quum
intelligant glaciem esse tenuem, & cessu-
ram ponderi; aliaque sexcenta, quæ ve-
natio exhibuit contemplatione digna, spe-
ctacula. Rem nauticam etiam videntur sa-
pientes ostendisse; siquidem Atlas [h] Cœli,
siderumque spectator insignis, qui sphæ-
ram primus excogitavit, princeps etiam
navim dicitur compegisse. Quid autem de
majoribus loquar? quum etiam [i] quam
Græci τύλην vocant, qua bajuli utuntur ad
onera ferenda, Protagoras ille, qui De-
mocriti fuit auditor, invenerit. Sed ut-
cumque ea se res de artibus non liberali- 4
bus habet, certè liberales a sapientibus in-
ventas, & perfectas esse constat; nam &
legumlatores [l] Lycurgus, & [m] Solon, &
Zoroaster [n], & Numa [o] sapientes fuerunt,
& [p] Zamolxis, quem nonnulli Pythagoræ
faciunt auditorem, & his antiquior Minos,
quem nunquam [q] Homerus Jovis discipu-
lum fuisse pronuntiasset, nisi sapientiâ præ-
stitisset; & quod majus est, ipse [r] Moses,
quem Ægyptiorum litteris institutum, eo-
rum sapientiæ præcepta ferunt accepisse;
& astronomiam, & geometriam, & arithme-
ticen sapientes Ægyptiorum tradunt ex-
cogitasse. Musice quoque non alios habet
auctores, quàm philosophos; quum [s] & 5
Pythagoras eidem plurimum contulisse di-
catur; quum in vocibus, fidibusque pro-
portionem sesquialteram, & sesquitertiam,
& duplam primus ostenderit; quas διὰ πέν-
τε, διὰ τεσσάρων, διὰ πασῶν appellavit; &
Marsyas [t] Phrygiam harmoniam, & Mixo-
phrygiam, & Mixolydiam, & [u] Thamyras
Doricam ostenderint, quos interpretor sa-
pientes fuisse; nam antiquitus iidem & sa-
pientes, & poëtæ habebantur; idcirco, ut
Diogenes [x] Laërtius probat, poëtæ sophistæ
sunt appellati. Idemque de medicinâ dicen-
dum, quum [y] Pythagoras, & Empedocles, 6
& Democritus auxilse dicuntur, & exco-
luisse; atque etiam ferunt [z] Hippocratem
medicinæ parentem, a Democrito multa
doctum ejus consuetudine plurimum pro-
fecisse. Nec [a] verò Chiron ille, qui Achil-
lem educavit, & erudivit, & inter medi-
cinæ repertores numeratur; nec [b] Apol-
lo, quem inventâ medicinâ Deorum im-
mortalium honoribus consecravit, non sa-
pientiâ præstiterunt. Et quid opus est sin-
gulas artes recensere? quis negare audeat a
philosophiâ quasi a fonte omnium faculta-
tum inventa profluxisse; quum philosophi 7
verè

[a] Clemens Alexandr. Strom. libr. 1. Plin. l. 7. c. 16. [b] Idem eod. loc. paulo super. [c] Sallustius apud Lactant. Firm. libr. 1. cap. 21. de fals. Rel. [d] Cæl. Rhodig. libr. 6. cap. 6. [e] Plinius libr. 8. Histor. Natur. cap. 3. Ælian. de Animal. libr. 6. cap. 56. [f] Idem libr. 8. cap. 15. [g] Plinius libr. 8. cap. 28. Ælian. de Anim. libr. 6. cap. 24. [h] Idem libr. 2. cap. 8. & libr. 7. cap. 56. Clem. Alexandr. Stromat. libr. 1. [i] Clem. Alexandr. ibid. [l] Plutarch. in Vitâ Lycurg. [m] Idem in Vitâ Solonis, & Diogen. Laërt. libr. 1. segm. 45. [n] Diog. Laërtius in Procemio. [o] Plutarch. in Vitâ Numæ, T. Livius libr. 1. & Cicer. de Orator. l. 1. [p] Strab. l. 16. de Syriâ. [q] Hom. Odyss. τ. v. 178. [r] Act. Ap. cap. 7. vers. 22. & Clemens Alexandrin. Stromat. libr. 1. Phil. Jud. in Vit. Mosis libr. 1. in principio. [s] Macrob. libr. 2. c. 1. in Somn. Scipion. [t] Clem. Alexandrin. Strom. libr. 1. [u] Plin. libr. 7. cap. 56. & Clem. Alexandr. Stromat. libr. 1. [x] Diogenes Laërt. in Procem. segm. 12. [y] Plinius libr. 30. cap. 1. [z] Ex Epist. Democrit. ad Hippocratem inter ejusdem Hippocr. Epistolas. [a] Plutarchus Sympos. libr. 3. quæst. 1. & libr. 5. quæst. 4. & Pindar. Od. 3. Pythior. & Plin. libr. 7. cap. 56. [b] Ovid. Metamorph. libr. 1. & Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 20.

verè, non Jurisconsulti omnium divinarum, humanarumque rerum scientiam profiteantur? Quæ ergo facultas humana, & divina omnia contemplatur, & perspicit, eam vidisse consentaneum est, & ostendisse Mortalibus initia, & incrementa artium humano generi salutarium. Eapropter Cicero [a] ait non immerito, philosophiam laudatarum omnium artium procreatricem quandam, & quasi parentem ab hominibus doctissimis judicari; in hac autem arte tam magnâ, quæ omnia, quæ sunt pervestigatione digna, invenerit, & pervestigarit, multo plures, quàm in dicendo, excellentes extitisse quum videamus, maximum esse humanorum operum dicendi munus concedendum est.

DISSERTATIO VI.

Quàm sit difficilis ars Grammaticæ.

Quæ sit differentia inter Grammaticam, & Grammatisticam. Grammatici etiam philologi sunt appellati. Aristarchus grammaticus nothos Homeri versus a legitimis secrevit; & supra nongentos libros edidit. Rhemnius Palemon secum natas, & perituras litteras jactitabat; & Virgilium in Bucolicis præsagisse judicem se futurum omnium poëtarum, & Scriptorum. Alexarchus grammaticus Solem se esse mentiebatur. Didymus, qui Chalcenterus, hoc est ahenis visceribus præditus, *propter assiduum studium appellabatur, quatuor millia librorum conscripsit.*

Pergit noster Auctor exemplo facultatum, quæ quum difficiles inprimis esse videantur, & habere subjectam infinitam rerum materiem, latissimeque patere, tamen multo plures excellenti scientiâ viros extulerunt, quàm fuerint oratores, ostendere, quàm sit arduum ad non mediocrem eloquentiæ laudem pervenire. Nam si in iis artibus, quæ propter obscuritatem, & varietatem rerum, & copiam, quam complectuntur, in summâ difficultate versantur, multi singulari laude floruerunt; in dicendi facultate paucissimi, quum plures eloquentiæ studerent, quàm ceteris disciplinis, necesse est non aliam esse causam oratorum paucitatis, quàm summam rei difficultatem. Et supra quidem philosophorum numerum majorem esse dixit, quàm 1
oratorum, quod verissimum est; nam apud Græcos duodecim, aut tredecim insigni laude rhetores recensentur, philosophi verò pæne innumerabiles. Nunc ad exemplum grammaticorum transit, & his utitur verbis [b]: *quis huic studio litterarum, quod profitentur ii, qui Grammatici vocantur, penitus se dedidit, quin omnem illarum artium pæne infinitam vim, & materiam scientiâ, & cognitione comprehenderit?* quæ verba, Auditores, hodierno die suscepimus illustranda. Mirum profectò nonnullis videri potest hoc
effatum Ciceronis, quo Grammaticæ studio 2
infinitam rerum vim, & materiam affirmat contineri; nec dubito, quin plerique elatius, quàm verius arbitrentur; sed animadvertendum est cum [c] Philone Judæo aliam esse, quam Græci Γραμματιστικὴν dicunt, quæ Suida [d] teste, nihil aliud docet, quàm rectè legendi, scribendique rationem; aliam verò Grammaticam, quæ, ut scriptor Græcarum Etymologiarum testatur, ex eo appellatur, quod præter ceteras facultates multis libris, qui γράμματα Græco sermone dicuntur, utatur: Hæc [e] disciplina Quintiliano teste *plus habet in recessu, quàm in fronte promittit;* ideo siquis eam penitus introspiciat, diligentiusque consideret, quanta sit ei facultati subjecta materia, Ciceronis dictum comprobabit. Non enim solùm in verbis explicandis ea facultas versatur; sed longiùs progeditur, & quidquid a poëtis, aliisque scriptoribus dicitur exponendum suscipit. Ideo [f] Ascle-
piades Grammaticam definit artem eorum, 3
quæ dicuntur a poëtis, & scriptoribus, exponendorum; & Martianus [g] Capella testatur olim officium fuisse Grammaticorum doctè scribere, legereque; nunc [h] etiam illud accessisse, ut sit ejus artis eruditè intelligere. Quam autem nulla sit res, quæ a scriptoribus, & poëtis non attingatur, non debet mirum videri, si infinita rerum vis, & materia dicatur officio Grammatici comprehendi. Quapropter, ut Casaubonus observat, Grammatici etiam philologi [i] sunt appellati; quia quæ philologum convenit scire, ea Grammatici est posse explicare. Neque enim solos Historicos, &
poëtas, & oratores Grammaticus [l] enarrabit; sed apud Græcos Empedoclem, & 4
Parmenidem, apud Latinos Lucretium, & Var-

---

[a] Cicero libr. 2 de Finibus. [b] Cicero de Oratore libr. 1. [c] Philo Judæus de Congress. quærend. eruditiongrat. pag. 445. D. Edition Lutet. 1640. [d] Suid. in V. Γραμματιστής, & Vossius libr. 1. cap. 1. Artis Grammaticæ. [e] Quintilian. libr. 1. cap. 4. de Grammaticâ. [f] Asclepiad. apud Sext. Empiric. advers. Mathemat libr. 1. cap. 3. circa medium. [g] Martianus Capell. libr. 3 & Aristotel. libr. 6. Topicor. [h] Sueton. de Illustr. Grammat. cap. 4. [i] Sueton. ibid. [l] Quintilian. libr. 1. Inst. Orat. cap. 4.

Varronem, Senecam, Tullium; quos si philosophiæ ignarus accessetit, operam profectò luserit; & tunc verum videbitur, quod Sextus [a] Empiricus opponit Grammaticis, non posse eos intelligendo consequi, quæ Empedocles, Aratus, Timon Sillographus, atque etiam alii poëtæ, qui minori in obscuritate rerum versantur, conscripserunt; quòd eorum scripta ad philosophum, non ad Grammaticum pertinere videantur. Adde infinitam multitudinem, varietatemque Scriptorum, qui de aliis facultatibus eleganter, politeque scripserant; quos antiquitus, quum illi extabant, exponere ad Grammatici munus pertinebat; quum non minùs linguæ, quàm scientiæ rerum utiles esse possent. Acccedit [b] eo-
5 dem de aliorum scriptis judicandi scientia, quam κριτικὴν Græci vocant, quàm tanquam propriam sibi Grammatici vindicarunt. Nam Grammatici veteres, ut auctor est [c] Quintilianus, tam severè hoc judicio sunt usi, *ut non versus modò censoriâ quadam virgulâ notare, & libros, qui falsò viderentur inscripti, tanquam subdititios submovere familiâ permiserint sibi*; sed Auctores [d] alios in ordinem redegerint, alios exemerint numero. Hac judicandi scien-
6 tiâ Aristarchus Grammaticorum princeps, quum in Homeri poëmata multi versus irrepsissent, qui [e] Homeri non erant, nothos a legitimis secrevit, & Homerum quàm emendatissimum nobis reliquit; fecitque idem, quod [f] Aristoteles, qui Homerum emendavit, & Alexandro Regi tradidit, qui Homerus ἐκ νάρθηκος dicebatur. Atque id Aristarchi judicium adeo est omnium sæculorum judicio comprobatum, ut Homeri versus non haberetur, qui Aristarcho non placuisset. Atque hæc rerum varietas, & co-
7 pia nonnullos Grammaticos adeo extulit, ut Hyginum [g] Polyhistorem alii, alii historiam, ut P otagoram [h] sapientiam, appellarint; & [i] Remnius Palæmon secum & natas, & perituras litteras jactitaret; nec temere Virgilium in bucolicis nomen suum posuisse, sed quodam instinctu, afflatuque divino omnium poëtarum, Scriptorumque judicem futurum præsagisse; & [l] Alexarchus eò insaniæ præcesserit, ut Solem se esse mentiretur. Sed hi nimiùm artis fiduciâ se se extulerunt; ceterùm dubitari non potest, quin ea facultas & latè pateat, & immenso pæne studio comparetur. Didymum [m] quidem grammaticum tam assi-
due, tam accuratè, studioque tam contumaci in eâ arte fecunt elaborasse, ut 8
Chalcenterus (quod cognomen ahenis visceribus prædirum hominem sonat) diceretur; & meritò sane; quippe quatuor millia librorum [n] conscripsit; Aristarchum autem [o] supra octingentos libros tradunt edidisse. Ex quo intelligi potest, quanta sit ejus artis magnitudo, cujus artifices nullum scribendi repererint modum, & aliorum scripta illustrandi; qua tamen in arte pæne infinitâ infinitum numerum præstantium doctrinâ virorum floruisse hoc loco, quem explicavimus, Tullius asseverat; quum oratorum numerus perexiguus declaret, quanto majus ingenium, quantoque plus operæ oratoris ars, quàm Grammatici, desideret.

DSSERTATIO VII.

Quàm sint reconditæ, multiplices, & subtiles mathematicæ disciplinæ.

Quot Mathematicorum opera interierint. Disciplinæ mathematicæ μαθήματα ἀπὸ τοῦ μανθάνειν, hoc est a discendo *appellatæ sunt; alii autem ex eo dictas putant, quod sola sine doctore comprehendi non possint.*

PAuciores dicendi facultate claros extitisse, quàm eximios imperatores, aut senatores egregios, aut insignes philosophos, aut Grammaticos peritissimos Tullius [p] asseverat; & nos ejus dicta confirmantes latiùs ostendimus; & quum noster Auctor ex difficultate artis imperatoriæ, & Reipublicæ administrandæ, & philosophiæ, Grammaticæque cum haudquaquam vulgari laude celebrandæ quantum sit munus oratoris, & quàm sit arduum dicendi facultate ceteris antecellere, conetur ostendere; nos etiam ejus vestigiis insistentes earum artium difficultatem vobis ob oculos posuimus; ut quum eæ difficillimæ apparuissent, difficilior ars oratoris videretur; quæ longè pauciores, quàm aliæ, ex-
tulit viros ex artificio excellentes; nunc se- 1
quitur locus de mathematicis, de quo hodier-

[a] Sextus Empiric. advers. Mathem. libr. 1. cap. 13. [b] Varro apud Diomedem libr. 2. [c] Quintilianus de Grammaticâ libr. 1. c. 4. [d] Hephæstion cap. περὶ σημείων, Epiphanius περὶ μέτρων, & Isidorus Origin. libr. 1. cap. 20. [e] Cicer. libr. 3. Epistol. ad Familiar. Epist. 11. & Senec. Epist. 88. [f] Plutarch. in Vit. Alexandri. [g] Sueton. de Illustrib. Grammat. n. 20. [h] Phavorin. apud Diog. Laërt. libr. 9. segm. 50. [i] Suet. de Illustr. Grammat. n. 22. [l] Cæl. Rhodigin. libr. 24. cap. 5 [m] Quintil. libr. 1. cap. 8. Macrob. Saturn. libr. 5. cap. 18. & cap. 22. [n] Senec. Epist. 88. aliter autem Suidas in V. Δίδυμος. [o] Suidas in Voc. Ἀρίσταρχος. [p] Cic. de Orat. libr. 1.

dierno die mihi disserendum est; is autem ita [a] se habet: *quis ignorat, ii, qui Mathematici vocentur, quantâ in obscuritate rerum, & quàm reconditâ in arte, & multiplici, subtilique versentur? quo tamen in genere ita multi perfecti homines extiterunt, ut nemo ferè studuisse ei scientiæ vehementiùs videatur, quin, quod voluerit, consequutus sit.* Adquem locum enarrandum docebo, quàm propriè Cicero mathematicas disciplinas reconditas, multiplices, ac subtiles appellarit. Sed antequam id aggredior, quum cogitem Ciceronem testatum reliquisse, tantam Mathematicorum fuisse multitudinem, ut omnes, qui mathematicas disciplinas apperivissent, earum summam scientiam adepti viderentur, amore nobilissimarum facultatum, in quibus solis duco veritatem, tanquam in propriâ sede, versari, deploraro cogor, Auditores, jacturam litterarum. Tot extiterunt in mathematicis disciplinis incredibili doctrinâ homines, & omnibus numeris absoluti; quota nunc eorum pars miserrimæ cladi, qua litteræ Barbarorum incursibus conciderunt, superfuit? Ubi
2 nunc sunt [b] Eudoxi, Cononis [c], Eratosthenis [d], Aristæi [e], Archytæ [f], Dioclis [g], Menæchmi [h], Spori [i] divina monumenta? nonne funditus injuriâ temporum intercideruns? Sed horum saltem nomen nulla vetustatis obscuravit oblivio; innumerabilis verò multitudo nec ipsum nomen immortalibus editis ingenii monumentis ab interitu vindicavit. Nunc autem ex tanto numero in mathematicis perfectorum hominum, quos Cicero in studio suo admirabili doctrinâ tradit floruisse, vix tot numero leguntur, quot [l]

Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili;

ut Cicero, qui summam oratorum paucitatem, ingentem extitisse Mathematicorum multitudinem scriptum reliquit, ignaris quantum nobis abstulerit præteritorum temporum inscitia, mentitus esse videatur; quum plures veteres oratores, quàm Mathematici, ad nos pervenerint. Sed quid o-
3 pus est querelis? quæ & si in hujus partis studiorum deplorandâ jacturâ magis propriè adhibentur, quum in aliâ nullâ tantum injuriæ temporum, hominum inscitiæ licuerit; tamen, si quantum scriptorum cujusvis generis interierit, dicendo persequi, aut quod interiit, deplorare velimus, nunquam exitum reptrire possit oratio. Quapropter ad ea, quæ proposuimus explicanda, revertamur; a quibus tamen querela, qua usi sumus, quum plures Mathematicorum libros, quàm aliorum, intercidisse, & paucissimos ex innumeris extare dolebamus, non abhorret. Exponendum nobis inter cetera, quàm propriè Cicero mathematicas disciplinas reconditas appellet, & obscuras; id autem esse consentaneum veritati vel ex eo perspicitur, quod ferè omnia Mathematicorum monimenta perierunt; causam quippe, cur perierint, eorum obscuritatem fuisse, & quod erant ab intellectu vulgi remota quàm longissimè, quivis intelligit.
Quum enim in illâ temporum caligine pau- 4
cissimis vel tenuissimum doctrinæ lumen affulgeret; qui libri erant de rebus illustribus conscripti, quia non omnino effugiebant intelligentiam hominum leviter eruditorum, transcribebantur interdum, & nonnullorum manibus, licèt raro, terebantur; at Mathematicorum libri, quia nihil habebant, quod a rudibus ingeniis perspiei posset, nihil quod alliceret imperitos, negligebantur; & in tenebris jacebant, & carie, tineisque absumebantur. Non absurdè reliquas facultates possis comparare sacris, quibus licet omnibus interesse; in quibus, quamquam præcipuum locum obtinent sacerdotes, tamen ab his nemo, nisi cui sacris interdictum est, prohibetur; at mathematicas disciplinas sanctissimis illis mysteriis, quæ nemini, nisi iis, qui fuissent
initiati, patebant. Possis, licèt dialecticæ im- 5
peritus, exempli gratiâ, intelligendo consequi, quid sit sorites, quomodo dissolvatur, quid connexum, quibus modis argumentum concludatur, quomodo definitio suis numeris expleatur: possis licèt ignarus philosophiæ ex philosophi sermone nonnihil excerpere, aliquas philosophi rationes intellectu comprehendere; neque enim omnes ex reconditis fontibus hauriuntur. At sine scientiâ geometriæ geometricum quid intelligere, aut explicaro non possis; ideo mathematicas [m] disciplinas *μαθήματα ἀπὸ τοῦ μανθάνειν a discendo* videlicet crediderim appellatas, quòd nemini, nisi ei, qui ipsas etiam, atque etiam didicerit, pateant; alii autem ex eo dictas putant, quod solæ cognitione comprehendi sine doctore non pos-

---

[a] Cicer. de Orator. libr. 1. [b] Locan. libr. 10. Cic. de Divinat. libr. 2. Suid. in V. Εὔδοξος. [c] Virgil. Eclog. 3. Archimedes in Epist. ad Dositheum, & Petrus Victor. Var. Lect. libr. 17. cap. 8. [d] Suid. in V. Ἐρατοσθένης. [e] Pappus Alexandr. Collect. Mathemat. l. 3. prop. 4. & libr. 7. ad Hermodorum filium in Procemio. [f] Diogen. Laërt. in Vit. Archytæ libr. 8. segm. 79. & Horat. libr. 1. Ode 28. [g] Eutocios Ascalonit. in Apollonii Conica [h] Proclus libr. 3. in Eucl. Elem. [i] Eutoc. Ascalon. in Archimedem, & Leontius Mechan. in Isagoge. [l] Juv. Sat. 13. v. 27. [m] Vide Vossium in V. *Mathematici*.

possint. Utralibet autem etymi ratio de-
clarat, quàm sint reconditæ mathematicæ
disciplinæ, nec minùs multiplices esse con-
stat. Philosophia, quæ maxima est, & om-
6 nium Regina facultatum, in tres dumtaxat
dividitur partes; at quot facultates mathe-
maticorum studio continentur? contine-
tur geometria, quæ in formas, numerof-
que tribuitur; continetur astrorum cogni-
tio, geographia; continetur Musica, scien-
tia machinalis, ars nautica; continetur
gnomonum ratio, visus, & radiorum do-
ctrina, quam ὀπτικὴν vocant, doctrina spe-
culorum, doctrina motus; & quis omnes
persequatur? sine Mathematicorum disci-
plinis manca quodammodo, ac debilis phi-
losophia est, medicina claudicat, archite-
ctura velut solo, & fundamento suo ca-
ret. Proteus est quidam Methematicorum
7 disciplina; omnes induit formas, in spe-
cies omnes convertitur. Jam ejus quanta
est subtilitas? quis credat quum Mathema-
tico quædam parva dictu concesserit, his
ostendi posse, cui [a] cylindro sphæra sit æ-
qualis, cui circulo sphæræ superficies? quis
putet magnitudinem Solis, altitudinem si-
derum, immensitatem Cœli posse demon-
strari? Atque hæc, aliaque innumerabilia
mathematicæ disciplinæ exquisitis rationi-
bus, & nihil dubii relinquentibus docent;
& quum aliæ facultates frequentissimè pro-
babilibus utantur, & conjecturâ duci so-
leant, & crassâ minervâ, ut ajunt, plera-
que explicare, solæ mathematicæ immensâ
subtilitate nudam, & simplicem veritatem
animis nostris, ut ea, quæ oculis cernun-
tur, ostendunt; jure igitur Cicero [b] mathe-
maticas disciplinas & reconditas, & mul-
tiplices, & subtiles appellavit.



DISSERTATIO VIII.

Qua, quum paucissimi poëtæ fuerint, pauciores fuisse oratores ostenditur.

Versus extat, qui Consules fieri quotannis, non fieri quotannis poëtas affirmat. Multa opera vetustissimorum poëtarum circumferuntur, quæ dubitatur, an sint illorum. Apollodorus primus grammaticus fuit; alii Eratosthenem dicunt; Praxiphanes autem primus Grammatici nomen est assequutus. Alcmæon primus de Rerum Naturâ librum edidit, juxta alios Anaximander. Virgilius Augusto scripsit sese ad Æneidos opus multo potiora studia, quàm poëtices impertiri. Poëtæ Grammaticis, philosophis, geometris, atque Historicis sunt vetustiores.

ULtimum, Auditores, exemplum,
quo oratorum paucitatem, ra-
ritatemque Tullius probat, est
poëtarum, quos omnium pauciſ-
simos inclaruisse confirmat; nec
immerito sanè; pauci siquidem poëticam
laurum momorderunt: pauci in eo studio
excellentem sibi gloriam compararunt.
Quapropter laudatur antiquus ille versus, 1
qui Consules fieri quotannis, non fieri
quotannis poëtas affirmat; quæ paucitas
poëtarum eo mirabilior debet videri, quòd
poëtæ omnium ferè vetustissimi reperiun-
tur. Nam, ut concedamus oracula, quæ
Musæo [c] tribuuntur, esse Onomacriti,
Cratetem [d], qui nomen Orphei præfere-
bat, Zopyri fuisse; descensum [e] ad Infe-
ros Prodici Samii; Peplum [f], & Physica
Brontini; nec [g] Amphionem quidem in
numerum poëtarum esse referendum, nec
Linum [h]; quamvis id omnis antiquitas
testetur; nec [i] Thracem Thamyram, nec
eos, quos refert Ælianus ante [l] Homerum
Iliada conscripsisse, nec alium floruisse
poëtam Homero vetustiorem; tamen poë-
tas comperiemus antiquitate scriptoribus
omnibus antistare. Nam Grammaticorum 2
primus Apollodorus [m] Cumanus fuisse fer-
tur; quam laudam alii tribuunt Eratosthe-
ni Cyrenæo, qui duos edidit libros, &
grammaticos nuncupavit; quorum tamen
uterque Homero longè junior; junior
etiam [n] Praxiphanes, qui primus Gramma-
tici nomen est assequutus. Ne philoso-
phia

[a] Archimed. de Sphærâ, & Cylindro. [b] Cicero de Oratore libr. 1. [c] Clem. Alexandrin. Strom. libr. 1. [d] Idem eodem loco. [e] Idem Clem. eod. libr. [f] Clem. Alex. ibid. [g] Horat. libr. 3. Od. 11. & de Art. Poët. Philostr. in Imaginib. [h] Hygin. fab. 273. & Suid. in V. Λῖνος. [i] Clem. Alex. Strom. libr. 1. [l] Ælian. Var. Hist. l. 11. c. 2. [m] Clem. Alex. Strom. libr. 1. [n] Idem eod. loc.

phia quidem vetustiores habet auctores, ni-
si philosophos priscos poetas velis appel-
lare; qui licèt sapientes haberentur, tamen
sapientis nomen eâ tempestate a poëtæ no-
mine non sejungebatur; & ideo parum
refert fuisse philosophos, aut sapientes eos,
qui poëtæ vocabantur; nos enim quæri-
mus de iis, qui non poëtæ, sed sapientes,
aut philosophi sunt dicti, qui certè junio-
res poetis ostenduntur. Nam [a] Alcmæon
3 Crotoniensis primus de rerum naturâ li-
brum dicitur edidisse, vel, ut quibusdam
video placuisse, Anaximander [b] Milesius,
qui certè multis ætatibus post Homerum
floruerunt. Geometriam quoque illud non
antiquissimam esse declarat, quod Thales
Milesius [c] circulo quadratum primus in-
scripsit; ex quo constat elementa geome-
triæ eâ tempestate satis rudia fuisse, atque
inchoata; obiit [d] autem Thales olympia-
de quinquagesimanonâ quum [e] Homerum
ante conditas olympiadas duobus sæculis,
aut etiam pluribus floruisse multi confir-
marint. Illud etiam est argumento geome-
triam inventum esse non planè vetustum,
quod Pythagoras primus ostendit in trigo-
no [f] angulum rectum continente quadra-
ta laterum angulum rectum comprehen-
dentium æqualia esse quadrato lineæ sub-
tendentis angulum rectum, quàm ὑποτεί-
νουσαν Græci vocant; quo non demonstrato
quid in geometricis demonstrari potest?
Quid autem de historiâ dicam? Censori-
4 nus non [g] contemnendus Auctor libro de
die natali tria fuisse tempora scriptum re-
liquit: ἄδηλον, quod est perinde si dicas *in-
cognitum*, & *obscurum*, μυθικὸν, quod *fabu-
losum* interpreteris, & historicum; & ob-
scurum tempus esse dicit omne, quod O-
gygium diluvium antecessit; fabulosum,
quod inter Ogygium diluvium, & initium
olympiadum interjectum est; historicum
autem vult post conditas olympiadas ince-
pisse. Quapropter Homerus non solùm
Historicis universis, verùm etiam tempo-
ribus, de quibus Historici scripserunt (id
enim significat tempus historicum) habe-
tur vetustior. Quum autem omnes disci-
plinas Poëtica præstet vetustate, mirum pro-
5 fectò est tam paucos Poëticæ gloriâ præsti
tisse; sed in causâ est ejus artis præstantia;
non enim, ut est in vetere proverbio, ex
quolibet [h] ligno fit Mercurius; neque
quodvis ingenium poëticis studiis excolen-

dis est idoneum. Plato [i] quidem, atque
Democritus [l] poëticas fores incassum pul-
sari sine instinctu, afflatuque divino [m] sunt
arbitrati; ex quo Horatius [n] cecinit:

Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus hono-
rem.

Nec verò solum in poëtâ ingenium requi-
ritur, sed rerum cognitio plurimarum; id- 6
circo Virgilius in quadam ad Augustum e-
pistolâ testatur sese ad Æneidos opus com-
plendum multo potiora studia, quàm poë-
tices impertiri; & Petronius [o] Arbiter:
ceterùm, inquit, *neque generosior spiritus va-
nitatem amat, neque concipere, aut edere par-
tum mens potest, nisi ingenti flumine littera-
rum inundata*; quod esse consentaneum ve-
veritati videtur existimasse [p] Plinius, qui
principem apud Græcos poëticæ facultatis
Homerum principem etiam litterarum a-
gnoscit (quasi haberi non posset princeps
poetarum, nisi esset etiam litterarum; &
Poëticæ summa laus cum summâ laude lit-
terarum adeo conjuncta sit, atque connexa,
ut separari nullo modo possit) & Plutar-
chus, qui omnium doctrinarum fontem
Homerum esse demonstrat; ab ejusque car-
minibus non solùm hausisse poetas plera-
que; sed etiam [q] philosophos nobilissimos
ad suos hortos irrigandos multum sapien-
tiæ derivasse. In hac autem facultate, in
qua perrarò exoritur aliquis, cui nihil 7
magnopere desit, multo plures, quàm ora-
tores inclaruisse, & affirmat [r] Cicero, &
veritas ipsa clamat. Nam quum triplex
comœdia [s] habeatur, vetus, media, &
nova; novæ comœdiæ solùm, ut nihil de
ceteris dicam, poëtæ sexaginta quatuor
numerantur. Adde tragicos, adde lyricos,
adde heroicos poëtas: adde epigrammatum
scriptores, eosque, qui præcepta vitæ
utilia, qui philosophiam, qui astrologiam,
qui medicinam, qui agriculturam carmine
tradiderunt; qui situm Orbis terrarum de-
scripserunt; qui suos amores, deliciasque
versibus celebrarunt; qui hymnos in Deos
ediderunt: adde eos, qui res divinas ver-
sibus exornarunt; jam intelliges verissi-
mum Ciceronis esse dictum; & quum
summa poëtarum, comparatione aliarum
facultatum, fuerit paucitas, & pauciores
oratores reperiantur, hujus rei nullam af-
ferri posse causam, quàm eloquentiæ com-
parandæ summam difficultatem.

[a] Clem. Al. Str. l. 1. [b] Themist. Orat. 20. [c] Diog. Laërt. in Vit. Thal. l. 1. segm. 25. [d] Idem eod. loc. segm. 38. [e] De Hom. Æt. vid. Clem. Al. l. 1. Str. Porphyr. apud Suid. in V. Ὅμηρος, & Herodot. in Vit. Homer. [f] Apollod. apud Diogen. Laërt. in Vit. Pythag. libr. 8. segm. 12. [g] Censorin. de Die Nat. c. 21. [h] Apul. in Apolog. Paul. Manut. in Adag. *Non e quolibet ligno Mercurius fiat.* [i] Plato in Phædro, & Ione. [l] Cic. l. 2. de Orat. & l. 1. de Divinat. [m] Idem pro Archia. [n] Horat. l. 1. Sat. 4. [o] Petron. Arb. in Sat. [p] Plin. libr. 25. c. 2. [q] Plutarch. de Audiend. Poët. [r] Cicer. de Orat. l. 1. [s] Jul. Cæs. Scal. in Poët. l. 1. c. 7.

DISSERTATIO IX.

Qua quædam adnotantur, quæ propria fuerunt oratoriæ facultatis.

Cæsar seditionem sedavit milites Quirites appellando. Apud Græcos nullus orator extitit ante Periclem; apud Romanos verò ante Catonem, qui octoginta annis ante Ciceronem Consulem obiit. Hesiodus in poëtico certamine Homerum superasse fertur. Verum non videtur, quod quidam tradunt Archilochum, & Simonidem eodem tempore vixisse. Poëtæ ante oratores multis ætatibus extiterunt, & semper aliqui floruerunt. In unaquaque facultate excellentes viri ubique ferè gentium recensentur; oratores verò Athenis, & Romæ dumtaxat. Asiatici rhetores, & Rhodii non sunt cum Atticis comparandi. Petronius Arbiter queritur parentes præ nimiâ festinatione filiorum studia corrumpere. Quibus præmiis antiquitas afficerentur philosophi. Aurigæ ministerium Platoni præbuit Dionysius tyrannus. Empedocli Regnum ultro oblatum fuit. Antigonus Rex frequenter Athenas commeabat, ut Zenonem audiret, nec impetrare potuit, ut ad se veniret. Xenocratem Alexander Magnus missis legatis, & quinquaginta talentis coluit. Seneca ter millies sestertiûm ex liberalitate Neronis possedit.

IN arte dicendi pauciores, quàm in aliis disciplinis, admirabiles extitisse Cicero pluribus confirmavit; & nos ejus dicta illustrantes ostendimus, & præcipuè exemplo poëtarum; quos quum omnium aliorum Scriptorum, artesque liberales profitentium paucissimos fuisse viri summæ auctoritatis consentiant, longè plures tamen, quàm oratores esse deprehenduntur. Quo in genere illud contemplatione dignissimum est, quod quum semper tum in Græciæ Rebuspublicis, tum in Romanâ opus fuerit hominibus, qui apud populum verba facere, animosque dicendo tenere, ignarosque docere, & vel efferatos lenire, vel ab irâ concitatos reflectere, vel languentes, jacentesque concitare possent, tam serò florere cœperint oratores; & tamen non tantùm in senato-
1 ribus, & magistratibus Rempublicam administrantibus, verùm etiam in ducibus bellum gerentibus eloquentia requiritur; sæpe militibus metus detrahendus, sæpe temeritas comprimenda, sæpe eorum contumacia oratione flectenda, sæpe in hostes animi inflammandi; hæc autem præstare, quis potest, nisi eloquens imperator? Quapropter & in Philippo [a] bellicosissimo Rege, & in utroque [b] Scipione, & in Cæsare [c] omnium ducum præstantissimo facundia jure laudatur; quum ea ad alliciendas bellatorum voluntates, regendosque impetus utilis inprimis esse videatur. Rarò quippe ducibus contingit, quod con- 2
tigit [d] Cæsari, qui seditionem in castris concitatam verbo sedavit milites Quirites appellando; non minùs bellicæ res, quàm tempora pacis vim, ubertatemque orationis plerumque desiderant. Xenophontem certè scimus, ut alia interim exempla prætermittam, milites prædæ spe furentes, & ad diripiendum, excindendumque Byzantium jam ruentes dicendi vi, & copiâ compressisse. Quum igitur & in bello eloquentia sit non inutilis, & in pace perquam necessaria Rebuspublicis, semperque bella fuerint, fuerintque Respublicæ, necesse est semper aliquos extitisse, qui non infantes haberentur; quod ex [e] Homero colligi potest, qui in Nestore dulce genus orationis, acutum in Menelao, in Ulysse copiosum, & torrens agnoscit. Quin & Achillem fuisse non indisertum ex eo possis cognoscere, quod idem poëta doctum a Phenice [f] confirmat:

Μύθωντε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Perfectorem operum, & verborum esse oratorem.

Ex quibus constat vetustissimis temporibus alios aliis eloquentiâ præstitisse, & habi- 3
tum esse honorem dicendi facultati; nihilo secius decursu tot sæculorum nemo nomen meruit oratoris. Nam apud Græcos ante Periclem nullus extabat orator, cujus scripta [g] aliquam dicendi laudem præseferrent; ipsaque scripta Periclis ejus eloquentiæ gloriæ, qua regnum tenuisse liberi Athemensis populi prædicatur, Quintiliano teste, non respondebant, ut alterius esse idem suspicetur; & tamen [h] Pericles ultimis pæne florentis Græciæ temporibus floruit; nam duobus annis postquam Peloponesiacum bellum exarserat, quod ipse olympiade octogesima septimâ excitarat, extinctus est; quo bello [i] attritæ Atheniensium opes funditus conciderunt; nec Atheniensium solùm Respublica, sed Græcia universa fracta est, & debilitata; nec deinde potuit tot cladibus, tot excidiis populorum amissas vires resumere; itaque pau-

[a] Ælian. Var. Hist. libr. 4. cap. 14. [b] Cic. in Brut. & Plin. de Vir. Ill cap. 44. [c] Suet. & Plutarch. in Vit. Cæsar. [d] Cornel. Tacit. in libr. 1. Annal. num. 42. [e] Homer. in Iliad. & Quintil. libr. 12. cap. 10. [f] Homer Iliad. ι v. 443. [g] Cic. libr. 2. de Orator. & de Clar. Orator. & Quintil. Institut. Orat. libr. 3. cap. 1. [h] Thucydid. libr. 2. [i] Plutarch. in Vit. Periclis.

paulo post intestinis discordiis fessa in Ma-
cedonum jus, potestatemque concessit.
Quo tempore cum Græciæ libertate elo-
quentiæ quoque gloria obsolevit, licèt
numquam deserint dicendi studia celebra-
ri; ex quibus perspici potest non diu Græ-
ciam fuisse dignam oratoris excellentis cla-
ritate. Idem accidit apud Latinos; nul-
4 lius [a] oratoris Catone vetustioris orationes
legebantur, qui octoginta annis ante [b] Ci-
ceronem Consulem naturæ concessit; ex
quo constat trecentis annis populum Roma-
num liberum sine oratoribus fuisse; quum
& qui in senatu dicerent, & apud popu-
lum verba facerent, nunquam defuissent.
Adeo serò tam apud Græcos, quàm apud
Latinos solutæ numeris orationis facultas
sese extulit; tantæque molis fuit oratorem
non dico perfectum, sed rudem, & inchoa-
tum existere; quum vinctæ numeris ora-
tionis Auctores tam antiqui ferantur, ut
semper poëtarum genus fuisse videatur.
Nam reliquis, qui dicuntur antiquiores,
omissis, Homerum quidam Trojano bello
5 parem, spectatoremque rerum, quas versibus
ornabat, nonnulli, quamvis non verè, pro-
diderunt [c]; qui recentissimum poëtam [d] fa-
ciunt, ante conditas olympiadas non mul-
tis annis volunt floruisse. Hunc [e] Hesio-
dus consequutus est, quem quidam Ho-
meri æqualem fuisse memoriæ [f] prodide-
runt, & Homerum [g] in poëtico certamine
superasse; nec desunt, quibus [h] Hesiodus
videtur antiquior. Post Hesiodum [i] au-
tem floruit Lesches, floruit & Callinus,
& Eumelus Corinthius, & Arctinus; &
Archilochus his junior circa [l] olympia-
dem vigesimam; quum Numa secundus
Rex Romanorum multos annos regnum
teneret. Huic suppsrem nonnulli faciunt
Simonidem, & Terpandrum; sed [m] Simo-
nides olympiade quinquagesima sextâ flo-
ruit, hoc est annis post Archilochum cen-
tum quadraginta quatuor; quapropter, ni-
si alteruter cornicis annos vixisse credatur,

Archilochi ætatem non potuit attingere.
Apparet igitur quamplurimos poëtas præ-
stantissimos extitisse ducentis, aut etiam 6
trecentis annis, antequam verus orator A-
thenis audiretur. Quum igitur vincire nu-
meris orationem, quàm solutam metri ne-
cessitate volvere difficilius esse videatur;
tamen experientiâ docemur arduum magis
fuisse oratorem præstantem existere, quàm
poëtam poëticis virtutibus excellentem.
Quid enim causæ comminisci possimus,
cur quum oratio, quæ nullâ poëticorum
lege numerorum astringitur, sit vetustior,
quàm versus ulli, sit culta semper, semper
utilior Rebuspublicis, quàm ullæ poëtarum
cantilenæ, judicata, serius innumeris pæ-
ne ætatibus perfecta sit, & absoluta, quàm
studium Poëticæ? nonne artes, quæ brevio-
re tempore perficiuntur, faciliores esse cen-
sentur? quod est inprimis in oratore mi-
randum. Illud etiam oratoribus contigit
admiratione dignissimum, quod poëtæ, a- 7
liique scriptores ubique ferè gentium flo-
ruere; quando etiam Thebæ, quæ melio-
res pugiles, quàm scriptores, aut philoso-
phos edere putabantur, Pindarum [n], &
Corinnam [o] lyricos, & his [p] antiquiorem
Linum, & [q] Cebetem philosophum non
ignobilem, & [r] Cratetem genuerunt; &
Democritum [s] summum auctorem naturæ,
verique, & Protagoram [t] clarissimum, &
dicendi, & intelligendi laude virum Ab-
deris ferunt, ut ait Satyricus [u] non infa-
cetè,

*Vervecum in Patriâ, crassoque sub aëre na-
tos;*

& Orpheum [x] Thracem, & Scytham [y] A-
nacharsin, cujus & ingenium, & sapientia
celebratur, fuisse constat. Oratores verò 8
pæne omnes Athenienses fuerunt; quam-
quam [z] Lysiam Timæus quasi Mutiâ lege re-
petit Syracusas; nam Leontinus [a] Gorgias,
Thrasymachus [b] Chalcedonius, Protago-
ras [c] Abderites, Prodicus [d] Chius, Hip-
pias [e] Eleus potiùs eloquentiæ doctores,

[a] Cicer. de Clar. Orator. [b] Quo anno obierit Cato Vid. Plin. libr. 14. cap. 4. & libr. 29. c. 1. [c] De Homer. ætat. Vid. Clem. Alexandr. Stromat. l. 1. [d] Herodot. in Vit. Homer. in fine, Suid. in Voce Ὅμηρος, & Solin. cap. 43. [e] Suid. in V. Ἡσίοδος, [f] Aul. Gell. libr. 3. cap. 11. & Plutarch. de Consol. ad Apollon. [g] Plutarch. in Symp. [h] L. Accius poët. & Ephor. apud Gell. libr. 3. cap. 11. & Suid. in V. Ἡσίοδος. [i] Clem. Alexandr. Strom. libr. 1. [l] Idem Clem. Alex. ibid. [m] Suidas in V. Σιμωνίδης. [n] Suid. in V. Πίνδαρος, & Plin. libr. 7. cap. 29. [o] Suidas in Voce Κόριννα. [p] Idem in V. Λίνος. [q] Idem in V. Κέβης, & Laërt. in ejus Vitâ libr. 2. segm 125. [r] Suid. in Voc. Κράτης. [s] Diog. Laërt. in Vit. Democr. libr. 9. segm. 34. & Suid. in Voce Δημόκριτος: [t] Diogen. Laërt. in Vit. Protagoræ libr. 9. segm. 50. & Suid. in Voce Πρωταγόρας. [u] Juv. Sat. 10. v. 50. [x] Suid. in V. Ὀρφεύς, & Diog. Laërt. in Procem. [y] Laërtius in Anachars. libr. 1. segm. 101. Lact. Firm. de falsâ Sapient. libr. 3. cap. 25. & Suid. in V. Δίγλωσσος. [z] Plutarch. de Decem Oratorib. cap. 3. & Dionys. Halicarn. de Veter. Orator. [a] Dionys. Halicarn. ibid. de Isocrat. in princ. Cicer. de Orator. libr. 1. Diog. Laërt. libr. 8. segm. 58. & Quintil. Inst. Orator. libr. 3. cap. 1. [b] Dionys. Halic. de Antiq. Rhet. in Isæo, Quintil. Inst. Orat. libr. 3. cap. 1. & Plato in Phædro, Gorgia, & alibi, & Aristot. libr. ult. Sophistic. Reprehens. [c] Quintil. ibid. Cic. libr. 1. de Orator. Aul. Gell. libr. 5. cap. 3. & 10. & Diog. Laërt. libr. 9. [d] Quintil. ibid. Suid. in V. Πρόδικος, Plato in Theage, & Cic. in Brut. sive de Clar. Orat. [e] Plat. in Phædr. & Prot. & Philostr. in Vit. Sophist. & Cic. de Orat. l. 2.

& sophistæ elati, quàm oratores fuerunt. Serò tandem in Asiâ [a] oratores dicendi laude præstiterunt; qui tamen [b] effusi nimis, & redundantes illam solis concessam Atticis sanitatem, & succum orationis non sunt assequuti; castigatiores his [c] Rhodii, neque tamen cum Atticis comparandi, qui soli prope omnium concessu oratoris nomen meruerunt. Idem usuvenit in Latio, tot urbes latinæ ingeniis, & studiis, & Romanæ linguæ nitore floruerunt; nemo tamen, nisi Romæ, clarus orator, quum in omni Latio dicendi facultas magno in pretio haberetur, studia verò doctrinæ acriora, & otii plus esset in Latio, quàm Romæ. Ex quo intelligi puto, quanta sit res
9 magnus orator, qui nec omni tempore,
nec ubique nascatur. Ac ne quis existimet oratorum paucitatis causam fuisse præmiorum tenuitatem, eorumque, qui se ei disciplinæ dederent, paucitatem; hoc loco [d] Tullius asseverat fuisse maxima eloquentiæ præmia & in Urbe, & Athenis, & in totâ Græciâ constituta. Quæ magnitudo præmiorum omnes, qui ingenio præstabant, ad studium dicendi excitabat; idcirco vota parentum nihil aliud expetebant, quàm ut filii in eloquentiæ studiis eminerent; ad oratoriam artem colendam omnium exhortationes adolescentes inflammabant; & alia studia, quæ non eò tenderent, cogebant omittere; quod [e] Ovidius queritur, qui mansuetioribus Musis delectabatur, his verbis:

Sæpe pater dixit: studium quid inutile tentas?
Mæonides nullas ipse reliquit opes.
Motus eram dictis, totoque Helicone relicto
Scribere conabar verba soluta modis,
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos;

& Juvenalis [f] testatur his versibus:

Eloquium, ac famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam.

Quæ cupiditas parentum faciebat, ut inter-
10 dum adolescentes, antequam bonis artibus
ingenium satis excoluissent, ad causas orandas impellerentur; ob eamque causam eloquentiæ minorem sibi laudem compararent; testatur id Petronius [g] Arbiter, qui *parentes*, inquit, *objurgatione digni sunt, qui nolunt Liberos suos severâ lege proficere &c. quum ad vota properant, cruda adhuc studia in forum propellunt*. Utinam non id hodie quoque vel maximè usuveniret, omnes Liberos, eosque, quos caros habent, in quibus est ingenium excellentius, & indoles apta doctrinæ, volunt ad jurisprudentiæ, vel medicinæ gloriam pervenire; nec intelligunt, quanto disciplinarum apparatu eæ facultates comparentur; quantâ rerum scientiâ oporteat abundare Medicum non vulgarem, vel præstantem Jurisconsultum. Quapropter nullis artibus institutos, nullâ cognitione rerum instructos facultates profiteri, quas nesciunt, cogunt; ideo evadunt clamatores odiosi, aucupes syllabarum, non veri juris, germanæque justitiæ sacerdotes: evadunt circumforanei Medici, & qui impunè homines occidant, non qui artem exerceant humano generi salutarem. Sed eò, unde sumus
digressi, revertamur; multitudo avidè ap- 11
petentium eloquentiæ studia magnitudine præmiorum invitabatur; nam licèt omnes artes præclaræ & pretiis operum ingentibus, & eximiis honoribus olim afficerentur; quæ hoc ævo nemini sunt proposita, nisi rabulis, & leguleiis; neque enim Jurisconsultos possumus appellare, qui plerumque in foro dominantur; licèt, inquam, omnes artes præmiis, & debitâ laude non caruerint, ea tamen cum præmiis, quæ tributa sunt eloquentibus, comparari nullo modo possunt. Scio philosophiam tan-
tis honoribus affici solitam, ut Græciæ, quæ 12
Magna est appellata, philosophi Pythagorei Respublicas administrarent; Platonem rogatum, ut [h] Cyrenensibus, & Arcadibus leges daret, recusasse, quum alteros esse nimis voluptatibus deditos, alteros æqualitatem respuere comperisset; Magnesiis autem [i], & Siculis leges condidisse; ac tantum auctoritate valuisse, ut [l] Dionem ad evertendam Dionysii tyrannidem impelleret; ab ipsoque Dionysio tantis honoribus cumulatum, ut neminem pluris, quàm Platonem fecisse dicatur; & quum [m] Plato, quasi quodam triumpho sapientiæ, per urbem Syraculas veheretur, ipsum illum tyrannum superbissimum, potentissimumque aurigæ ministerium ipsi præbuisse: scio
Heraclitum [n] Ephesiis leges constituere 13
potuisse a Magno Persarum Rege accersitum propositis amplissimis præmiis, & primis apud Persas honoribus; Protagoram [o] Thurio-

[a] Cicer. de Claris Orat. [b] Petron. Arbit. in Satyr. [c] Cicer. ibid. & in Oratore ad Brutum. [d] Idem de Orator. libr. 1. [e] Ovid. libr. 4. de Trist. Eleg. 10. [f] Juven. Sat. 10. vers. 113. [g] Petron. Arb. in Satyr. circa initium. [h] Ælian. Var. Hist. libr. 12. cap. 30. & Plutarch. ad Principem inerudit. in princip. [i] Alexand. ab Alex. libr. 6. cap. 10. [l] Plutar. in Libello: non posse suaviter vivi secundùm Epicur. Ælian. Var. Hist. libr. 3. c. 17. Plutarch. in Dion. & Cic. libr. 3. de Orat. [m] Plinius. libr. 7. cap. 30. & Solin. cap. 7. Ælian. ibid. libr. 4. cap. 18. [n] Diog. Laërt. in Vit. Heracliti segm. 2. & segm. 14. & Clem. Alex. Stromat. l. 1. [o] Heraclid. Pont. apud Diog. Laërt. in Vit. Protagoræ segm. 50.

riorum Rempublicam legibus temperasse; Empedocli [a] Regnum oblatum ultro fuisse; Zenonem [b] ab Atheniensibus aureâ coronâ donatum magnifico cum elogio; ad hunc audiendum Antigonum Regem frequenter solitum Athenas commeare; nec unquam, ut ad se veniret, precari destitisse, nec impetrare potuisse; Xenocratem ab [c] Alexandro domitore Orbis terrarum missis legatis, & quinquaginta talentis esse cultum; submissos [d] Pompeji fasces trium Orbis partium victores foribus Posidonii inclyti sapientiæ professoris; Senecam termillies sestertiûm ex liberalitate [e] Neronis possedisse. Multa præterea Philosophis tributa præmia, honoresque amplissimos, & singulares, ut ad alios veniam aliquando, de quibus crastino die verba faciam.

DISSERTATIO X.

De Præmiis Oratorum.

Plinius artem Medicorum ipsis Imperatoribus imperare dixit. Chœrilus pro singulis versibus singulis aureis nummis philippeis ab Alexandro donatus est. Pindari ædibus Alexander, quum Thebas everteret, pepercit. Virgilius liberalitate Amicorum centies sestertiûm possedit; & ejus carminibus in theatro lectis populus Romanus universus assurrexit; quæcumque autem ab Augusto peteret, impetrabat. Isocratis oratio panegyrica Philippum, & Alexandrum ad evertendum Persarum Imperium concitavit. Dio Chrysostomus, & Trajanus Imperator eodem plerumque curru per Urbem vehebantur.

EST Ciceronis locus initio libri primi de Oratore, ubi summus Auctor his utitur verbis: *ac ne illud quidem verè dici potest, aut plures ceteris artibus inservire, aut majore delectatione, aut spe uberiore, aut præmiis ad perdiscendum amplioribus commoveri.* Hæc Ciceronis verba illustrantes affirma-
1 vimus nulli generi hominum doctrinæ studiis deditorum ampliora, quàm oratoribus, præmia fuisse attributa; quod non idcirco protulimus, quòd simus obliti, quantis laudibus, quanta admiratione, quantisque muneribus Veteres omnes bonas artes, & disciplinas celebrarint, & affecerint; & superiore quidem dissertatione diximus de honoribus, & præmiis philosophorum; nunc de his, quibus ceteræ facultates afficiebantur, verba faciemus; neque ea tamen cum præmiis oratorum conferri posse dicemus. Et artem quidem medendi quis nescit, in quanto sui studiosos fastigio collocarit; quæ enim Græca, vel barbara natio non suspexit Hippocratem? Illum [f] Græciæ urbes universæ tanquam salutare quoddam sidus aspiciebant: Perdicca Rex Macedonum tanquam præsentem Deum intuebatur: ejusdem famâ Rex Regum [g] Artaxerxes excitatus ad se accersendum, & divitiis cumulandum, quantas posset optare, curavit; pollicitus altissimum dignitatis gradum, pollicitus amicitiam suam, pollicitus honoris amplitudinem tantam, quantam summi Persarum proceres obtinebant; nec quidquam molestiùs tulisse fertur, quàm suas preces esse ab Hippocrate repudiatas. Quid Democedes [h] Crotoniensis Medicus? nonne & Ma- 2
gni Regis Persarum gratiâ floruit, qui eo usus est valde familiariter, & tantis opibus, & honoribus est auctus, ut nemini Persarum jure posset invidere? quid [i] Oribasius? nonne ab Imperatore Romano in exilium pulsus, quum se ad Persas contulisset, ab eorum Rege munificè exceptus dignitatem summam, summumque splendorem est consequutus? Quid ego nunc dicam, quum exilia Medicorum tam fuerint fortunata, Erasistratum sanato semel Antiocho [l] Rege centum talenta mercedem curationis accepisse? quid Stertinium quingenis [m] annuis a principe Claudio ditatum, ejusque fratrem tantas opes congessisse, ut & Neapolim publicis operibus magnificè exornaret, & sestertiûm trecenties heredi reliquerit? Sed ars Medicorum semper fuit quæstuosa; nec mirum est au-
ctam esse honoribus artem, quæ, ut [n] ait 3
Plinius, ipsis Imperatoribus imperabat; poetas verò quis credat ad summas opes, & summam potentiam, & honores pervenisse? & tamen [o] scimus Chœrilum poëtam non admodum præcellentem pro singulis ver-

[a] Diog. Laërt. in Vit. Empedocl. libr. 8. segm. 63. [b] Idem in Vit. Zenonis libr. 7. segm. 6. Ælianus libr. 12 cap. 25. Var. Hist. [c] Cicer. libr. 5. Tusculan. Plutarch. in Vit. Alexandri Magn. [d] Solinus in Polyhist. cap. 7. & Plin. libr. 7. cap. 30. [e] Cornel. Tacit. libr. 13. Annal. [f] Suid. in Voc. Ἱπποκράτης. [g] Idem eodem loco. [h] Herodot. libr. 3. cap. 132. [i] Eunapius in libr. Sophistar. [l] Plin. Histor. Nat. libr. 29. cap. 1. [m] Plin. ibid. [n] Plinius libr. 24. cap. 1. [o] Hesychius Milesius in Voce Χοίριλος, & Suidas in eadem Voce de quodam Chœrilo eleganti poëtâ ab Archelao Rege pro singulis versibus aureo statere donato, sed de Chœrilo poëtâ malo Horatius Epistolâ prim. libro 2.

versibus singulis aureis nummis philippeis ab Alexandro Rege donatum; Pindarum, & [a] Simonidem Hieroni Regi fuisse intimum; Euripidem [b] Archelai Regis amicitiâ floruisse; ædibus Pindari [c] Alexandrum, quum Thebas everteret, pepercisse; Virgilium [d] centies sestertiûm ex liberalitate amicorum possedisse; ejus [e] carminibus in theatro lectis populum Romanum universum assurrexisse; ab Augusto, quæcunque peteret, impetrasse; eidem Principi Horatium [f] fuisse carissimum; Oppianum dena [g] millia unciarum auri præmium poëmatis ab Antonino Pio accepisse. Sed

4 hæc, aliaque scriptoribus, & sapientibus delata munera, & honores cum oratorum præmiis comparari non posse quivis facilè potest animadvertere; siquidem etiam eos, qui Rempublicam rhetores non attingebant, docendâ arte divitias ingentes ferunt cumulasse. Gorgiam [h] igitur Leontinum constat tantam opum vim instituendis adolescentibus esse consequutum, ut statuam ex auro solido, quum esset eâ tempestate auri magna penuria, Delphis donum Deo dedicarit; Isocratem [i] a Nicocle non opulento Rege pro unâ oratione, quam ad ipsum scripsit, viginti talenta accepisse; & erudiendis adolescentibus ditissimum evasisse; ferunt [l] etiam ejus panegyricam orationem tantum apud Græcos habuisse ponderis, ut & Philippum, & Alexandrum Reges ad evertendum Persarum Imperium concitarit; Dionem [m], qui Chrysostomus est appellatus, apud Trajanum Cæsarem plurimum gratiâ, & auctoritate valuisse; cum quo tam familiariter vixit, ut eodem plerumque curru Cæsar, & Dio per Urbem veheretur. Sed hi umbratili illâ ratione dicendi satis claritatis, & opum sunt conse-

5 quuti; quid illi, qui e ludo, & umbrâ in campum, & pulverem, lucemque forensem prodierunt? nonne [n] Periclem tonantem eloquio, & fulminantem Athenæ sunt tantopere admiratæ, ut quadraginta annos non vi coactæ, sed sponte, & illecebris orationis delinitæ ab ipso regerentur; eoque aculeo, quem in auditorum animis Periclis eloquentiam Comici [o] testantur reliquisse, incitatæ in ejus viri obsequium sine respectu propemodum libertatis agebantur? nonne [p] Alcibiades in hujus quasi sinu educatus tantum dicendo potuit, ut nullum imperium, nullam non potentiam sit consequutus; cujus ingenio Athenienses ita delectabantur, ut eo carere non possent; ita vim pertimescebant, ut diutiùs hominem ferre non possent. Magni etiam Theramenes [q] eadem ætate, & Critias [r] fue- 6 runt, & eloquentiæ præmia tulerunt amplissima, præclaram potentiam, excellentem dignitatem, & Patriæ suæ principatum: magnus [f] Demetrius Phalereus, qui, quum e Theophrasti scholâ prodiisset, insignis orator eloquii suavitate ita populum Atheniensem sibi devinxit, & conciliavit, ut in ejus honorem trecentas, atque sexaginta statuas erexerit, & constituerit; quem regnantem quum popularis invidiæ procella perculisset, & civitate ejecisset, a fortunâ perculsum, & abjectum eloquentiæ, & doctrinæ admiratio erexit; & tantopere Ptolemæo Regi commendavit, ut ejus casus, & ruina potentissimorum hominum fastigio altior fuisse videatur. Sed quum hodierno die satis multa dixerimus, hæc de præmiis oratorum suscepta disputatio in aliud tempus differenda est.



D I S-

[a] Ælian. libr. 9. cap. 1. Var. Histor. [b] Suidas in V. Εὐριπίδης. [c] Arrianus libr. 1. & Ælian. libr. 13. cap. 7. Var. Histor. [d] Auctor Vitæ Virgil. & Budæus de Asse libr. 3. [e] Auctor Dialog. de Oratoribus, seu de Causis corruptæ Eloquent. [f] Suetonius in Vitâ Horatii. [g] Suid. in V. Ὀππιανός. [h] Cicer. de Orator. libr. 3. Plinius libr. 33. cap. 4. & Hermippus apud Athenæum libr. 11. c. 15. [i] Plutarch. in Vitis X. Orator. cap. 4. & Plin. libr. 7. cap. 30. [l] Plinius libr. 7. cap. 30. Plutarchus in Vitâ Isocratis, & Ælianus Var. Hist. libr. 13. cap. 11. [m] Suidas in V. Δίων ὁ Πασικράτους. Philostrat. de Vit. Sophist. libr. 2. & Photius Biblioth. cod. 209. [n] Aristophan. in Nubib. Plin. libr. 1. Epist. ad Corn. Tacit. Cicer. in Orator. ad Brutum, & Quintil. Instit. Orat. libr. 12 cap. 10. [o] Eupol. apud Cicer. in Bruto, sive de Clar. Oratorib. [p] Plutarch. & Cornel. Nepos in Vit. Alcibiadis. [q] Thucyd. libr. 8. & Xenoph. libr. 2. de Rebus Græcor. & Cicer. libr. 3. de Orator. & in Bruto, sive de Clar. Orator. [r] Dionys. Halicarnass. de Antiquis Rhetor. in Isæo, & Cic. libr. 2. de Orator. [f] Plin. libr. 34. cap. 6.

DISSERTATIO XI.

Eodem super argumento.

Philippus Æschinem sibi muneribus conciliavit, ut Demostheni opponeret, qui contra ipsum tantam belli molem conciverat, ut Postippus Demosthenem etiam victor exhorruerit; quare Persarum Rex ingentem pecuniæ vim Demostheni misit, ut Philippum Asiæ bellum inferre meditantem in Europâ detineret; & Alexander antequam ad bellum Persicum proficisceretur, sibi Demosthenem dedi postulavit, nec ab Atheniensibus obtinuit.

ILlustrari foro viros [a] Homeros nos
docet, qui forum semper appellat eo
vocabulo, quo significat in concioni-
bus exsplendescere virorum pruden-
tiam, nobilitarique virtutem; idcirco
ἀγορὴν, quo nomine Græcis *forum* nuncu-
patur, κυδιάνειραν vocat. Est igitur etiam
1 heroicis temporibus, Auditores, institu-
tum, ut oratores a concionibus, & foro
summam gloriam, splendorem, potentiam
reportarent; id noster Auctor affirmat, qui
majora semper oratoribus præmia, quàm
ulli generi hominum litteratorum fuisse di-
cit in omni libero populo constituta; qui-
bus omnes ad eloquentiæ studium invita-
rentur. Hunc locum Ciceronis illustran-
tes, quantas opes veteres oratores sibi para-
re solerent, narravimus; & ultimo loco de
Pericle, Alcibiade, Theramene, Critiâ,
Demetrio Phalereo [b] diximus; quos, quum
eloquentiâ excellerent, rerum potitos af-
firavimus; nunc de reliquis oratoribus
Græcis, ac mox de Latinis verba faciemus;
& quantum honoribus, opibus, gloriâ in
suis civitatibus eloquentiæ beneficio flo-
ruerint, ostendemus, ut appareat verissi-
mum [c] Ciceronis esse dictum, nullam ar-
tem amplioribus præmiis affici solitam,
quàm eloquentiam. Nam hi, quos hacte-
nus nominavi, etsi magnitudinem suam e-
loquentiæ magnâ ex parte debuerunt, ta-
men vel gravitate morum, vel generis cla-
ritate, vel rebus gestis, vel opibus insignes,
aliis dotibus meruerant locum, quem di-
cendi vi, & copiâ tenuerunt; Æschines [d]
2 autem e ludi magistro natus, eloquentiâ
fretus ad summas opes, potentiamque per-
venit. Hunc Philippus, maximus eâ tem-
pestate, & potentissimus Europæ Rex
muneribus amplissimis sibi conciliavit, &
ad suam causam traduxit ratus plus opis in
ejus eloquentiâ suis rebus esse, quàm in
exercitu, quo circumfundebatur. Nec ea
res falsum habuit Regem prudentissimum;
nam quomodo Demosthenis potentiæ re-
stitisset, nisi illud rhetorum par de Repu-
blicâ dissentientium commisisset? qui quum
Æschinem, aliosque rhetores Demusthe-
nis eloquentiæ tum maximè dominanti op-
posuisset, ejusque bene consulta illis adni-
tentibus pervertisset, multasque urbes, &
loca opportuna Atheniensibus ob Æschi-
nis perfidiam conniventibus occupasset,
magnamque potentiam sibi circumdedis-
set, vix restitit. Nam [e] Demosthenis divina
quædam dicendi vis quum Græciam uni- 3
versam commovisset ad libertatem tuendam
adversùs Macedonum arma, tantam belli
molem repente concivit, ut Philippi for-
tuna in summum fuerit adducta discrimen;
quod bellum quàm ipsi pertimescendum
fuisset, quantumque momenti eloquentia
Demosthenis habuisset, ipse Philippus de-
claravit; qui Chæronensi prœlio victor,
quum magnitudinem præteriti periculi re-
putaret, oratoris vim dicitur exhorruisse:
declaravit & Magnus [f] Persarum Rex, qui
statim misit Demostheni ingentem pecu-
niæ vim, quò Philippum Asiæ bellum in-
ferre meditantem in Europâ detineret; ita
oratorum afflicta fortuna magnorum Regum
opibus ambiebatur: declaravit [g] & Magnus
Alexander, qui antequam in Asiam ad bel- 4
lum Persicum proficisceretur, Demosthe-
nem sibi dedi postulavit ratus haudquaquam
se posse Persarum potentiam evertere, nisi
Rhetoris vim e medio sustulisset. Quantam
putamus fuisse Oratoris potentiam, quam
Alexander ipse, qui totum Orbem terra-
rum non timuit, pertimescebat? servasset
Alexander [h] Darium, nisi a Besso fuisset in-
teremptus; certè servavit ejus Liberos, ser-
vavit [i] Porum bellicosissimum Regem, &
regnare jussit; solum Demosthenem tollen-
dum esse censuit; & qui totius Orientis
arma contempsit, Oratoris verba reformi-
davit. Neque tamen Atheniensibus custo-
dem, defensoremque libertatis retinentibus
id consequutus est; & hoc solum voluit,
& non potuit Alexander; ex quo intelligi
potest, quantum Athenienses putarent in
Demosthene præsidium Reipublicæ consti-
tutum, quem [l] Alexandro petenti non
concesserunt. Eadem, qua [m] Demosthe-
nes,

[a] Homer. Iliad. α. v. 490. [b] Superiori Dissertat. [c] Cicer. de Orator. libr. 1. 2. [d] Ælian. Var. Hist. libr. 8. cap. 12. & Plutarch. in Vitis X. Rhetor. in Vitâ Æschin. cap. 6. [e] Plutarch. ibidem in Vitâ Demosth. cap. 8. [f] Plutarch. ibid. in Vitâ Demosthen. [g] Arrian. libr. 1. de Exped. Alexandr. [h] Idem libr. 3. [i] Idem libr. 5. & Plutarch. in Vitâ Alexandri. [l] Arrianus libr. 1. de Exped. Alexandr. [m] Idem eodem libro.

5 nes, ætate Polyeuctus, Ephialtes, Lycurgus, Mœrocles, Demon, Callisthenes, Dinarchus, Hyperides, Demades floruerunt; qui omnes præclarâ potentiâ Rempublicam administrarunt; & ut rem paucis expediam, nemo fuit magnus orator, qui non in administrandâ Republicâ magnus haberetur; nemo ferè in administrandâ Republicâ magnus, quin aliquid dicendo potuerit. Nam & [a] Themistocles, & [b] Aristides, & Demosthenes ille antiquior oratore non ineloquentes fuerunt; omnes, qui ad Rempublicam accedebant, e rhetorum ludo, palæstraque prodibant; idcirco Græci oratores πολιτικοὺς appellabant, quasi ejusdem esset facultatis & Rempublicam regere, & populum dicendo tenere; qui autem apud Græcos legum scientiam profitebantur, hi pragmatici [c] vocabantur, oratoribus ministrabant, nec magno sanè in pretio habebantur. Nec apud Romanos minùs o-
6 ratorum eloquentia dominata est, minusque & opibus, & honoribus floruit; testis [d] Gracchorum, testis Saturnini potentia, testis [e] Carbonis in Republicâ tractandâ violentia; qui tantum apud plebem dicendo potuerunt, ut nobilitatis opes penè labefactarint. Sed in populari, & turbulentâ ratione versati, quum senatum offendissent, & Rempublicam evertere, & res novas moliri viderentur, immaturo exitu conciderunt; quæ res & Sulpicium, & Cottam afflixit egregiæ spei adolescentes, & qui summam essent eloquentiæ gloriam, ejusque fructum summas opes consequuti, si turbidis consiliis tuta prætulissent. Sed meliores partes, & meliora consilia sequuti [f] Crassus, & [g] Antonius nullâ aliâ re, quàm eloquentiâ summos honores adepti sunt; & populum Romanum terrarum dominum pro arbitratu suo rexerunt; eadem arte [h] Hortensius regnum fori tenuit, eadem arte omnes, qui eloquentiâ præstiterunt tribunitias potestates, præturas, consulatus, sacerdotia sunt assequuti.



DISSERTATIO XII.

Eodem super argumento.

Pompeji magnitudinem auxit Cicero, & Augustum ad summam potentiam evexit. Principibus suspecta est eloquentia; idcirco Cæsares auctoritatem oratoribus ademerunt, & Jurisconsultis addidere. Eprius Marcellus, & Vibius Crispus eloquentiâ termillies sestertiûm, hoc est septuagies quinquies centena millia nostratium aureorum compararunt; Cnæus Lentulus, quum Augusti amicitiâ quater millies sestertiûm possedisset, querebatur se eloquentiæ studio plura consequi potuisse.

Aptissimè Tullius præcepta dicendi traditurus, quantum sit opus oratoris, & quam difficulter ea facultas comparetur, ostendit; facitque idem, quod medicinæ princeps [i] Hippocrates, qui brevia quædam effata, quibus medendi ratio continetur, editurus præfatur artem esse longam, aliasque difficultates proponit, quæ tendentibus ad summam medicinæ præstantiam solent esse impedimento. Quod
non mehercule summus Auctor facit, ut 1
adolescentes ab eloquentiæ studiis deterreat; sed ut cognitâ rei magnitudine subsidio sibi diligentiam comparent, earum artium præsidia quærant, sine quibus non possumus ad aliquam dicendi gloriam pervenire. In quo illud est artificiosum, quod quum ex oratorum paucitate oratoriæ facultatis difficultatem ostenderit, hanc paucitatem non ex tenuitate præmiorum, quæ eloquentibus proponuntur, provenisse confirmat; & ita demonstrat ampliora, quàm reliquis disciplinis, fuisse eloquentiæ semper præmia constituta; & sic eadem operâ ostendit artis magnitudinem, & amplitudinem præmiorum; ut, siquos avertat a studio difficultas, invitet bonorum magnitudo, quæ arte comparantur. Nos autem, ut Ciceronis verba enarraremus, multorum exempla protulimus, qui summas opes eloquentiæ beneficio sibi paraverunt; quod & hodierno die faciemus, Auditores; sed obruimur numero eorum, qui hac viâ ad magnam potentiam, dignitatem, divitias, gloriam grassati sunt. Quis enim vel mediocris orator 2
in Romanâ Republicâ non hæc omnia est asse-

[a] Plutarch. in Vit. Themistocl. [b] Idem Plutarch. in Vit. Aristidis. [c] Cicer. de Orator. libr. prim. Quintilian. libr. 3. cap. 6. Juvenal. Sat. 7. v. 124. & Budæus ad Pandectas in Annotat. reliquis cap. Moris. [d] Plutarch. in Vit. Tiber. & C. Gracchi.

[e] Idem in Vit. Caji Marii. & in Vit. Pomp. [f] Cicer. de Orat. libr. 3. in princ. [g] Cic. in Bruto, sive de Clar. Oratorib. [h] Idem ibidem in princip. [i] Hippocrat. Aphorism. libr. 1. in princ.

assequutus? operæpretium est evolvere Ciceronis de claris oratoribus librum; nullum ferè, qui in aliquo numero fuerit, oratorem invenias, qui summos magistratus non gesserit, provincias non rexerit; qui præmium eloquentiæ summam auctoritatem, potentiamque non tulerit; ipsi duces hac facultate gratiam apud populum, imperia, magistratusque quæsiverunt. Ita [a] Catulus, ita [b] Pompejus, & [c] Cæsar hominibus eloquentiâ conciliatrice sunt commendati. Sed omnium eloquentiam [d] Cicero &
3 pulchritudine operum, & præmiorum magnitudine superavit; huic homini novo omnes honorum gradus emenso Populus Romanus consulatum demandavit, & nobilitatis claustra illa refregit, quibus homines nobiles aditum ad summos magistratus plebi obsæptum esse voluerant. In hoc autem Tullius amplissimo dignitatis gradu collocatus quantum eloquentiâ potuit, quam rem non confecit! hoc [e] dicente legem agrariam, hoc est alimenta sua abdicaverunt tribus: hoc suadente, Roscio legis theatralis auctori ignoverunt: hoc orante proscriptorum Liberi a petendis honoribus destiterunt: hic [f] Catilinam exitium Patriæ molientem ejecit ex Urbe; Antonium libertatem populo Romano redditam labefactantem proscripsit: hujus in-
4 genio est aucta Pompeji magnitudo; nam & [g] summum imperatorem ad Mithridaticum bellum cum summo imperio misit; & imminente fame, quum auctor populo fuisset, ut Pompejo rei frumentariæ curam demandaret, ejus viri mirum in modum auxit dignitatem. Nec Octavianus Augustus alio auctore summam est potentiam consequutus; nam annitente Cicerone præturam pæne puero decrevit senatus: annitente Cicerone veteranum exercitum tenuit; quo ille tamen ingratus in Ciceronem, quo fuerat usus præceptore, ingratus in Patriam sibi, non Patriæ imperium vindicavit; Ciceronem proscribi passus est; in servitutem Patriam redegit; tanta in unius eloquentiâ vis fuit, ut neque libertas defendi, neque labefactari, nisi ejus ope potuerit. Constituto autem Romæ
5 principatu, quasi nervi succisi sunt eloquentiæ; non enim regnantibus tutum est esse homines, qui animos possint dicendo commovere; qui libertatis amissæ populum admonere, superbiamque, & sævitiam imperantium vel obliquè carpere, vel etiam palam, quum fuerit opportunitas, accusare; quos multitudo suspiciat, quos sequatur auctores, quorum ex arbitrio pendeat, nutumque, & voluntatem observet. Idcircò Principibus suspecta eloquentia, quia privatis potentiam apud populum parat; & in liberis civitatibus, non in servientibus semper dominata est. Itaque Cæsares oratoribus multum auctoritatis ademerunt, & Jurisconsultis addidere; ut populus litibus contereretur, & fori tabes ægram civitatem a Reipublicæ curâ ad privatas lites, & contentiones, & jurgia converteret. Nec
tamen oratorum deflorescente fortunâ de- 6
fuerunt, qui & opes eloquentiæ beneficio immensas cumularent, & honoribus augerentur; siquidem constat Eprium Marcellum, Vibiumque [h] Crispum termillies sestertiûm, hoc est septuagies quinquies centena millia nostratium aureorum eloquentiæ debuisse. Notum est [i] Cnæum Lentulum Augusti amicitiâ locupletatum quater millies possedisse; quibus opibus privatas excedentibus auctus de Augusto querebatur, se ab eloquentiæ studio ejus auctoritate abductum, quum plura consequi posset, si ad causas orandas accessisset. Ineptè quidem ille se divitias tantas congesturum fuisse credidit, si reos defendisset; nam hebetissimo usus est ingenio, & linguâ hæsitante; adeo, ut [l] Seneca de eo argutè dixerit, eum, quum esset avarissimus, faciliùs tamen nummos, quàm verba protulisse; sed ostendit tamen, quantæ opes parari possent eloquentiâ; quum præ illis quater millies sestertiûm, hoc est centies centena millia nostratium aureorum contempserit. Neque enim in eo reprehenditur, quod oratorem posse tantas opes eloquentiâ quærere, sed quod se hebetem, & bardum, & balbum,
oratorem fieri posse existimarit. Sed quid 7
opus est dicendo persequi, quantum opum oratores veris causis agendis, & periculis civium propulsandis fuerint consequuti? quum illi, qui ingenia juvenum de scholis exercebant, artemque dicendi docebant, tam amplis mercedibus afficerentur; cujus rei unum exemplum satis est attulisse: Eumenio [m] rhetori annuâ sexcena mercedem docendi accepimus constituta.

DIS-

[a] Cic. libr. 3. de Oratore, & in Bruto, sive de Claris Orator. Plutarch. in Vit. Cicer. [b] Plutarchus in Vitâ Pompeji in princ. [c] Cicer. libr. 3. de Oratore, & Suet. in Vit. Cæsar. cap. 55. [d] Plutarch. in Vit. Cicer. [e] Idem Plut. in Vit. Cicer. & Plin. libr. 7 cap. 30. [f] Sallust. in Catilin. [g] Cic. pro Lege Maniliâ, & pro Murenâ. [h] Vetus Juvenal. Scholiast. ad Satyr. 4. v. 81. *venit & Crispi jucunda senectus*. Vid. Justum Lips. in Excursu ad libr. 12. Annal. Cornel. Tac. [i] Senec. de Benef. libr. 2. cap. 27. & Suet. in Vit. Tiberii cap. 49. [l] Senec. ibid. [m] Eumen. in Oration. quæ exstat. Vid. Lips. de Magnitudine Roman. libr. 4. cap. 10. & in Monitis, & exemplis polit. cap. 18.

DISSERTATIO XIII.

Qua idem argumentum continetur; & an verè Athenæ omnium artium inventrices dicantur a Cicerone, dubitatur.

Æsopus histrio in unâ patinâ sexcenta absumpsit, & ducenties sestertium moriens filio reliquit. Druydæ philosophi Gallorum animas immortales affirmarunt. Ægyptii Vulcanum principem Mortalibus philosophiam ostendisse ferunt; & inter eum, & Alexandrum Macedonem annorum quadragintaocta millia, & octingentos sexaginta tres numerari fabulantur; quibus defecisse treeenties septuagies ter Solem; Lunam autem octingenties tricies bis asserunt.

ANtequam Romanorum libertas coneideret, eloquentiæ studia floruisse, interitu libertatis interjisse dicendi facultatem affirmavimus; nec tamen, servientе Cæsaribus Orbe terrarum, & eloquentiâ animorum dominatrice in servitutem redactâ, & ad turpes adulationes compulsâ, non multos ejus beneficio emersisse; qua
1 occasione sumptâ de nonnullorum oratorum immensis opibus diximus; nunc de honoribus, quos disertissimi viri licèt eversâ jam Republicâ sunt adepti, dissеremus; tum, cujus causâ suscepta hæc est oratio, conclusum esse a Cicerone verissimè, quum longè plurimi incenderentur ad studium dicendi magnitudine præmiorum, & paucissimi id, quod voluerunt, sint consequuti, hujus paucitatis non aliam esse causam, quàm rei difficultatem asseverabimus; & unde hæc difficultas oriatur, dicemus; & ad extremum addemus nonnulla, de quodam loco, ubi Tullius [a] Athenas omnium artium inventrices appellat. Non igitur honoribus augeri diserti quamvis perditâ Republicâ destiterunt; declarant
2 id Asinii Pollionis, Messalæ, Silii Italici oratoris, & poëtæ clarissimi, Plinii, Taciti, & Ausonii consulatus; quantâ verò famâ, quibus vulgi sermonibus celebrarentur eloquentes viri, demonstrat satis his verbis Auctor de causis corruptæ eloquentiæ: *quæ fama, & [b] laus cujusvis artis cum oratorum gloriâ comparanda est, qui non illustres in Urbe solùm apud negotiosos, & rebus intentos; sed etiam apud juvenes, & adolescentes, quibus morum indoles est, & bona spes sui? quorum nomina priùs parentes Liberis suis ingerunt? quos sæpiùs vulgus imperitum, & tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat, & digito demonstrat? advenæ quoque, & peregrini jam in municipiis suis, & coloniis auditos, quum primùm Urbem attigerunt, requirunt, ac vultus agnoscere concupiscunt?* Idem ima- 3
ginibus honorari, titulis, & statuis tradit consuevisse; quod & Cornelius [c] Tacitus indicat libro secundo, ubi Historicus narrat senatum Germanico aureum clypeum eximiâ magnitudine inter auctores eloquentiæ censuisse; sed intercessisse Tiberium senatusconsulto, quum diceret eum honorem oratori, non Cæsari decerni; & ideo Germanicum ab aliis non esse distinguendum, satis honorificum ipsi, si inter veteres oratores conspiceretur. His autem præmiis, & opibus, & honoribus quum oratores cumularentur, ingens hominum ingeniosorum multitudo cupiditate comparandæ eloquentiæ inflammabatur; quum autem paucissimi dicendi facultate præstitissent, meritò effici Cicero [d] putat rem esse difficillimam eloquentiam. Nam si & in Græciâ, & Romæ in quolibet studio plures, quàm in arte dicendi, excellentes extitere; nec id accidit, quia pauci eloquentiæ studia amplecterentur; immo contra longè plures magnitudine præmiorum, & honoribus invitati in dicendi studio, quàm in aliis artibus, elaborarunt; certè nihil aliud causæ relinquitur oratorum paucitatis, quàm rei difficultas. Ut enim si multos aliquò tendere, & paucissimos ex multis eò pervenire videremus, difficultatibus obseptam esse viam suspicaremur; ita quum innumerabilem multitudinem inflammatam studio ad summum eloquentiæ fastigium contendisse, & exiguum numerum non in ipso apice constitisse, sed aliquantum processisse cognoscamus; quid aliud, quàm difficillimam esse viam, quæ ducit ad eloquentiam debemus opinari? Hanc autem difficultatem ex eo nasci Tullius [e] censet, 4
quod oratori sit assumenda scientia rerum plurimarum; sine qua futilis, inanisque copia, volubilitasque verborum; & verba ipsa disponenda, & sic aptè collocanda, ut concinnè cadant, & jucundè sonent; ne asperè concurrant, ne vastiùs hient, ne quibusdam quasi salebris orationis insistant; & ut se ambitus ipse verborum ambiat, atque comprehendat; discenda præterea vis humanæ naturæ, motus animorum excitandi, & componendi; omnis antiquitas memoriâ complectenda; assumendus quidam lepos, facetiæque libero homine

[a] Cicer. libr. 1. de Orat. [b] Auctor Dialogi de Causis Corruptæ Eloquentiæ n. 7. [c] Cornel. Tacitus Annal. libr. 2. n. 83. [d] Cicer. de Orator. libr. 1.

[e] Cicer. ibidem, & Auctor Dialogi de Causis corruptæ Eloquentiæ.

mine dignæ; quibus uti rectè est arduum inprimis; nam scurram esse quantumvis dicacem, & risum quoquo modo movere non est magna laus ingenii; sed oratoris gravitate servatâ esse facetum, & urbanum, & videre, ubi sit utendum sale, ubi abstinendum, quinam sint argutiis dictorum perstringendi, quibus parcendum, id & acuti hominis est, & prudentis, & maximè perspicacis; itaque ex duobus omnis ætatis,
5 & memoriæ excellentissimis oratoribus Demosthene, & Cicerone, in altero facetiæ defuerunt, in [a] altero nimis redundarunt. Multum præterea in actione elaborandum, quod quantum sit opus, histrionum artificio putat declarari. Et sanè perdifficilem esse artem histrionum populus Romanus judicavit, qui [b] Roscio mercedem diurnam denarios mille constituit; Æsopum autem histrionem tantis opibus cumulavit, ut quum luxuriosis sumptibus divitias immensas prodegisset, & in [c] unâ patinâ sexcenta absumpsisset, ducenties [d] sestertiûm
6 moriens filio reliquerit. Veruntamen hæc dubitationis habent nihil; illud ambigi jure possit, cur omnium doctrinarum Athenas inventrices vocet; nam multi Barbaros faciunt parentes omnium doctrinarum; & ut a philosophiâ principe disciplinarum ducamus exordium, antequam in Græciâ philosophi nomen audiretur, aut res celebraretur [e], Druydas apud Gallos philosophatos esse tradunt, animasque hominum immortales affirmasse; & apud Persas [f] Magos, apud Assyrios Chaldæos [g] rerum contemplationi deditos fuisse, & Ochum phœnicem [h], & Thracem Zamolxin, & Atlantem Africanum sapientiâ præstitisse; Ægyptii [i] verò Nili filium fuisse Vulcanum ferunt, qui Mortalibus philosophiam princeps ostenderit; hunc autem antiquissimum fabulantur; nam ab eo ad Alexandrum Macedonem [l] annorum quadraginta octo millia, & octingentos sexaginta tres numerari, quibus defecisse trecenties septuagies ter Solem; Lunam autem octingenties tricies bis Ægyptii asseverabant.

DISSERTATIO XIV.

Qua quæritur, an omnium disciplinarum inventrices Athenæ sint appellandæ.

Moyses antiquior habetur non solùm omnibus philosophis, sed etiam Diis Gentium; & Grammaticam docuit Hebræos. Aristoteles familiaritate cujusdam Judæi profecit in philosophiâ. Persarum Reges Ægyptios Medicos omnibus anteponebant, postea Crotonienses Ægyptiis prætulerunt.

SIcut Athenas primam in terris urbem extitisse Auctores Græci memoriæ prodiderunt; sic & omnes disciplinas ferunt invenisse principes. Id [m] Cicero in eo loco, quem explicamus, repetit, qui Athenas appellat inventrices omnium doctrinarum, quod
Ciceronis dictum ut illustraremus, Audi- 1
tores, diximus dubium esse posse, an Athenæ disciplinas omnes invenerint; philosophiam quippe videri inventum Barbarorum; quod exemplis earum nationum ostendimus, quæ dicuntur ante Græcos dedisse operam sapientiæ studiis; & ultimo loco exemplum attulimus Ægyptiorum, qui quadraginta octo millibus annorum, & amplius antequam Alexander [n] Magnus nasceretur, se se philosophiam invenisse gloriabantur; hodierno die & de philosophiâ, & de reliquis disciplinis disseremus, quarum se Barbari jactabant fuisse repertores. Et ut ab eo potissimùm exordiamur, de quo dicere cœperamus, non Ægyptii solùm innumerabilibus sæculis, antequam Græci philosophiæ studia attingerent, se ferebant philosophiæ disciplinas cognitas, & perspectas habuisse, sed & aliæ nationes. Nam
Zoroaster [o] Princeps ille Magorum, qui 2
Bactrianis leges condidit, & sapientiæ gloriâ floruit, & scientiâ rerum singulari; a quo ad [p] excidium Trojæ annorum quinque millia defluxisse Platonicus [q] Hermo-

[a] Macrob. Saturnal. libr. 2. cap. 3. [b] Idem libr. 3. cap. 14. Saturn. [c] Plin. libr. 10. cap. 51. [d] Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 14. [e] Totum id apud Diog. Laërt. in Procemio in princip. Cyrillus contra Julianum libr. 4. Cæsar de Bello Gallic. Comment. libr. 6. Cicer. de Divinat. libr. 1. & Plinius libr. 30. cap. 1. [f] Lucianus in Longævis, Origenes contra Celsum libr. 1. Porphyr. de Abstinent. libr. 4. Apulejus in Apologiâ primâ, Hesychius in V. Μαγὸν, Plato in Alcibiad. 1. Cicer. de Divination. libr. 1. [g] Diodor. Sicul. Biblioth. libr. 2. & Hesychius in V. Χαλδαίυς, & Cicer. de Divinat. libr. 1. [h] Suid. in V. Ω῎χος. [i] Cicer. de Natur. Deor. libr. 3. [l] Diogen. Laërt. in Procemio; aliter verò Diod. Sic. libr. 1. Biblioth. Vid. etiam D. August. de Civit. Dei libr. 18. cap. 40. & Plutarch. de Iside, & Osirid. & Apollon. Scholiast. ad libr. 4. Argonaut. [m] Cicer. de Orator. libr. 1. [n] Diogen. Laërt. in Procem. in princip. [o] Arnob. advers. Gent. libr. 1. [p] Plutarch. de Iside, & Osiride, & Plin. l. 30. cap. 1. ex Hermippo. [q] Hermodorus apud Diogen. Laërt. in Procem. in principio.

dorus tradidit; quæ tanta antiquitas, ut abhorreat a vero, ita ambigi non potest, quin priùs Barbari, quàm Athenienses, omnesque Græci fint philofophati. Nam [a] Mofes vetuftiffimus Hebræorum legumlator Ægyptiorum artibus inftitutus ab ipfis philofophiam fertur didiciffe; Moyfes autem antiquior habetur non folùm omnibus philofophis Græcis; verùm etiam Diis gentium, primifque illis hominibus, qui dicuntur e terrâ procreati; ut argumentis nihil dubii relinquentibus a [b] Clemente Alexandrino demonftratur; ex quo conftat Ægyptiorum philofophiam vetuftiorem effe, quàm Græcorum. Nec dubitari po-
3 teft, quin qui Græcis in fapientiæ ftudio facem prætulerunt, a Barbaris lumen fint mutuati; nam [c] Thales Milefius, qui philofophorum vetuftiffimus perhibetur, ab Ægyptiis doctus aquam effe rerum principium affirmavit; fed & ipfe barbarus fuit, quoniam [d] Phœnix, Phœnices autem barbari. Hunc autem qui audivit, Pythagoras [e] & ipfe ab Ægyptiis multa didicit, & a Pherecyde [f] Syrio, & ab Afsyrio Nazareto eft inftitutus; qui ipfe, fi nonnullis fidem habeamus, barbarus fuit natione, quum quibusdam [g] Auctoribus Tyrrhenus fuiffe dicatur; Tyrrheni verò barbari. Democritus [h] autem Abderitanus & Patriâ barbarus, & a Barbaris fertur edoctus; quapropter ipfe de fe fcriptum reliquit fe magnam terrarum partem obiviffe, plurimas regiones peragraffe per annos octoginta undique fapientiæ florem colligentem, virofque doctrinâ præftantes audientem. Et
4 fanè plerique Græcorum fapientes ad Barbaros dicuntur effe peregrinati, ut ab ipfis multa condifcerent; teftis [i] Lycurgus, qui antequam Rempublicam Spartanorum legibus temperaret, in Ægyptum navigavit, ut Ægyptiorum leges, & inftituta cognofceret: teftis Athenienfium [l] legumlator Solon, qui quum in Ægyptum veniffet, Ægyptiorum fapientiâ profecit: teftis Thales [m], qui eosdem fibi adeundos effe cenfuit: teftis [n] Pythagoras, teftis [o] Democritus, qui non folùm ad Ægyptios facerdotes, verùm etiam ad Perfarum Magos, ad Affyriorum Chaldæos, ad Gymnofophiftas Indorum funt peregrinati: teftis denique ipfe [p] Plato, qui difciplinæ causâ fufcepit easdem peregrinationes; quamvis ad Indos adire cupientem Afiæ bella atti- nuerint. Eudoxus [q] autem Gnidius Sophuchidis Ægyptii difciplinâ eft eruditus; 5
quin etiam Ariftotelem [r] ferunt cum quodam Judæo philofopho effe verfatum, ejufque familiaritate profeciffe; Barbarorum verò neminem ferè, nifi [f] Anacharfin, cupiditate fapientiæ in Græciam profectum accepimus; ob eamque caufam Græci a Barbaris, non Barbari a Græcis videntur didiciffe; & ab illis orta philofophia, a quibus antiquitus petebatur. Et fanè [t] Plato 6
barbaros philofophos agnofcit, & magnificè prædicat; nec dubitari poteft, quin apud omnes barbaras nationes vetuftiffimum fuerit philofophorum genus; nam præter eos, quos proximè fuperiore differtatione nominavi, apud Bactrianos philofophati funt [u] Samanæi; apud Indos Brachmanes, & [x] Gymnofophiftæ, apud [y] Æthiopes ejusdem nominis philofophi, apud Ægyptios, qui [z] vocabantur ἀρπεδονάκται. Sed & apud Getas, & Odryfios fuerunt philofophi, qui ἀπαθανατίζοντες dicebantur, fuerunt & [a] Semnothei apud Celtas, & Gallos; nec Arabes philofophis caruerunt, tefte Clemente [b] Alexandrino, nec Palæftini, atque Hebræi; quorum fapientes Effeni [c], Pharifæi, & Saducæi, ut auctor eft Jofe-

[a] Clem. Alexandrin. Strom. libr. 1. & Act. Apoftolorum cap. 7. v. 22. Phil. Jud. in Vit. Mofis in princip. [b] Clem. Alexandr. Stromat. libr. 1. [c] Idem eodem loco. [d] Diogen. Laërt. in Vitâ Thaletis fegm. 3. libr. 1. [e] Idem in Vit. Pythagor. libr. 8. fegm. 2. & Cicero Tufcul. libr. 1. [f] Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 1 Eufeb. de præpar Evangel. libr. 10. Porphyr. & Jamblic. in Vitâ Pythagor. & Diogen. Laërt. libr. 1. fegm. 119 in Vitâ Pherecyd. & libr. 8. in princip. in Vit. Pythagor. [g] Ariftoxenus apud Laërt. in Vit. Pythagor. libr. 8. fegm. 1. [h] Diogen. Laërtius in Vit Democriti libr. 9. fegm. 34. & Clem. Alexandr libr. 1. Stromat. [i] Plutarch. in Vitâ Lycurg. [l] Idem in Vit. Solonis, & Diogen. Laërt. in Vit. Solonis libr. 1. fegm. 50. [m] Diogen. Laërt. in Vit. Thalet. libr. 1. fegm. 3. & Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 1. [n] Diog. Laërt. in Vit. Pythagor. libr. 8. fegm. 3. & Clem. Alexandr. Stromat. libr. 1. [o] Diogenes Laërt. in Vit. Democriti libr. 9. fegm. 34. & Clemens Alexandr. Stromat. libr. 1. [p] Cicer. libr. 5. de Finib. & libr. de Senectut. Diogen. Laërt. in Vit. Platonis libr. 3. fegm. 6. & Clem. Alexandr. libr. 1. Stromat. [q] Diogen. Laërt. libr. 8. fegm. 86. in Vit. Eudoxi, Strabo libr. 17. Diodor. Sicul. Bibliothec. libr. 1. in fine, & Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 1. [r] Clearchus apud Clementem Alexandr. in 1. libr. Strom. [f] Ælian. Variæ Hift. libr. 5. cap. 7. & Diog. Laërt. libr. 1. fegm. 101. in Vit. Anacharfis. [t] Clem. Alexandr. libr. 1. Stromat. [u] Clem. Alex. ibid [x] Clem. Alex. ibid. & Porphyr. de Abftinent. libr. 15. [y] Philoftrat. libr. 1. cap. 1. & libr. 6. cap. 4. [z] Clemens Alexandr. Stromat. libr. 1. [a] Diogen Laërtius in Procem. in princip. [b] Clem. Alexandrin. libr. 1. Stromat. [c] Porphyr. de Abftinent. & Eufebius de Præparatione Evangelicâ libr. 9. cap. 1. Philo Hebræus in libr. quod omnis probus fit liber. V. etiam Plin. libr. 5. cap. 17.

Josephus [a], appellati sunt. Sed nec aliæ
7 facultates alios auctores, quàm Barbaros
nonnullis videntur habuisse; geometriam
ab Ægyptiis inventam perhibent, quum
Ægypto [b] Nilus superfusus agrorum ter-
minos confunderet; & opus esset uni-
cuique restituere, quantùm agri quisque,
antequam Nilus inundaret, possidebat;
ab iisdem [c] astrologiam ferunt excogita-
tam, quamquam [d] alii Chaldæos ejus in-
ventores fuisse memoriæ prodiderunt.
Medicinam quoque Ægyptii repererunt,
siquidem Apis [e] Ægyptius ejus pater præ-
dicatur; idcirco Persarum Reges Ægy-
ptios [f] Medicos omnibus anteponebant;
& Ægyptiis Medicis sui corporis curam
dumtaxat committebant; donec experien-
tiâ docti Crotonienses Ægyptiis prætu-
lerunt. Annales etiam condere princi-
8 pes instituerunt Ægyptii, quod ex eo per-
spicias, quod vetustissima Ægyptiorum
perhibetur historia; sed & grammaticè
non Græcorum inventum, sed Barbarorum
a nonnullis judicatur; quum [g] Moyses prin-
ceps dicatur Hebræis Grammaticam osten-
disse; & Cadmus [h] e Phœniciâ profectus
in Græciam litteras attulisse. Quid autem
de scientiâ rei nauticæ dicam, quam pri-
mos tradunt Phœnices in lucem protulis-
se? unde illud [i] Tibulli:

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Quid de superstitiosis disciplinis? volatus
9 avium [l] primi Phryges observarunt; ha-
ruspicinam Etrusci condiderunt; augu-
rium [m] Arabes, & Isauri docuerunt; in-
terpretationem somniorum Telmissenses.
Hæc ab his dici possunt, qui Barbaros es-
se volunt inventores omnium disciplina-
rum; quibus nos neque valde repugna-
mus, neque omnino assentimur; crastino
tamen die Athenienses posse dici discipli-
narum repertores ostendemus.



DSSERTATIO XV.

Qua demonstratur verè dici omnium doctrinarum inventrices Athenas.

Improbatur Diodorus Siculus, qui philosophiam Barbarorum laudat, quòd nunquam mutetur; ex hoc enim arguitur eorum philosophiam esse imperfectam. Apud Ægyptios alius oculis, alius pedibus, pectori alius, vel alteri parti medebatur. Græci ab Ægyptiis non geometriam, sed geometricas figuras acceperunt; nec astronomiam, sed longi temporis observationes. Asinius Pollio, carmen in mortem Ciceronis audire noluit. Eumarus primus feminam, maremque picturâ distinxit.

INter Barbaros, & Græcos fuit magna contentio; Barbari doctrinas omnes apud se natas gloriabantur; Græci se disciplinas omnes & invenisse, & perfecisse affirmabant; immo non defuerunt celebres Auctores, qui negarent quasdam disciplinas Barbarorum ingenio posse comprehendi. Epicurus [n] igitur asseverat a philosophiâ Barbaros prorsus abhorrere; nec posse quemquam eorum in 1
sapientiæ studiis cum laude versari, & philosophandi gloriam ad solos Græcos pertinere. Nos autem, Auditores, attulimus in medium hesternâ disputatione, quæ dici pro Barbaris possunt; hodierno die Græcos, & præcipuè Athenienses dici verè fuisse inventores omnium doctrinarum defendamus; quæ disceptatio suscipietur a nobis, ut ostendamus verissimum [o] Ciceronis esse dictum, quo Athenas vocat inventrices omnium doctrinarum. Et omnium quidem facultatum inventa a Græcis fontibus profluxisse vel illud argumento est, quod qui vetustissimi extant Auctores Barbarorum, a Græcis omnia mutuati reperiuntur, & eorum libros pæne transcripsisse; cur enim, si Barbari, qui, exempli gratiâ, duobus, aut tribus abhinc annorum millibus floruerunt, omnes disciplinas litterarum monumentis consignassent,
qui

[a] Josephus Antiquit. Judaic. libr. 13. & libr. 18. [b] Herodotus libr. 2. cap. 109. Strabo libr. 16. de Syriâ, Diodorus Siculus in Bibliothec. libr. 1. & Servius ad Eclog 3. Virgil. [c] Herodotus libro 2. Cicer. libr. 1. de Divinatione, Diogen. Laërtius in Procemio, & Diodorus Siculus libr. prim. [d] Cicero ibidem, Clemens Alexandrinus Stromat. libr. 1. V. Jul. Firmic. in Præfation. libro 2. & Aul. Gell. libr. 14. cap. 1. [e] Clemens Alexandrinus ibidem, Plin. libr. 7. cap. 56. [f] Herodotus libro 3. capit. 31. & 32. [g] Eupolemus apud Clement. Alexandr. Stromat. libr. 1. [h] Clemens Alexandrin. ibid. Plin. libr. 7. cap. 56. in princ. [i] Tibullus El. 7. libr. 1. & Strabo libr 16. [l] Clemens Alexandr. libr. 1. Strom. [m] Idem ibidem, aliter Plin. libr. 7. cap. 56. [n] Clemens Alexandrinus Stromat. libr. 1. [o] Cicero libro primo de Oratore.

qui recentioribus sæculis doctrinæ studia
Barbari coluerunt, non ab illis multa ac-
cepissent, & Græcis uti semper Auctoribus
maluissent? nonne discipulis præceptores,
alienigenis indigenas prætulissent? fatendum
est ergo vel nullam disciplinam apud
Barbaros extitisse, vel adeo rudem, ut di-
ci disciplina non possit. Diodorus Sicu-
2 lus philosophiam laudat Barbarorum, quòd
nullam suscipiat mutationem; sed cum fi-
lius a patre accipiat, atque discipulus a
præceptore, & qualem accepit Posteris tra-
dat; quam ille laudem putat, ego argu-
mentum existimo admodum rudis, & im-
perfectæ disciplinæ; nam quomodo perfi-
ci possunt facultates, si nihil excogitemus
novi, nihil immutemus, Majorum inven-
tis acquiescamus? Sicut Ægyptiorum pi-
cturam, quæ semper eadem mansit, risum
movisse crediderim, non admirationem;
ita philosophiam Barbarorum, quæ num-
quam immutata est, non multum arbitror
profecisse; ex dissensionibus doctissimorum
hominum veritas emergit, & lucet tan-
quam facis lumen, quod agitatione con-
valescit, & splendet illustrius. Nemo a-
3 pud Ægyptios dubitavit, ex aquâ, an igne,
an alio quopiam cuncta constarent; omnes,
qui sapientes habebantur, aquam esse re-
rum [c] principium, tanquam a Deo, non
ab his, qui falli possent, esset prolatum, sine
ullâ dubitatione pronunciabant: nemo apud
Persas ambigebat, quin ignis esset supre-
mum naturæ regimen, elementumque di-
vinum; quomodo poterant hi perceptum
aliquid, & comprehensum habere, qui quod
semel Majoribus placuerat, numquam in
dubium vocaverunt? Jam verò medici-
nam quis Ægyptiorum inventum existi-
met, quum apud Græcos Hippocratis æ-
tate vetustissimi Auctoris perfecta fuerit, &
absoluta? quis non videt multis ante sæ-
culis, quàm Hippocrates nasceretur, esse
necesse a Græcis excultam hanc faculta-
tem, quum eos aliunde accepisse nusqu-
quam cognoverimus? neque enim ars tan-
ta perfici potuit, nisi multorum decursu
sæculorum. Et sanè ratio, qua medicinam
faciebant Ægyptii, declarat satis eos veram
medendi scientiam non habuisse; nam [b] a-
lius oculis, alius pedibus, alius pectori,
vel alteri parti medebatur; quis igitur po-
4 tuit in artem redigere medicinam, quum
nemo unus totam cognoverit? Geome-
triam quoque quis Ægyptiorum esse reper-
tum arbitretur, quum sciamus, quæ Tha-
les [c] Milesius, quæ Pythagoras [d] invenerit;
invenerunt enim ea, quibus non demon-
stratis ea disciplina esse non potest. Eude-
mus [e] autem librum condidit doctum sanè,
& laboriosum, ubi quis Græcorum in A-
strologiâ, & Geometriâ quidque repererit,
ostendebat; ex quo constabat omnia, qui-
bus geometria continetur, Græcorum esse
inventa, non Barbarorum; non igitur geo-
metriam ab Ægyptiis Græci, sed geome-
tricas figuras acceperunt. Eodem modo
Scaliger putat Græcos ab Ægyptiis, &
Chaldæis non astrorum scientiam, sed lon-
gi temporis observationes didicisse; jure
igitur Græcia dicitur inventrix omnium,
quum omnes ab aliis non sit mutuata, sed
per se ipsa pepererit. Sed Athenis omnes
facultates primùm repertas difficile est affir- 5
mare; ob eamque causam mirari quis pos-
sit nihilominus, Auditores, cur Cicero A-
thenas omnium doctrinarum inventrices
vocet. Sed id minùs admirabitur, si cogi-
tarit, non eum solum inventorem dici, qui
artem aliquam primus excogitat, sed etiam
qui admodum rudem perficit. [f] Herodo-
tum historiæ patrem appellamus, quum ta-
men rerum gestarum conditores non pau-
ci Herodoto vetustiores habeantur; nec
injuriam facimus aliis, qui ante Herodo-
tum res antiquas litteris consignarunt;
nam [g] Herodoti suavitas tanta est, tam
dulce dicendi genus, tam insignis per-
spicuitas orationis, ars tanta narrandi, ut
iis, qui ante floruerunt, obscuritatem at-
tulisse videatur. Dicitur & Socrates phi-
losophiæ [h] parens quamvis innumeri sint
in philosophiæ studiis cum laude versa-
ti, antequam Socrates nasceretur; quia
ejus tanta fuit animi magnitudo, tantus-
que contemptus rerum humanarum, tan-
ta disputandi subtilitas, ut primus verè phi-
losophatus esse videatur. Eodem modo
queri de nobis non possunt illi Catones, 6
illi Gracchi, Carbones illi, Antonii, Cras-
si, Cottæ, Sulpicii, qui ante Ciceronem
dicendi gloriâ præstiterunt, quòd ipsum
eloquentiæ parentem appellemus; non her-
cle magis, quàm illi, qui post Ciceronem
eloquentiæ studia celebrarunt, jure poterant
succensere, quòd Cicerone defuncto e-
loquentia obmutuisse diceretur. Itaque ni-
mis [i] iracundè Asinius Pollio fecisse pu-
tatur,

a Diodor. Siculus Bibliothec. libr. 1. b Herodot. libr. 2. cap. 84. c Diogen. Laërt. in Vit. Thaletis libr. 1. segm. 25. & Apulejus Florid. libr. 4. d Apollodor. apud Diogen. Laërt. in Vit. Pythagoræ libr. 8. segm. 12. e Clemens Alexandrinus Stromat. libr. 1. & Diogen. Laërt. libr. 1. in Vitâ Thaletis, Proclus ad 4. librum Euclidis. f Cicero libr. 1. de Legib. g Lucianus in Herodoto, sive Aëtione, Photius in Biblioth. Cod. 60. Dionysius Halicarn. in Judicio de Thucydid. Historiâ, Cicer. in Oratore, & de Orat. libr. 2. & Quintil. Instit. Orat. libr. 9. cap. 4. & libr. 10. c. 1. h Cicer. Tusc. Quæst. libr. 3. & libr. 5. Themist. Orat. 15. & Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 20. in Vit. Socratis. i Senec. Suasoriâ penultimâ.

tatur, qui, quum a Sextilio poëtâ carmen de Ciceronis obitu recitaretur, cujus initium erat:

Deflendus Cicero est, Latiæque silentia linguæ,

exsurrexit, abivitque; quum se auditurum negaret, cui mutus videretur; iniquior profectò fuit eloquentiæ parenti. Nam Ciceronis ubertas est in dicendo tanta, tantaque vis, tantumque lumen orationis, ut cum eo nata esse, & interiisse facundia dici jure possit. Sic eundem [a] Ciceronem tan-
7 quam Romæ conditorem suspexerunt: sic antea [b] Camillum Romæ parentem Romani appellarunt; quum Romulus verus Urbis conditor habeatur. Omninoque non solùm, qui rem aliquam invenit, sed etiam, qui auxit, conservavit, perfecit, ejus auctor, pater, conditor nominatur. Quo probè constituto quis omnium doctrinarum inventrices Athenas esse audeat pernegare, ubi omnes artes, & absolutæ dicuntur, & conservatæ? Nam philosophia & si ab aliis inventa credatur (cujus repertores Athenienses fuisse si quis velit affirmare, eo uti possit argumento, quod [c] Musæus Atheniensis philosophus, & poëta trojanis temporibus fuit vetustior; qui ex uno cuncta constare, & in unum resolvi omnia pro-
8 nunciavit) etsi, inquam, philosophia ab aliis inventa credatur, quàm ab Atheniensibus, ab Atheniense [d] Platone tamen perfecta est; hic quidquid a Pythagorâ de rebus divinis, ab Heraclito de physicis, a Zenone de dialecticis, a Socrate de moribus, ab Ægyptiis de Cœlo, sideribusque fuerat disputatum, unus cognovit, & multa præclarè adinvenit; philosophiamque olim in multa membra dissipatam, disjectamque immenso labore collegit, & in unum corpus coalescere coëgit. Nec philosophia solùm Athenis exculta perfectiùs, verùm etiam aliæ disciplinæ; siquidem Athenis domicilium clarissimum omnium litterarum, eoque omnes proficiscebantur, qui cupidine sapientiæ tenebantur. Sunt etiam nonnullæ artes, & disciplinæ, quæ Athenis repertæ verissimè prædicantur; nam dicendi vim Athenis inventam, & perfectam esse non sine causâ idoneus Auctor affirmat [e] Cicero.
9 Tragœdia [f] etiam, & comœdia auctores agnoscit Athenienses; quin & [g] leges Athenis primùm conditæ, & inventa matrimonia, & agricultura a Cerere monstrata Mortalibus; sculptura quoque, & pictura Athenensibus plurimum debet. Nam [h] Dædalus, quum antea signa omnia quadrata fierent, primus pedes, manusque formavit; ob eamque causam animata, seseque moventia facere [i] dictus est; & Phidias [l] Atheniensis artem perfecit; cujus Olympico Jovi nihil erat comparandum; & in [m] picturâ Eumarus Atheniensis primus feminam, maremque distinxit, omnes figuras ausus imitari; & Apollodorus ex eadem civitate, [n] Plinio teste, picturæ fores princeps aperuit. His de causis Athenæ artium, & doctrinarum inventrices habentur; & quòd multas Athenienses perfecerint, & nonnullas invenerint, omnes verò aluerint, ipsisque domicilium in urbe suâ collocarint.

DISSERTATIO XVI.

De Personis hujus Dialogi.

Crassus orator domum sexagies emptam habitabat; cujus in porticu Hymettiæ columnæ erant centum millibus emptæ; is constituit, ut eloquentiæ doctores Græco sermone docerent, facetiis interdum causas obtinuit; quum autem invectus esset in Philippum Consulem, ob vehementiam orationis lateris dolore correptus obiit.

Quum oratio nihil aliud sit, quàm rationis quoddam simulacrum, immo sit ipsa ratio prolata verbis; unde Græci orationem, & rationem non separant, atque
distinguunt appellatione; sed utramque 1
λόγον, alteram quidem προφορικὸν, alteram ἐνδιάθετον, ut ex Galeno constat, appellant; necesse est, ut quorum splendet oratio, ratio quoque non obsolescat; nec possit ejus os affluere eloquentiæ copiâ, cujus pectus inopiâ squallet sapientiæ. Idcirco [o] Cicero negat oratorem esse posse omnibus numeris absolutum, nisi qui sit omnium rerum magnarum, atque artium scientiam consequutus. Verumtamen, quoniam vix humano ingenio possunt omnia comprehendi, nec Romanis hominibus foro, & ambitione, & Imperii Orbis terra-

[a] Plutarch. in Vit. Ciceronis. [b] Plutarch. de exilio. [c] Clem. Alex. Stromat. libr. 1. [d] Diogenes Laërt. libr. 3. segm. 56. in Vit. Platonis, & Apulejus de Dogmate Platonis. [e] Cicer. de Orator. libr. 1. in princ. & in Bruto. [f] Clem. Alex. Stromat. libr. 1. & Aristot. in Poët. [g] Pausanias in Atticis, sive libr. 1. V. Plutarch. in Vitâ Solonis, & Clem. Alex. Stromat. libr. 1. [h] Themistius in Oration. 15. & Diodor. Sicul. libr. 4. pag. 192. [i] Palephatus de incredibilib. cap. 22. & Diodor. Sicul. ibid. [l] Suid. in V. Φιδίας, & Valer. Max. libr. 3. cap. 7. [m] Plin. libr. 35. cap. 8. [n] Idem eodem libro cap. 9. [o] Cicer. Partition. Orator. in fin. & libr. 1. de Oratore.

terrarum curâ occupatis tantum oneris imponendum, ut nescire nihil ipsis liceat, & de qualibet re propositâ possint ornatè, copioseque disputare, separandam sibi a ceteris dictionibus forensem dictionem [a] esse confirmat; eamque dumtaxat oratori relinquendam; quantumque sit huic eloquentiæ generi ab eloquentissimis hominibus tributum, esse dicendum. Hac occasione ser-
2 monem quendam exponere instituit, quem inter se disertissimi viri, & civitatis principes de ratione dicendi habuerunt; hi sunt Crassus, & Antonius, Mucius Scævola, Sulpicius, & Cotta. Crassus [b] consularis, & [c] censorius fuit; consulatum quippe gessit anno ab Urbe conditâ sexcentesimo quinquagesimo nono; censuram verò anno sexcentesimo sexagesimo secundo, conditque sexagesimum sextum lustrum. Neque tamen, quum esset gravitate summâ, luxuriæ notam vitavit; nam [d] Cnæus Domitius ejus collega ipsi fertur objecisse, quod columnas Hymettias in porticu domus centum millibus emptas haberet; & sexagies emptâ domo habitavit. Idem murænam [e] in piscinâ suæ domus mortuam, quasi filiam atratus luxit; quo facto & levitatem præsetulit, & luxum; quippe qui levi re tantopere commoveretur, & murænas aleret asotorum [f] mensis expetitas adeo vehementer; tum etiam graves viri a Majorum continentiâ, & frugalitate desciverant. Sed hæc levia, illud e Crasso severiùs con-
3 stitutum; Latinos [g] eloquentiæ doctores in Urbe vetuit censor profiteri, & solùm permisit, ut Græco sermone præcepta dicendi traderentur; quod Latinos professores videbat nullâ doctrinâ præditos corrumpere juventutem; nec tam artem docere, quam nullam habebant, quàm impudentiam, qua abundabant, alere imperitorum. Utinam qui Rempublicam nunc administrant, id Crassi consilium imitarentur; & præcipuam curam gererent juventutis, operamque darent, ut a doctissimis hominibus erudiretur; non eos plerumque præceptores haberemus, in quos illud [h] Petronii dictum convenit paulum immutatum: pace vestrâ liceat dixisse, primi omnes bonas artes perdidistis. Certè, ut est apud [i] Platonem ille solus rectè publicum bonum curat, qui ducit initium suæ procurationis a curâ probè instituendæ juventutis. Consul verò Crassus cum Mucio
Scævolâ legem tulit, ut qui Latinorum ci- 4
vitatem essent assequuti, in suæ civitatis jura redigerentur; quæ [l] Mucia lex a Mucio Scævolâ ejus auctore est appellata; qua alienati sunt animi Italorum; quocirca paulo post sociale bellum gravissimum, periculosissimumque exarsit. Serviliam [m] legem suasit tribunatum gerente Scævolâ triginta tres natus annos; qua judicia ab equitibus Romanis ad Senatores transferebantur. Sed
ingenium Crassi, quàm ejus acta, clarius 5
fuit; nam [n] Cicero testatur nullius rei fuisse rudem Crassum, quod est admodum mirabile; nam qua ætate reliqui scholis continentur, scientiamque rerum sibi comparant, Crassus ad causas orandas accessit, & inimicitias Reipublicæ causâ suscepit; tantum verò in jure civili, quod oratores plerique contemnebant, præceptore Scævolâ dicitur profecisse, ut eloquentium jurisconsultissimus haberetur. Jam tantus fuit in [o] homine lepos, urbanitas tanta, ut nonnullas causas facetiis magis, quàm argumentis obtinuisse dicatur, & risu adversarios obruisse. Cicero [p] certè quamvis Cæsari sales propriè tribuat, urbanitatis laude neminem Crasso anteponit; quod est eo mirabilius, quod in ipso fuisse ferunt summam gravitatem; est autem rara conjunctio gravitatis, & facetiarum, & risus; ut enim Martialis [q] ait:

Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

Primam causam, quàm oravit, egit, quum
nondum [r] annum vigesimum primum ex- 6
plevisset, statimque principem inter oratores locum occupavit; quum eâ ætate forum tenerent insignes oratores, & jam eloquentia Romana sumpsisset vires, & adulta jam videretur. Fuit in eo mirificus pudor, qui magis ornaret ingenium, quàm eloquentiam impediret; ut quum Carbonem adolescentulus accusaret, summum beneficium Maximo debuerit, quòd simulatque Crassum debilitatum pudore vidit, concilium statim dimiserit. Dicendi genus canorum, latinè [s] loquendi accurata, & sine molestiâ diligens elegantia, summa in dicendo gravitas, ubertasque summa orationis, & lepore condita severitas. Jam luminibus, quibus oratores distinguunt, & illuminant orationem, ita frequentibus, & insi-

---

[a] Cicer. de Orator. libr. 1. [b] Cicer. de Claris Oratorib. Julius Obsequens de Prodigiis cap. 110. [c] Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 15. [d] Valerius Maximus libr. 9. cap. 1. de Cn. Domitio, & L. Crasso. [e] Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 15. & Plutarch. de Solert. Animal. [f] Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 15. [g] Aul. Gellius libr. 15. cap. 11. [h] Petronius Arbiter in Satyric. [i] Plato in Lachet. vel de Fortitudine. [l] Cicer. de Offic. libr. 2. & pro Balbo. [m] Cicer de Orat. libr. 2. & in Brut & pro Balbo. Corn. Tacit. Annal. libr. 12. num. 60. [n] Idem Cicer. in Bruto, seu de Claris Oratorib. [o] Cicer. ibid. [p] Idem de Orator. libr. 3. [q] Martial. in Epigr. 10. libr. 1. [r] Cicer. de Oratore libr. 1. & 3. [s] Cicero de Oratore libr. 3. & in Bruto.

insignibus utebatur, ut in eo genere laudem tulerit prope singularem. Sed eloquen-
7 tia, qua immortalem gloriam est consequutus, interitum Crasso attulit acerbum, & immaturum; quum enim Philippus Consul [a] senatus auctoritatem oppugnaret, & principes civitatis apud populum acerbè accusaret; & Crassus in senatu in Consulem vehementer esset invectus, omnemque in eum dicendi vim essudisset; ex eâ contentione lateris dolore correptus paulo post supremum diem obiit; quem extinctum & orba curia, & mæstum forum diu desideravit. Hic in Dialogo Ciceronis de Oratore primas agit partes, primamque personam sustinet; quia Crassus omnes alios, qui inducuntur a Cicerone, eloquentiâ, doctrinaque superabat.

DISSERTATIO XVII.

De reliquis personis dialogi, & occasione ejusdem.

Mucius Scævola Jurisconsultis omnibus, præterquam Servio Sulpicio, a Cicerone anteponitur; tantâ justitiâ Asiam rexit, ut Senatus ituris in provincias magistratibus exemplum Scævolæ proponeret; Asiaque dies festos in ejus honorem instituerit, & ab eo Mucia appellarit; is quum in reum testimonium dixisset, adjecit, ita sibi demum credi oportere, si & alii idem affirmassent. Cujus Fimbria vulneravit Scævolam; & quum convaluisset, in judicium eum vocavit, & interrogatus, quid esset in Scævolâ accusaturus, quem nemo laudare satis pro dignitate posset, respondit, quod non totum telum corpore recepisset. Marcus Antonius orator jus civile contempsit; & ut haberetur indoctior, doctrinæ studia dissimulavit; eloquentiâ suâ milites ad se interficiendum missos a cæde deterruit.

Superiore, quem proximè habuimus, sermone, quum de personis, quas inducit in hoc Dialogo Cicero, dicere instituissemus, de Crasso, qui primas agit partes, loquuti sumus: & nonnulla, quæ ad mores ejus, vitamque, & dicendi genus pertinere videbantur, Auditores delibavimus; hodierno die de Scævolâ, & Antonio, & Sulpicio, Cottaque dicemus, & de occasione Dialogi verba faciemus; ita nihil eorum omittemus, quæ ad lucem pertinent hujus operis de Oratore; sed jam ad inceptum veniamus. Crassi in [b] consulatu collega fuit Mucius Scævola, qui secundus in hoc libro con- 1 sulatis inducitur a Cicerone; is, quum legum scientiâ inter togatos emineret, & alius dotibus animi, ingeniique, in principibus civitatis fuit. Hunc Cicero [c] Jurisconsultis omnibus, qui unquam fuerant, prætetquam Servio Sulpicio, anteponit; neo unius id judicium Ciceronis, sed consequentium sæculorum; idcirco [d] Juvenalis Mucii nomen accipit pro nomine cojusvis Jurisconsulti propter excellentiam Scævolæ, sic enim loquitur:

Quid refert dictis ignoscat Mucius, an non?

In octodecim libros jus civile digessit, quorum unus inscribebatur [e] περὶ ὅρων hoc est *de definitionibus*. Asiam texit [f] tantâ integritate; continentiâ, justitiâ, ut senatus ituris in provincias magistratibus exemplum Scævolæ proponeret. Ejus [g] edicta asiatica in alias provincias translata sunt; Asiaque in honorem [h] Scævolæ dies festos instituit, & Mucia appellavit. Censuram non gessit, quia nemo Scævolarum eum magistratum petiverat. Pontifex [i] maximus creatus est anno Urbis conditæ sexcentesimo sexagesi- 2 mo sexto; tantaque [l] justitiâ, & modestiâ fuit; ut quum testimonium dixisset in reum, discedens adjecerit, ita sibi demum credi oportere, si & alii idem affirmassent. Hi mores, hæc moderatio fuit summi viri; nec ingenium, & eloquentia defuerunt; oratio [m] subtilis, acuta perspicua, magis tamen ad docendos, quàm ad permovendos judices accommodata. Quibus animi, ingeniique dotibus quum floreret, 3 non caruit tamen inimicitiis in malevolentissimâ civitate; nam in furore [n] Marii a Cajo Fimbriâ perditissimo, & furioso cive est vulneratus; & quum ex eo vulnete convaluisset, ab eodem Fimbriâ in judicium vocatus est; & quum ab accusatore quæreretur, quid esset in Scævolâ accusaturus, quem nemo laudare satis pro dignitate posset, respondit, quod non totum telum corpore recepisset. Quadrien-

[a] Cicer. de Oratore libr. 3. in princip. [b] Cicero in Bruto, vel de Claris Oratoribus, & Jul. Obseq. cap. 110. & Valer. Maxim. libr. 8. cap. 16. [c] Cicero ibidem, & libr. 1. de Oratore. [d] Juvenalis Satyr. 1. vers. 154. [e] L. 64. ff. de aeq. rer. dom. l. 8. de aq. quot. & æst. l. 241. de Verb. Sign. & l. 73. de Reg. Jur. secundùm Pandect. Florentin. [f] Cicer. de Legibus libr. 2. & Valer. Maximus libro 8. cap. 16. [g] Valer. Maxim. libr. 8. cap. 16. numer. 5. [h] Asconius Pædianus in prim. Act. in Verrem. [i] Cicero in Topic. [l] Valer. Maximus libr. 4. cap. 1. num. 12. [m] Cicero de Orator. libro 1. [n] Cicero pro Sexto Roscio Amerino, & Vellejus Paterculus libr. 2. Appianus Alexandr. de Bell. Civil. libr. 1. & Luc. Florus libr. 3. cap. 21.

nio autem post Damasippi prætoris jussu ad Ædem Vestæ, vel, ut quidam [a] volunt, ad aram a Marii satellitibus est trucidatus; ita Pontifex Maximus, quos coluerat, & servarat, ignes Vestæ suo cruore pæne respersit, & extinxit; de qua cæde Lucanus ita libro secundo [b] loquitur:

Te quoque neglectum violatæ, Scævola, dextræ
Ante ipsum penetrale Deæ, semperque calentes
Mactavere focos parvum sed fessa senectus
Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.

4 Hujus interitum viri orba civitas non ultimam civilium cladium judicavit; & quamvis aliis super alia malis premeretur, nec miseræ vacaret flere mediocres calamitates, dio luxit; ejus [c] enim domus, dum vixit, oraculum civitatis vocabatur. Sed levior eo tanti viri jactura fuit, quòd occisus est extremâ jam senectute, & admodum infirmâ valetudine, quod Cicero de ipso testatur; & ideo non toti facit interesse disputationi de Oratore. In hoc viro inter ceteras virtutes maximè enituit modestia; cujus illud est argumentum, quod vir [d] tantus in scientiâ juris, quotiescumque de jure prætorio consulebatur, consultores ad Furium, & Aulum Cesellium mittebat, qui in eâ parte juris operam suam, studiumque posuerant; quo facto modestiæ laudem augebat, non minuebat auctoritatem suam. Marcus autem

5 Antonius, qui tertius e consularibus inducitur a Cicerone, consulatum [e] gessit cum Albino conditæ Urbis anno sexcentesimoquinquagesimoquinto; triennio post Censor fuit, & lustrum condidit cum Albino collegâ; doctrinæ studium semper dissimulavit, jus [f] civile contempsit, ob eamque causam habitus est indoctior, non quia esset verè, sed quia volebat existimari; putabat [g] enim orationem suam plus fidei, & auctoritatis habituram, si quàm minimum doctrinæ præseferre videretur; nihilo tamen secius, quamvis artificium tegeret, & occultaret, ætate suâ alterum eloquentiæ lumen [h] judicabatur, cum Crassoque comparabatur. Huic dicendi genus [i] Macrobius tribuit ardens, & erectum, & insensum: hujus dispositionem laudat [l] Tullius, & quamquam non admodum diligenter loquutum putat, aliis dicendi laudibus tradit abundasse; verba prudenter & elegisse, & collocasse, orationem figuris illuminasse, in suspicione sedandâ, aut excitandâ, conjecturaque movendâ plurimum valuisse; denique actione, quæ semper in arte dicendi primas tulit, a nemine superatum. Et sanè quantum eloquentiâ potuerit su- 6
premâ die vitæ declaravit; immiserat Marius milites, qui Antonium [m] obtruncarent; petiit Antonius a militibus, ut antequam cædem peragerent, dicentem audire ne gravarentur; quum id illi auctoritate viri permoti concessissent, tantâ vi usus est orationis, tantum misericordiæ concivit, tam acriter invectos est in partium crudelitatem; ut illæ civium cædibus assuefactæ manus torperent, animique tot facinoribus efferati flecterentur, & a nece tanti viri abhorrerent; & evasisset Antonius mortem, & eloquentia, quæ multis fuerat salutaris, auctori salutem attulisset; nisi tribonus supervenisset, qui hominem nec opinantem trucidavit. Hic exitus fuit clarissimi viri; reliqui duo, qui a Cicerone 7
inducuntur, sunt Sulpicius, & Cotta, quorum [n] alter uber, & copiosum dicendi genus, alter scitum, subtile, rem explicans adamavit. Sed neuter ad elequentiæ maturitatem potuit pervenire; nam [o] Cotta in exilium pulsus est admodum adolescens; Sulpicius [p] dum Marii partes fovet, Mario victo, fugatoque crudeliter est interemptus. Quæ de personis Dialogi mihi visa sunt delibanda, quòd ad Ciceronis lucem pertinere sum arbitratus; nunc de Dialogi occasione dicendum est. Nobilitas Romana cum plebe, Gracchi [q], & Apuleji se- 8
ditionibus incitata contendebat; Lucius Marcius Philippus, qui consulatum gessit anno [r] sexcentesimo sexagesimo tertio, causam principum oppugnabat; opposuere principes Consuli cum primis diserto Marcum [f] Livium Drusum acri virum ingenio; qui primò senatus auctoritatem tuebatur, deinde popularis auræ studio prolapsus, dum Italos civitate donare molitur, colonias novas in Italiam, Siciliamque deducit, nihil autem prætermittit, quod ad conciliandam sibi plebem pertineret, tantum conflavit incendium, ut eo civitas pæne conflagrarit; nec ipse invidiæ flammam sustinuerit; nam principum civitatis, & equitum consensu, quos offenderat, dum

[a] Luc. Florus libr. 3. cap. 21. & in Epitom. Tit. Livii libr. 86. & Div. Augustin. de Civitat. Dei libr. 3. cap. 28. [b] Lucanus libr. 2. v. 126. [c] Cicero de Oratore libr. 1. [d] Cicer. in Orat. pro Balbo, & Valer. Maxim. libr. 8. cap. 13. num. prim. [e] Ciceru ad Quirites post redit. & Plin. Histor. Natur. libr. 8. cap. 7. [f] Cicer. in Bruto, sive de Claris Oratoribus. [g] Cicer. de Oratore libr. 2. in princip. [h] Idem io Bruto, sive de Claris Oratorib. [i] Macrob. Saturnal. libr. 5. cap. 1. [l] Cic. de Claris Oratorib. [m] Plutarch. in Vit. C. Marii, & Appian. Alexandr. de Bell. Civ. libr. 1. & Val. Maxim. libr. 9. cap. 2. n. 2. [n] Cic. in Bruto, sive de Clar. Orator. [o] Cicer. de Orat. libr. 3. [p] Plutarch. in Vit. Syllæ, & Cic. in Brut. sive de Claris Orator. [q] L. Flor. libr. 3. Histor. cap. 14. 15. & 17. Appian. Alexandr. de Bell. Civ. libr. 1. & Plinius de Vir. Illustr. cap. 73. [r] Eutropius libro 5. [f] Luc. Flor. libr. 3. cap. 17.

dum judicia ad senatum ab equitibus transfert, interemptus est. Atque hoc est, quod
9 Tullius [a] ait hoc loco: *Drusique tribunatus pro senatus auctoritate susceptus infringi jam, ac debilitari videretur.* In tanto rerum urbanarum tumultu Crassus, qui ad gubernacula Reipublicæ excubabat, fluctusque seditionum frangebat, procellasque declinabat, quum ludorum Romanorum dies incidissent, se in Tusculanum animi remittendi causâ receperat; venerant eodem Mucius Scævola, & Sulpicius, & Cotta adolescentes, & Antonius vir consul ris; ibi, ut animi paulisper a præsentium malorum, & Reipublicæ curâ averterentur, injectus est a Crasso peropportunè sermo de ratione dicendi; qui a nemine eorum, qui aderant, quum omnes essent oratores, abhorrebat.

DISSERTATIO XVIII.

De Ludis Romanis.

Ludi Romani, qui etiam Magni, & Circenses appellabantur, a Romulo sunt instituti, non, ut quidam putant, a Tarquinio Prisco; nec id ex Livio probant; erant autem, ut ex Cicerone constat, consecrati Jovi, Junoni, & Minervæ; qui Macrobio teste erant Penates, & Magni dicebantur; ideo etiam ludi Magni appellabantur; Festus tamen Jovi dedicatos autumat; nec verò iidem erant, ac Plebeji, ut credit Interpres Virgilii, quum Livius disertè eos distinguat.

HEsterno die & de personis, quas loquentes inducit Cicero, & de occasione Dialogi verba fecimus, Auditores; hodierno die aggrediemur ad explicanda verba Ciceronis, quibus progreditur noster Auctor ad exponendum sermonem, quem viri principes Romanæ civitatis de ratione dicendi habuerunt. Sed necessarium est ante Ciceronis locum recitare, de quo mihi disserendum est; qui locus hæc verba complectitur [b]: *quum igitur vehementiùs in-*
1 *veheretur in causam principum Consul Philippus, Drusique tribunatus pro senatus auctoritate susceptus infringi jam, ac debilitari videretur; dici memini ludorum Romanorum diebus Lucium Crassum, quasi colligendi sui causâ, se in Tusculanum contulisse; venisse eodem, socer ejus qui fuerat, Quinctus Mucius dicebatur, & Marcus Antonius homo & consiliorum in Republicâ socius, & summâ cum Crasso familiaritate conjunctus. Exierant autem cum ipso Crasso adolescentes, & Drusi maximè familiares, & in quibus magnam tum spem majores natu dignitatis suæ collocarant, Cajus Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat, & P. Sulpicius, qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur.* Et cetera quidem, quæ continentur his verbis, non debent a nobis enarrari; satis enim explicata sunt superioribus dissertationibus; quibus & de personis, & de occasione Dialogi, & de Drusi tribunatu diximus; quapropter hodierno die de Ludis Romanis agemus, quorum Tullius hoc loco mentionem facit. Ludos, qui propriè Romani sunt appellati, a Tarquinio Prisco institutos quidam arbitrantur; quod ut credant, adducuntur [c] eo Livii loco: *prædaque inde majore, quàm quanta belli fama fuerat, revectâ, ludos opulentiùs, instructiusque, quàm priores Reges, fecit; tum primùm Circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est; loca divisa Patribus, Equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati;* & paulo post idem subdit: *solemnes deinde annui mansere ludi Romani, Magnique variè appellati.* Sed hæc verba Livii non omnino refellunt eorum opinionem, qui [d] putant Romanos ludos a Romulo primùm esse celebratos, quum Sabinas raperet; quo tempore Consu consiliorum Deo, quem [e] Neptunum equestrem interpretantur, ludos dedit. Nam [f] Livius ait Tarquinium fecisse ludos opulentiùs, 3
quàm priores Reges, non fecisse primum; & ex eo tempore mansisse annuos, & solemnes, & non antea nullos fuisse, & tunc primùm institutos; alioquin is Livii locus cum Virgilii carminibus non satis conveniret, qui sic [g] ait:

Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas
Consessu caveæ, & Magnis Circensibus actis
Addideras ....

Quo in loco Romuli Ludos Magnos Circenses vocat, quæ duo conveniunt Romanis ludis; qui & Circenses [h] fuerunt, & Magni sunt appellati; quod autem non soli Romani Circenses essent (nam & [i] Apollinares, & [l] Cereales, & qui [m] Megalesia vocabantur, & [n] Plebeji, ut putat vir do-

[a] Cic. de Orat. libr. 1. [b] Cicer. ibid. [c] Tit. Livius libr. 1. dec. 1. [d] Dionys. Halicarn. libr. 2. Ovid. Fast. libr. 3. & Plutarch. in Vit. Romuli. [e] Plutarch. in Vit. Romul. [f] T. Livius libr. 1. dec. 1. [g] Virgil. Æneid. libr. 8. vers. 535. [h] T. Livius libr. 1. dec. 1. Sueton. in Jul. Cæs. cap. 39. & Plinius libr. 36. cap. 15. Ascon. Pædian. ad Actiones in Verrem, & Tertull. de Spectac. cap. 3. [i] Liv. libr. 5. dec. 3. Macr. Sat. l. 1. c. 17. & Serv. in 6. Æn. [l] Varr. libr. 2. aut 5. Ling. Lat. T. Liv. dec. 3. l. 10. & Tacit. l. 2. Hist. n. 55. [m] Liv. libr. 3. dec. 4. & Varr. l. 4. L. L. Cic. de Harusp. Resp. & Fest. Pomp. [n] T. Liv. libr. 3. dec. 3. & Cicer. 2. in Verr. & ibi Ascon. Pædian.

ctus [a], Circenses erant) idcirco addidit Magnos, ut esse Romani intelligerentur. Nec ideo ludi a Romulo celebrati diversi
4 a Romanis debent videri, quòd Romulus eos facit [b] decimoquinctò Kalendas Septembres; ludi autem Romani [c] Nonis Septembribus ed bantur; nam potuit Tarquinius, qui solemnes, & annuos instituit, mutare tempus ludorum. Ceterùm nomen ipsum, quo nuncupantur, Romulum prædicare videtur auctorem; nam Romani sunt dicti ab eo, unde Romanum nomen duxit originem; cur enim, quum omnes ludi, qui Romæ solùm fiebant, Romani possent appellari, hi soli id nomen habuerunt, nisi quòd & omnium primi Romæ sunt celebrati, & idem auctor Romani nominis, qui ludorum fuit? Atque idcirco Cicero
5 libro quinctò adversùs Verrem hos ludos antiquissimos vocat his verbis: *mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maximâ cum dignitate, ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciundos*; neque enim antiquissimos appellaret, si a Tarquinio fuissent instituti; nam ante Tarquinium in honorem Martis Romulus [d] Equiria celebravit, & Consualia [e] in honorem Neptuni. Sunt igitur Romani ludi vetustissimi. & Urbis æquales; & quis primi sunt, & ab ipso Romæ conditore [f] instituti; ideo propter excellentiam, quum Circenses nominantur, Romani Ludi intelliguntur; quod ex [g] Asconio Pædiano discas, qui Magnos, & Circenses eosdem esse ludos asseverat. Romanos verò Ludos idcirco Ma-
6 gnos Antiqui vocavere, vel quia magnis impensis dati [h] sunt; impensa quippe sunt, quum primùm ederentur, ducenta millia, quæ summa pecuniæ exiguis adhuc Urbis opibus, & inopiâ sæculo laborante immanis habebatur; vel [i] quòd Diis Penatibus, qui Magni dicuntur, erant consecrati; quod ex Ciceronis [l] loco, quem adduximus, constat; qui Magnos Ludos fieri solitos Jovi, Junoni, Minervæque testatur; qui tres Dii Romanorum Penates teste [m] Macrobio putabantur; Festus autem Pompejus autumat Magnos Ludos Jovi dedicatos. Et fanè [n] Jovi sæpenumero Magnos Ludos vo-
7 tos accepimus; nam & Quinctus Servilius Hala [o] Dictator bello Gallico, si res prosperè cecidisset, vovit se Ludos Magnos facturum; & Camillus [p] eodem voto se obstrinxit, si Vejos cepisset; & Marcus [q] Furius Prætor, & Augustus [r] sceptâ Varianâ clade, quemadmodum Suetonius tradit; quod etiam bello Marsico, Cimbricoque factum testatur. Ex quibus exemplis intelligi po-
teſt Magnos Ludos non semper statos fuis- 8
se, sed aliquando extra ordinem esse celebratos; interdum enim cum ex aliis causis, tum ex liberalitate Ædilium Curulium instaurabantur; Livius libro quinctò Decadis tertiæ: *ædilitia largitio hæc fuit, Ludi Romani pro temporis illius copiis magnificè facti, & diem unum instaurati*. De iis verò Ludis Romanis, qui extra ordinem edebantur, semper loquitur [ſ] Livius, quum Ludos Romanos factos esse commemorat; ut libro primo Decadis quartæ, ubi sic ait: *& Ludos Romanos magno apparatu fecerunt, diem unum instaurarunt; signa ænea quinque ex mulctatitio argento in ærario posuerunt. Plebeji ludi ab Ædilibus Lucio Terentio Massaliotâ, & Cajo Bæbio Pamphilo, quem Prætorem designaverant, ter toti instaurati*; & libro tertio Decadis tertiæ, ubi, *Ludos*, inquit, *Romanos fecerunt, qui per triduum instaurati sunt; Plebeji ludi a Marco Aurelio Cottâ, & Marco Claudio Marcello ter instaurati sunt*. Ex quibus locis falli doctissimum interpretem Virgilii constat, qui Plebejos Ludos, & Romanos eosdem esse censet; nam Livius eos disertè distinguit.



DIS-

a Jul. Cæsar. Bulenger. de Circo Roman. cap. 7. b Ascon. Pædian. ad 2. Act. Ciceron. in Verrem. c Cicer. 2. Act. in Verr. d Ovid. Fastor. libr. 3. Festus in V. Equiria, & in V. Martialis campus, & Tertullian. de Spectacul. cap. 1. e Dionysius Halicarn. libr. 2. T. Liv. libr. 1. Plutarch. in Vit. Romul. & Varr. l. 5. de L. L. f Dionysius Halic. libr. 2. g Asconius Pædianus 2. Act. in Verrem h Idem eodem loc. i Festus Pomp. in V. *Magnos Ludos*. l Cicer. Act. 5. in Verrem. m Macrobius Saturnal. libr. 3. cap. 4. n Fest. Pomp. in V. *Magnos Ludos*. o T. Liv. libr. 7. dec. 1. p Idem libr. 5. dec. 1. q Idem libr. 7. dec. 1. r Suet. in Vitâ Oct. Augusti cap. 23. ſ Tit. Livius libro 31. in fine.

DISSERTATIO XIX.

De iisdem Ludis Romanis.

Bulengerus, dum Ludos Romanos duobus diebus absolvi censet, refellitur Ciceronis auctoritate; ex quo colligi videtur tredecim dies celebrari; alii tamen novem dies Ludis Romanis tribuunt. Tyrrheni maximè voluptatibus dediti erant; & a Lydis originem ducebant, qui ludos invenerant; quare ludos a Lydis dictos nonnulli tradunt.

QUum Ciceronis locus, quem interpretamur, nos Ludorum, qui propriè Romani appellati sunt, admoneret, de Romanis Ludis verba fecimus, Auditores; & a quo fuerint instituti diximus, & cur Magni fuerint nominati, & quibus Diis celebrarentur; & ultimo loco Festi Pompeji adduximus opinionem, qui Jovi sacros opinatur; quod esse consentaneum
1 veritati, vel ex eo perspici potest, quod, ut auctor est Dio, Ludis[a] Romanis in Capitolio senatus epulabatur; quod quum triumviris rerum potientibus non esset usurpatum, id omen visum est futuræ servitutis. Addidimus etiam Romanos Ludos non semper statos fuisse, sed interdum extra ordinem dari solitos; & quibus causis darentur, exposuimus; nunc ad eos, qui stato tempore edebantur, revertamur. Romani Ludi, qui quotannis committebantur, circa Septembris mensis initium fiebant; videntur autem hi ludi multos dies occupasse; siquidem Cicero primâ in Verrem actione sic ait: *Nonæ sunt hodie sextiles; horâ nonâ convenire cœpistis; hunc diem jam ne numerant quidem; decem dies sunt ante ludos votivos, quos Cnæus Pompejus facturus est; hi ludi dies quindecim auferent, deinde continuò Romani consequentur; ita prope quadraginta diebus interpositis, tum denique se ad ea, quæ a nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur.* Nam si decem
2 dies ante votivos ludos numerabantur, votivi autem ludi quindecim dies occupabant, his utrisque conjunctis, viginti quinque dies efficiuntur; ex prope quadraginta igitur diebus, quos interpositum iri Cicero confirmat prope quindecim relinquuntur; quum autem non magnum inter votivos, & Romanos Ludos intercesserit intervallum, immo continuò sequerentur, ut diserte pronunciat Tullius, necesse est vel magnam partem quindecim dierum, vel prope quindecim dies tenuisse. Quocirca
Bulengerus[b] non est audiendus, qui Ciceronis ætate censet duobus absolvi diebus 3
consuevisse; nam verba summi Oratoris ex primâ in Verrem actione, & alium ex tertio libro de Oratore lucum diligentiùs mihi perpendenti videntur Ludi Romani tredecim potius dies occupasse. Constat ex Cicerone votivos Pompeji ludos tertio Kalendas Septembres esse absolutos: constat ex eodem Romanos continuò esse consequutos, inceperunt igitur pridie Kalendas Septembres; colligi autem potest ex tertio libro de Oratore pridie Idus Septembres solitos terminari, concludique; eo quippe loco, quum propter Ludorum Romanorum celebritatem senatus non haberetur, agique de Republicâ non posset, Idibus demum senatus cogitur; ideo credibile est pridie Idus Romanos Ludos esse conclusos; neque enim credendum est dilatum tempus habendi senatùs, quum de summâ Reipublicæ ageretur, & esset obsistendum Consuli senatum e civitate tollere molienti; tredecim igitur dies Ludi Romani tenuerunt; tantum enim intervallum est inter diem, quæ Kalendas, & inter diem, quæ Idus Septembres proximè antecedit. Quod siquis respuat, me non pigebit eorum[c] sententiam sequi, qui novem dies Romanis Ludis tribuerunt; nunquam tamen assentiar Bulengero, quum me[d] Cicero doceat, qui Crassum redisse Romam tradit extremo ludorum scenicorum die, scenicos ludos, qui pars fuerunt Romanorum, plures dies occupasse. Hæc
habui dicere de numero dierum, quibus 4
Romani Ludi edebantur; nunc de generibus ludorum, quibus hi celebrabantur, disserendum. Initio[e] Tarquinii ludicrum fuit equi, pugilesque ex Etruriâ maximè acciti; utebantur[f] autem Romani Tyrrhenis artificibus ad ludos faciendos, quia Tyrrheni[g] a Lydis originem ducebant; Lydi[h] verò ludos invenerant, unde ludos a Lydis dictos nonnulli tradiderunt; idcirco ab illis artifices petebantur, a quibus artificium inventum dicebatur, sed propiùs vero est ab Etruscis ludiones, & athletas accersitos; quia quum Etrusci voluptati maximè indulgerent, ut constat ex Athenæo[i], hominibus abundabant, qui artem ludicram, quàm optimè factitarent; ideo & ti-

a Dio Cassius, & Cedren. in Compend. Histor. pag. 139. Edit. Basileæ. b Buleng. libr. de Circo cap. 8. c Vid. Bulenger. ibid. d Cicero de Oratore libr. 3. in principio. e Tit. Livius libr 1. decad. 1. & Tertullian. de Spectaculis, f Idem eodem loco. g Dionysius Halicarnass. libr. 1. Antiquitat. Roman. h Idem ibidem, Herod. libr. 1. cap. 94. i Alcimus apud Athen. libr. 12.

& tibicines [a] Etruscos Romani habuerunt, & saltatores; quod & ex Virgilio [b] discas, qui sic ait:

Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras;

& ex [c] Livio, qui his utitur verbis: *ludiones ex Etruriâ acciti ad tibicinis modos saltantes*. Consequutis verò temporibus, quum
5 auctæ Reipublicæ vires, aucta Imperii magnitudo non solùm seria, sed etiam ludos ad magnificentiam summam, splendoremque perduxerat, & gladiatores dabantur, & feræ conficiebantur, & scenica spectacula edebantur; cujus rei testis est Phormio Terentii, quæ comœdia acta est Ludis Romanis; denique nullum ludorum genus, quod aut oculos detinere, aut aures oblectare, aut animos permovere novitate, & admiratione spectaculi posset, prætermittebatur. Quàm varia autem spectaculorum genera Ludis Romanis solerent exhiberi, declarat Vopiscus [d] his verbis, quæ recitare non est alienum instituto meo: *memorabile maximè Carini, & Numeriani hoc habuit Imperium, quod Ludos Romanos novis ornatos spectaculis ediderunt, quos in Palatio circa porticum stabuli pictos vidimus. Nam & neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit; & tichobaten, qui per parietem urso eluso cucurrit, & ursos mimum agentes, & item centum salpistas uno crepitu concinentes, & centum camptaulas* (vel ut Salmasius legit *cerataulas*) *choraulas centum, etiam pithaulas centum, pantomimos, & gymnicos mille; pegma præterea, cujus flammis scena conflagravit; quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit; mimos præterea undique advocavit; exhibuit & ludum Sarmaticum, quo nihil dulcius est*. Hactenus Vopis-
6 cus; ex quo intelligi potest nullum spectaculi genus alienum a Ludis Romanis fuisse; sed maximè proprium eorum fuit quadrigarum certamen; & cujus cupiditate maximè Romanus populus insaniret. Nam quum [e] Romani Ludi sint a Romulo primùm Neptuno dedicati, & ad Neptunum res equestris pertineret, quia Neptunus [f] equestris vocabatur, dicebaturquè primus [g] equum e terrâ tridentis ictu protulisse; quò Virgilius respexit his [h] verbis:

...... *tuqueo, cui prima frementem*
Fudit equum magna tellus percussa tridente,
Neptune......

meritò Romani Ludi equorum, quadrigarumque certamina tanquam propria sibi vindicabant; & alioquin id spectaculi genus maximum habebatur, Ovidio [i] teste, qui dixit:

Naxima jam vacuo Prætor spectacula circo
Quadrijuges æquo carcere misit equos;

& ideo Romanis Ludis conveniebat, qui Magni [l] vocabantur.

DISSERTATIO XX.

In qua de Circo nonnulla delibantur.

Tres Romæ Circi fuerunt; Maximus, Apollinaris, & Circus Neronis; alii tamen plures numerant. In Circo Maximo Cæsaris erant ducentorum sexaginta millium hominum sedes. Servius, & Cassiodorus refelluntur, quòd Ludos dictos putant Circenses, quasi circum enses. *Circum Varro dictum putat, quòd circum spectaculis ædificatis sit clausus, vel quòd circum metas pompa ferretur; Cassiodorus autem a circuitu, vel quòd sit quasi quidam circulus. Circuli antiquitus a Græco sermone circi dicebantur. Differentia inter carcerem numero singulari, & carceres numero multitudinis a poëtis saltem non observatur. Obelisci duo erant in Circa; Philander autem, & Tertullianus unum dumtaxat nominant. Alba linea, quæ a Græcis* balbis *dicebatur, cur extenderetur. Phalæ erant turres in Circo; Spina autem spatium inter metas; Tensæ vehicula, quibus Deorum simulacra portabantur. Mappa cur signum esset certaminis.*

EXplicandum nobis fuit, Auditores, quid essent Ludi Romani; quapropter, quæ spectacula solerent exhiberi, quàm brevissimè demonstravimus; quoniam verò hi circenses erant, & equestres in his ludi principem locum obtinebant, de equorum, quadrigarumque certaminibus, & de Circo hodierno die nonnulla delibabimus.
Duæ [m] igitur initio fuerunt aurigarum fa- 1
ctiones, rufa, & alba, quæ eâ ratione sunt institutæ; quum [n] Soli Circus, in quo certabant equi nobiles, & aurigæ, esset dedicatus, & Sol conversione suâ [o] hiemem, æstatemque conficiat, placuit rufo colore æsta-

a Ovidius de Arte Amand. libr. 1. v. 112. b Virgil. libr. 2. Georgic. vers. 163. c Tit. Liv. libr. 7. prim. decad. d Flavius Vopisc. in Vit. Carini. e Dionys. Halicarn. libr. 2. f Tit. Livius libr. 1. dec. 1. & Dionys. Halicarn. libr. 2. g Servius ad libr. 1. Georg. Virgil. v. 12. Placid. Luctat. ad libr. 12. Thebaid. v. 633. Statii, Festus Pomp. in V. *Hippius*, & Pausanias in Achaicis, sive libr. 7. & in Arcadic. h Virgil. Georg. libr. 1. vers. 12. i Ovid. El. 2. Amor. libr. 3. l Virg. libr. Æneid. 8. & Ascon. Pæd. ad Act. 1. Cic. in Verr. m Tertull. de Spect. cap. 9. n Corippus in Justin. libr. 1. o Coripp. ibidem, & Tertullian. libr. de Spectac. cap. 6. de Arte Circi; longè aliter Cedren. pag. 121. Comp. Hist. Edit. Basil.

æstatem, hiemem albo representare; rufus quippe color æstatis ardoribus, albus hiemis nivibus, & pruinis congruebat. Sed quum esset animadversum Solis annuo cursu non solum hiemem, & æstatem, sed ver, & autumnum confici, additæ sunt duæ; Prasina [a], videlicet viridis, quæ vernam tempestatem; Veneta, quæ cæruleo colore utebatur, quæ autumnum exprimebat. Domitianus [b] autem duas aurati, purpureique panni ad quatuor veteres adjecit; credo, ut speciem Solis ipsius redderet, qui aureus, & purpureus a poëtis appellatur. Inter has divisus populi favor,
2 aliis prasinæ, aliis venetæ, aliis rufæ, aliis albæ factioni studentibus, & ex favore discordi sæpe rixæ, cædesque oriebantur; nec mirum; vix enim verbis exprimi potest, quantum hujus spectaculi studio populus incenderetur, & quò Circi progrederetur insania. Operæ pretium est audire Tertullianum [c], qui libro de spectaculis exagitat hunc Romanorum furorem, & exprimit luculenter his verbis: *quum ergo furor interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, etiam a Circo, ubi propriè furor præsidet; aspice populum ad id spectaculum jam cum furore venientem, jam tumultuosum, jam cæcum, jam de sponsionibus concitatum. Tardus est illi Prætor, semper oculi in urnâ ejus cum sortibus volutantur, dehinc ad signum anxii pendent, unius dementiæ una vox est. Cognosce dementiam de vanitate: misit, dicunt, & nunciant invicem, quod simul ab omnibus visum est. Teneo testimonium cæcitatis, non vident, missum quid sit, mappam putant; sed est Diaboli ab alto præcipitati figura. Ex eo itaque itur in furias, & animos, & discordias, & quidquid non licet sacerdotibus pacis. Inde maledicta, convicia sine justitiâ, odii etiam suffragia sine merito amoris.* Hactenus Tertullianus, cujus omnia, quæ huc spectant,
3 verba, ne simus longiores, referre supersedemus; quibus & Cæsares a populo insaniente conviciis proscindi solitos testatur, & principes civitatis; quam licentiam Rex Theodoricus apud Cassiodorum edicto severissimo vetat, & in eos facere convicium senatoribus animadverti jubet. Quanto verò studio populus hujus certaminis teneretur, declarant statuæ, quæ nobilibus aurigis publicè [d] statuebantur: declarant equorum nomina, quæ vulgi sermonibus non minùs, quàm virorum fortium, celebrabantur, ut ex Anthologiâ, & ex Luciani Nigrino discas: declarat denique, quod hi soli ludi materiam præbebant colloquiis otiosorum; hinc Martialis ait [e]:

De Prasino conviva meus, Venetoque loquatur;
Nec facient quemquam pocula nostra reum;

& Lucianus: ϗ τὰς ἐν τῇ πόλει ταραχὰς διεξῄει, ϗ τὸν ὠθισμὸν αὐτῶν, ϗ τὰ θέατρα, ϗ τὸν ἱππόδρομον, ϗ τὰς τῶν ἡνιόχων εἰκόνας, ϗ τὰ τῶν ἵππων ὀνόματα, ϗ τὺς ἐν τοῖς ςενώποις περὶ τύτων διαλόγυς, hoc est: *& urbis tumultus dicendo persequebatur, & se invicem prementium, impellentiumque conflictum, & theatra, & Circum, & aurigarum simulacra, & equorum nomina, & colloquia, quæ de hac re feruntur in angiportis.* Sed quum de aurigis, & eorum certamine satis dixerimus, Audito- 4
res, ad Circum veniamus; tres Romæ Circi fuisse perhibentur; Circus [f] maximus inter Palatium, & Aventinum, Circus [g] Apollinaris, Circus [h] Neronis in Vaticano; alii [i] plures numerant. Qui verò ludi edebantur in Circo, Circenses sunt appellati, quasi [l] circum enses; quàm nominis originem Servius [m] affert, & hanc addit rationem; quum antiquitus nondum spectandia ludis ædificia essent inventa, in ripis fluminum Solemni ludicro quadrigæ equorum agitari consuevisse; quò nonnulli Virgilium putant respexisse, quum [n] dixit:

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Qua de causâ Circo circumdabatur [o] Euripus, ut imaginem vetustatis referret; ex alterò [p] verò parte enses defigebantur; ut utrinque ignaviæ periculum immineret; quum autem circum enses currus agitarentur, dictos putat esse Circenses, quasi circuenses; quam opinionem [q] Cassiodorus refert, & probat. Sed irridendum profectò Grammaticorum acumen; quis enim non videt a Circo circenses deduci, ut a Tatio Tatienses, a Tarso Tarsenses? Circum autem esse dictum vel, ut [r] Varroni placet, 5
quòd circum spectaculis ædificatis sit clausus;

[a] Corippus in libr. 1. Justin. Vid. Jul. Cæsar. Bulenger. de Circo cap. 48. [b] Suetonius in Vit. Domitiani cap. 7. [c] Tertullian. de Spectacul. cap. 11. de Munere. [d] Martialis libr. 5. epigr. 26. & libr. 11. Cod. tit. 40. leg. 4. & l. 15. tit. 7. leg. 12. Cod. Theodos. [e] Martial. libr. 10. epigr. 48. [f] Dionys. Halicarn. libr. 3. Cornel. Tac. Annal. libr. 2. & Martial. in epigr. 64. libr. 6. [g] T. Liv. libro 3. dec. 1. [h] Plin. Histor. Natur. libr. 16. cap. 40. & libr. 36. cap. 11. Sueton. in Vit. Claudii c. 21. [i] Vid. Rosin. Antiq. Rom. libr. 5. cap. 4. & Jul. Cæs. Buleng. de Circo cap. 5. [l] Varro de Gente populi Romani, Isidorus libr. 18. Orig. capit. 28. Tertull. l. de Spect. Serv. ad l. 3. Georg. & Æn. l. 8. & Cassiod. l. 3. Epist. 51. [m] Serv. ad libr. 3. Georg. Virgil. & libr. 8. Æn. V. *magnis Circensibus actis.* [n] Virg. Georg. libr. 3. v. 18. [o] Dionysius Halic. libr. 3. Ant. Rom. & Suet. in Vitâ Jul. Cæs. cap. 39. [p] Serv. ad libr. 3. Georg. Virgil. v. 18. [q] Cassiodor. Epistol. var. libr. 3. cap. 51. [r] Varro de Ling. Lat. libr. 4. num. 32.

ſus, vel quòd circum metas pompa ferretur, vel a circuitu, ut Caſſiodoro [a] videtur, vel quòd ſit quaſi quidam circulus, licèt ex alterâ parte oblongior; nam & circuli antiquitus circi vocabantur, teſte Cicerone in Arateis, qui ſic ait:

Vidiſti magnum candentem ſerpere circum;
Lacteus hic nimio fulgens candore notatur;

& [b] Martiano Capellâ, cujus eſt ille verſus:

Quin etiam medios, quos nectunt flumina circos;

Circulus autem primùm circus [c] dictus eſt a voce Græcâ κρίκος trajecto Ρῶ, vel etiam a voce κίρκος, qua ſignificatur orbis. Ceterùm [d] Servii opinionem a veritate prorſus abhorrere ſatis oſtendit vir doctiſſimus Voſſius [e] eo argumento, quod antequam Tarquinius Circum ædificaret, Circenſes Ludi circenſes non vocabantur; ſed nomen ſumebant a Deo, in cujus honorem fiebant; vel a re, cujus miniſterio fiebant, ut ab equis [f] equiria, quæ Romulus edidit. Nec illi quidem audiendi, qui a Circe [g] Solis filiâ, quæ princeps Circum fuerit in honorem patris fabricata, putant appellatum. Et quoniam, quum de Ludis
6 Romanis ageremus, mentionem fecimus Circi, non omittendum Circum Maximum a Cæſare [h] Dictatore conſtructum inter admiranda maximè Romanorum operum eſſe numeratum; ſiquidem [i] fuit ejus longitudo trium ſtadiorum, unius latitudo; ædificia verò quaternûm jugerum ſpatium occupabant ad ſedem ducentorum ſexaginta millium; ut quamvis elatè, cum aliquâ tamen ſpecie veritatis a Juvenale [l] dictum eſſe videatur:

Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.

Multaque alia ſunt, Auditores, breviter delibanda; & ut ab eo, quod primum occurrit, initium ducamus; carceres [m] fuerunt in Circo, unde equi, currusque mittebantur; qua de causâ Virgilius [n] cecinit:

Ut quum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
Addunt ſe in ſpatia......

& [o] Ovidius:

Nec mihi contingat; ſacro de carcere miſſis
Inſiſtam forti mente vehendus equis;

& Virgilius [p] iterum;

Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effuſi carcere currus.

Hi [q] carceres, Varrone teſte, a Nævio op- 7
pidum ſunt appellati, quòd pinnis, & turribus eſſent ornati; qui carceres in Circo primùm ſunt ſtatuti anno ab Urbe conditâ [r] quadriogenteſimo vigeſimo tertio, quum conſulatum gereret Lucius Papyrius Craſſus, & Lucius Plautius Venno. In his carceribus duodecim oſtia fuerunt, ut Caſſiodorus libro tertio epiſtolâ quinquageſimaprimâ teſtatur; ex quibus duodecim currus effundebantur uno miſſu. Cur [ſ] autem duodecim eſſent oſtia, ea ratio affertur, quòd Circus Soli ſacer, & Circenſes Ludi Solis curſum referrent; duodecim igitur oſtia duodecim ſigna Zodiaci volunt expreſſiſſe; carceres autem Græco ſermone dicuntur [t] ὕσπληγγες, vel [u] ἀφετηρίαι, vel ἱππάφεσις [x]. Inter carceres, & carcerem eam differentiam Grammatici notant; quòd quum utimur numero ſingulari, ſignificetur locus, ubi nocentes coërcentur; quum numero multitudinis, ædificia, quibus equi, antequam ſignum detur, coërcentur; ſed id diſcrimen poëtæ ſaltem neutiquam obſervarunt; a [y] coërcendo autem tam carcer, quo homines, quàm carceres, quibus equi detinentur, ſunt appellati. Ante Oſtia [z] carcerum alba li-
nea ducebatur, qua, quum ludorum tem- 8
pus venerat, exteoſâ, populus, qui ad Phalas [a] Mathematicos, & ſomniorum conjectores, & hariolos conſulebat, in cuneos cogebatur; quapropter [b] Ovidius cecinit:

Quid fruſtra refugis? cogit nos linea jungi,
Hæc ex lege loci commoda Circus habet;

& alio [c] in loco:

Et bene te cogit, ſi nolit linea jungi,
Quæ tibi tangenda eſt lege puella loci.

De hac etiam Caſſiodorus [d] ita loquitur: *alba linea*

[a] Caſſiodor. Epiſt. libr. 3. Ep. 51. & Non Marcell. cap. 1. n. 74. [b] Martian. Capell. libr. 8. [c] Voſs. in Etymol. in V. *Circus*. [d] Serv. ad libr. 3. Georg. & libr. 8. Æneid. Virgil. [e] Voſſius ibid. [f] Auſonius in Eclog. Ovid. Faſtor. libr. 2. in fine, & Tit. Livius libr. 1. [g] Tertullian. de Spectac. & Iſidorus libr. 18. cap. 25. [h] Sueton. in Vit. Jul. Cæſ. cap. 39. & Plin. libr. 36. cap. 15. [i] Plinius Nat. Hiſt. ibid. [l] Juvenal. Sat. 15. verſ. 195. [m] Dionyſ. Halicarnaſs. libr. 3. Antiq. Roman. Sueton. in Vitâ Claudii cap. 21. & Sidonius carm. 23. de Civitate Narbonâ. [n] Virgil. libr. 1. Georgic. in fine. [o] Ovid. Amor. libr. 3. Eleg. 2. [p] Virgilius libr. 5. Æneid. verſ. 124. [q] Varro libr. 4. de Ling. Latin. & Feſt. Pomp. in V. *Oppidum*. [r] Tit. Livius libr. 8. [ſ] Cedren. Compend. Hiſtor. pag. 121. Edit. Baſil. [t] Dionyſ. Halicarn. libr. 3. Ant. Roman. [u] Suid. in V. Ἀφετηρίαι, & Damaſcen. 1. de imaginib. [x] Pauſan. in Eliac. poſter. ſive libr. 6. in quodam Diſticho de Clcœra. [y] Varro libr. 4. de L. L. Serv. ad libr. 1. Æn. Virg. & Iſidor. de Orig. libr. 5. cap. 27. & libr. 15. cap. 2. [z] Caſſiodor. libr. 3. Ariſtoph. in Acharn. & Vet. Scholiaſt. in eundem. [a] Juvenal. Sat. 6. v. 590. & Vet. Schol. ad hunc locum, Horat. Satyr. libr. 1. Sat. 6. & Acron ad eum loc. Cicer. de Divinat. libr. 1. [b] Ovid. libr. 3. Amor. Eleg. 2. [c] Idem libr. 1. de Art. Amand. [d] Caſſiodor. libr. 3. Epiſtol. 51.

linea non longè ab ostiis in utrumque podium, quasi regula directa perducitur; hæc [a] balbis Græcis dicebatur. Præterea obelisci duo
9 sunt in Circo constituti, alter excisus [b] a Semneserteo Ægypti Rege, quo imperante Pythagoras in Ægyptum venit; cujus centum viginti quinque pedum fuit altitudo præter basim, quæ ex eodem lapide constabat; quem Augustus in Circo statuit, qui Soli sacer habebatur, ut Tertullianus libro de spectaculis testatur; alter [c] minor Lunæ dedicatus. Philander tamen in Vitruvium unum [d] in Circo statuit obeliscum in medio metarum collocatum, ad quem a metis paries pertingebat; & [e] Tertullianus libro de spectaculis unum nominat obeliscum; sic enim loquitur: *obelisci enormitas, ut Hermateles affirmat, soli prostituta.* Nec omittendum phalas [f] in Circo fuisse; quas Nonius Marcellus turres ligneas interpretatur; ad has mathematicos, & hariolos, & somniorum interpretes consulentibus responsa dare consuevisse proditum est; unde illud [g] Juvenalis:

Consulit ante phalas, delphinorumque columnas.

Qui versus, ut intelligi possit, sciendum
10 est in Circo columnas cum delphinis fuisse; quod ex eodem Tertulliano constat, qui [h], *delphinos*, inquit, *Neptuno vovent, columnas sessias a sementationibus, messias a messibus, tutelinas, a tutelis fructuum sustinent;* loquitur autem de Circi ornamentis; hos autem, & ova simul Dio Cassius libro quadragesimo nono ab Agrippâ tradit in Circo collocata; delphines autem Circo congruebant, propterea [i] quod Neptuno sacri habebantur; ad quem propter equorum cursus ludi Circenses pertinebant. Potest & alia ratio afferri; delphin [l] velocissimus est omnium animantium; jure igitur delphines ibi dicabantur, ubi velocitati præmia erant amplissima constituta; ova [m] verò Castori consecrata, qui natus [n] ex ovo dicitur; quia Castor propter equestris rei scientiam Circensibus præesse putabatur. Ad eandem Circi religionem spectabant
tres aræ Samothracibus Diis constitutæ, 11
Solis [o] Ædes in Circo condita; etiam [p] Euripus, qui circundabatur, a quo aquam irrigando Circo deducebant, Matris [q] Magnæ numini sacer habebatur; in eo pugnæ navales committebantur; Spartianus Heliogabalo: *Euripis vino plenis navales circenses exhibuit.* Jam spatium inter metas Spina [r] appellatum: jam antequam Ludi Circenses exhiberentur, spectaculo fuisse notum præclarissimam pompam [s] cum alio apparatu, tum multitudine tensarum spectandam; erant autem [t] tensæ vehicula, quibus Deorum simulacra portabantur; hinc Ovidius [u] dixit:

Circus erit pompâ celeber, numeroque Deorum,
Primaque ventosis palma petetur equis.

Sed omnium accuratissimè, licèt non satis 12
latinè, describit hanc pompam [x] Tertullianus, qui sic ait: *sed Circensium paulo pompatior suggestus, quibus propriè hoc nomen pompa, præcedit, quorum sit in semetipsâ probans; de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de tensis, de harmamaxis, de sedibus, de coronis, de exuviis; quanta præterea sacra, quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moveantur, sciunt homines illius urbis, in qua dæmoniorum conventus consedit,* Antequam [y] verò currus emitteren-
tur, desultorii equi præcurrebant, qui spe- 13
ctaculum adesse nunciarent; ad eum modum, quo Solis ortum præcedit, & significat Lucifer; cui desultorii equi sacri sunt, & cujus imaginem præferebant. Mappa signum [z] Circensium dabatur; cujus rei [a] ea origo memoratur; quum Nero Circensibus Ludis præsideret, & antequam signum dedisset equestris certaminis cum amicis discumberet; & convivium protraheretur in longum, & populus aviditate spectaculi signum flagitaret; & e convivio Nero nol-

[a] Suidas in Voc. Βαλβίς. [b] Plin. Hist. libr. 36 cap. 9. & Cassiodor. libr. 3. Epist. 51. [c] Cassiodorus ibidem. [d] Plin. libr. 36. cap. 9. Ammianus Marcell. libr. 17 & Gulielm. Philand. ad libr 5. Vitruvii. [e] Tertullian. de Spectac. cap. 5. de loco. [f] Ennius Annal. libr. 15. apud Priscianum libr. 6. [g] Juven. Sat. 6. vers. 590. [h] Tertullian. de Spectacul. cap. 5. de loco. [i] Hyginus de Signis Cœlest libr. 2. in Delphin. & Oppianus libro primo ἁλιευτικῶν. [l] Plinius libr. 9. cap. 8. & Ælianus Histor. Animalium libr. 12. cap. 12. [m] Isidor. libr. 17 cap. 28. & Tertullian. de Spectacul. cap. 5. de loco. [n] Fulgentius Mythologic. libr. 2. de Cygno, & Lædâ. [o] Isidorus libr. 18. & Corippus in Justin. libr. 1. [p] Dionys. Halicarnass. Antiq. Roman libr. 3. & Sueton. in Vitâ Jul. Cæsar. cap. 39. [q] Tertullian. de Spectacul. [r] Cedren Compend. Hist. pag. 121. Edit. Basil. Cassiodor. libr. 3. Epist. 51. Vetus Scholiast. Juvenal. ad Sat. 6. [s] Ovidius Amor. libr. 3. Eleg 2 & Dionys. Halicarnass. Antiq. Rom. libr. 7 Vid. Onuphr. Panvin. de Ludis Circensib. libr. 2. cap. 2. & Jo: Argolum in hunc Panvin. loc. [t] Varro libr. 4. de L. L. & Fest. Pomp. in V. *Tensa*. [u] Ovid. Fastor. libr. 4. [x] Tertullianus de Spectaculis cap. 4. de Apparatibus. [y] T. Liv. libr. 4. dec. 5. [z] Quintilian. Instit. Orat. libr. 1. cap. 5. & Cedren. Compend. Histor. Edit. Basil. cap. 80. pag. 139. Div. Jo: Chrysostom. in Orat. de Circo. [a] Cassiodor. libr. 3. Variar.

let surgere, mappam, qua manus tergebat inter epulandum, misit ex alto, & ea fuit signum certaminis; ex eo tempore institutum, ut Circensibus mappa mitteretur; quò respexit his verbis [a] Martialis:

Cretatam Prætor quum vellet mittere mappam.

Hanc mittebat [b] Prætor, qui ludis præsi-
14debat, indutus togâ pictâ, tunicaque palmatâ, & gestabat manu eburneum sceptrum cum aquilâ eburneâ; certabant [c] verò bigæ, trigæ, quadrigæ, sejuges, & decemjuges currus; ex quibus bigæ Lunæ [d] sacræ, trigæ Inferis, quadrigæ [e] Soli, sejuges currus Jovi, qui septies metam circuibant, sicut in Græciâ duodecies; credo, ut septem dies, qui nominibus errantium siderum sunt insigniti, septenis cursibus referrentur. Sed quid ego de ludis Romanis dicere aggressus tot de Circo verba feci, & ut utar a ludis ducto [f] proverbio, *scamna transilivi, & extra* [g] *oleas feror*? quare a Circo ad Tusculanum, in quo Cicero Crassum, ceterosque de ratione dicendi refert colloquutos, revertamur.

DISSERTATIO XXI.

De delectatione Ludorum nonnulla, & de loco, ubi habitus est de ratione dicendi sermo.

Augustus ludis oblectari fatebatur; Tiberius autem nec ipse spectacula edidis, nec ab aliis editis, nisi rarissimè, interfuis; in quo reprehendebatur a populo; sicut etiam Cæsar, quòd inter spectandum epistolis, & libellis legendis, rescribendisque vacaret. Signinum opus ex testis contritis, & calce factum est. Ambulationes dicebantur etiam Xysta, in quibus quum exercerentur athletæ, Xystici appellabantur; sicut etiam indocti homines.

Et si ludis etiam, qui dissimulant, oblectantur, & ducuntur, ut Cicero verissimè in oratione pro Murenâ confirmavit; ea porro ludorum cupiditas Romanis fuit, ut insaniæ propior videretur; tamen præstantes viri spectaculorum voluptates interdum respuebant; & quum populus Ro-
manus in Circum, aut Theatrum conflue- 1
bat, ipsi rus, & in solitudinem secedebant; vel ut animum curis oppressum levarent, vel ut studiis potioribus oblectarent; ita Seneca epistolâ octogesimâ lætatur sibi otium, & secretum spectaculi beneficio contigisse; & longè levior Auctor [h] Juvenalis gloriatur, quòd quum totam Romam Circus capiat, ipse abstineat hujusmodi voluptate. Tiberius [i] autem nec ipse edidit spectacula, nec ludis, qui ab aliis edebantur, nisi rarissimè, interfuit; quam tamen severitatem populus Romanus non probabat; qui Augusti ingenio populari, & civili assueverat; qui [l] & se ludis oblectari ingenuè fatebatur, & spectacula plurima edidit, & corollaria, & præmia, ut [m] Suetonius tradidit, alienis quoque muneribus, & ludis frequenter obtulit. Cæsar [n] autem eâ de causâ fertur esse reprehensus, quòd inter spectandum epistolis, & libellis legendis, & rescribendis vacaret. Sed id popu-
li judicium, gravissimorum autem homi- 2
num, & sapientum longè alia mens fuit; qui semper has voluptates tanquam levissimas videntur contempsisse; neque enim Augustum arbitror tam delectationis causâ, quàm quia, ut affirmat Cornelius [o] Tacitus, civile rebatur misceri populi voluptatibus, frequenter interfuisse ludis. Ceterùm sicut pueri maximè omnium ludicris delectantur, quanto autem quisque longiùs ætate processit, tanto minùs amplectitur has voluptates; ita sapientissimus quisque minimi facit hæc levium oblectamenta animorum; quia majores alias ex se parit sibi voluptates. Hujus exemplum rei nobis exhibet Crassus apud Ciceronem, qui Ludorum Romanorum diebus in Tusculanum secessit; & quum eò & Antonius, & Quintus Mucius, & Sulpicius, & Cotta, de quibus jam multa memoravimus, venissent, alia sibi ex doctissimis, gravissimisque sermonibus oblectamenta quæsiverunt. Ita-
que commemorat [p] Cicero primo illo die, 3
quo venerant, de Republicâ esse colloquutos; postero autem die in ambulationem esse ventum; ibi Scævolam, duobus spatiis, tribusve factis, hortatum esse ceteros, ut Socratem imitarentur, & sub umbrâ, quam latè platanus diffundebat, considerent. Respicit autem Cicero locum pulcherrimum Platonis in Phædro, ubi Socrates, Phædro ducen-

[a] Martialis libr. 12. epigr. 29. [b] Vetus Scholiast. Juvenal. ad Satyr. 10. v. 35. & Tit. Livius libr. 8. decad. 1. [c] Suetonius in Vit. Jul. Cæsar. cap. 39. [d] Tertull. de Spectac. cap. 6. & Isidorus libr. 18. Orig. cap. 36. [e] Manilius libr. 5. in princ. Astronom. [f] Div. Hieronym. Epist. ad Pammachium adversùs Jo: Hierosolymit. [g] Aristophan. in Ranis, & Vetus Scholiast. ibidem, Paulus Manutius Adag. *Extra oleas*. [h] Juvenalis Satyrâ 11. in fin. [i] Cornelius Tacitus libr. 1 cap. 76. Annalium. [l] Sueton. in Vitâ Augusti cap. 43. [m] Idem Suetonius in Vitâ Augusti cap. 45. [n] Idem in Vit. Jul. Cæsar. [o] Cornel Tacitus libr. 1. Annal. num. 47. [p] Cicero de Oratore libr. 1.

ducente sub altissimam platanum, in ejus umbrâ conquiescit, & de amore divinitus disputat; qui Platonis locus hæc verba complectitur: *νὴ τὴν Ἥραν καλήγε ἡ καταγωγὴ, ἥτε γὰρ πλάτανος ἄυτη μάλα ἀμφιλαφήσε, κ̀ ὑψηλὴ, τῦτε ἄγνυ τὸ ὕψος, κ̀ τὸ σύσκιον πάγκαλον, κ̀ ὡς ἀκμὴν ἔχει τῆς ἄνθης, ὡς ἂν εὐωδέστατον παρέχοι τὸν τόπον. ἥγε ἂυ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῆς πλατάνυ ῥεῖ μάλα ψυχρῦ ὕδατος, ὥσγε τῷ ποδὶ τεκμήρασθαι: νυμφῶν τέ τινων, κ̀ Ἀχελώυ ἱερὸν ἀπὸ τῶν κορῶντε, κ̀ ἀγαλμάτων ἔοικεν εἶναι: εἰ δ' αὖ βύλει τὸ ἔυπνυν τῦ τόπυ ὡς ἀγαπητόντε, κ̀ σφόδρα ἡδὺ, θερινὸντε, κ̀ λιγυρὸν ὑπηχεῖ τῷ τῶν τετλίγων χορῷ: πάντων δὲ κομψότατον τὸ τῆς πόας, ὅτι ἐν ἠρέμα προσάντι ἱκανὴ πέφυκε κατακλινέντι τὴν κηφαλὴν παγκάλως ἔχειν:* quæ verba sic interpretamur: *per Junonem pulchrum diversorium; nam & platanus opaca valde, & alta, & plantæ, quæ agnus appellatur, celsitudo, & opacitas venustissima, quæ veris tempore vestita floribus odoratum maximè locum præbet; tum fons pulcherrimus aquæ sanè quàm frigidæ sub platano fluit, quod attactu pedum deprehendo; locus autem quibusdam Nymphis, & Acheloo sacer videtur, ut pupæ & simulacra declarant. Si verò placet, considera, quàm sit auris perflabilis locus, & ut amabilis, & jucundè, & æstivè, & canorè cicadarum choro succinat; id verò elegantissimum, quod berba in humo clementer acclivi accommodata est caput reclinanti*. Sed, ut ad verba Ci-
4 ceronis revertamur, adnotandum est Veteres in villis ambulationes habuisse, hoc est locos ita ornatos, ut in his ambulari commodè, & jucundè posset; id & ex hoc loco colligitur, ubi noster Auctor affirmat in ambulationem esse ventum, nimirum in locum ambulationi destinatum; quod & [a] Gellius testatur his verbis: *atque ibi tunc, quum essemus apud eum in villâ, cui nomen est Cephisia, & æstu anni, & sidere autumni flagrantissimo propulsabamus caloris incommoda lucorum umbrâ ingentium, longis ambulacris, & mollibus*; & Plinius [b] in epistolis, qui villæ suæ partes describens, *ambit*, inquit, *hunc ambulatio pressis, varieque tonsis viridibus inclusa*; & Ulpianus, qui [c] sic ait: *si fortè voluptarium fuerit prædium, viridaria, vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas, & amœnas habens, non debebit fructuarius dejicere, ut hortos olitorios faciat*. Est autem ambulatio locus hinc, & hinc porticibus inclusus, ornatus opere topiario, ubi amœnæ silvæ, platanique virentes ambulantibus umbram faciebant; ubi ut arbores a Solis ardore, ita porticus a pluviâ ambulantes defendebant. Hæc quo-
modo fieri debeant Vitruvius [d] docet his 5
verbis: *faciunda autem xysta sic videntur, ut sint inter duas porticus silvæ, aut platanones, & in his perficiantur inter arbores ambulationes, ibique ex opere signino stationes*; in quibus verbis, ut hoc etiam obiter [e] notem, signinum opus est opus ex testis contritis, & calce factum. Ambulationes [f] autem etiam Xysta dicebantur eodem auctore Vitruvio, qui sic ait: *proximè autem Xystum, & duplicem porticum designentur ὕπαιθροι ambulationes, quas Græci περιδρομίδας, nostri Xysta appellant*. A Xystis verò nomen acceperunt Xystici; quo nomine dicuntur athletæ, qui [g] in Xystis exercebantur. Quòd autem [h] athletæ non in animo excolendo, sed in corporis curâ studium, operamque consumerent; ideo Xystici sunt appellati homines indocti, expertesque bonarum artium, & in cute curandâ nimiùm occupati, ut Cælius [i] Rhodiginus animadvertit.



a Aul. Gellius libr. 1. cap. 2. b Plinius Epistolarum libr. 5. Epist. 5. ad Apollinarem. c In Lege 13. ff. de Usufr. & quemadmod. &c. d Vitruvius libro 5. cap. 11. e Plinius libr. 35. cap. 12. & Columella libr. 1. cap. 6. f Vitruvius libr. 5. capit. 11. Vid. Alexandr. ab Alexandr. Dier. Gen. libr. 3. cap. 9. & Plin. Epistolar. libr. 5. Epist. 5. g Senec. libr. 3. de Irâ cap. 8. Sueton. in Vit. Augusti cap. 72. Hesych. in Lexic. Suid. in V. Ξυστὸν, & Vitruvius libr. 6. cap. 10. h Sueton. in Vitâ Galbæ cap. 15. & in Vitâ Augusti cap. 45. i Cælius Rhodig. libr. 21. cap. 18. Antiq. Lection.

DISSERTATIO XXII.

Adduntur quædam de Ambulationibus; & de studio, quo Veteres platanos, & amœnas arbores colebant, disputatur.

Ambulationum aliæ Hypæthræ, aliæ Hypogeæ, seu Crytoporticus; & unde sic appellarentur. Gestationes Ambulationibus similes erant. Xerxes amore platani captus pretiosas vestes, aureas armillas, & gemmata monilia ex eâ suspendi jussit; & hominem, qui curaret, & milites, qui defenderent ipsam, reliquit; eodem amore capti sunt Paulus Passienus bis Consul, & Hortensius orator. Adolescentulus, quum a Senatu simulacrum Bonæ Fortunæ, cujus amore captus erat, non impetrasset, seipsum interemit; quidam etiam, quum Gnidiam Praxitelis Venerem deperiret, eam incestavit. Animalia multa homines dilexerunt. Platani vino irrigabantur.

Ambulationes quid essent hesterno die diximus, Auditores, quum Ciceronis locum explicaremus in libro primo de Oratore; in quo summus Auctor commemorat in ambulationem esse ventum. Quia verò ad illustrandum Ciceronis locum sa-
1 tis multa attulimus ad ambulationes pernoscendas, pauca de iisdem adhuc hodierno die verba faciemus; & quoniam idem Ciceronis locus mentionem continet platani cujusdam amœnissimæ, sub cujus umbrâ Tullius refert Antonium, Crassum, Scævolam consedisse, & de universâ ratione dicendi disputasse; & eâ platanus admonuit nos Veterum deliciarum, quæ in platanorum, amœnorumque nemorum cultu cernebantur; etiam quantum Prisci platanis, & opacarum arborum amœnitate delectati fuerint, exponemus. Et, ut ab eo, quod primum proposui, potissimum exordiar, ambulationum duo genera antiquitus habebantur; nam [a] & Hypæthræ, & Hypogeæ ambulationes extiterunt. Hypæ-
2 thræ [b] dictæ sunt, quasi ὑπὸ τὴν αἴθραν, hoc est *sub dio*; de hypæthris loquutus est [c] Vitruvius, quum dixit: *nec puto dubium esse, quin amplissimas, & ornatissimas sub dio, Hypæthrisque collocari oporteat in Civitatibus ambulationes*. Hypogeæ [d] appellatæ quasi sub terrâ ὑπὸ γαῖαν, quòd essent porticus parietibus inclusæ, quæ & Cryptoporticus nuncupantur; Plinius [e] epistolâ decimaseptimâ libri secundi: *ante cryptoporticum Xystus violis odoratus; teporem Solis infusi cryptoporticus auget*; & Sidonius [f] Apollinaris: *a cryptoporticu in biemale triclinium venitur*. Non dissimiles ambulationibus & gestationes fuisse crediderim; certè non dissimi- 3
lem in villis usum præbuerunt; quarum in suæ villæ descriptione meminit [g] Plinius, ubi a bajulis gestatoriâ sellâ portabantur valetudinis, & commodi causâ; quando etiam gestationem inter corporis exercitationes [h] Medici collocant. Ambulationes autem non solùm in villis, sed etiam prope [i] templa fiebant; hinc apud Ciceronem pro domo suâ leguntur hæc verba: *postem teneri in dedicatione oportere videor audisse templi; ibi enim postis est, ubi templi aditus est, & valvæ; ambulationis postes nemo unquam tenuit in dedicando*; & in gymnasiis, atque palæstris, ut declarat Vitruvius libro quinto capite undecimo, & [l] Plinius, qui libro duodecimo in Academiæ, quam constat gymnasium fuisse, ambulatione celebratas platanos extitisse confirmat. Dicuntur autem ambulationes etiam deambulacra; sic 4
Sidonius Apollinaris ait libro secundo epistolâ secundâ: *in extimo deambulacri capite*: dicuntur & deambulatoria; sic in [m] Gordiano juniore Capitolinus, *quod*, inquit, *esset deambulatorium; ita ut in capite basilicæ esset pedum quingentorum*: dicuntur denique & ambulatoriæ porticus; ita eas [n] Ulpianus appellat his verbis: *quæ tectum porticus ambulatoriæ sustinent*. Quæ quum de ambulationibus dixerimus, progrediemur, Auditores, ad alteram dissertationis partem; qua quanto in pretio Veteres habuerint platanorum amœnam opacitatem, aliarumque arborum, quæ non fructu, sed specie, & amœnitate delectant, nobis est exponendum. Nec abutemur [o] in hoc loco Xerxis insaniâ, qui platanum fertur adamasse; quum 5
enim in Græciam Græcis bellum illaturus cum innumerabilibus copiis proficisceretur, & in Lydiâ platanum invenisset ingen-

[a] Vid. Hieron. Mercurial. in Arte Gymnast. libro 5. cap. 11. & 12. [b] Vitruvius libr. 6. cap. 9. & Budæus in Pandect. l. Athletas ff. de his, qui not. infam. [c] Vitruv. libr. 5. cap. 9. [d] Petron. Arbit. in Satyric. Hesychius in Lexic. & Tertull. adversùs Gentes. [e] Plinius idem libr. quoque 5. Epistol. 6. & libr. 9. Epist. 36 [f] Sidonius Apollinar. libr. 2. Epist. 2. ad Domitium. [g] Plinius libr. 2. Epist. 17. [h] Galenus de tuendâ Sanitat. libr. 2. & ad Thrasybulum, Cœlius Aurelian. libr. 1. cap. 2. Cornelius Celsus libr. 2. de Medicin. cap. 15. & Hieronym. Mercurial. de Arte Gymnast. libr. 6. cap. 9. 10. & 11. [i] Vitruv. libr. 5. cap. 9. [l] Plinius libr. 12. cap. 1. [m] Jul. Capitol. in Vitâ Gordian. Junior. circa finem. [n] Ulpian. in L. Sicuti 8. §. Competit 1. ff. Si Servit. vendic. [o] Herodotus in Polyhymniâ, sive libr. 7. cap. 31. & Ælian. libr. 9. cap. 39. Var. Lection. & libr. 2. cap. 14.

genti proceritate conspicuam, & magnitudine, umbraque, non solùm circa ipsam positis castris diutiùs, quàm belli ratio pateretur, contemplandæ arboris causâ est commoratus; sed & pretiosas vestes, & aureas armillas, & gemmata monilia ex eâ suspendi jussit; & hominem, qui curaret, & milites, qui defenderent ipsam, reliquit. Nec abutemur furore Pauli [a] Passieni bis Consulis, qui arborem in agro Tusculano dicitur dilexisse; adeo ut amplecteretur, osculareturque; hi quippe amore illo absurdo, quo multi feruntur incensi, quum flagraverint, insaniâ potiùs, quàm judicio
6 eum arboribus cultum adhibuerunt. Sic etiam adolescentulus [b] ille, qui simulacrum Bonæ Fortunæ insanum in modum adamavit; & quum senatum supplex adisset, & infimis precibus contendisset, ut emere sibi liceret, nec id impetrasset, seipsum interemit; & [c] qui Gnidiam Praxitelis Venerem quum deperiret, incestavit; eodem errore mentis ducti, quo Xerxes, & Paulus Passienus, portentoso genere cupiditatis exarserunt. Est enim quidam amoris furor, qui prodigio similis habeatur; quo ferunt homines inflammatos aliquando, nec mutas animantes caruisse; siquidem Glaucen [d] citharistriam a cane tradunt adamatam: Solis autem [e] urbe Ciliciæ pueri Xenophontis amatorem canem extitisse, & Spartæ [f] formosi adolescentuli graculum; & [g] Aristophanis Grammatici elephantem fuisse rivalem; & Idumæam [h] mulierem a dracone dilectam, qui cum eâ noctu fine noxâ cubuerit; & Ægii in Urbe [i] Achajæ amore pueri anserem captum. Ad id ge-
7 nus referendus amor erga platanum Xerxis, & Passieni; nos autem de hoc non loquimur, sed de quodam studio, quo Veteres hujusmodi deliciarum tenebantur; quod verum reputantibus non longiùs multo aberat ab insaniâ, quàm superiores amores. Neque enim ab insaniâ remotum fuisse crediderim Hortensii Oratoris colendæ platani studium; qui illam vino fertur irrigasse, & in quadam [l] actione, quam habuit cum Cicerone susceptam, precariò a Tullio postulasse, ut secum dicendi locum commutaret; abire eum in villam necessariò se velle, ut vinum platano, quàm in Tusculano posuerat, ipse suffunderet; quòd Plinius [m] refert vulgò factitatum, &
8 vulgò platanos vino solitas irrigari; quod & ex [n] Martialis epigrammate constat, qui de platano a Cæsare consitâ sic ait:

Crevit, & effuso lætior umbra mero.

Extat etiam de hac re in Anthologiæ libro primo epigramma in platanum; quam quum venti evertissent, & erectam vino dominus irrigasset, Poëta affirmat lætiùs umbram diffundere; sic enim [o] loquitur:

Εὐθαλέα πλάτανόν με νότυ βαρυλάιλαπες αὖραι
Ῥίζης ἐξ αὐτῆς ἐσόρεσαν δαπέδω:
Λυσαμένη βρομίῳ δ' ἔςην πάλιν, ὄμβρον ἔχυσα
Χέυματι, κ) θάλπει τῦ Διὸς ἡδύτερον:
Ὀλλυμένη δ' ἔζησα, μόνη δὲ πιῦσα λυαῖον,
Α῎λλων κλινομένων ὀρθοτέρη βλέπομαι:

quod epigramma sic in latinum sermonem vertimus:

Frondentem latè platanum a radicibus imis
Eruit insani me gravis ira Noti;
Lenæo madefacta steti; fuit imber hic almi
Solstitio, & brumâ gratior imbre Jovis.
Mortua jam vixi, Bacchique liquoribus haustis
Despicio stratum rectior ipsa nemus.



DIS-

---

[a] Plinius libr. 16. Natur. Histor. cap. 44. [b] Ælianus libr. 9 cap. 39. Var. Histor. qui tradit hoc simulacrum fuisse in Pritaneo. [c] Plinius libr. 36. cap. 5. Histor. Natural. [d] Ælian. de Animalibus libr. 1. cap. 6. & Var. Histor. libr. 9. cap. 39. & Plutarch. de Pythiâ. [e] Ælian. libr. 9. Var. Hist. cap. 39. & de Animal. libr. 1. cap. 6. [f] Idem Ælian. Var. Hist. & de Animalib. ibidem, [g] Idem de Anim. libr. 2. cap. 38. & Plinius libr. 8. cap. 5. [h] Ælian. de Animal. libr. 6. cap. 17. [i] Idem libro 5. de Animal. cap. 29. [l] Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 13. in princ. [m] Plin. libr. 12. cap. 1. [n] Martialis libr. 9. Epigramm. 62. [o] Antholog. libr. 1. εἰς δένδρ epigr. 2.

DISSERTATIO XXIII.

De Studio, quo Veteres tenebantur, arborum amœnarum.

Apicius lacte lactucas irrigabat, hinc gloriabatur sibi placentas humo nasci. Platanus duodeviginti convivis umbram præbebot; fuerunt & aliæ, quæ quemlibet convivarum numerum reciperent. In Cretâ extabat Platanus, quæ folia nunquam amittebat; unde Græci mentiuntur Jovem sub eâ stuprum Europæ intulisse. Pausanias laudat Menelaidem Platanum ab ipso Menelao consitam. Italia voluptoriis nemoribus consita alimenta Incolis sufficere non poterat. Domus aurea Neronis. Myrtus, & buxus in ferorum formas figurabantur; quod opus topiarium, est appellatum. Platanus a latitudine ramorum, foliorumque dicta est, unde Græci loca latè patentia πλατανιστὰς appellabant.

APicius ille, qui profundissimus gurges [a] est habitus, inter cetera, quæ invenit, gulæ irritamenta, illud excogitavit palmare, quod lacte lactucas irrigavit; & quum eæ, ut consentaneum est, suaviores provenirent, sibi placentas humo nasci gloriabatur. Non minore de-
1 mentiâ Romani, quo platani lætiores venirent, radicibus [b] vinum affundebant; nisi forte minoris est insaniæ umbræ causâ, quàm voluptatis tantum profundere. De hoc invento Veterum sermone, qui proximè habitus est, diximus, Auditores, quum verba faceremus de studio, quo platanos, & alias amœnas arbores Antiqui colebant; de quo etiam hodie mihi disserendum est; quum ad eum [c] locum venerimus, ubi mentionem facit platani, quæ in Tusculano Crassi patulis diffusa ramis, & densitate foliorum conspicua visebatur. Licèt [d] autem id inventum vino platanos irrigandi fuerit Romanorum, nec aliæ nationes tanto impendio arbores aluerint; tamen gloriari non possunt pulchriores platanos habuisse, quàm ceteros; nimirum etiam sponte naturæ humore largiter affuso radicibus platani solent pulcherrimè provenire. In Lyciâ igitur [e] platanus fuisse
2 memoratur, quæ sociâ fontis amœnitate viruit, tantâ luxurie ramorum, foliorumque, ut neque Solem admitteret, neque imbres; & imaginem præseferret opaci specus, & duodeviginti convivis sub ipsa epulantibus largè thoros præbentibus frondibus umbram ministraret; in Cretâ [f] etiam alia dicitur extitisse, quæ fonte vicino perfusa, folia nunquam dimitteret; unde Græcis occasio mentiendi sub eâ Jovem Europæ stuprum intulisse. Celebrantur & [g] a Pausaniâ platani in ripâ Pieri fluminis, quæ fluentis aquæ vicinitate lætissimæ ad tantam magnitudinem adoleverunt, tantam opacitatem umbræ potantibus præbebant, ut quemlibet numerum reciperent convivarum; & non aliter sub ipsis epulantes, quàm sub profundis cavernis delitescerent.
Idem [h] scriptor laudat & platanorum ne- 3
mus, quod inter Pontinum, & Amymonen fluvios pulcherrimum visebatur; laudat & [i] Menelaidem Platanum ab ipso Menelao consitam, & ejusdem nominis fontem inumbrantem. Admirantur etiam Antiqui [l] platanos, quæ in Academiâ celeberrimo Orbis terrarum Gymnasio spectabantur: admiratur & [m] Statius platanum Atedii Melioris; ex quo intelligi potest, quanti fecerint Prisci platanos; quum eas immortalitati scriptorum suorum mandare non dubitaverint. Sed & illud argumentum est intemperantis in hac parte luxus, quod Italiam, quæ innumeris quondam populis alimenta largè solebat ministrare, nec unquam famem, aut frugum inopiam pertimescere; ita nemoribus inutilem facturis umbram compleverunt, ut fructiferis arboribus locus non relinqueretur; & illa populorum altrix e longinquis regionibus advecto frumento aleretur, & externam opem expectaret; id queritur [n] Horatius, qui sic ait:

Jam pauca aratro jugera regiæ
Moles relinquent; undique latiùs
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu, platanusque cælebs
Evincet ulmos......

Et Tiberius [o] apud Cornelium Tacitum
queritur, quod Italia externæ opis indiga 4
transmarinis copiis sustentetur; & ejus mali causam esse pronunciat infinita villarum spatia, & amœna nemora, quæ fertiles agros, & frugiferarum arborum locum occupabant; verba Taciti sunt hæc: *at hercule nemo refert, quod Italia externæ opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris,*

[a] Plinius Natur. Histor. libr. 30. cap. 48. & Athenæus libr. 7. Dion libr. 57. Cornelius Tacit. Annal. libr. 4. in princip. & Seneca de Consolatione ad Elbiam. [b] Plinius Natural. Histor. libr. 12. cap. 1. [c] Cicer. libr. 1. de Oratore. [d] Plinius libr. 12. cap. 1. [e] Idem Plinius ibidem. [f] Plinius libr. 12. cap. 1. [g] Pausanias in Achaicis, sive libr. 7. [h] Idem eodem loco, & Corinthiacis, sive libr. 2. [i] Idem in Arcadic. sive libr. 8. [l] Plinius libr. 12. cap. 1. Natural. Histor. [m] Statius libr. 2. Sylv. 3. de Arbore Aredii. [n] Horat. libr. 2. Ode 15. [o] Cornel. Tacit. Annal. libr. 3. cap. 54.

ris, & tempestatum quotidie volvitur; at nisi provinciarum copiæ & dominis, & servitiis, & agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora, nostræque villæ tuebuntur? Nec verò solum villas, sed & domos urbanas his amœnitatibus ornatas volebant; notum
5 est [a] Crassum habuisse domum sexagies, hoc est centum quinquaginta millibus nostratium aureorum æstimatam; in eâ fuisse Lotos sex ingenti umbrâ, admirabili amœnitate; hanc domum ut Crassus ornaret, columnas [b] Hymettias emit centum millibus; objecit id ei Domitius ejus æmulus, & in censurâ collega, & Censorem populi Romani in ædibus tanti pretii habitare exprobravit; quum sexagies sestertiûm se pro illis daturum confirmaret, addicere se velle simulavit Crassus, ut æmuli reprehensionem eluderet, sed excipere se dixit sex Lotos; tum Domitius nummo se empturum, si illæ exciperentur, negavit; tum Crassus, uter, inquit, magis reprehendendus, ego, qui ædes, quæ mihi hereditate obvenerunt, habitem, an tu, qui sexagies sestertiûm sex arbusculas æstimes? Sed & Tibullus te-
6 statur in domibus admirationi fuisse lucos, & nemora, sic enim [c] loquitur:

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Aurateæque trabes, marmoreumque solum.

Et Nero, auctore Cornelio [d] Tacito, in aureâ domo, quam construxit, non tam gemmas, & aurum, quibus ea effulgebat, quàm antra, speluncasque, & nemora voluit esse miraculo. Ea verò nemora simulacris ferarum exornabantur; idcirco Martialis libro tertio [e] cecinit:

Proxima centenis ostenditur ursa columnis,
Exornant fictæ quà platanona feræ.

Arborum autem trunci ramique, ne quid,
7 nisi virens, appareret, hederâ vestiebantur, ut in platania villæ suæ [f] Plinius ostendit; arbusculæ, quæ id pati poterant, ut myrtus, & buxus, aliæque hujusmodi, in ferarum [g] formas, tonsæ figurabantur, quod opus [h] topiarium est appellatum; ut silvæ feræ suæ inesse viderentur; hinc Plinius [i] ait: *pronusque pulvinus, cui bestiarum effigies invicem adversas buxus inscripsit*; omninoque variè rondebantur, omnia generis figuras exprimebant; idem [l] Plinius junior: *ambit hunc ambulatio pressis, vorieque tonsis viridibus inclusa.* Locus autem plata-
8 nis consitus platanon vocabatur; sicut is, qui lauro, Daphnon a voce græcâ *Daphne*, quæ significat laurum; utramque vocem reperias [m] apud Martialem, qui dixit:

Daphnonas, Platanonas, & aërias Cyparissos.

Sed & Plinius epistolâ ad Caninium locum platanis consitum platanonem [n] appellavit: *quid*, inquit, πλατάνων *opacissimus?* Illud etiam non omittendum, quod ad rem videtur pertinere, platanum ἀπὸ πλάτους a latitudine ramorum, foliorumque esse dictam; quam nominis originem Tullius hoc loco [o] respicit, qui de platano sic ait: *quæ non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis*; unde Græci loca latè patentia πλατανῶνας appellabant.

DISSERTATIO XXIV.

De Calceorum luxu; & de Pulvinis, & Sedibus, quas in Ambulationibus habebant.

Scipioni Africano vitio datum est, quod crepidatus gymnasia Græcorum frequentaret. Feminæ imagines lascivarum voluptatum expressas auro pedibus gestabant. Dioclelianus instituit calceos gemmatos inter cetera esse principatus insignia. Octophorus erat lectica, quam octo servi portabant.

Leve est, quod in præsentiâ nobis occurrit primo loco explicandum; Quinctus Mutius admonitus aspectu platani, quæ in ambulatione Crassi villæ Tusculanæ patulis diffusa ramis, umbraque lætissima, pulcherrimaque visebatur, ejus meminit platani, quæ est in Phædro Platonis; 1
meminit & Socratis, qui sub eâ divinitus fertur esse philosophatus; utitur [p] autem his verbis: *sed quod ille durissimis pedibus fecit, ut se abjiceret in herbam, atque ita illa, quæ philosophi divinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certè concedi est æquius*; cui Crassus respondet, *immo verò commodiùs etiam, pulvinosque poposcisse, & omnes in his sedibus, quæ erant sub platano, consedisse dicebat.* Ad quem locum illustrandum, cur durissimis pedibus fuisse dicat Socratem, exponemus; deque reliquis, quæ in verbis Ciceronis occurrunt notatu digna, dicemus. Socratem igitur constat duritiam vitæ amplexum cum cetero victu pertenui, 2
vestituque vili, ac parabili usum, tum plerunque pedibus nudis incessisse; testatur id

[a] Val. Max. l. 9. c. 1. n. 3. Plin. l. 17. c. 1. in princ. [b] Plin. l. 36. c. 3. [c] Tibull libr. 3. El. 3. [d] Tacit. Annal. libr. 15. n. 42. [e] Martial. libr. 3. Ep. 19. [f] Plin. Epistol. libr. 2. Epist. 17. ad Gallum [g] Jul. Firmic. libr. 8. cap. 10. [h] Africanus in l. Cum quæreretur 58. §. Prædiis ff. de leg. 3. & l. Instrumenta 8. in fin. ff. de fund. instr. legat. Vitruv. appellat Topia libr. 5. cap. 8. & libr. 7. cap. 5. [i] Plinius libr. 5. Epist. 6. [l] Idem Plin. ibid. [m] Martialis libr. 12. epigr. 50. & l. 3. epigr. 19. Vitruv. libr. 5. cap. 11. [n] Plin. libr. 1. Ep. 3. ad Canin. [o] Cic. de Orat. l. 1. [p] Idem ibid.

id ejus inimicus Aristophanes, qui de Socrate sic [a] loquitur;

Κἂν ὑποδητὰς κακὰ πολλ' ἀνέχῃ, ϗ ἐν ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς:

& apud [b] Athenæum sic ait:

Τὺς ὠχριῶντας, τὺς ἀνυποδήτυς λέγεις,
Ὧν ὁ κακοδαίμων Σωκράτης, ϗ Χαιρεφῶν:

& Plato in Convivio, quum induxisset Socratem lotum, & calceatum, addit rarò Philosophum calceos usurpasse; & in Phædro Socratem facit nudis pedibus ambulantem; & Xenophon [c] eundem calceis non usum esse testatur; id Tullius respiciens durissimis pedibus in herbam se abjecisse confirmat. Fuit autem id eorum, qui duram, severamque virtutem sequerentur, nudis pedibus incedere; sic [d] Xenophon
3 in Republicâ Spartanorum testatur Lycurgum legem tulisse, qua pueri calceis uti vetarentur: sic Diogenes [e] Laërtius tradit Diogenem Cynicum Xeniadis domini sui Liberos, quos instituebat, assuefecisse sine calceis ambulare: sic Diogenes ipse dicitur nudis [f] pedibus nivem calcasse, arenamque Solis æstivi ardore ferventem. Contra [g] verò calceis uti mollibus, & delicatis parum virile putabatur; ideo Socrates Sycionios calceos damnavit; nam quum Lysias orator ipsi reo orationem attulisset, qua, si vellet, uteretur ad crimina, quibus in judicium vocabatur, diluenda, sese usurum negavit; quum diceret, ut si mihi Sycionios calceos attulisses, quamvis apti essent ad pedem, quia parum viriles viderentur, non acciperem; sic hanc orationem, quamvis commodè scriptam, quia parum virilem judico, repudiabo; & [h] Cicero Verrem vehe-
4 mentissimè reprehendit, quòd steterit soleatus Prætor populi Romani mulierculâ nixus in litore; & Africano [i] Scipioni vitio datum est, quòd crepidatus gymnasia Græcorum celebraret; & Clemens Alexandrinus [l] crepidas atticas damnat, & cothurnos persicos, & etruscos, & sandalia; & viris nudos pedes putat convenire, vel blautas, & phæcasia. Ælianus [m] autem Romanas feminas laudat, quòd calceis virilibus uterentur; & jure laudat, siquidem ingentem luxus materiem fugiebant; nam & gemmis ornasse calceos [n] nonnullas, & aureis ornamentis, aureisque clavis insignivisse, & imagines lascivarum voluptatum expressas auro pedibus gestasse memoriæ proditum est. Nec intra feminas luxus hic stetit; nam [o] Agnon unus ex amicis Alexandri Macedonis aureos clavos calceis infixos gerebat; & Cajus Imperator [p] calceis gemmas inserebat, quod etiam Heliogabalus [q] factitavit; Diocletianus [r] autem id esse instituit inter cetera insignia principatus. Sed quid ego a Socrate digressus,
& loco Ciceronis tam multa de calceorum 5
luxu verba feci? quin potiùs ad propositum Auctoris nostri locum revertimur? ne, ut ait apud Athenæum [s] Agathon poëta,

Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Sequuntur verba, quibus Cicero significat sub platano sedes fuisse, & in his Crassum, ceterosque pulvinis positis consedisse; est autem adnotandum in ambulationibus locis opportunis consuevisse fieri sedes e marmore, ubi scilicet stationes erant, ut ex Vitruvio [t] diximus; testatur id Plinius Epistolâ sextâ libro quincto, qui ambulationem suæ villæ describens ait: *sunt locis pluribus disposita sedilia e marmore, quæ ambulatione fessos, ut cubiculum ipsum juvant*. Et quid se-
des diximus? etiam cubicula, & diætas in- 6
ter amœnas arbores, fontesque salientes condebant; ut non solùm considere possent ambulatione defessi, verùm etiam cubare, & inter avium garritus, aquarumque cadentium murmur somnum jucundè caperent; idem [u] Plinius: *e regione stibadii adversum cubiculum; tantum stibadio reddit ornatus, quantum accipit ab illo*; & paulo post: *mox diætula refugit quasi in cubiculum idem, atque aliud; lectus hic, & undique fenestræ, & tamen lumen obscurum umbrâ premente; nam lætissima vitis per omne tectum in culmen nititur, & ascendit; non secus ibi, quàm in nemore jaceas, imbrem tantum tanquam in nemore non senties*; loquitur autem de loco, ubi erat ambulatio, & sedilia e marmore. Atque id unum luxus Veterum, & de-
liciarum vestigium in Ciceronis verbis re- 7
peritur; alterum, quod non ante Crassus, reliquique consederunt, quàm Crassus, ut pulvini afferrentur, imperavit; nec mirum in privatâ villâ, quum dominus omnis conquireret, quæ ad hospitum commodum,

&

a Aristophanes in Nubib. & apud Laërtium in Vitâ Socratis libr. 2. segm. 28. b Idem Aristophan. in Nubib. apud Athen. libr. 4. cap. 3. c Xenophon Memorabil. libr. 1. d Xenoph. in Lacedæm. Republ. e Diog. Laërt. in Vitâ Diogenis libr. 6. segm. 31. f Idem ibidem segm. 34. g Idem Diog. Laërt. in Vit. Socratis libr. 2. segm. 40. & 41. & Cicer. libr. 1. de Orator. h Cicer. in Verr. libr. 5. i T. Livius libr. 29. l Clem. Alexandr. in Pædagog. de calceament. cap. 11. libr. 2. m Ælianus libr. 7. cap. 11. Var. Hist. n Plinius libr. 9. cap. 35. & Clem. Alexandr. in Pædagog. de calceam. cap. 11. libr. 2. Justin. libr. 38. Val. Max. libro 9. cap. 1. Plin. l. 33. c. 3. & Athen. libr. 12. o Ælian. Var. Histor. libr. 9. cap. 3. & Plinius libr. 33. cap. 3. p Plin. libr. 37. cap. 2. q Lampr. in Vitâ Heliogabali, & Alexandri Severi. r Eutrop. libr. 9. s Agathon apud Athen. libr. 5. in princip. t Vitruv. libr. 5. u Plin. libr. 5. Epist. 6.

& delicias pertinerent, eum pulvinos poposcisse, quum in amphitheatro senatores, & fortasse equites pulvinis positis considerent; quod factitatum [a] esse Dio Cassius declarat his verbis: *τάτε προσκεφάλαια τοῖς βουλευταῖς, ὅπως μὴ ἐπὶ γυμνῶν τῶν σανίδων καθίζωνται, πρῶτον τότε ὑπετέθη, καὶ πίλους σφίσι τὸν θεσσαλικὸν τρόπον ἐς τὰ θέατρα φορεῖν, ἵνα μὴ ἡλιώσει ταλαιπωρῶνται, ἐπετράπη*: quæ verba sic explicamus: *& tunc primùm suppositi sunt pulvini senatoribus, ne nudis tabulis insiderent, & permissum est ipsis, ut pileos thessalico more factos in theatra ferrent, ne Solis ardore læderentur*; & Juvenalis indicare videtur equitibus etiam in amphitheatro concessos esse [b] pulvinos: ..... *exeat, inquit,*

Si pudor est, & de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit ......

Qui mos longè antiquior apud Græcos,
8 quum Theophrastus ejus meminerit in Characteribus, ubi his verbis utitur: *καὶ τοῦ παιδὸς ἐν τῷ θεάτρῳ ἀφελόμενος τὰ προσκεφάλαια αὐτὸς ὑπέστρωσε*: hoc est: *& quum in theatro pulvinum ademerit, puero ipse substravit*; sed in publico pulvinorum usus recentior, in privato vetustior; quum [c] Plautus in Sticho ejus mentionem fecerit his verbis:

...... Pin. *assìde hìc, pater,*
Ant. *Non sedeo, istbic vos sedete, ego sedero in subsellio*
Pin. *Mane pulvinum* Ant. *Bene procuras satis sic fultum est mihi.*

Itaque apud Ciceronem [d] Verres octophoro portatur, in qua erat pulvinus Melitensis rosâ fartus; & quoniam octophori incidit mentio, quo nomine lectica dicitur, quam octo servi ferebant, admonemur etiam in lecticis consuevisse pulvinos olim substerni; quod quasi molle nimis, & delicatum acerrimus vitiorum objurgator Seneca [e] reprehendit his verbis: *equestri insidens statuæ in sacrâ viâ celeberrimo loco Clælia exprobrat juvenibus nostris pulvinum ascendentibus in eâ illos urbe sic ingredi, in qua etiam feminas equo donavimus*; id etiam Juvenalis tanquam superbum [f] carpit:

Qui dedit ergo tribus patruis aconita vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos.

In quo tamen pulvino qui ferebantur, jacebant [g] resupini, non sedebant, quemadmodum Lipsius docet; ante usum verò pulvinorum substravisse pelles videntur; idque heroicis temporibus est usurpatum; hinc Virgilius [h] cecinit.

Præcipuumque thoro, & villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solioque invitat acerno.

DSSERTATIO XXV.

De Oratione Crassi.

In quocumque genere causæ docilitas, & attentio auditorum concilianda est; benevolentia autem non semper. Poëtæ invocatione Musarum attentionem potiùs aucupantur, quàm benevolentiam, licèt Quintilianus repugnet. Reginam Mortalium Euripides eloquentiam dixit. Eloquentiæ laudes.

RHetorum est illud pervulgatum, contritumque præceptum initio dicendi dociles; & attentos, & benevolos auditores, prout causæ genus, quam suscepimus, postulat, esse faciendos; & docilitatem qui-
dem auditorum, attentionemque omne ge- 1
nus causæ desiderare [i] Quintiliano videtur. Quid enim prodest apud eos verba facere, qui nesciunt, quid dicas, aut non attendunt? nonne id est, ut [l] poëtæ loquuntur, surdis omnino canere? benevolentiam semper aucupari non est necesse. Neque enim qui laudes Deorum, aut heroum celebrabant, benevolentiam auditorum conciliare sibi cogebantur; propterea quod omnes, qui non omnino sunt contemptores Numinis, qui pauci sunt, divinam illam, immortalemque naturam laudibus ferri concupiscunt; & in quibus est aliquis sensus humanitatis, eorum laudes, qui egregiis factis immortalitatem sunt consequuti, pronis auribus accipiunt universi. Nec qui Athenis orationes in eorum
funere [m] habebant, qui pro Patriâ dimi- 2
cantes mortem oppetierant, qua in oratione Athenienses apud Athenienses laudabant, quod esse facillimum Socrates [n] pronunciavit, magnopere laborare debebant, ut libenter audirentur ab iis, de quorum amplitudine verba faciebant; quum, ut Themistocles [o] verè dicere solebat, unicuique jucundissimum sit acroama vox ejus, a quo sua virtus prædicatur. Omnes denique, qui exornant aliquem dicendo, vel apud deliberantes sententiam dicunt, quod genus deliberativum vocant, non habent ferè necesse captare benevolentiam auditorum; nam & qui laudat, fungitur munere haudquaquam in vulgus odioso, & qui deliberanti consilium dat, eo ipso quod consulit, auditorem sibi demeretur;

[a] Dio Cassius libr. 59. [b] Juvenal. Sat. 3. vers. 154. [c] Plaut. in Sticho Act. 1. Sc. 2. v. 35. [d] Cicer. in Verr. libr. 5. de Supplic. [e] Seneca de Consol. ad Marciam c. 16. [f] Juven. Sat. 1. v. 158. [g] Plutarch. Symp. quæst. libr. 5. quæst. 6. Vid. Jo: Alstorphium de Lecticis Veterum. [h] Virg. Æneid. libr. 8. v. 157. [i] Quintil. libr. 4. cap. 1. [l] Virg. Ecl. 10. v. 8. [m] Plato in Menexen. Aristot. l. 1. Rhet. & A. Gell. Noct. Act. l. 10. c. 18. [n] Socr. apud Plat. ibid. in princ. [o] Plut. in Vit. Themist.

at dociles, & attentos non solùm oratores, verùm etiam alii scriptores faciunt; siquidem & poetæ, qua de re sint scripturi, proponunt, & se de rebus eximiis, & illustribus dicturos esse confirmant, & invocatione Musarum attentionem sibi conciliant magis, quàm, ut [a] Quintilianus putat, benevolentiam; quum quod sine Deorum immortalium ope confici non potest, magnum esse videatur; & Historici non minùs ut initio operum suorum attentum reddant, docilemque lectorem, solent laborare, ut exempla passim declarant; & ceteri scriptores docilitatem, attentionemque desiderant. Quod autem alii præstant apertius,
3 tiùs, id occultiùs, & artificiosiùs initio operis de Oratore, quod suscepimus explicandum, Cicero præstitit; nam quum docilem lectorem reddidisset, proponendo sese ea litteris mandaturum, quæ doctissimi, & ejus ætatis longè disertissimi homines inter se de ratione dicendi sunt colloquuti; induxit deinde Crassum oratoriæ facultatis laudes celebrantem, qua Crassi oratione lectorem sibi attentum concinnavit; est enim naturâ comparatum, ut eos attentè, qui de rebus magnis, atque præclaris, & laude dignis disserunt, audiamus. Eâ verò oratione, de qua sumus hodierno die, & deinceps dicturi, collaudat Sulpicium, & Cottam, quòd ineunte ætate tantam essent eloquentiæ laudem consequuti, ut non æqualibus tantùm antecellerent, sed etiam majoribus natu compararentur. Hac occa-
4 sione sumptâ confirmat nihil sibi in rebus humanis eloquentiâ præstabilius, nihil majus videri; quòd ea hominum mentes tenere, cœtus allicere, devincire, moderari, quò autem velit, voluntates impellere, unde velit, possit deducere; ejus præstantiam ex eo perspici posse, quòd in omni libero populo regnum quoddam tenuerit animorum; ex quo constat hanc facultatem reginam suapte naturâ esse Mortalium, quod Euripides [b] verissimè dixit. Nam ubi homines liberi sunt, & arbitrii sui huic soli volunt inservire, nec sponte alterius imperiis, nisi hujus, obsequuntur. Nec id esse mirum asseverat; est enim admirabile maximè, quod omnibus natura dedit, id posse vel unum, vel cum paucis egregiè præstare; nihil autem ornatâ oratione jucundius, nihil gravius eo sermone, in quo sententiarum pondus certet cum splendore verborum, & orationis nervi cum copiâ dicendi, cum eloquentiæ specie, ac venustate jungantur. Id verò potens, atque magnificum, quod oratoris eloquentiâ po- 5
puli motus excitantur, sedanturve, senatusque gravitas, ac judicum religiones convertuntur; nec minùs planè regium, liberale, munificum, quod oratoris beneficio supplicibus fertur auxilium, afflicti excitantur, in capitis discrimen adducti pericula depelluntur, a sordibus, a lacrymis ad meliorem cultum, fortunamque rei traducuntur. Jam adversùs calumniantium fraudes, adversùs Inimicorum odia, adversùs perditorum civium furorem, & scelus eloquentiæ arma esse tutissima; siquis quippe se innocentiâ solâ tectum confidit improborum, malevolorum, invidorumque machinas, & astus elusurum, Theramenis [c], Aristidis [d], Socratis [e], Phocionis [f], Rutilii [g] exemplis redarguitur; qui quum essent exemplar innocentiæ ab Inimicis circumventi vel exilium, vel iniquissimam mortem pertulerunt. Illa verò oratorum ornamenta non contemnenda, quòd in 6
omni genere sermonis orator excellit, facetiis affluit, omni est doctrinâ & humanitate perpolitus; quare [h] quum oratione præcipuè homines mutis animantibus antecellant, in oratione poliendâ, perficiendaque, & augendâ nobis laborandum inprimis; ut qua re homines vel maximè bestiis præstant, eâ nos ceteris hominibus præstemus. Hæc [i] enim homines a ferâ, agrestique vitâ ad hanc plenam mansuetudinis, plenam humanitatis deduxit; eloquentes nimirum dispersos homines, & in silvis ferarum more degentes in urbes congregarunt, congregatis leges, judicia, jura descripserunt. Neque enim illi feri, illi agrestes, illi nescii juris, & æquitatis ignari, & societatis impatientes unquam se legum jugo submisissent, nisi aliquis oratione prudenti ostendisset commoda societatis, legum bona, utilitatem civitatum, damna, calamitatesque, quæ a solitudine, agrestique vitâ in humanum genus redundarent; quàm longè jus injuriæ præstaret, quanto tutiùs inter homines, quàm inter belluas vita degeretur. Hæc est ferè sententia orationis, quam habens [l] Crassus inducitur; quam nos quàm paucissimis complexi sumus, ut tota sub aspectum vestrum caderet; de iis autem, quæ eâ continentur, aliis diebus disseremus.

DIS-

[a] Quintil. Instit. Orat. libr. 4. cap. 1. [b] Euripid. in Hecubâ. [c] Suid. in V. Θηραμένης. [d] Plutarch. in Vit. Themistocl. Herodot. in Uraniâ, sive libr. 8. cap. 79. & Cornel. Nep. in Vit. Aristid. cap. 1. [e] Diog. Laërt. in Vit. Socrat. libr. 2. [f] Cornelius Nep. in Vit. Phocionis cap. 19. [g] Senaca de Beneficiis libr. 6. cap. 37. de Consol. ad Marciam cap. 22, & Epist. 24. [h] Cicero de Inventione circa princip. [i] Idem libr. 1. de Oratore, & pro P. Sextio. [l] Crassus apud Ciceronem libr. 1. de Oratore.

DISSERTATIO XXVI.

De Jurejurando Judicum.

Antiquitus Judices erant Reges; sed Principum socordiâ, & legum multitudine, atque discrepantiâ factum est, ut privati judicent. Anicula a Philippo dormiente ad vigilantem appellavit. Judices, & Arbitri in leges jurabant; scilicet se a legibus non recessuros; sicut se rata, & firma Cæsaris acta habituros jusjurandum præstabant, qui in acta Cæsaris jurabant. Tiberius, quominus in acta sua juraretur, intercessit. Divinatio est causæ genus, qua quæritur, quis accusator sit futurus. Lege Juliâ cautum est; ne quis viginti annis minor esset Judex.

IN oratione Crassi, qua Cicero laudat eloquentiam, quæ præbet occasionem eloquentissimis viris disserendi de oratoriâ facultate, cujus sententiam complexi sumus hesterno die, multa sunt, quæ debent a nobis illustrari; sed alia in aliud tempus differemus; longum quippe est de omnibus disputare; hodierno die nobis hæc dumtaxat verba Ciceronis explicanda [a] proponemus: *quid &c. aut tam potens, tamque magnificum, quàm populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem unius oratione converti?* cui loco Ci-
1 ceronis ut lucem afferamus, causam, cur judicibus propriè religionem tribuat, exponemus. Judicandi munus Antiqui maximum, maximique momenti existimabant; judices enim intelligebant habere in cives vitæ, necisque potestatem; ex judicum arbitrio bona cujusque, fortunasque pendere; judicem esse legem viventem, judicum fide, & religione Reipublicæ salutem contineri; quæ justitiâ frui, hoc est fundamento, & vinculo civitatis non potest, si careat judicum æquitate. Quapropter & heroicis temporibus, ut [b] ex Homero, aliisque poëtis constat, judicandi munus ad Reges pertinebat, quia id regium maximè videbatur, qui mos postea diutissimè mansit. Hinc [c] Philippum Regem accepimus, quum inter jus dicendum dormitaret, ab aniculâ increpitum; nam quum contra ipsam judicasset, ea exclamavit, *provoco*: ad quem? respondit Philippus commotior; a Philippo, inquit, dormiente ad vigilantem; quo audito Philippus causâ diligentiùs cognitâ aniculæ litem adjudicavit. Hinc assiduitatem in jure [d] dicundo Cæsaris, Augusti [e] diligentiam Historici 2
laudant; contra levitatem [f] Claudii, & inconstantiam damnant. Nec Regum solùm fuit, sed & Cæsarum judicia exercere, donec socordiâ Principum, & multitudine, ac discrepantiâ legum factum est, ut, quod maximè regium est, privatorum esse videretur. Quo fit, ut, quum justitiæ fruendæ causâ constituti sint Reges, justitiâ autem per judices fruamur, non Reges, sed privati regium munus administrent, & habeant Regum vim, & potestatem. Quum igitur summa Reipublicæ in judicum fide, æqui- 3
tate, religione sit posita, meritò Veteres hanc maximis vinculis astringendam, ne ullâ vi labefactari, aut agi transversa posset, censuerunt; maximum [g] autem religionis, & fidei vinculum jusjurandum; idcirco judices juratos sententiam ferre coëgerunt. Non ergo mirum, si Cicero judicibus tribuit religionem, quum judices jurisjurandi [h] religione, quæ maxima est, tenerentur; ideo Cicero oratione pro Sexto Roscio Amerino sic ait: *nonne cum multa indigna, tum vel hoc indignissimum est, vos idoneos habitos, per quorum sententias, jusque jurandum id assequantur, quod antea ipsi scelere, & ferro assequi consueverunt?* & in oratione pro Aulo Cluentio: *illi*, inquit, *audiebant, de quo jurati sententias ferre debebant*; loquitur autem de judicibus; & secundâ in Verrem actione: *hoc factum esse in hac civitate, quum senatorius ordo judicaret, ut discoloribus signis juratorum hominum sententiæ notarentur.* Jurabant autem judices in leges, quo jurejurando confir- 4
mabant sese a sententiâ legum non recessuros; sicut qui in acta Cæsaris jurabant, jusjurandum præstabant sese rata, & firme Cæsaris acta habituros. Hujus exemplum rei est apud Dionem libro quadragesimo septimo, ubi sic Historicus loquitur: *ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ αὐτοί τε ὤμοσαν, καὶ τοὺς ἄλλους ὥρκωσαν βέβαια πάντα τὰ ὑπ' ἐκείνου Καίσαρος Ὀκταουιανοῦ γενόμενα*: quæ verba sic latinè redduntur: *primo anni die juraverunt, & alios jurejurando adegerunt omnia Cæsaris acta rata habituros.* Hoc exemplo est institutum, ut magistratus in acta Principum jurarent; ideo [i] Tiberius moderationis egregiam laudem tulit, quòd intercessit, quominus in acta sua juraretur. Sed ut ad judices revertamur, non solùm judices co- 5
gebantur secundùm leges judicare, sed etiam pœnâ a legibus constitutâ esse contenti;

[a] Cicero de Orator. libr. 1. [b] Homerus in Iliade. [c] Plutarch. in Apophthegmat. [d] Sueton. in Vitâ Cæsaris cap. 43. [e] Idem Suetonius in Vit. Augusti cap. 33. [f] Idem in Vitâ Claudii capit. 15.

[g] A Gell. libr. 7. cap. 18. & Cicer. libr. 3. de Offic. [h] Ascon. Pæd. Act. 2. in Verr. [i] Corn. Tac. Annal. libr. 1. cap. 72. & Suet. in Vit. Tiber. cap. 26. & Dion Roman. Histor. libr. 57.

ti; itaque majora crimina, quàm ut ordinariâ pœnâ plecti deberent, senatus ipse judicabat, qui nullius præscripto legis tenebatur. Unum genus causæ fuit, ut Asconius [a] Pædianus testatur, in quo judices jurejurando soluti sententiam ferebant; quum de accusatore constituendo quærebatur; quod causæ genus divinatio nuncupatur, eo quod judices de eo, quod esset futurum, judicarent; cujus exemplum est apud Ciceronem in Verrem, ubi Tullius [b] quærit sibi, an Cæcilio committenda sit Verris accusatio; in ceteris causis judices jurisjurandi religione tenebantur; & ideo Cicero judicibus, ut diximus, religiones attribuit. Nec id proprium ju-
6 dicum Romanorum, sed etiam [c] Athenis jurabant judices se secundùm leges, & scita populi, & quingentorum senatus consulta judicaturos. Jurabant & se veterum injuriarum memoriam non habituros, & se trigesimum ætatis annum complevisse; ideo Julius [d] Pollux ait: ἐδίκαζον δὲ οἱ ὑπὲρ τριάκοντα ἔτη: hoc est: *de causis cognoscebant, qui triginta annos confecerant*; in quo cautiores Athenienses, quàm Romani; nam lege Juliâ cautum [e] est, ne quis minor annis viginti in judicibus sederet. Præterea
7 jurejurando affirmabant se, & accusatorem, & reum similiter audituros; ideo Demosthenes de Coronâ dixit: ἀλλὰ τὺς νόμυς, κ̧ τὸν ὅρκον, ἐν ᾧ πρὸς ἅπασι τοῖς ἄλλοις δικαίοις, κ̧ τῦτο γέγραπ]αι, τὸ ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι: τῦτο δ' ἐςὶν, ὐ μόνον τὸ μὴ προκατεγνωκέναι μηδὲν, οὐδὲ τὸ τὴν εὔνοιαν ἴσην ἀμφοτέροις ἀποδοῦναι, ἀλλὰ κ̧ τὸ τῇ τάξει, κ̧ τῇ ἀπολογίᾳ, ὡς βεβύληται, κ̧ προῄρηται τῶν ἀγωνιζομένων ἕκαςος, ὕτως ἐᾶσαι χρήσασθαι: quæ verba ita verti possunt: *sed leges, jusque jurandum, in quo præter cetera jura & hoc conscriptum est, similiter ambos audire; hoc autem est non solùm nihil præjudicati afferre, neque æqualem ambobus tribuere benevolentiam; sed & permittere, ut unusquisque eorum, qui vocantur in judicium, utatur eo ordine, & defensione, qua uti voluit, & præoptavit*. Ad hæc jusjuran-
8 dum dabant se ob rem judicandam dona non accepturos; qui secus fecisset, pecuniâ mulctabatur; in quo severiores longè Romani, qui [f] judices pecuniâ corruptos capite puniebant; licèt hæc pœna postea fuerit mitigata; testemque invocabant Apollinem patrium, & Cererem, & Jovem Regem; quos precabantur, ut, si pejerassent, se malos malè perderent, suamque domum, stirpemque omnem eodem exitio involverent. His religionibus judices obstringebantur; sed & arbitri jurejurando fidem suam obligabant.

DISSERTATIO XXVII.

De Facetiis oratorum.

Laurea Tullius libertus tres libros de Ciceronis facetiis conscripsit. Licèt Demostheni sales defuisse tradant, illius multa salsissima celebrantur. Facetus *interdum pro* eleganti, *&* sciro *accipitur. Athenis fuit locus, in quem sexaginta scurræ conveniebant; quorum facetias ad se perscribendas quotidie curavit Philippus. Lamia, & Gnathæna meretrices facetiis præditerunt.*

MAcrobius [g] non contemnendus Auctor duos eloquentissimos Romanorum viros Plautum, & Ciceronem animadvertit omnem gentem togatam, cunctumque nomen latinum facetiarum copiâ, & urbanitate superasse; adeo ut alterius comœdiæ ex multitudine falsè argutèque dictorum noscerentur; alterius tam multi 1
sales circumferrentur; ut Laurea Tullius ejus Libertus tres libros de Ciceronis facetiis conscripserit; Cæsar [h] autem orator non ignobilis hac urbanitatis laude dicitur præstitisse; & Crassus [i] qui suæ ætatis oratores vicit universos, jocorum copiâ, & elegantiâ nemini concedebat; Lucilius magis putatur sale redundasse, quàm doctrinâ; Demostheni [l] verò summo Græcorum rhetori & si ferunt sales defuisse, tamen in eâ sententiâ sum, ut magis putem facetiis uti noluisse, quòd esset austerior naturâ, utpote qui a vino [m] abstineret, semperque gravioribus curis distineretur, quàm quòd ei facetè dicendi facultas defuerit. Siquidem [n] etiam Demosthenis nonnulls salsissima dicta celebrantur; cujusmodi est illud, quo [o] Pytheam Atheniensium legationes traducentem refutavir. Quum enim Pytheas asinino lacti Atheniensium legationem comparasset; quòd sicut lac asininum in quam domum infertur, eam ægram esse licet conjectare; ita in quam civitatem Atheniensium legatio veni-

[a] Asconius Pædian. ad Cicer. Act. 2. in Verrem, Cicero pro Cluentio. [b] Cicero Divinar. in Verrem. [c] Julius Pollux libr. 8. cap. 6. & 7. & Heraclid. in Polit. Atheniens. in fin. [d] Idem Julius Pollux ibidem. [e] L. cum lege 41. ff. de Arbitris secundùm Pand. Florentin. [f] Aul. Gell. libr. 20. cap. 1. [g] Macrob. Saturnal. libr. 2. cap. 1. [h] Cicero de Clar. Orator. & libr. 2. de Orator. [i] Cic. libr. 2. de Oratore, & Plin. Nat. Histor. libr. 17. cap. 1. [l] Cicer. libr. 2. de Orator. [m] Plutarch. Sympos. quæst. libr. 9. quæst. 6. & Athen. libr. 2. cap. 6. [n] Cicer. in Oratore ad Brutum. [o] Plutarchus in Vitâ Demosthenis.

veniret, cum esset necesse ægrotare; Demosthenes id adversarii dictum in Atheniensium laudem convertit; nam ut, inquit, hac asininum causâ salutis infertur; ita Atheniensium legatio semper adest ad civitatum salutem restituendam. Illud e-
2 tiam [a] a Demosthene falsè dictum memoratur; quum Demades dixisset: me Demosthenes, sus Minervam, respondit Demosthenes: atqui ista Minerva nuper in adulterio deprehensa est. Nec minùs facetum illud, quod in furem, qui Chalcus vocabatur, nocturnas ipsi vigilias, lucubrationesque exprobrantem dixisse fertur: scio, inquit, me tibi molestum esse, quòd accendo lucernam, & ad populum conversus: ne miremini, inquit, furta fieri quàm plurima, quum parietes lateritios, Chalcos fures habeamus; lusit in ambiguo nominis *Chalcus*, quo fur ille appellabatur, quæ vox æreum græco sermone significat. Qui joci sunt argumento, ne illum quidem oratorem, quem propter gravitatem, severitatemque morum haudquaquam aptum ad risum fuisse tradiderunt, salibus, facetiisque caruisse; ex quo colligi potest quanta ceteri oratores egregii urbanitate redundarint, quum qui ejus expers prorsus fuisse dicitur, eâ reperiatur abundasse. Jure igi-
3 tur Cicero eloquentium vult esse proprium sermonem facetum, & salibus affluentem; is autem locus Ciceronis ad hunc modum se [b] habet: *age verò, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque mediteris, quid esse potest in otio aut jucundius, aut magis proprium humanitatis, quàm sermo facetus, ac nullâ in re rudis?* Qui Ciceronis locus ex his, quæ diximus, non incommodè possit explicari; quum ostenderimus oratores omnes facetiarum, & urbanitatis laudem assequutos; constat a Cicerone meritò sermonem facetum in eloquentiæ laudibus poni; ut enim iram, vel invidiam concitare, vel misericordiam, ita risum movere est proprium oratoris. Atque hac dote non sine causâ gloriatur orator; nam & in negotio multa confecerunt tempestivæ facetiæ; & in otio nihil est festivius, nihil, quod animos magis levet, relaxet, ad hilaritatem excitet, quàm sales. Verumta-
4 men non me fugit Ciceronis locum aliter posse enarrari; facetum quippe dici constat interdum non quod risum movet; quo genere Plautus, vetusque Græcorum comœdia redundavit; nec quod acumino suo delectat ingenium, & quasi vellicat; sed quod est elegans, & scitum, quod ab ineptiis, atque stultitiâ quàm maximè dissidet; quod rem verbis ob oculos ponit. Hinc [c] Horatius Virgilio tribuit facetum dicendi genus, sic enim loquitur:

..... *molle, atque facetum*
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ;

quum virgiliana majestas nunquam facetiis utatur, & salibus; & Catullus [d] appellat sæculum infacetum his verbis:

O sæclum insipiens, & infacetum!

Quo in loco infacetum sæculum non significat id, quod dictis argutis, & salsis caret; sed rude, & minùs intelligens pulchritudinis elegantiarum, & venustatum, quibus Lesbia præfulgebat. Quapropter vetus [e] Gramma-
ticus facetum esse docet eum, qui facit verbis, quod vult; & Isidorus in Glossis manuscriptis tanquam idem significantiâ videtur ponere facetum, & eloquentem, quum ait: *facetus, urbanus, dicax, eloquens*. Quæ exempla declarant sic accipi locum Ciceronis posse; ut facetus dicatur orator, etiam si risu movendo, salibusque minùs valeat; ne Tullii dictum confutare videatur exemplum Demosthenis iis, qui putant illum virum ingenio fuisse ad jocandum minùs idoneo, & accommodato. Et sanè Cicero videtur se ipsum exponere; nam paulo post, ubi Scævola ad hunc locum respondet, nihil loquitur de facetiis, sed [f] ait: *alterum, quod remoto foro, concione, judiciis, senatu, statuisti, oratorem in omni genere sermonis, & humanitatis esse perfectum;* quæ satis ostendunt Crassum non tam salsum, & dicacem oratorem esse voluisse, quàm in omni genere sermonis elegantem, & perpolitum. Præsertim quum arguté, facete-
que dicta non ita propria doctorum habeantur, ut non etiam imperitis contigerint; 6
nam equitum [g] Romanorum facetissimus fuit Granius, etiam si non doctissimus; & Sarmentus [h] scurra jocis, & facetiis affluebat. Nec aliâ arte parasiti sibi victum quærebant, & divitum cenas affectabant, quàm ridiculis, & salsis dictis; hinc apud comicum [i] Poëtam parasitus queritur parasitorum artem non esse in pretio, sed periisse funditus; neminem ridere jocosa dicta; se in frequenti hominum conventu prompsisse unum de dictis melioribus, quibus antea menstruum victum solebat consequi; & neminem se ad cenam vocasse, neminem artifisse; sed se dictum, & cenam perdidisse. Athenis [l] autem fuit lo-
cus, in quem sexaginta scurræ conveniebant, non illi quidem satis eruditi, sed qui 7
risum movere possent; adeo ut, horum face-

---

[a] Plutarch. in libr. cui titulus: Præcepta gerendæ Reipublicæ. [b] Cicer. in Orat. libr. 1. paulo post princ. [c] Horat. libr. 1. Sat. 10. [d] Catull. epigr. 44. [e] Donatus ad Eunuch. Terent. Act. 3. Sc. 1.
[f] Cicer. de Orat. libr. 1. [g] Idem de Orat. libr. 2. [h] Horat. serm. libr. 1. Satyr. 5. v. 52. [i] Plautus Capt. Act. 3. Sc. 1. [l] Athen. libr. 14. cap. 1.

cetiæ ut ad se perscriberentur quotidie, curasse Philippum Regem tradat Athenæus; sed[a] idem scriptor Lamiam nobile scortum, & Gnathænam facetiis tradit præstitisse; ac multarum meretricum facetissima dicta, & urbanitatis plena commemorat. Ne igitur oratori Ciceronem tribuisse laudem affirmemus, quæ indoctis, & scurris, & parasitis, & scortis contigit, facetum sermonem esse doctum, scitum, venustum, perpolitum interpretabimur.

DISSERTATIO XXVIII.

In eundem Ciceronis locum.

Qui alicujus disciplinæ perfectam scientiam vult comparare, universas possidere eum oportet. Initio rhetores de quacumque re proposità se posse dicere profitebantur; postea hanc laudem philosophi sibi vindicarunt; hinc nonnulli apicularum laudationes instituerunt; salis, mortis, febris, & aliarum hujusmodi rerum. Carneadem, quum ab Atheniensibus Romam legatus missus esset, cogere, non persuadere Romani dictitabant. Hippias Eleus non solùm omnium rerum scientiam se tenere gloriabatur, sed etiam omnes artes; adeout anulum, vestem, & calceos, quos gestabat, suis manibus confecisse dicatur.

A Doctissimis viris præclarè dictum accepimus, Auditores ornatissimi, omnes artes liberales, & disciplinas ita cognatione quadam esse conjunctas, inter seque connexas, ut a se invicem divelli, separarique non possint; sed qui unius per-
1 fectam scientiam sibi vult comparare, cogatur in aliarum quoque studio elaborare, & ei, qui unam concupivit, appetendæ sint universæ; nec alias aliis esse impedimento, sed se invicem adjuvare non obruentes ingenia multitudine, sed alentes cognitione rerum maximarum. Quapropter aliam volunt esse rationem exercitationum, quæ ad corpus pertinent, & studiorum, quæ spectant ad animum excolendum; in exercitationibus corporis, qui multis operam dederunt, in singulis deteriores repeπiuntur; ut[b] pentathli, qui quia se in quinque certaminum generibus exercebant, ab iis, qui in uno dumtaxat elaborarant, vincebantur; in doctissimis autem eum maximè antecellere, qui aliarum quoque scientiam assumpserit; tales[c] fuisse Pythagoram, Democritum[d], Platonem, aliosque nonnullos, quos in philosophià perfectos putant extitisse; qui orbem illum disciplinarum scientià, & cognitione comprehenderant; & nullius artis, qua ornantur animi, & aluntur, expertes esse voluerant. Quod si nobiles disciplinæ, quæ
tam inter se diversæ videntur, ita cohæ- 2
rent, ita copulantur, ut qui in unà excellit, in aliis rudis esse non possit; quanto magis in eloquentià, quæ una est, non multiplex, qui forensibus causis dicendi summam gloriam est consequutus, eum necesse est in omni genere sermonis esse perfectum, nec in foro tantùm, & in curià animos auditorum detinere; sed & inter Amicos in familiari colloquio esse jucundum; & quum se ad studia contulerit aliarum facultatum, de iis ornatissimè posse, copiosissimeque disputare? Atque hoc est, quod ait[e] Cicero in loco, quem explicamus: *age verò ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque mediteris, quid esse potest in otio aut jucundius, aut magis proprium humanitatis, quàm sermo facetus, ac nullâ in re rudis?* nam facetum sermonem diximus appellari non tam eum, qui sale, facetiisque affluit, sed qui scitus est, & elegans, & omnes eloquentiæ numeros complectitur.
Quapropter affirmare videtur oratorem de 3
quacunque re, quam tractare voluerit, graviter, eleganter, & cum summâ ubertate dicturum; quod initio rhetores antiqui profitebantur, qui nullis terminis circumscribebant jus suum. Idcirco[f] Gorgias Leontinus princeps est ausus in magno hominum conventu de quacumque re propositâ extempore disceptare; quem vulgò sequuti rhetores de omnibus, quæ possunt in disceptationem venire, dicere non recusarunt; itaque & de rerum naturâ, & de mathematicis, & de re militari, & de ratione medendi, & de moribus, ceterisque, quum auditores se de iis audire velle dixissent, disserebant. Cujus ostentationis generi sic indulserunt, ut nihil tam parvum fuerit, quod non verbis extollere; nihil contra tam amplum, tamque splendidum, quod non dicendo abjicere, & obscurare; nihil tam absurdum, quod non persuadere contenderent. Quocirca Po-
lycrates[g] Busiridem immanissimum tyran- 4
num laudavit, & Socratem mitissimum virum,

---

[a] Athen. libr. 13. cap. 5. [b] Fest. Pomp. in V. *Pentathlum*. [c] Diog. Laërt. & Jamblichus in Vit. Pythagor. [d] Idem Laërt. in Vit. Democrit. & Platonis. [e] Cicer. de Orator. libr. 1. [f] Cicer. de Orator. libr. 1. & Dionys. Halic. in judicio de Isocrate, & Quintilian. Instit. Orat. libr. 12. cap. 11. [g] Isocrat. in laudatione Busiridis in procemio, & Demetrius Phalereus de Elocutione, & Quintil. Instit. Orat. libr. 2. cap. 17. & libr. 3. cap. 1.

rum, & omni laude cumulatum vituperavit; nec rhetores defuerunt, qui apicularum, & salis laudationes conscriberent; Hegesias[a] mortis laudes ornatissimâ oratione est persequutus; nec febri non laudator contigit, nec mendicorum vitæ; cujus generis apud Lucianum leguntur & muscæ laudes, & Phalaridis, & parasiti, & pantomimorum; alii autem non posse falsum dici, alii sermones nullos esse contrarios conati sunt ostendere; Protagoras autem, quod cuique videtur, id esse verum [b] affirmavit. Sed hi, quum in rebus absurdis,
5 aut apertè falsis, aut nimis exiguis dicendi copiam ostentarent, miraculo fuerunt imperitis, a sapientibus contemnebantur; qui nolunt in levibus, & parvis multum operæ, ac studii collocari. Ceterùm consuetudo de quacumque re propositâ disserendi & magno in pretio fuit, & quum ab oratoribus esset relicta, a philosophis retenta est. Nam Academia[c] hanc laudem de qualibet re acutè disputandi, copioseque complexa est; Academici siquidem jubebant auditores proponere, de qua re vellent audire; deque eâ in utranque partem eloquentissimè disputabant. Hanc eloquentissimus ille Carneades illustravit; quem Cicero testatur [d] nullam rem labefactare dicendo voluisse, quam non everterit; nullam affirmare, quam non probarit, nullam ostendere, quæ non tam clara, quàm ea, quæ oculis cernuntur, videretur. Hic quum
6 ab [e] Atheniensibus Romam legatus missus esset, Romani dictitabant missum ab Atheniensibus oratorem, qui non persuaderet, sed cogeret; tanta vis in illo fuit, tamque latè patens eloquentia, ut in omnes partes funderet se se, & omnia, quæcumque sibi proponeret, beatissimo verborum flumine circumflueret. Hanc igitur copiam, quæ in rhetoribus vetustissimis, quæ in Academicis, & Carneade, multisque philosophis fuit, futuram in oratore Cicero confirmat; quum ejus proprium esse [f] asseverat sermonem facetum, & nullâ in re rudem; & ita oratorem Ciceto in antiquâ possessione collocat, qua dejectus fuerat a philosophis; vel ipse cesserat, dum laborem nimis reformidat, & infinitum putat de omnibus, quæ in disceptationem cadere possunt, disputare; & jus suum foro, & curiæ parietibus circumscribit. Quas angustias adeo rhetores antiqui sunt aspernati, ut [g] Hippias Eleus, non solùm 7
omnium scientiam sit professus, non solùm se de omnibus ubertimè posse, & ornatissimè dicere sit gloriatus, sed etiam omnes artes tenere, quamvis minùs liberales; adeo ut & anulum, quem gestabat, & vestem, quam induerat, & calceos, quos induxerat, & omnem corporis ornatum, quo pulcherrimo utebatur, suis manibus ipse confecerit; tanta est ingenii humani magnitudo, tanta mentis velocitas, ut cuncta comprehendat, cuncta tam brevi spatio permeet, & peragret; nec ullâ re aliâ animus magis fidem facit suæ divinitatis, quàm quod nullis finibus concluditur.

DISSERTATIO XXIX.

De Rostris, Foro, Subselliis, & Curiâ.

Fora septendecim Romæ recenset Publius Victor; Panvinius autem novemdecim. Area fori Cæsaris millies ducenties, hoc est tricies centena millia nostrorum aureorum. Fori Trajani magnificentia, in cujus medio extabat columna altitudine centumvigintitrium pedum. Subsellia unde appellata sint. Fregisse subsellia dici poëtas, qui non placuerunt, putant Eruditi; sed ex Juvenale id neutiquam deduci potest; certè Sidonius Apollinaris, & Savaro ejus interpres frangere sedilia dixerunt eum, qui tantos plausus excitaret, ut sedilia frangerentur; nec ineptum est dicere Juvenalem idem voluisse significare, ac Virgilius, quum dixit arbusta a cicadis rumpi, & voce columnas idem Juvenalis alibi. Curia pro senatu accipitur, unde sit appellata, Curiones quid essent. Curiæ a Sabinis virginibus nomen accepisse dicuntur, quamquam id Plutarchus negat. Curia Calabra a calatione nuncupata est.

QUod rhetores [h] tradunt omnem vim oratoris in tres partes esse distributam; earum unam ad demonstrativum quod appellant genus, quod ἐπιδεικτικὸν Græcis dicitur, pertinere; cujus generis oratio apud

a Valer. Maximus libr. 8. cap. 9. & Quintilian. Instit. Orator. libr. 3. cap. 7. b Cicer. quæst. Academic libr. 2. Diogen. Laërt. libr. 9. segm. 51. in Vitâ Protagor. Plato in Theæteto, Arist. Metaphys. libr. 3. cap. 5. & Sextus Empiric. adversùs Mathemat. c D. Augustin. contra Academicos. d Cicero de Orator. libr. 2. e Ælian. libr. 3. cap. 17. Var. Histor. Aul. Gell. libr. 17. cap. 21. Cic. de Oratore libr. 2. & in Epist. ad Atticum libr. 12. & Plin. Natural. Histor. libr. 7. cap. 30. Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 5. in fin. f Cicer. libr. 1. de Orator. g Apulejus Floridor. libr. 2. & Quintil. Institut. Orator. libr. 12. cap. 11. h Aristotel. Rhetoric. libr. 1. cap. 3. Cicero libr. 2. de Oratore, Quintilian. Instit. Orator. libr. 3. cap. 4.

pud populum viget; aliam ad deliberationem, quæ in senatu celebratur; tertiam ad judicia, quæ in reis defendendis, vel accusandis explicat vim suam; id [a] Cicero
1 tangit his verbis, quæ hodierno die nobis proponimus explicanda: *age verò, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque mediteris.* Nominat Cicero loca, in quibus omnis oratorum eloquentia explendescebat; nam omnis oratio aut ad populum, aut ad judices, aut apud senatum habebatur. Rostra, & Forum indicant conciones, quibus populi vis, aut excitabatur, aut incitata comprimebatur; de bello inferendo, de pace faciendâ, de creandis magistratibus agebatur, suadebantur leges, vel abrogabantur; Subsellia nobis exprimunt orationes judiciales; Curia verò eas, quæ in senatu dicebantur. Nam [b] Rostra fuerunt in Romano Foro; quo nomine suggestus appellabatur e rostris exstructus navium, quàs bello adversus Antiates Romani ceperunt; ea [c] Varro ante Curiam Hostiliam fixa prodidit; ex his oratores ad populum verba faciebant. Idcirco Mamertinus in gene-
2 thliaco: *Romani*, inquit, *Rostra campi novis ornentur exuviis, & oblitos jam Quirites in memoriam reducatis, cur ille solemnis concionibus locus Rostra vocitetur*; & [d] Cornelius Severus, quum eloquentium virorum in suggestu fixa ora tradat, ait:

Oraque magnanimûm spirantia pæne virorum
In Rostris jacuere suis......

In suis Rostris dicit ora disertorum esse collocata; *suis* nimirum, quia viventes ea tenuerant, & in his fuerant dominati, populumque pro arbitratu suo rexerant; & Suetonius in Cæsaris [e] vitâ: *Quæstor*, inquit, *Juliam amitam, uxoremque Corneliam defunctas laudavit e more pro rostris*; & [f] in Claudio: *in Liviæ Augustæ proaviæ suæ contubernio mansit, quam defunctam prætextatus etiam tum pro Rostris laudavit*; quæ declarant pro Rostris non solum haberi solitas de Republicâ conciones, verùm etiam orationes, quibus insignes viri feminæque, quum excesserant, ornabantur. Ad easdem conciones, & ad
3 judicia etiam pertinet Forum; Fora autem Romæ quàm plurima, quum Publius Victor de Urbis Regionibus septemdecim recenseat, Onufrius Panvinius [g] novemdecim; sed quinque maximè celebrantur; Forum Romanum [h], quod vetustissimum fuit, Forum [i] Cæsaris, cujus area millies ducenties fertur [l] constitisse; forum [m] Augusti, quod adjectum est propter judiciorum, hominumque multitudinem, cui duo Fora non sufficiebant; id Martis Ultoris templo, & Augusti colosso ornabatur; in eoque publica judicia, sortitionesque judicum fiebant; quæ tria Fora Martialis intelligit his
verbis [n]; 2

Causas, inquis, agam Cicerone disertiùs ipso
Atque erit in triplici par mihi nemo foro,

Sed quartum Forum [o] Domitianus inchoavit, absolvit Nerva, & transitorium appellavit; quinctum [p] Trajanus extruxit tan-
tâ magnificentiâ, ut non hominum, sed 4
gigantum opus videretur; nam immanes columnas, quibus amplissimæ porticus, aliæ super alias, sustinebantur, vix ab hominibus excindi, vix convehi potuisse quisquam credidisset; totum verò ædificium in tantam altitudinem exurgebat, ut spectantium oculos defatigaret, & montium montibus ingestorum speciem præseferret; in medio constitit columna altitudine centum viginti trium pedum pulcherrimè insculptis gestis a se rebus insignis; sed hæc fuerunt postea; Ciceronis ætate judicia in Romano Foro exercebantur. Fuerunt autem Fora loca latè quoquo 3
versus patentia, quæ porticibus cingebantur, relictis viarum intervallis, quibus Forum adibatur; porticibus autem aliæ porticus superexstructæ incumbebant; nec simplices erant porticus, sed duplices, aut triplices, aut etiam pluribus ordinibus columnarum. Jam ornamenta [q] statuarum, colossorum, ædium [r] sacrarum, basilicarumque, & columnarum non alibi plura, quàm in Foris, visebantur. Sed jam ad Ci-
ceronis locum revertamur; ad judicia per- 5
tinent Subsellia; hinc illud [s] Martialis carmen:

Rufe, vides illum subsellia prima tenentem.

Vir

---

a Cicer. de Oratore libr. 1. b Tit. Livius libr. 1. & 8. decad. 1. & Plin. libr. 16. cap. 4. c Varr. libr. 4. de L. Lat. Isidor. libr. 15. cap. 11. Ascon. Pædian. ad Cicer. Oration. pro Milone, & Val. Maxim. libr. 9. cap. 5. d Cornel. Sever. in Fragm. in princip. e Sueton. in Vit. Cæsar. cap. 6. f Idem in Vit. Claudii cap. 10. g Onuphrius Panvin. de Urbis Region. h Virgil. Æn. libr. 8. Propert. libr. 4. El. 2. Martial. libr. 1. Epigr. 77. Sueton. in Vit. Augusti cap. 72. & Plin. Nat. Hist. libr. 19. cap. 1. & Corn. Tac. libr. 12. Ann. n. 24. i Ovid. libr. 3. de Trist. El. 1. & Statius libr. 1. Silvar. & Martial. libr. 1. epigr. 118. l Suet. in Vit. Cæsar. cap. 26. & Plin. Nat. Hist. libr. 36. cap. 15. Vid. Henric. Glarean. in hunc loc. m Plin. ibid. & libr. 35. cap. 4. Suetonius in Vit. August. cap. 29. Plutarch. in Vit. Coriolani, & Ovid. de Ponto libro 4. El. 5. n Martial. libr. 3. epigr. 38. o Sueton. in Vit. Domitian. cap. 5. Æl. Lampr. in Vitâ Alexandri, & Euseb. in Chronic. p Spartian. in Vit. Hadriani, Jul. Capitol. in Vit. Antonin. Philosophi, Lamprid. in Alexandr. Sever. Aul. Gell. libr. 13. cap. 23. & P. Victor. Region. oct. Urbis. q Plin. Natur. Hist. libr. 34. cap. 6. & Vitruvius libr. 5. cap. 1. r Plin. libr. 15. cap. 18. Nat. Hist. Dionys. Halic. Ant. Rom. libr. 6. Strab. libr. 5. & Appian. Alex. libr. 2. Bell. Civil. s Martial. libr. 2. epigr. 29.

Vir [a] doctissimus ad Subsellia judicum putat referendum; & [b] Agellius dixit: *quia eloquentia in foro, & apud subsellia, silentium verò non in convivio, sed in cubiculo esse debet*; & Cicero libro secundo de Oratore: *ergo ista, inquit Antonius, tum a Crasso discessus, quum se de turbâ, & a subselliis in otium, ut cogitat, solitudinemque contulerit*. Asconius Pædianus in divinationem Ciceronis testatur Subsellia fuisse Tribunorum, Triumvirûm, Quæstorum, & minora judicia exercentium; & alio in loco subsellia esse affirmat eorum, qui judiciis disceptandis operam dabant. Ædiles quoque plebeji, & alii judices, & centumviri in Subselliis considebant; sed centumvirales causæ non in foro, sed in basilicis agebantur. In Subselliis igitur sedebant judices; circa
6 Subsellia verò stabat circumfusa populi multitudo, quæ ad audiendum oratorem convenerat; quæ, quia circumdabatur Subselliis, & tribunali, corona dicebatur. Huc respicit Ovidius [c] in armorum judicio, ubi poëta sic loquitur:

Consedere duces, & vulgi stante coronâ
Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax;

& Cicero [d] pro Milone, qui sic ait: *non enim coronâ consessus vester cinctus est, at solebat, non usitatâ frequentiâ stipati sumus*; & in [e] Verrem, quo loco sic ait: *tamen ne putamus patronum tuum in hoc crimine cerviculam jactaturum, ac populo se, ac coronæ daturum*? ubi, *coronæ se dare* est ad populum orationem convertere, populi animos commovere, populum ad favendum causæ traducere. Sed Quæsitor in tribunali sedebat;
7 testatur id Cicero [f] in Vatinium: *quæro ex te, Vatini, num quis in hac civitate post Urbem conditam tribunos plebis appellarit, ne causam diceret? num quis reus in tribunal sui Quæsitoris ascenderit, eumque vi deturbarit, subsellia dissiparit, urnas deleverit*? itemque in tribunali [g] sententiam ferebant Ædiles Curules, Prætores, Præfecti Urbis, & quicumque curuli sellâ utebantur; præsides in provinciis, & imperatores in castris, quod cespite extruebatur; in tribunali verò sella locabatur, a qua, [h] auctore Varrone, Subsellium est nuncupatum, quasi inferior sellâ; nam Prætor in judiciis sellâ, Subsellio judex utebatur. Nec verò Subsellia solùm judiciorum fuerunt, sed & theatrorum, & amphitheatri, & circi; ut Critici [i] notant, & vel ex hoc Suetonii loco [l] perspici potest, qui sic ait: *facto igitur decreto Patrum, ut quoties quid spectandum usquam publicè ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus*; & ex [m] Vitruvio, qui sic ait: *gradus, ubi subsellia componantur, ne minùs alti sint palmo pede*. Eadem 8
verò ratione dici Subsellia possunt in theatro, amphitheatro, & circo, qua dicta sunt in foro; nam sicut ibi Subsellia nuncupabantur, quia tribunal erat Prætoris, & in eo sella curulis locabatur; ita hic Prætor, vel qui ludos edebat, ex tribunali sellâ curuli sedens spectabat ludos; & qui in eodem plano sedebant, sub sellâ sedere videbantur. Idcirco [n] Suetonius testatur Vestalibus locum contra Prætoris tribunal attributum. A Subselliis autem theatrorum ductum loquendi genus observant eruditi; quo poëtæ, qui sua carmina recitantes non steterant, non placuerant, Subsellia fregisse dicebantur; quod volunt significasse Juvenalem, quum de Statio dixit [o]:

Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit quum Statius Urbem,
Promisitque diem; tantâ dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur; sed quum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Fregit, inquiunt, Subsellia, hoc est non stetit, excidit, non placuit in certamine poëtarum; cujus rei Statium testem citant, qui in Silvis queritur semel sibi adversam fuisse fortunam, quum ludis capitolini Jovis certavit. Sed mihi ambigua videtur hæc conjectatio; nam primùm Statius non af- 9
firmat se non placuisse, sed non esse coronatum, sed alium fuisse potiorem; verba Statii sunt hæc in [p] Silvâ ad uxorem:

...... Ter me vidisti Albana ferentem
Dona comis, sanctoque indutum Cæsaris auro
Visceribus complexa tuis, sertisque dedisti
Oscula anhela meis, tu quum Capitolia nostræ
Inficiata lyræ, sævum, ingratumque dolebas
Mecum victa Jovem......

& in [q] Epicedio in patrem:

Nam quod me mixtâ quercus non pressit olivâ,
Et fugit speratus honos, quum dulce parentis
Invida Tarpeji caneret te nostra magistro
Thebais......

Quid hîc satyrâ dignum? quater certavit Statius, ter coronatus est, semel victus; cur

[a] Domitius Calderin. ad hunc Martial. loc. [b] Aul. Gell. libr. 13. cap. 11. [c] Ovidius Metamorphos. libr. 13. v. 1. [d] Cicer. pro Milone in Exordio. [e] Idem Cic. in Verrem libr. 3. sive Oration. frumentar. [f] Cic. in Vatin. circa fin. [g] Vid. Aldum Man. l. 3. de Quæsit. per Epistol. Ep. 4. [h] Varro l. 4. de L. Lat. [i] Buleng de Circo c. 32. Just. Lipsius de Amphitheatro cap. 13. & 14. Thomas Dempsterus ad Rosinum libr. 5. cap. 10. & Valer. Chimentell. de Honore Biselli cap. 22. [l] Suetonius in Vit. Augusti cap. 44. [m] Vitruvius libr. 5. cap. 6. [n] Suetonius in Vitâ Augusti cap. 44. [o] Juvenalis Sat. 7. v. 82. [p] Statius libr. 3. in Silvâ ad Claudiam Uxorem. [q] Idem Stat. Silvar. libr. 5.

cur hoc nomine Statium Juvenalis irrideret? Euripides [a] nonaginta duas tragœdias
10 fecit decies quinquies [b] dumtaxat vicit: Sophocles ex [c] centum viginti tribus tragœdiis viginti quatuor victorias dumtaxat est assequutus: Æschylus [d], quum nonagies in certamen descenderit, vicies octies est coronatus. Prætereo poëtas ceteros, quorum nemo semper victor fuit; Homerus ipse [e] poëtico certamine dicitur esse superatus; quid ergo Statium Juvenalis satyrico sale defricaret, quòd ter coronam sit adeptus, semel e poëtico certamine victus excesserit; quum principes poëtarum longè pluribus vicibus victi fuerint, quàm vicerint. Deinde Juvenalis eo loco suscepit ostendendum poëticam non esse in pretio, poëtas præmiis non affici; quid minùs convenit, quàm afferre exempla poëtarum, qui, quum non placuissent, præmiis caruerunt? si Statius est explosus, non mirum est ipsum esurire; nunquam in honore fuerunt poëtæ, nunquam magnas opes sibi paraverunt, quorum carmina sunt improbata; etiam Augusti ætate, qua poë-
11 ticæ studium vel maximè colebatur, & divitiis affluebat, Bavius [f], & [g] Mævius negligebantur. Illud argumento est frigere Musas, quum poëtæ, qui omnium judicio comprobantur, qui cum summo plausu, & omnium delectatione audiuntur, in summâ paupertate versantur; & ideo Juvenalis exaggerat tantopere concursus hominum, qui fiebant ad Statium: exaggerat voluptatem vulgi, qua Statius audiebatur; ut ostendat non esse, cur quisquam poëtarum se meliore conditione speret usurum; quum ille, qui summam omnibus dulcedine carminum attulit voluptatem, fame laborarit. Quare haud scio, an frangere subsellia sit alio sensu prolatum a Juvenale; alio certè accepit, & protulit Sidonius Apollinaris, qui sic ait libro quinto epistolâ decimâ: *hunc olim perorantem, & rhetorica sedilia plausibili oratione frangentem socer eloquens ultro in familiam patritiam adscivit;* ubi Sidonius dixit frangere sedilia eum, qui tantos plausus excitaret, ut sedilia frangerentur, ut Savaro interpretatur. Mihi tamen in Juvenalis dicto videtur eadem esse hyperbole, quæ in illo [h] Virgilii versu:

Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ;

& in illo [i] Juvenalis:

Semper, & assiduo ruptæ lectore columnæ.

Sed de Subselliis satis; extremus verò locus, quem Cicero nominat, est Curia; 12
quam ad eas orationes, quæ in senatu habebantur, quum sententiam senatores rogabantur, diximus pertinere. Nam Curia senatus habendi locus; hinc [l] Propertius dixit:

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu;

& [m] Virgilius:

..... hoc illis curia templum,
Hæ sacris sedes epulis, hîc ariete cæso
Perpetuis soliti Patres considere mensis.

Quapropter interdum Curia sumitur pro senatu; Ovidius ita loquutus [n] est:

Sancte pater Patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques;

& [o] Lucanus in carmine de Pisonis laudibus:

Nec te, Piso, tamen populo sub judice solâ
Mirantur fora, sed numerosâ laude senatus
Excipit, & meritas reddit tibi curia voces.

Curia est [p] autem appellata a curâ, vel cu-
rando, quod ibi res humanæ curarentur; 13
nec verò solùm Curia senatorum, sed & sacerdotum [q]; in Curiis quippe res divinæ curabantur, a qua curatione dictæ sunt Curiæ; qua de causâ sic ait [r] Varro: *illa etiam curia dicitur, ubi cura sacrorum publica.* Nam Curiæ fuerunt ædes illæ sacræ, in quibus unaquæque pars civitatis congregabatur; & ubi negotia, quæ ad eam partem populi pertinebant, tractabantur; & ubi Diis ejus Curiæ propriis res divina fiebat. Romulus [s] quippe, quum Urbem conderet, populum universum in tres partes tribuit, quas tribus nuncupavit; earum partium singulas in denas partes divisit, & Curias nominavit; ita factæ sunt Curiæ triginta. His attribuit [t] ædes, attribuit Deos, quibus sacrificarent, quæ ædes etiam Curiæ vocabantur; ab iis [u] dicti curiones, qui fuerunt sacerdotes, qui cujusque Curiæ rem divinam administrabant; qui verò his præsidebat curio [x] maximus dicebatur. Curiæ [y] verò a virginibus Sabinis, quas 14
rapuerunt Romani, dicuntur nomen accepisse; Plutarchus [z] negat; eorum nominum

---

[a] Thom. Magister in Vit. Euripidis, Suidas in Voc. Εὐριπίδης, licèt Aul. Gell. libr. 17. cap. 4. tradat 75. [b] Thom. Magist. ibid. licèt A. Gell. & Suid. ibid. tradant quinquies vicisse. [c] Suidas in Voc. Σοφοκλῆς. [d] Idem in V. Αἰσχύλος. [e] Plutarch. in Sympos. sept. Sapient. [f] Virgil. Ecl. 3. v. 90. & Serv. ad hunc loc. [g] Horat. Epod. Od. 10. & Porphyr. ad hunc loc. [h] Virgil. Georgic. libr. 3. [i] Juvenal. Sat. 1. v. 13. [l] Propert. libr. 4. El. 1. [m] Virgil. Æneid. libr. 7. [n] Ovid. Fastor. libr. 2. [o] Lucan. ad Calpurn. Pison. v. 65. [p] Varr. de Vit. Pop. Rom. apud Nonnium, & Fest. Pomp. in V. *Curia*. [q] Fest. in V. *Nova Curia*. [r] Varr. l. 4. de L. Lat. [s] Dionys. Halic. libr. 2. Ant. Rom. Varr. ibid. T. Liv. libr. 1. Plutarch. in Vit. Romuli, & Pompon. l. 2. §. 1. ff. de origine juris. [t] Sextus Pomp. in V. *Calabra*. [u] Varro libr. 4. de L. L. & Plutarch. in Vit. Romul. [x] Fest. Pomp. in V. Maximus, & T. Liv. plurib. loc. [y] T. Liv. libr. 1. & Fest. Pomp. in V. *Calabra*. [z] Plut. in Vit. Romul.

minum octo dumtaxat extant, nam & [a] Forensis, & Raptæ, & Vellensis, & Velitiæ, & [b] Tiphatæ, & [c] Titiæ, & [d] Fauciæ, & Calabræ [e] nomina a scriptoribus memorantur; ex quibus Calabra sacris tantùm faciendis erat dedicata; quam sine calatione fuisse fas negant aperiri; unde nominis origo promanavit. Sed Curiæ etiam, ubi senatus habebatur, multæ; nam & Pompeji [f] Curia, & [g] Hostilia, & [h] Julia, & [i] Pompiliana, & [l] Gerusia, & [m] Octaviæ Curia, & Augusti fuerunt; quum autem Curia non adjecto nomine dicitur, placet Alexandro [n] Hostiliam Curiam intelligi; ea verò [o] fuisse apud Rostra perhibetur.

DISSERTATIO XXX.

Homines dicendi vi ab agresti, feraque vitâ revocatos.

Veteres existimarunt homines vel casu ex humo editos, vel decidentibus ex Æthere seminibus. Mulieres antiquitus in exesis arboribus partum edebant; idcirco proditum priscos homines ex arboribus esse natos. Thucydides notat antiquitus non fuisse dedecus latrocinari. In conviviis cædes frequentissimè fiebant apud Veteres. Cecrops primus matrimonia instituit. Saturnus Italis terræ colendæ rationem ostendit; Siculis verò, & Atheniensibus Ceres. Ichthyophagi piscibus, locustis Acridophagi victitarunt. Apud quosdam si quis uxori Regis fucum fecisset, paucorum pecorum mulctâ plectebatur. Hominum antiquorum feritatem sustulisse agriculturam Libanius, & Xenophon tradunt; Vitruvius verò architecturam.

TUllius [p] eo loco, quem sumus explicaturi deinceps, omnes publicas utilitates dicendi peritis hominibus acceptas referri putat oportere; nam & ini-
1 tio dispersum humanum genus in silvis, & omnis ignarum juris, nec sanè multum a bestiarum feritate disjunctum disertorum oratione commotum in unum locum con-

Tom. II.

venisse, & urbes condidisse, & leges accepisse, & artes paulatim excogitasse confirmat; & urbibus constitutis oratoris perfecti sapientiâ salutem contineri; verba, quibus hanc sententiam [q] Cicero explicat, sunt hæc: *quæ vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a ferâ, agrestique vitâ ad hunc humanum cultum, civilemque deducere; aut jam constitutis civitatibus leges, judicia, jura describere? ac ne plura, quæ sunt pene innumerabilia, consecter, comprehendam brevi; sic enim statuo perfecti oratoris moderatione, & sapientiâ non solùm ipsius dignitatem, sed, & privatorum plurimorum, & universæ Reipublicæ salutem maximè contineri.* Quæ verba quò magis possint intelligi, sciendum est Veteres e- 2
xistimasse homines vel casu ex humo editos, ut alias animantes, vel decidentibus ex Æthere cœlestibus in terram seminibus divinâ providentiâ procurante procreatos; sed [r] inermes, nudos, rudes artium, nescios juris, humanæ societatis expertes initio fuisse; in speluncis, aut cavis arborum habitasse, silvestribus pomis, & glandibus, & herbis victitasse; qui plus poterant, imbecillioribus vim intulisse, concubitus habuisse promiscuos, dispersos errasse per silvas, vel agros; feminas in exesis arboribus, vel concavis petris partum edidisse; idcirco proditum priscos homines ex arboribus esse natos, quam vitam Virgilius Octavo Æneidos libro describit his verbis:

Gensque virûm truncis, & duro Robore nata,
Queis neque mos, neque cultus erat, nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto;
Sed rami, atque asper victu venatus alebat;

& Lucretius libro quincto, cujus illi sunt versus:

Nec dum res igni scibant tractare, nec uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum;
Sed nemora, atque cavos montes, silvasque colebant,
Et frutices inter condebant squallida membra,
Verbera ventorum vitare, imbresque coacti;
Nec commune bonum poterant spectare, nec ullis
Moribus inter se scibant, nec legibus uti;

Kk 2 *Quod*

[a] Sext. Fest. Pomp. in V. *Novæ Curiæ*. [b] Idem in V. *Tiphata*. [c] Idem in V. *Titiensis*. [d] T. Livius libr. 9. Decad. 1. [e] Sext. Festus Pomp. in V. *Calabra*, Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 15. & Serv. ad libr. 8. Æneid. Virgil. v. *Romuleoque recens horrebat Regia culmo*. [f] Sueton. in Vit. Cæsar. cap. 80. [g] T. Livius libr. 1. & Valer. Max. libr. 9. cap. 5. §. 2. [h] Aul. Gell. libr. 14. cap. 7. [i] Flavius Vopiscus in Vit. Aurelian. [l] Varro libr. 4. de Ling. Lat. & Fest. Pomp. in V. *Gerusia*. [m] Plin. Histor. Natur. libr. 36. cap. 5. [n] Alexand. ab Alexandr. Dier. Genial. libr 1. cap. 16. [o] Val. Max. libr. 9. cap. 5. § 1. T. Livius libr. 1. & Ascon. Pædian. ad Orat. Cicer. pro Milone. [p] Cicer. de Orator libr. 1. [q] Cicer. ibidem. [r] Lucretius libr. 5. Plato in Menex. Porphyr. de Abstin. Animal. Avicenna in libro de Diluviis, Censorin. de Die Natali cap. 4. Nonios Marcell. in V. *Blitum*. Lactant. Firm. libr. 7. de Divino Præmio cap. 7. & Ovid. libr. 1. Metamorphos.

Quod cuique obtulerat prædæ fortuna, ferebat,
Sponte suâ sibi quisque valere, & vivere doctus,
Et Venus in silvis jungebat corpora amantum.

3 Quæ non prorsus abhorrent a veritate; nam licèt, qui finxit hominem, Deum, consentaneum sit ipsi artes ad vitam colendam necessarias tradidisse, tantumque lumen intelligentiæ, tantosque virtutis igniculos in animo accendisse; ut, quam alii disciplinâ percipiunt, scientiam rerum sponte naturæ sit assequutus, & ad honestatem naturali quodam impulsu, non magistri præceptis moveretur; & ab eo aliquod lumen veritatis, aliquas doctrinæ scintillas, aliquod recti, pravique discrimen in Posteros derivatum; tamen quum humanum genus per Orbem terrarum spargeretur, & alias, atque alias appeteret regiones, vix retinuit ullum semen virtutis, oblitum est omnem scientiam veritatis, & ad belluarum feritatem pæne delapsum est. Idque adeo vel ex eo intelligi potest, quod vetustissimis temporibus constat barbaros fuisse mores omnium populorum; Homerus tradit Cyclopes antiquissimos incolas Siciliæ nullam habuisse Rempublicam; sed dispersos in montibus egisse vitam, & unumquemque ab aliis separatum jus dixisse familiæ [a] suæ:

..... θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων, ἠδ' ἀλόχων, οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι.

Thucydides [b] notat antiquitus non fuisse
4 dedecus prædas ex alienis agris agere, exigere sedibus veteres incolas, latrocinari, piraticam facere; Athenæus [c] in conviviis cædes frequentissimè fieri consuevisse; quum cibum quisque ad se raperet, & ex eo rixæ orirentur; inde institutum, ut singulis partes tribuerentur. Cecropem [d] ferunt primum legitimam maris, & feminæ conjunctionem invenisse, ante incertam fuisse venerem; Saturnum [e] Italiæ ostendisse terræ colendæ rationem; Siculis, & Atheniensibus [f] Cererem; antea glandes cibum fuisse Mortalibus. Sed quid ego tam vetusta consector? quid obruta tenebris antiquitatis, & temporum historiæ luce carentium obscuritate sepulta conquiro? nonne historia testis est etiam recentioribus
5 sæculis fuisse genus Barbarorum, quod adeo carebat omni humano cultu, omni artis industriâ, ut piscibus vesci cogeretur, quos maris fluctus ejecisset, & in siccu destituisset; quod feminis communibus uteretur, nullam haberet Rempublicam, nullas leges, nulla instituta; quod genus ex ratione victus [g] Ichthyophagos appellarunt? fuisse gentem, quæ cujusdam herbæ radicibus victitaret? aliam, quæ tenerioribus arborum ramis aleretur, nullâ veste corpus velaret, connubiis ferarum more promiscuis uteretur? Troglodytas verò [h] specus pro domibus habuisse? errasse cum pecorum gregibus, ut [i] Scythas; eorum genti [l] universæ neminem imperasse; in cœtus plurimos fuisse divisos, singulos cœtus Regem elegisse; cujus uxori siquia fucum fecisset, paucorum pecorum mulctâ plecteretur, reliquas feminas omnium libidini patuisse? Acridophagos [m] usu locustarum, quum infinitam multitudinem re- 6
gio ferebat, se miserrimè sustentasse, nec alium cibum excogitare potuisse? Quid novi Orbis incolæ? in quantâ barbarie sunt, & in quantâ rerum ignoratione versati? Quæ exempla, quæ sunt pæne innumerabilia, qualis fuerit recenti Mundo vita, declarant; nec aliud sunt, quàm vestigia quædam vivendi rationis, qua prisco ævo homines utebantur. Nam si tot nationes, ut Lyrici Poëtæ verbis [n] utar,

...... *innumerabilis*
Annorum series, & fuga temporum

non condocefecit; si tam rudes manserunt, quum ipsas lunga ætas posset erudire, vel exempla aliarum gentium commovere; quàm rudes necesse est fuisse Mortales, quum neque temporis diuturnitas, neque exempla alienæ solertiæ ingeniis lucem attulissent? quum esset Orbis terrarum nuvus, ac novis ejus incolis omnia nova, & inopinata evenirent; ideoque indocti homines, incultique agerent? verissimè quippe Manilius [o] dixit;

Sed quum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo.

Fuit igitur tempus [p] illud, quo

Nec dum etiam doctas solertia fecerat artes,
Terraque sub rudibus cessabat vasta colonis.

Hanc autem vitæ feritatem, atque inscitiam quænam sustulerit, certant inter se artes 7
non-

[a] Homer. Odyss. ι. v. 114. [b] Thucyd. Histor. libr. 1. [c] Athen. libr. 1. cap. 10. [d] Idem Athen. libr. 13. cap 1. [e] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 7. & 10. & Diodor. Sicul. libr. 5. Biblioth. Hist. [f] Plin. libr. 7. Nat. Histor. cap. 56. Hygin. fab. 274 & Diodor. Sicul Biblioth. Historic. libr. 5. [g] Herodot. libr. 3. cap. 19. & 20. Strab. libr. 15. Plin. Hist. Nat. libr. 6. cap. 23. & libr. 15. cap. 7. Solin. cap. 57. D. Hieron. ad Jovinian. Diodor. Sicul. Biblioth. Histor. libr. 3. & Arrianos in libr. rerum Indic. [h] Senec. Nat. Quæst. libr. 4. cap. 2. Strab. libr. 17. de Maurit. & Pompon. Mel. libr. 1. de Situ Orbis c. 8. [i] Idem Strab. libr. 11. circa princ. & Herodot. libr. 4. cap. 46. [l] Diodor. Sicul. Biblioth. Hist. libr. 3. pag. 115. [m] Diod. Sicul. ibid. pag. 113. [n] Horat. libr. 3. Od. 30. [o] Manilius libr. 1. in princip. [p] Idem Manilius ibid. v. 73.

nonnullæ; agricultura quippe se hominum mores principem mansuefecisse gloriatur; & adhibet suæ causæ patronum [a] Libanium disertissimum virum, qui tradit, *γεωργίαν συναγάγειντε ἀνθρώπυς, ἄςη κτίσαι, κ̀ ὁμονοίαν ἐμφυτεῦσαι*: & [b] Xenophontem, qui hanc artem aliarum matrem, & nutricem nuncupavit; contra architectura hanc laudem suam arbitratur; & [c] Vitruvio utitur teste, qui tradit; quum ventorum violentiâ ignis attritu arborum in silvis extitisset, & aliquis hunc idoneâ materiâ suscepisset, aluisset, conservasset, convenisse multos partim novitate spectaculi delectatos, partim illectos; ignis utilitate perspectâ sibi primùm cœpisse inter se nutu animi sensa declarare; deinde usu ac familiaritate procedente constituisse, quo quamque rem nomine appellarent; tùm colloquia miscere, ac de communibus rebus deliberare cœpisse; & quum aliud alii in mentem veniret, excogitasse rationem, qua se ab imbrium, & ventorum injuriis defenderent; ita casas virgultis, & stramentis, & arborum ramis, & frondibus extruxisse, & tecta tectis conjunxisse; ita paulatim, quum in dies ædificia meliora, & firmiora conderentur, urbes esse constitutas, & urbibus constitutis omnem humanitatem, cultumque civilem esse natum; sic architecturam vitæ mansuetioris, & cultioris fuisse matrem. Et sanè quæ gentes domibus caruerunt, inconditis moribus, & absonis, & absurdis fuisse dicuntur; ut Scythæ [d], & magna pars [e] Arabum, qui per campos vagabantur, & [f] Troglodytæ, qui specus incolebant; sed veriùs [g] Tullius hanc gloriam eloquentiæ vindicat, ut alio die ostendemus.



DISSERTATIO XXXI.

De eadem re.

M. Antonius orator prodit disertos multos, neminem autem vidisse eloquentem. Antipho, qui Socratis ætate floruit, princeps orationes suas edidit, & dicendi præcepta conscripsit; quam tamen laudem alii Tisiæ, & Coraci tribuunt.

Quum res nulla sit tam parva dictu, quæ communi consilio confici, nihil prorsus contrahi cum hominibus sine colloquio possit, omninoque sermone humana societas constet; quis res maximas esse confectas, depositam agrestem, & barbaram vitæ feritatem, societatem inter homines initio constitutam, leges descriptas, urbes conditas sine eloquentiæ beneficio arbitretur? Idcirco jure [h] Tullius, Auditores, loco, quem explicamus, affirmat, 1
eloquentes fuisse, qui homines dispersos, & in silvis ferarum more degentes ad vitæ societatem congregarunt; qui persuaserunt, ut silvis, & solitudine relictâ, urbes ædificarent, frequentarentque, leges imponi sibi paterentur, judiciis, & jure vellent, non vi, & armis disceptare; ab injuriis abstinerent, magistratibus obtemperarent, rem publicam non minùs, quàm privatam tuerentur; eloquentiam denique fuisse matrem omnis mansuetudinis, æquitatis, humani cultus, morumque laudatorum; quæ a veritate non abhorrere dum conor ostendere, statim quid mihi objici possit, occurrit, Auditores. Dicet quispiam: quis tibi dabit eloquentes esse potuisse eos, qui urbium condendarum, & omnis humani, divinique juris auctores extiterunt? Marcus [i] Antonius eruditissi- 2
mo illo sæculo, quod Ciceronis ætatem antecessit, quodam libello scriptum reliquit se multos disertos, eloquentem vidisse neminem; si qua tempestate eloquentiæ studia magnopere colebantur, tot extabant Græcorum rhetorum monumenta pulcherrima, & omni dicendi laude refertissima; ingeniis florentissimis cum Græcia, & Asia, tum Roma, & Latium, & tota Italia abundabant, florebant litteræ, florebant artes, quæ ad summum gloriæ fastigium pervenerant, nemo fuit eloquens; putasne

rudi

[a] Libanius Sophista. [b] Xenoph. libr. 5. Memorabil. sive de Administr. Domestic. [c] Vitruv. libr. 2. cap. 1. [d] Pomponius Mela de Situ Orbis libr. 2. cap. 1. & Herodotus libr. 4. cap. 46. [e] Strabo libr. 16. [f] Idem Strabo libr. 17. [g] Cicer. de Orator. libr. 1. [h] Cicer. ibid. & Rhetoric. libr. 1. in princip.. & Oration. pro Sextio. [i] Marc. Anton. apud Cicer. de Orator. libr. 1. & apud Quintilian. Inst. Orat. libr. 8. in Procem.

rudi illo sæculo, quo homines glande vescebantur, & antra pro domibus habuerunt, quemquam eloquentem esse potuisse? an nescis rem esse non admodum vetustam eloquentiam? Antiphontem [a] ferunt, qui Socratis ætate floruit insignis orator, primum orationes suas edidisse; ante nemo extiterat, cujus scripta vetustatem ferre possent; eumdem putant dicendi præcepta principem conscripsisse; quàm laudem [b] alii Coracis, & Tisiæ esse voluerunt. Itaque constat, qua ætate ceteræ fa-
3 cultates pæne perfectæ habebantur, artem dicendi nondum fuisse inchoatam; sed ut concedamus rhetores esse longè vetustiores, ne injuriam faciamus [c] Homero, qui Menelaum, & Nestorem, & Ulyssem trojanis temporibus tradit eloquentiâ præstitisse; quis concedet, antequam agrestis, & fera vivendi ratio abdicaretur, inter illos homines, ut ait Æschylus,

Frustra videbant, qui videntes omnia,
Nec audientes audiebant, his pares,
Similesque, quæ cernuntur in somnis, erant,

fuisse nonnullos, qui animos movere dicendo possent, qui comptâ oratione uterentur, qui scirent, quibus rebus mentes flecterentur? non ergo eloquentium oratione commoti homines in urbes immigrarunt, ac pristinam vitæ consuetudinem immanem sanè, ac barbaram reliquerunt. Hæc dici posse contra Ciceronem non sum
4 nescius, qui putat eloquentiæ beneficio Mortales ab immanitate morum ad mansuetudinem, humanitatemque esse deductos; sed animadvertendum est id, quod ait Quintilianus [d], in dicendo multum valere naturam; in aliis artibus, qui nescit artem, nihil conari potest, nec multum ingenio adjuvatur; in hac facultate eloquentiæ præstant opera etiam, qui eloquentiæ studia non attigerunt. Quod ostenditur exemplo earum gentium, quæ quum tam barbaræ essent, ut nullas urbes haberent, sed incertis sedibus vagarentur; tamen [e] Quintilianus testatur misisse legatos, qui appositè dicerent ad persuadendum. Hujus generis oratores fuere prisci illi Romani, qui plerumque doctrinâ destituti multum dicendo potuerunt; ut [f] Menenius Agrippa, qui plebem secessione factâ in Aventinum, vel in Sacrum montem a Patribus dissidentem unâ oratione Patribus reconciliavit; & [g] Appius Cæcus, qui Romanos a pace cum Pyrrho Rege faciendâ dicendo deterruit; & Cethegus, quem nunquam suadæ medullam, & florem illibatum Ennius appellasset [h], nisi eloquentiâ præstitisset. Quo probè constituto, quis neget tanto
intervallo temporis existere potuisse ali- 5
quot homines ingenio pæne divino; qui licèt expertes doctrinæ, naturâ tamen essent eloquentes, possentque animos delinire, possent flectere, possent ad honesti cupiditatem excitare? hos Tullius asseverat auctores fuisse feritatis exuendæ, urbium statuendarum, & civilis, humanæque vitæ consectandæ; qui, si oratores tantummodo illi sunt appellandi, qui politissimam eruditionem, eximiamque rerum scientiam, & doctrinæ copiam cum omni dicendi lepore, & suavitate, & vi, & orationis ubertate conjunxerunt; quales apud Græcos Demosthenes, & Hyperides, apud Latinos Cicero, & pauciss imi alii extitere, certè non fuerunt oratores; sin autem oratores nuncupemus eos, qui excellentiùs, quàm ceteri, quod in rem est omnium excogitare prudenter, & eloqui copiosè cogitata possunt, enimvero illi oratores habendi; neque enim sine magnâ dicendi vi feræ, & agresti multitudini persuadere potuissent, ut se ab effusâ, effrenataque licentiâ revocarent; nec docere vulgus imperitum, quàm longè justitia injustitiæ, immanitati mansuetudo, humanitas feritati, jus injuriæ, solitudini societas antecellat. Hæc ut persuaderentur homi-
nibus, non opus fuit qualibet oratione; 6
sed eâ, quæ influeret in animos, quæ molliret eorum duritiem, demulceret asperitatem, flecteret contumaciam, inscitiam condocefaceret, stuporem, ignaviamque in solertiam converteret. Neque enim cum mansuetis, & mitibus, sed cum efferatis; non cum doctis, sed cum his, in quibus vix ullum vestigium rationis extabat, agebatur; nec de levi re agebatur, sed de totâ vitâ commutandâ, imponendus erat exlegi multitudini legum metus, licentia vulgi coërcenda, discordes animi ad societatem vitæ contrahendi; fidentes viribus, & omnibus imperare assueti eò mansuetudinis deducendi, ut imbecillioribus obtem-
perarent. Hæc autem siquis confici putat 7
sine magnâ eloquentiæ vi potuisse, vehementer errat; si omnes, quotquot extant, evolvamus historias, nullam legem latam in ullo libero populo reperiemus, quin eam suaserit aliquis magnæ apud multitudinem aucto-

[a] Plat. in Menexen. & Quintilian. Instit. Orat. libr. 3. cap. 1. [b] Quintilian. ibid. & Cicer. de Claris Oratorib. [c] Homer. in Iliad. [d] Quintilian. Inst. Orat. libr. 2. cap. 19. ex Ciceron. libr. 1. de Oratore & Orat. pro Archia, & ex Platone in Phædr. [e] Idem Quintilian. Institut. Orat. libr. 3. cap. 2. [f] Tit. Liv. libr. 2. decad. 1. [g] Plutarch. in Vitâ Pyrrhi, Valer. Max. libr. 8. cap. 14. § 6. L. Florus libr. 1. cap. 18. Cicer. in Caton. majore, Plin. de Vir. Illustrib. cap. 35. & Ovid. Fastor. libr. 6. [h] Ennius libr. 9. Annal. apud Cicer. in Bruto, & apud Quintilian. Instit. Orat. libr. 11. cap 3. & A. Gell. libr. 12. cap. 2.

auctoritatis, & non indisertus; nonne stultum est eredere omnes leges, quæ ad vitæ societatem pertinent, ferri sine eloquentis alicujus oratione potuisse? Nullum negotium, ut initio diximus, geritur, quin prius multi ultro, citroque sermones habeantur; & qui sunt ad eloquendum aptiores, magis idonei ad conficienda negotia existimantur; quis maximum omnium, quæ gesta sunt unquam, negotium a tacentibus, aut indisertis confectum, & totius vitæ conversionem esse factam sine cujusquam eloquio arbitretur?

DISSERTATIO XXXII.

Ejusdem argumenti.

Refellitur Quintilianus, dum reprehendit Ciceronem, qui eloquentes fuisse urbium conditores affirmat. Plerique legumlatores se Dei alicujus consilio leges ferre simularunt. Orpheus feras lenisse, extruxisse Amphion lyræ cantu Thebarum muros dicuntur, quia eloquentiâ homines agrestes ad mansuetudinem revocarunt, persuaseruntque urbes condere.

AB eloquentibus viris delinitum humanum genus, quod in silvis antea dispersum ferarum more vivebat, se se certis legibus adstrinxisse, constituisse civitates, artes invenisse, feramque, & inhumanam, & agrestem vitæ rationem esse detestatum [a] Tullius in loco, quem illustrabamus, affirmat; & nos ejus vestigiis insistentes ostendimus a veritate non abhorrere; hodie libet, Auditores, paulisper adhuc in eodem argumento versari; sed
1 ante, nequid, quod ad hunc locum pertineat, omittamus, mihi Cicero a Quintiliani calumniâ est vindieandus, qui libro tertio eapite secundo Ciceronem reprehendit his verbis: *Cicero quidem initium orandi conditoribus urbium, ac legumlatoribus dedit, in quibus fuisse vim dicendi necesse est; cur tamen hunc primam originem putet, non video, quum sint adhuc quædam vagæ, & sine urbibus, ac legibus gentes; & tamen, qui sunt in his nati, & legationibus funguntur, & accusent aliqua, ac defendant, & denique alium alio melius loqui credant*. Sed vir alioquin doctissimus, & disertissimus, ut [b] Terentii
verbis utar, facit intelligendo, ut nihil 2
intelligat; non enim Cicero vult studium, quo sapientes viri urbium, & legum condendarum tenebantur, fuisse causam eloquentiæ, & ingenia ad bene dicendum acuisse; sed contra, causam legum ferendarum, & constituendarum civitatum fuisse nonnullorum eloquentiam; quæ homines dispersos congregavit, dissidentes conjunxit, efferatos mitigavit. Non enim illi, quicumque fuerunt auctores tanti boni, ut urbes conderent, & leges ferrent eloquentiam sibi compararunt; sed quum haberent insitam a naturâ dicendi facultatem, eâ sunt usi ad hominum mores componendos; & hoc est, quod Tullius asseverat. Nec exempla nationum pertimescit, quæ quum legibus carerent, & urbibus, oratores habuerunt; ultro quippe fatetur, ubique gentium fuisse homines, qui naturâ essent aliis magis idonei ad eloquendum. Quamquam si Tullius originem eloquentiæ fuisse ductam a conditoribus urbium, & legumlatoribus affirmaret, exemplis, quibus utitur Quintilianus, non refelleretur; nam potuit apud alias gentes alia esse origo dicendi facultatis; sed de Quintiliano satis; nunc ad inceptum revertamur. Profectò
non possumus, Auditores, historiâ teste co- 3
gnoscere, qua arte vetustissimi illi sapientes homines ab omni humanitate abhorrentes, solutos omni lege mansuefecerint, & legum vinculis adstrinxerint; ea quippe tempora sepulta sunt tenebris vetustatis, quia historiæ luce earuerunt; sed si ex his quæ fando aceepimus, conjecturam capere licet obscurorum, non aliâ, quàm dicendi, facultate rem tantam eos consequutos intelligemus. Minos, qui [c] Cretensibus leges tulit, se Jovis [d] consilio uti, cum Jove in antro Dyctæo congredi, & colloquia ferere simulavit; quæro quantâ arte dicendi opus fuerit, ut populis id persuaderet; quo non persuaso suarum legum vilis auctoritas haberetur? Eodem modo
Numa Pompilius, qui populum Romanum 4
a belli studiis ad divini Numinis cultum, religionemque convertit, sibi cum Ægeriâ Deâ [e] congressus esse multitudini persuasit; quæro num rem tantam tacitus, & sine summo artificio dicendi probare potuerit? Licet idem dicere de ceteris legumlatoribus; omnes enim ad aliquem Deum suarum legum inventa retulerunt; omnes ereditum est Deorum sermonibus interesse.

[a] Cicero de Oratore libr. 1. [b] Terentius in Andriâ in Prologo. [c] Aristotel. Politic. libr. 7. cap. 10. Strabo libr. 16. at Diodor. Siculus libr. 4. pagin. 183. Rhadamanthū leges Cretensibus tulisse tradit. [d] Plato in Minoë, Strabo libr. 16. de Syriâ, Clemens Alexandrinus Stromat. libro primo, & Valerius Maximus libr. 1. cap. 3. [e] Vide Dissertat. IX. in Liv. num. 7.

se. Lycurgus [a], qui severissimas leges Spartanis condidit, quum populi detrectantis accipere leges seditionibus jactaretur, quoties opus habuit eloquentiâ, qua placaret multitudinem concitatam, & ad obsequium legum compelleret? Cujus una concio insignis maximè memoratur, qua magna in Spartanis animorum effecta mutatio est; ostendit enim omnium cladium, quas a Messeniis, quibuscum bellum gerebant, acceperant, caussam esse morum pravitatem, & corruptam disciplinam; fortes viros non nasci, sed fieri educatione, & severitate legum; quæ tantopere Lacedæmonios commovit oratio, ut eas leges ferri paterentur, quibus durissima vitæ conditio sibi præscribebatur. Mitto ceteros legumlatores, quos
5 probare possem omnes multum dicendo profecisse; quod si hi de quibus aliquid audivimus, hac arte sunt usi, eadem usos esse credendum est eos, qui primi homines congregarunt, primi urbes condiderunt, primi legum fuerunt, & vitæ civilis repertores; atque eo magis, quòd his erant animi ferociores, magisque indomiti, legibus insueti, non experti juris, & societatis humanæ, leniendi, flectendi, moderandi, coërcendi. Jure igitur Tullius [b] hanc eloquentiæ laudem tribuit, quòd prima homines in urbes congregarit, prima leges dederit congregatis; jure omnem societatem humanam eloquentibus acceptam referri putat oportere. Id autem esse veritati con-
6 sentaneum non solum affirmante Cicerone cognoscitur, sed etiam aliis Auctoribus; nam [c] Isocrates ait: ἐγγενομένε δ' ἡμῖν τῦ πείθειν ἀλλήλες, κ̣ δηλῦν πρὸς ἡμᾶς αὐτὲς περὶ ὧν ἂν βυληθῶμεν, ὐ μόνον τῦ θηριωδῶς ζῆν ἀπηλλάγημεν, ἀλλὰ κ̣ πόλεις οἰκίσαμεν, κ̣ νόμυς ἐθέμεθα, κ̣ τέχνας εὕρομεν, κ̣ σχέδον ἅπαντα τὰ δι' ἡμῶν μεμηχανημένα λόγος ἐςὶν ἡμῖν ὁ συγκατασκευάσας: quæ verba sic vertimus: *insitâ verò nobis vi persuadendi, declarandique inter nos, quæ volumus, non modò ferâ, immanique vitâ liberati sumus; verùm & urbes condidimus, & leges posuimus, & artes invenimus, & omnia ferè, quæ moliti sumus, oratio nobis machinata est.* Eadem ferè sententia est
7 apud [d] Quintilianum, qui sic ait: *equidem nec urbium conditores reor aliter effecturos fuisse, ut vaga illa multitudo coiret in populos, nisi doctâ voce commota; nec legum repertores sine summâ vi orandi consequutos, ut se ipsi homines ad servitutem juris adstringerent;* & Horatius huc ea, quæ de Orpheo traduntur, putat [e] pertinere:

Silvestres, inquit, *homines sacer, interpresque Deorum*
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.

Nec [f] aliò trahunt ea, quæ de Amphione memorantur; quem lyræ cantu [g] ferunt muros Thebarum extruxisse; de quo egregiè [h] Apollonius fabulatur, qui tradit Amphionem, Zethumque fratres aggressos Thebas condere; sed Zethum ferendo humeris saxa improbo labore parum promovisse; Amphionem contra pulsis fidibus sponte venientes lapides in muri membra coire nullo labore majore cum effectu coëgisse. Quibus admonemur in condendis urbibus plus eloquentiam, quàm cujusquam operam, aut laborem profecisse; neque enim lyrâ moveri saxa possunt, sed homines eloquio flecti, leniri, mitigari.

DISSERTATIO XXXIII.

Qua ostenditur urbibus constitutis oratorum eloquentiam saluti fuisse Rebuspublicis.

Oratorem perfectum bonum virum esse oportet; & si multi oratores Reipublicæ nocuerunt, perfecti oratoris munus non sunt exequuti. Xenocratem, quum testimonium dixisset, populus jurare noluit. Lacedæmonii, quum improbus quidam utile Reipublicæ consilium attulisset, eandem illam sententiam virum bonum dicere coëgerunt.

Quod de imperio [i] Sallustius dixit; imperium iisdem artibus retineri, quibus initio partum est; id ad alias quoque res videtur esse transferendum; omnes quippe res iisdem aluntur, & conservantur, quibus a principio sunt procreatæ. Exempla passim occurrunt, Auditores; studio rerum scientiâ comparatur, eodem studio 1
rerum scientia retinetur; similitudo morum optimorum amicitias jungit, eadem similitudine amicitia continetur; virtute magnum gloriæ decus paritur, virtute magnum decus conservatur. Mutua utilitas plerumque contrahit homines ad societatem; tolle mutuam utilitatem, pleræque homi-

a Plutarch. in Vitâ Lycurg. Clemens Alexandrinus Stromat. libr. 1. Valerius Maximus libr. 1. cap. 3. b Cicer. de Orat. libr. 1. c Isocrat. in Panathen. d Quintil. Inst. Orat. libr. 2. cap. 16. e Hor. in Arte Poëtic. f Horat. ibid. g Horat. libr. 3. Od. 11. Homer. Odyss. μ. Propert. libr. 3. El. 2. Stat. Thebaid. libr. 1, 2. 7. & 8. & libr. 3. Silv. in Hercule Surrent. Ovid. libr. 3. de Art. Am. Eurip. in Phœniss. Apollod. libr. 3. Biblioth. Philostrat. in Imaginib. & Nonnus Dionys. libr. 5. v. 65. h Apollon. Rhod. Argonaut. libr. 1. v. 735. i Sallust. de Bello Catilin. in princip.

hominum societates dirimentur: boni speciei cupiditas in animo excitatur; tolle boni speciem, tolletur ex animo cupiditas omnis: ex elementis principia constant, quibus gignimur; ex elementis alimenta, quibus nutrimur, & sustentamur: ex humoris, calorisque temperie nascuntur omnia; sublatâ temperie omnia occidant, & interimantur, necesse est: nihil denique vel in vitâ reperias, vel in rerum naturâ, quod non iisdem conservetur, quibus initio conflatum, partum, procreatumque est. Quum igitur ab eloquentiâ profectum sit principium urbium condendarum, & jungendæ societatis humanæ, quemadmodum Tullius [a] asseverat, & nos ejus vestigiis insistentes ostendimus, ab eloquentiâ ducendæ sunt causæ, & urbium conservandarum, & Reipublicæ rectè administrandæ; ideo Tullius [b] ait; *sic enim statuo perfecti oratoris moderatione, & sapientiâ non solùm ipsius dignitatem, sed & privatorum plurimorum, & universæ Reipublicæ salutem maximè contineri*; de quibus Ciceronis verbis hodierno die mihi differendum est. Nec mirum
2 videri debet, Auditores, si noster Auctor & salutem publicam, & felicitatem ab oratoris perfecti sapientiâ proficisci confirmavit; neque enim id quemlibet oratorem præstare dixit, sed perfectum, & omnibus numeris absolutum. Perfectus autem orator, nisi bonus vir esse non potest; testatur id ille [c] Cato, cujus dicta oraculi pondus habere judicantur; qui definit oratorem virum bonum dicendi peritum; & Quinctilianus [d] argumentis haudquaquam levibus, & contemnendis probat oratorem omni laude cumulatum esse non posse, nisi cunctis virtutibus præstet; & Stoici sapientem [e] dumtaxat eloquentem futurum affirmarunt. Et profectò si talis esse debet orator, ut sit aptus ad fidem faciendam, quis neget virum bonum esse oportere? nam morum gravitas, vitæ constantia, integritas, candor, fides magnum pondus addunt orationi; nec ejus dictis creditur, cujus facta improbantur. Xenocrates quum
3 testimonium [f] dixisset, & ad aram de more juraturus accederet, populus Atheniensis universus reclamavit; quum videri nollet gravissimi hominis dicto sine jurejurando non credidisse. Quum Metelli [g] tabulæ in judicio proferrentur, in quo Metellus repetundarum arcessebatur, judices omnes ora averterunt, ne de Metelli fide dubitare viderentur. Quæro, si Xenocrates, aut Metellus ad causas orandas accessissent, essent ne magis idonei ad persuadendum, quàm quivis alius, qui pari eloquentiâ præditus, non parem auctoritatem ad dicendum attulisset; quum alteri plus injurato, quàm aliis juratis fidei haberetur; alterum, ne reum quidem suâ causâ posse mentiri gravissimi viri judicarint? Est igitur vitæ gravitas oratori magno adjumento ad persuadendum, & ideo perfecto oratori necessaria; nam malis non libenter habemus
fidem; Lacedæmonii [h] certè, quum quidam 4
vir improbus utile Reipublicæ consilium attulisset; ne malo viro credere viderentur, eandem illam sententiam virum bonum dicere coëgerunt. Quid ergo eloquentia sine moribus prodest; quum malis etiam vera dicentibus fides non habeatur? dignitas oris, concinnus corporis motus, canora vox in oratore requiritur; honestas vitæ, pulchritudo virtutis, animi motus temperati, concentusque virtutum non requirentur? quomodo poterit orator esse gravis auctor publici consilii, cujus levitas improbatur? Cicero, omnesque rhetores præcipiunt ita orationem componendam, ita verbis, & sententiis utendum, ut mores eluceant oratoris mites, mansueti, moderati, ab injuriâ abhorrentes, ab iracundiâ, a fraudibus alieni; ut vita probetur oratoris, ut innocentia, & fides in omni sermonis parte se prodat; id quomodo vir non bonus consequetur, quum facta a dictis discrepent, & vitæ turpitudine honesta oratio redarguatur? non igitur, nisi vir bonus fuerit, orator est aptus ad exequen-
dum suum munus. Quo probè constituto, 5
consentaneum est nullius artificis ingenium tantum Reipublicæ, quantum oratoris, profuturum; nam si vir bonus, & prudens orator, profectò suis civibus, Patriæque suæ utilis esse volet, & salutaris; poterit autem, quum eloquentiæ armis, atque prudentiæ sit semper instructus; quæ duæ res & felicem conservare Rempublicam possunt, & miseram, atque afflictam sublevare; nam prudentia, quod est optimum factu, videt, eloquentia multitudini persuadet. Quare sine causâ [i] Scævola paulo post orationem Crassi refellit; quum dicat multo plures calamitates, quàm commoda, per eloquentissimos viros invectas Rebuspublicis; neque enim aut [l] Cleon ille, qui plurimum Atheniensium Reipublicæ

[a] Cicer. de Orat. l. 1. & Rhetoric. sive Invent. libr. itid. 1. & Oratione pro Sextio. [b] Cicer. libr. 1. de Orator. [c] Quintilian. Instit. Orator. libr. 12. cap. 1. [d] Quintilian ibid. [e] Cicer. de Orat. libr. 3. [f] Cicer. ad Atticum Epist. 13. libr. 1. & pro Balbo, Diog. Laërt. libr. 4. segm. 7. in Vit. Xenocratis, Val. Max. libr. 2. cap. 5. §. ultim. [g] Cic. ibid. libr. 1. Epistol. 13. [h] Plutarch. in libro de Præceptis gerendæ Reipubl. circa princ. [i] Apud Cicer. de Oratore libr. 1. [l] Aristophan. in Equitib. & ejus Scholiast. ibid. Plutarch. in Vit. Niciæ, Thucyd. libr. 4. & 5. Histor. & D. Augustinus de Civitate Dei libr. 2. cap. 9.

blicæ nocuit; aut [a] Alcibiades quum mul-
6 titudini persuasit, ut bellum Siculis inferret eâ tempestate, qua propinquo, periculosoque bello civitas implicita vix opes Lacedæmoniorum sustinebat; aut Æschines [b] quum Rempublicam Philippo pecuniâ corruptus prodebat, & populo tenebras offundebat, quò Macedonum arma Thraciæ oppidis potiri sineret; aut [c] quum Antiphon quadringentos tyrannos imposuit Patriæ; aut Demades quum non satis habebat Atticas opes, ut ait Plutarchus [d], in ventrem congerere; sed etiam Macedonum aurum cum clade Reipublicæ appetebat; aut Dinarchus [e] quum Munichiam Macedonibus, & Cassandro tradidit; aut [f] Demosthenes ipse, si Persarum aurum utilitati Patriæ antepôsuit (quod de tanto viro credendum non [g] videtur) perfecti oratoria munus exequuti sunt; quum viri boni non fuerint; perfectus autem orator vir bonus intelligatur.

DISSERTATIO XXXIV.

De eodem dicto Ciceronis.

Omnia, quæ ad salutem inventa sunt, vitio hominum in perniciem convertuntur; sic medicinâ, religione, ceterisque bonis abutuntur homines. Plato dicendi facultatem arti culinariæ comparavit, quæ non quod saluberrimum, sed, quod jucundissimum, parat.

Omnia, quæcunque Mortales ad salutem humani generis invenerunt, interdum ad perniciem convertuntur; qui primi ferrum, & arma repererunt, homines, non adversùs hominem, sed adversùs incursus ferarum armare voluerunt; at a-
1 varitia, & libido, & furor, & immanitas abusa est armis ad tutamen nostri corporis excogitatis tam crudeliter, ut inventum salutare, dedecus repertori, non gloriam attulisse videatur. Hinc elegiacus [h] Poëta dixit:

Quis fuit horrendos, primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit!
Tunc cædes hominum generi, tum prælia nata,
Tunc brevior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit; nos ad mala nostra
Vertimus, in sævas quod dedit ille feras.

Medicinam quis neget ad tuendam, restituendamque salutem esse prolatam? ideo ejus inventionem ad Deos immortales [i] Antiqui retulerunt, quia nihil salubrius esse videbatur; at quot in rationem Libitinæ venerunt vel propter inscitiam, vel propter ambitionem, vel avaritiam, vel scelus Medicorum? Hinc [l] illa infelicis monumenti inscriptio, se turbâ Medicorum occidisse: hinc venena, & ut cum [m] Plinio loquar, insidiæ testamentorum, mortesque Regum; quos nemo impuniùs, quàm Medici, potest enecare: hinc pernicies morum promanavit aliquando tam certa, ut Plinius [n] non aliunde majorem provenisse pronunciarit; & [o] Cato vaticinetur Græciam omnia, quum suos Medicos miserit, corrupturam. Et quid in singulis diutiùs immoror, Auditores? nihil est tam sanctum, nihil tam utile Reipublicæ, quod 2
non obesse moribus, quod perniciosum esse non possit. Religionis obtentu homines quàm multa peccant? studium cognitionis interdum instruit ad fraudem, astutiam, non armat ad juvandos Mortales sapientiâ: in tyrannidem regia potestas convertitur, in paucorum sævum dominatum optimatum clemens, & justa moderatio; neque tamen, quæ sunt inventa salutariter, desinunt haberi salutaria; nec mentitur ille, qui armorum scientiam, aut medicinam, aut religionem, aut studium sapientiæ, aut quamlibet regendarum civitatum rationem affirmat esse caussam utilitatum in Republicâ maximarum; quia licèt his improbi ad perniciem abutantur, a bonis, cujus caussâ sunt excogitata, ad salutem diriguntur. Non igitur [p] Tullius aberrat a veritate, quum asseverat perfecti oratoris 3
moderatione, & sapientiâ cum privatorum plurimorum, tum universæ Reipublicæ salutem maximè contineri. Nam quamquam multi oratores multas civitatibus clades attulerunt; tamen quum inventa sit eloquentia ad Rempublicam [q] conservandam, non evertendam, & quotiescumque bonis contigit, & salus, & felicitas ab eâ proficiscatur,

[a] Plutarch. in Vit. Alcibiad. & Corn. Nep. in Vitâ ejusd. & Thucydid. Histor. libr. 5. [b] Photius in Bibliothec. cod. 264. Demosthen. de Fals. Legat. prope med. & de Coron. in princip. ferè, Lucian. in Dialog. de Parasit. circa med. [c] Plutarchus in Vit. X. Rhetor. cap. 1. Thucyd. libr. 8. Hist. & Photius in Biblioth. cod. 259. [d] Idem Plutarch. de Cupidit. Divitiar. in Vit. Phocionis, & Demosthenis in fine. [e] Phot. in Bibliothec. cod. 267. [f] Plutarch. in Vitâ Demosthen. & Ciceronis, & Photius in Biblioth. cod. 265. [g] Quintilian. libr. 12. cap. 1. [h] Tibull. in Eleg. 11. & ultim. libr. 1. [i] Clem. Alexandr. libr. 1. Strom. & Plinius libro 29. cap. 1. [l] Plinius libro, & cap. eod. [m] Idem ibid. [n] Idem Plin. eod. loc. [o] Cato apud eundem Plin. ibid. [p] Cic. de Oratore libr. 1. [q] Plutarch. de Præcept. gerend. Reipubl.

tur, bonorum mater, non malorum habenda est eloquentia. Ideo [a] Cicero non quemlibet oratorem, sed perfectum affirmat esse Reipublicæ salutarem; quia perfectus orator, nisi sit omni virtute cumulatus, nemo esse potest; ut nos ostendimus hesterno die, & veritas ipsa clamat. Quod, ut verum fatear, magnopere defuit nonnullis oratoribus Græcis, idcirco rhetorum nomen odiosum bonis; testatur id Aristophanes, qui rhetores cum sacrilegis, & sycophantis [b] recenset:

Ἕτεροι δ', inquit, ἐπλύτων ἱερόσυλοι ῥήτορες,
Καὶ συκοφάνται, κ᾽ πονηροί .....

Sed hic poëta comicus, & olor etiam præ-
4 stantium virorum; Demosthenes autem & ipse orator multis locis queritur oratorum ingeniis Rempublicam pessumdari; qui non, quod civitati expediret, dicerent, sed quod illis, a quibus pecuniam acceperant. Idem sæpe testatur oratores ad voluntatem loqui multitudinis, nec utilissima quæque, & honestissima, sed populo maximè accepta, quamvis turpia, & indecora, suadere; & [c] Euripides eosdem oratores exagitat in Hecubâ, & ingratos appellat his verbis:

Ἀχάριστον ὑμῶν σπέρμ', ὅσοι δημηγόρους
Ζηλοῦτε τιμάς, μηδὲ γινώσκοισθέ μοι,
Οἳ τοὺς φίλους βλάπτοντες οὐ φροντίζετε,
Ἢν τοῖσι πολλοῖς πρὸς χάριν λέγητέ τι.

De hoc genere rhetorum loquitur in Gor-
5 gia Plato, quum dicendi facultatem culinariæ arti comparat; quod quemadmodum hæc non quod corpori saluberrimum, sed quod jucundissimum, parat, quum in corporis curâ versetur; sic illa non quod utilissimum Reipublicæ, sed quod vulgo gratissimum, spectet, quum Reipublicæ curam profiteatur. Degeneraverat nimirum eâ tempestate rhetorum genus ab incorruptâ Priscorum eloquentiâ; & dum pecuniæ congerendæ studeret, nihil sancti, nihil pensi habebat; idcirco quum multorum flagitiorum sibi esset conscium, populo, quem vindicem metuebat, adulabatur, & tanquam dominum pertimescebat.
6 Quapropter [d] facetè Diogenes Cynicus, ut alia multa, lusit, quum Demosthenem sic est cavillatus; versabatur in cauponâ Diogenes; fortè illac Demosthenes prætaribat; prætereuntem Diogenes ad se vocavit, & ut in cauponam veniret, invitavit; quum autem Orator venire recusaret, quòd puderet virum gravem, & suæ civitatis principem in cauponâ conspici; atqui, inquit Philosophus, nihil est, quod te pudeat; quum dominum tuum haudquaquam pudeat in cauponâ commorari. Quo dicto populum significavit; cui tanquam domino rhetores adulabantur; & idcirco non poterant aliquando non obesse Reipublicæ; nam quemadmodum Medicus si ægroto aduletur, nec ea, quæ ad valetudinem restituendam, sed ad voluptatem pertinent, tradat, non levabit laborantem; sed morbo vires augebit, exitiique causam præbebit alioquin ad sanitatem perventuro; ita qui ad Reipublicæ gubernacula sedet, si multitudini assentari, non mederi vitiis ægræ civitatis in animum sibi induxerit, non ejus morbos levabit; sed causam dabit ingravescendi, exitiique maturandi. Jure igitur [e] Plato, quum hunc morem esse rhetorum cerne- 7
ret, oratoriam facultatem ab arte regendarum civitatum tantum voluit discrepare, quantum ab Amico adulatorem, a Medico coquum, cosmetam a palæstrico. Sed non loquebatur vir ille sapientissimus de oratore perfecto, quem virum bonum esse oportere demonstravimus; nam eâ tempestate, qua Plato illa scribebat, Athenienses corruptissimâ disciplinâ utebantur; cujus rei testis est ipse Plato, qui ad Rempublicam nunquam voluit accedere; quia se diffidebat sanare posse vitia ægræ civitatis; ob eamque causam mirum non est & oratores a Majorum virtute degenerasse; nam quemadmodum corruptâ corporis universi temperie partes omnes necesse est ægrotare; ita depravatâ totius Reipublicæ disciplinâ consequens est, & oratores, & magistratus, & senatum, & plebem in magnâ animi pravitate versari.



[a] Cicer. libr. 3. de Oratore. [b] Aristophan. in Pluto vers. 30. [c] Euripides in Hecubâ vers. 255. [d] Ælianus Var. Histor. libr. 9. cap. 19. [e] Plato in Gorgia.

DSSERTATIO XXXV.

Qua Ciceronis idem dictum defenditur.

Orator est in civitate, sicut in animo mens, & ratio. Quamquam Gracchi nimis fortasse pervicaces fuerunt in Optimatum causâ oppugnandâ; eorum tamen inceptum a boni civis officio non abhorrebat. Consilium Nestoris tanti fecit Agamemnon, ut si alios decem ei similes haberet, se facilè Trojam confideret eversurum. Ulyssem solum urbium populatorem Homerus appellat, quia magis ejus sapientiâ, quam aliorum armis urbes caperentur. Pericles quum Athenas ditissimas effecisset, ne nummo quidem auxit rem familiarem; & quum totum diem conviciatorem patientissimè pertulisset, noctu famulum misit, qui cum lumine domum eum reduceret. Phocionem orationum suarum securim Demosthenes dicebat.

QUum Ciceronis locum [a] explicaremus, in quo summus ille vir
confirmat & felicitatem, & salutem publicam perfecti oratoris moderatione, & sapientiâ
maximè contineri; diximus oratorem perfectum esse non posse, nisi eum, qui cunctis virtutibus antecellat; idcirco si quidam oratores Patriæ obfuerunt, non esse
Ciceronis dictum repudiandum; illos quippe non fuisse perfectos oratores, quum morum probitate caruerint. Hac occasione
sumptâ rhetores ab illâ, quæ requiritur in
oratore perfecto, vitæ integritate longissimè abfuisse confirmavimus; ob eamque
caussam multitudini, quam criminum suorum, & scelerum, & vindicem reformidabant, turpiter esse adulatos; & populum
tanquam dominum, & judicem suspexisse,
quod perversissimum est. Nam orator esse
1 debet auctor publici consilii; debet esse rector multitudinis, & moderator, & eundem obtinet in civitate locum, quem in
animo mens, & ratio; sicut ergo ratio
quum non imperat, sed famulatur cupiditatibus, necesse est, magna animi perversitas
consequatur; ita quum orator, quem rectorem esse oportebat civitatis, quem inconsultos, cæcosque populi motus moderari, & impetus coërcere, vulgo famularetur, vulgi libidini inserviret, & non regeret, sed regeretur; necessariò & ipse
pessumdabatur, & Reipublicæ magnas clades afferebat. Sed non hominum vitia sunt
in res ipsas transferenda, neque artificium
accusandum, siquid artifex peccat; quare
Scævola [b], qui Crassi respondet orationi,
non rectè Crassi dictum redarguit; quum
dicat maximas Rebuspublicis calamitates
per eloquentissimos viros importatas. Non
enim si tribunitiis procellis Romana plebs 2
concitata a Patrum auctoritate aliquando
descivit; non [c] si Tiberius, Cajusque Gracchus, & qui eorum turbulentam Reipublicæ administrandæ rationem sequutus [d] est
Apulejus, Liviusque [e] Drusus eloquentiâ
freti publicæ quieti perniciosas leges tulerunt; non si Carbo [f] visus est in summâ
levitate versari; aut Sulpicius, & Cotta
meliores partes reliquerunt; aut Quinctus
Cœpio [g] senatum oppugnavit; idcirco perfectus orator publicæ tranquillitatis eversor, hostis bonorum, Reipublicæ calamitas, ambitiosus, turbulentus, inquies debet judicari. Si enim illi Rempublicam
oppugnarunt, a bonis desciverunt, legum
perniciosarum auctores fuerunt, in levi
sunt, & populari ratione versati; præcipua laus illis oratoris defuit, quæ in morum sanctitate cernitur. Quamquam [h] Ti- 3
berius Gracchus nimis fortasse pervicax
fuerit in Optimatum causâ oppugnandâ;
sed ejus inceptum a boni civis officio non
abhorrebat; nam quum videret agros, quos
Populus Romanus devictis hostibus multo
sanguine, ac sudore quæsiverat, a paucis
possideri, ingenuam plebem inopem, populumque Orbis terrarum victorem quotidie propter inopiam decrascere, Italiam
servitiis compleri, paucorum opes fieri
formidolosas Reipublicæ, legem tulit, qua
plebs in agri publici a privatis occupati
possessionem mittebatur; eâ lege quia convelli multorum fortunæ, mutari status Reipublicæ videbatur, Tiberio Graccho, ejusque fratri vehementissimè Optimates restiterunt, clarissimosque cives & ingenii, doctrinæque laude florentissimos trucidarunt.
Ceterùm Gracchorum [i] leges rem putanti
rectiùs, non modò justæ, sed Reipuublicæ 4
salutares debebant videri; his enim Italia
frequentabatur, extorquebantur injustis dominis possessiones, paucorum opes infringeba-

a Cicero de Oratore libr. 1. b Scævola apud Ciceron. de Oratore libr. 1. c Plutarch. in Vit. Gracchorum, Plinius de Viris Illustrib. cap. 64. & 65. & Luc. Florus libr. 3. cap. 13. & 14. d Idem Plinius de Vir Illustr. cap. 73. Appianus Bellor. Civil. libr. 1. Luc. Flor. libr. 3. cap. 16. & Plutarch. in Vit. Marii. e Plinius de Vir. Illustrib. cap. 66. & Luc. Flor. libr. 3. cap. 17. f Cicer. de Orator. libr. 1. g Luc. Flor. libr. 3. cap. 17. h Plutarch. in Vitâ Gracchorum. i Plutarch. ibid. Appianus Alexandr. libr. 1. Bell. Civil. Lucius Flor. libr. 3. cap. 4. Histor. Cicer. in Bruto, Div. Augustin. de Civitate Dei libr. 3. cap. 24. & Paulus Orosius libro 5. cap. 8. & 9.

gebantur, ingenua plebs augebatur. Quapropter non omnino verè Scævola sic [a] ait: *at verò ejus filii diserti, & omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præsidiis ad dicendum parati, quum civitatem vel paterno consilio, vel avitis armis florentissimam accepissent, istâ præclarâ gubernatrice, ut ais, civitatum eloquentiâ Rempublicam dissipaverunt*. Non enim florentissima ea civitas poterat appellari, in qua plebs nimiùm potentiorum opibus premebatur, ingenuorum multitudo minuebatur, servitiorum augescebat. Sed utcumque ea se res habet, sententiam, quam defendimus, Gracchorum exempla non la-
5 befactant; non enim talem quærimus oratorem, quales Gracchi fuerunt; sed virum, qui non magis ingenio, & linguâ, quàm moribus præstet, quem [b] Homerus ait:

Μύθωντε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων:

quem alter Homerus describit bis [c] verbis Virgilius:

Tum pietate gravem, ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant;
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Non solùm tribuit eloquentiam oratori, sed tribuit pietatem, tribuit morum gravitatem, tribuit magnorum in Rempublicam meritorum pondus; non inducit populi quendam adulatorem, sed rectorem gravissimum, qui obviam ire sudeat furori multitudinis concitatæ. Hujusmodi fuit [d] o-
6 rator ille Phœnix Achillis præceptor, ille Nestor, cujus consilium tanti fecit [e] Agamemnon, ut si alios decem haberet Nestori similes, facilè se Trojam consideret eversurum: hujusmodi fuit Ulysses, quem solum urbium populatorem Homerus [f] appellat; quia magis ejus consilio, & sapientiâ, quàm aliorum armis urbes caperentur. Et ut ab heroicis temporibus abeamus, talis orator fortasse fuit Pericles; quem nunquam [g] Plutarchus Fabio Maximo comparasset, si eorum rhetorum similis fuisset, quos veriùs adulatores, quàm rectores multitudinis possumus appellare; Pericles autem [h] tantum abfuit, ut populo assentaretur, ut nullos multitudinis impetus pertimesceret; & non [i] quod concio vellet, Pericles diceret, sed quod Pericles voluisset concio sibi faciendum judicaret; & verbo populus, re verâ Pericles rerum potiretur. Nec mirum; nam præterquamquod
dicendi facultate sic excelluit, ut propter 7
eam sit [l] olympius nominatus, quasi [m] tonaret, & fulminaret; eâ fuit abstinentiâ, ut quum [n] annos quadraginta Rempublicam administrasset, & Athenas ditissimas urbium effecisset, ne nummo quidem auxerit rem familiarem; eâ verò mansuetudine, ut quemdam [o] ex improbis viris convicia sibi ingerentem totum diem pertulerit suas res agens, & nihil perturbatus; & quum noctu domum revertentem conviciator maledictis esset insectatus, conviciatorem suum, qui cum lumine comitaretur, & reduceret domum, famulum miserit. Talis etiam orator fuit Phocion, qui [p] quoties ad dicendum surrexerat, Demosthenes ajebat orationum suarum securim surgere; tanta est in gravitate morum auctoritas, tantaque vis ad quidlibet persuadendum, ut eam summus orator sustinere nullo modo posset.

DISSERTATIO XXXVI.

De utilitate, quam Rebuspublicis oratores attulerunt.

Solon insaniam simulavit, & elegiacum carmen recitavit, quo Athenienses impulit ad abrogandam legem, qua sanciebatur, ut si quis bellum pro Salamine recuperandâ suaderet, capite plecteretur; eâ verò abrogatâ Salaminem recuperavit. Themistocles ligneum murum, quo se includi Atheniensibus praeceperat oraculum, naves interpretatus est. Romulum, utpote qui inter pastores adoleverit, omnium disciplinarum expertem quidam tradiderunt; sed Plutarchus refert eum Gabiis avi Numitoris curâ bonis artibus institutum.

QUum Scævola, quem [q] Cicero inducit refellentem Crassi dictum affirmantis Rerumpublicarum salutem ab oratoris perfecti sapientiâ proficisci, plures clades, quàm commoda civitatibus per disertissimos viros importatas asseveret; Scævolæ sententiam diximus non evertere Crassi orationem; Crassum quippe loqui de

[a] Cicero de Oratore libr. 1. [b] Homerus Iliad. ι. v. 443. [c] Virgilius Æneid. libr. 1. [d] Hom. Iliad. ι. vers. 603. & ρ. vers. 561. [e] Idem Homer. Iliad. β vers. 370. [f] Idem Iliad. β. vers. 278. & κ. v. 363. & Odyss. θ in princip. & ξ. v. 447. [g] Plutarch. in Vitâ Fabii Maximi in fine. [h] Plutarch. in Vit. Periclis. [i] Thucydid. libr. 2. Histor. pag. 141. Edit. Francofurti. [l] Plutarch. in Vitâ Periclis, Valer. Maxim. libr. 5. cap. ultim. [m] Aristophan. in Nubib. Cicer. in Oratore ad Brutum Quintilian. libr. 12. Instit. Orator. cap. 10. Plin. libr. 1. Epistol 20. & Plutarch. in Vitâ Periclis. [n] Plutarch. in Vit. Periclis. [o] Plutarch. ibidem. [p] Idem in Vitâ Demosthenis & Ciceron. [q] Cic. de Oratore libr. 1.

de oratore perfecto, quem virum bonum
1 esse oportet; qui verò detrimenta civitatibus attulerunt, eos morum probitate caruisse, ob eamque causam non fuisse perfectos oratores; sed ne videatur orator utilis, & salutaris Reipublicæ magis fingi, quàm usquam inveniri, & [a] esse

Rara avis in terris, nigroque simillima cygno;

vel sapienti Stoicorum similis, quem [b] Stoici ipsi fatentur, numquam extitisse; hodierno die ostendemus, Auditores, multos oratores dicendi facultate multum utilitatis, & interdum etiam salutem Patriæ suæ peperisse. Utemur autem exemplis potissimùm Atheniensium, & Romanorum; quia tam Athenæ, quàm Roma, & eloquentiæ laude præstiterunt, & exemplis præclarissimis abundarunt. Et Athenienses quidem
2 dum Regum, vel tyrannorum imperio regebantur, non multum eloquentibus viris debuerunt; quia Reges non persuadendo cives in sententiam suam adducunt; sed nutu, & vi regiâ compellunt ad imperata facienda. Suspicor tamen [c] Theseum, quum Athenienses pagatim habitantes in unam urbem contraxit, quæ res magnitudini Athenarum, & potentiæ originem præbuit, non usum potestate regiâ, sed potiùs oratione blandâ cives ad veteres sedes relinquendas compulisse. Quod ut credam, facit ingenium Thesei mite, & mansuetum, & abhorrens ab imperiis violentis; neque enim, quæ viri fuit humanitas, credibile est illum vim afferre populo, quàm persuadere maluisse, ut desereret natale solum, cujus mirâ dulcedine tenebatur; desereret locorum Deos, quibus assueverat, & in urbem immigraret; alia ædificia sibi faceret, alias sedes moliretur; quæ si pro imperio coëgisset, dura, & intoleranda, sin autem utilitate rei demonstratâ animos in suam sententiam adduxisset, & factu pulcherrima, & jucunda viderentur. Initium igitur suæ magnitudinis
3 civitas Atheniensium acceptum retulit eloquentiæ, etiam quum Regum imperio regeretur; sed regio dominatu liberata longè plura beneficia dicendi peritis hominibus debuit; nam recens adepta libertatem, quum bellum [d] gereret cum Megarensibus pro insulâ Salamine, quam Megarenses occuparant, & magnas clades acceperant, absistere irrito incepto coacta est; legemque insuper constituit, ut siquis imposterum id bellum suaderet, capite plecteretur; Solon quum videret Athenienses ejus insulæ possessione dejectos non posse ad magnas opes pervenire, insaniam simulavit; cujus rei famâ dissipatâ, quum Solonem non esse compotem mentis percrebuisset, composuit elegiacum carmen, quo Athenienses ad bellum instaurandum hortabatur; quod quum absolvisset, in publicum prodiit, & in editum locum quasi verba facturus ascendit, factoque ingenti hominum concursu ad Solonem, quem dementem putabant, audiendum, carmen recitavit; quo adeo mota est multitudo, ut legem abrogaret, bellumque decerneret; ita & pœnam insaniæ simulatione vitavit, & utilitati Patriæ prospexit; & quod suaferat, bellum tantâ felicitate administravit, ut Athenienses brevi Salamine potirentur. Quid [e] Themistocles? quum Xerxes coactis innumerabilibus copiis Græ- 4
ciam invasisset, num Reipublicæ mediocriter profuit dicendo? qui persuasit Atheniensibus, ut urbe relictâ naves conscenderent, & ostendit eò pertinere oraculum, quod præcipiebat Atheniensibus, ut ligneo muro se includerent; quod nisi Themistocles persuasisset, nunquam Athenæ tantam belli tempestatem ferre potuissent; sed & ipsæ, & Græciæ libertas funditus concidisset. Nec minùs universæ Græciæ profuit [f] Aristides, quum superato Mardonio, & trecentis Persarum millibus deletis, lis inter Lacedæmonios, & Athenienses incidisset, utrisque contendentibus sibi primas esse deferendas; quæ res erat Græciæ vires, quæ concordiâ coaluerant, discordiâ dissipatura, & Barbaros ad certissimam spem victoriæ excitatura, nisi Aristides intempestivum certamen sustulisset; qui Lacedæmoniis, & Atheniensibus persuasit, ut rem communi Græcorum judicio permitterent; qua contentione sedatâ Græciæ salus constituta est. Jam longum fuerit dicendo persequi, quantum Periclis [g] eloquentia Rei- 5
publicæ Atheniensium utilitatis attulerit; rem brevi comprehendam; nunquam felicior, nunquam potentior ea civitas fuit, quàm quum ejus oratoris moderatione, & sapientiâ regebatur; ac [h] si Pericle defuncto ejus consiliis parere voluisset, nec multas res esset aggressa, quas ne aggrederetur, vir ille suaserat, nunquam Græciæ principatum amisisset; sed Spartanis devictis in immensum Imperii fines protulisset. Alcibiades [i] ipse, etsi Peloponesium bellum Niciæ virtute sedatum rursus excitavit, quod fune-

[a] Juvenal. Satyr. 6. v. 164. [b] Seneca Epistol. 42. & de Constantiâ Sap. cap. 7 Cicer. in Lælio, & libro 4. Academic Quæst. Plutarch. de Repugn. Stoicor. & Quintil. libr. 12. cap. 1. [c] Plutarchus in Vitâ Thesei. [d] Idem Plutarch. in Vit. Solon. [e] Idem in Vitâ Themist. [f] Plutarch. & Cornel. Nep. in Vit. Aristid [g] Plutarch. in Vit. Periclis, & Thuc. libr. 1. Hist. & l. 2. [h] Thuc. ibid. pag. 141. Edit. Francof. [i] Plutarch. in Vit. Niciæ, & Alcibiad. & Corn. Nep. in Vit. Alcibiad. & Thucydid. libr. 6. Histor.

nestum Græciæ, Atheniensibus perniciosum
fuit; tamen si fuit bellandum, utilem
vel maximè se præbuit civitati; nam eo
erante, Argivi, Mantinenses, Tegeatæ, &
omnis ferè Peloponesus contra Lacedæmo-
nios conspiravit, eorumque Rempublicam
6 in summum discrimen adduxit; quo in
bello Athenienses fuerunt spectatores otio-
si hostium calamitatis, & hostes ipsorum
sociis oppugnandos præbuerunt. Ac ne
bellum Siculum quidem, quod Alcibiade
suadente decretum est, tam tristes exitus
habuisset; immo, subactâ Siciliâ, ad majo-
rem potentiam gradum fecissent Athenien-
ses; sed quum Alcibiadem imperatorem,
qui solus vincere poterat, ab exercitu re-
movissent, & in exilium misissent, eorum
copiæ sunt occidione deletæ. Non igi-
tur peccavit orator, qui bellum suasit; sed
populus, qui non vidit, quantum ejus vi-
ri virtute indigeret. Sed Alcibiades fortasse
fuerit in multis reprehendendus; Lycurgus
7 autem [a] orator nisi multa persuasisset, quæ
e Republicâ viderentur, nunquam populus
eum toties coronasset; nunquam ejus au-
ctoritati tantum tribuisset, ut Lycurgum
aliquid dixisse, quod ad levandum crimen
pertineret, multum reos adjuvaret; nun-
quam denique ejus Posteris alimenta in
Prytaneo decrevisset, & statuam aheneam
in foro collocasset; quem, quum fato
concessisset, nunquam donis fuisse cor-
ruptum, nunquam in ullâ re meritò re-
prehensum publico decreto judicarunt.
Demosthenis [b] autem conatibus fortuna
semper adversata est; ceterùm quis neget
ejus viri eloquentiam in libertatem fuisse
Græcos vindicaturam? quum nunquam
destiterit Philippi res gestas criminari de-
tegere dolos, ambitionem Regis illius com-
muni libertati insidiantem ob oculos po-
nere, cupiditatem omnibus imperandi re-
darguere, Athenienses, ceterosque Græ-
cos ad pristinam virtutem, & Majorum de-
cus recuperandum cohortari; quibus vo-
cibus adeo commota est Græcia, ut adver-
sùs Macedonum vires universa consurre-
8 xerit. Alterum autem eloquentiæ lumen
Hyperidea, quem nonnulli [c] Demosthe-
ni anteponunt; homo & [d] consiliorum
in Republicâ socius, & summâ cum De-
mosthene familiaritate conjunctus, eandem
Reipublicæ administrandæ rationem sequu-
tus propemodum pari tuendæ libertatis
gloriâ floruit. Quid autem de Cimone sum-
mo [e] imperatore dicam? qui laudem sin-
gularem, quam eodem die deletis ingenti-
bus Persarum terrestribus, maritimisque co-
piis sibi compararat, Lacedæmoniis cum
Atheniensibus eloquentiæ, & prudentiæ
suæ beneficio reconciliatis, & inter duas
potentissimas urbes pace factâ adæquavit.
Quid commemorem [f] Isocratis oratio-
nem, qua Græcos ad bellum Barbaris in- 9
ferendum cohortatur, ad [g] Philippum, A-
lexandrumque Regem delatam tantam vim
habuisse, ut utrumque ad evertendam
Persarum potentiam concitarit, ut gra-
vissimi Auctores memoriæ prodiderunt;
quod a Philippo cogitatum [h] Alexander
perfecit; ita unius hominis umbratilis elo-
quentia id consequuta, quod tot fortissi-
mi imperatores non potuerunt; & Græcia,
amissâ libertate, Isocratis beneficio no-
men, imperiumque extendit in ultimas o-
ras Orientis. Jam [i] Epaminondas illud
clarissimum lumen Thebanæ civitatis, quum
sociis audientibus tyrannidem Spartano-
rum in Spartanâ curiâ accusasset, Lacedæ-
monis opes non minùs, quàm Leuctricâ
pugnâ, eâ oratione concussit; nam socii,
qui jam pridem superbiam Spartanorum
nimiam putabant, audito Epaminonda,
sunt prorsus abalienati, & pro Spartanis
tanquam tyrannis dimicare noluerunt; ita-
que Thebani sociis nudatos Lacedæmo-
nios ingenti prælio auspiciis, & ductu E-
paminondæ bis devicerunt; neque solùm
Græciæ Imperio exuerunt, sed propemo-
dum captâ Spartâ in suam potestatem rede-
gerunt. Jam Philippus [l] Rex Macedoniæ, 10
qui eodem, quo [m] Epaminondas, fuerat usus
præceptore Lyside Pytagoreo, & simul fuerat
educatus, quum paternum Regnum acce-
pisset maximis circumventum periculis,
maximis cladibus concussum, & labefacta-
tum, cum aliis artibus, tum eloquentiâ
præcipuè nutantem Macedonum Regiam
stabilivit; qua milites jam rebus dissiden-
tes, quum frequentissimas haberet concio-
nes, confirmavit; & audaciores fecit ad pe-
ricula subeunda. Possem multo plura Græ-
corum exempla proferre, quibus ostende-
rem auctas, conservatas, ornatas eloquen-
tium beneficio Respublicas; sed mihi ad
Romanos veniendum est, ut tandem tota
disputatio concludatur. Equidem [n] nec ip- 11
sum Romulum, quem furtim genitum, in-
ter pastores educatum, omnium discipli-
narum expertem fuisse quidam tradiderunt,
elo-

[a] Plutarchus in Vit. Lycurg. [b] Idem in Vitis comparat. in Vit. Demosthen. & Ciceroo. & in Vit. X. Rhetor. cap. 8. [c] Photius in Biblioth. cod. 266. [d] Plutarch. in Vitis X. Rhetor. cap. 9. & Photius ibid. [e] Cornel. Nepos, & Plutarchus in Vit. Cimonis. [f] Isocrat. in Panegyric. [g] Isocrat. in Epistol. ad Philippum. [h] Plutarch. in Vit. Alexandri. [i] Cornel Nep. in Vit. Epaminond. Plutarch. in Vit. Pelopid. & in Vit. Agesilai, Justin. libr. 6. Histor. & Diodor. Sicul. Biblioth. Histor. libr. 15. [l] Diodor. Siculus Bibliothec. Hist. libr. 16. [m] Cornel. Nep. in Vit. Epaminond. & Diodorus Sicul. ibid. [n] Tit. Livius libr. 1. Plutarch. in Vit. Romuli.

eloquentiâ caruisse crediderim; nec eâ non usum ad populum in urbem, quam cundebat, congregandum; nam quomodo multitudinem mixtam ex pluribus gentibus, & magnâ ex parte barbaram, & ferocem, solutamque legibus ad obsequium, nisi persuadendo, compulisset? Dionysius Halicarnasseus [a] certè Romulum inducit apud multitudinem, quæ urbem erat conditura, præclarè verba facientem; & Plutarchus tradit [b] Romulum Gabiis avi Numitoris curâ bonis artibus institutum; quem qui inter pastores volunt adolevisse, nec litterarum studiis attigisse, vel eo refelluntur argumento, quod, ut inter omnes constare video, Romulus [c] augur fuit præstantissimus; non igitur litteras ignorabat, quum auguratus disciplinam teneret, quæ multis libris continebatur. Quapropter a veritate abhorrere non est existimandus, siquis putet ipsum dicendo multum valere potuisse, quum & solerti ingenio, & erudito uteretur. Nec verò Numam tam in-
12 fantem fuisse, quàm Scævola [d] videri vult, putaverim, qui tantâ rerum scientiâ dicitur præstitisse, ut [e], quamvis repugnante ratione temporum, Pythagoræ præcellentissimi philosophi disciplinâ institutus videretur. Nam si tam rudis, & indisertus Numa, quomodo quatuordecim libros composuit; quos utraque [f] linguâ de jure pontificio, & de sapientiæ disciplinâ conscriptos anno ab Urbe conditâ quingentesimo septuagesimo tertio Romani invenerunt? Quæ si desint argumenta; nunquam tamen adducar, ut credam, Numam sine quadam vi dicendi persuasisse hominibus bellorum diuturnâ assuetudine efferatis, ut Deos colerent, ne jus in armis collocarent, mansuetudinem, justitiam, clementiam, probitatem ferociæ, crudelitati, libidini, injuriæ anteponerent. Quid illa? potuit ne sine summâ ingenii solertiâ, & eloquendi præstantissimâ facultate, tanquam verisimilia multitudini venditare, sibi [g] esse cum Ægeriâ Deâ nocturnos congressus, elicere se de Cœlo fulmen, cum Jove per otium fabulari, Musas in consilio habere, Ancile sibi Cœlo demissum pignus Imperii, & publicæ felicitatis; quibus fabulis id, quod Reipubli-
13 cæ deerat, religio constituta est? Initia igitur Romanæ civitatis eloquentiæ magnâ ex parte debentur, quum duo Reges, quorum alter Urbem condidit, alter fundavit legibus, eâ tanquam instrumento usi reperiantur. Licèt omnia detrimenta, quæ Reipublicæ seditiosi tribuni, perniciosi cives turbulentis concionibus attulerunt, congerantur, hoc eloquentiæ merito præponderabuntur; quia plus profuit Romulus Romanis, qui Urbem condidit, & Numa, qui legibus latis, & divino jure constituto fundamenta jecit publicæ felicitatis, quàm omnes improbi cives, qui perniciosis concionibus mediocriter Rempublicam labefactarunt, obfuerunt. Nec verò solùm Romani initia suæ civitatis, jurisque publici, & disciplinæ, sed etiam libertatis, eloquentiæ debuerunt. Nam quum [h] Lu-
cretiæ stuprum Tarquinius intulisset, ea- 14
que sibi necem conscivisset, Brutus auctor libertatis capessendæ stillantem adhuc casto cruore gladium manu tenens in publicum prodiit, & concione convocatâ scelera Regis accusavit; per immanissimum facinus occiso clementissimo Rege Regnum occupatum, actum per cruentum patris cadaver carpentum filiæ, plebem ludibrio habitam, & cloacis exhauriendis in terram demersam, contaminatam cognatâ cæde Regiam, ereptam per vim pudicitiam castissimæ feminæ, ac mortem miserabilem deploravit. Quibus vocibus incitata multitudo ad exigendus ex Urbe Tarquinios cum primoribus civitatis conspiravit, nec minùs in castris Brutus, habitâ concione milites adversus Regem inflammavit; ad quos, quum urbanam multitudinem ad conjurandum incendisset, convolarat; quibus rebus effectum est, ut Roma dominatu regio liberaretur, libertatemque adepta Orbis terrarum Imperio potiretur. Non
quæro, an orator fuerit Brutus, quum vi- 15
deam oratoris opera effecisse; quod est opus oratoris? persuadere; persuasit Brutus multitudini, & quidem rem arduam, ac difficilem, & plenam periculi, ut Regi clauderet portas, ut Regem bello persequeretur; persuasit militibus, ut cum populo consentirent, partamque libertatem, communemque causam tuerentur. Ut igitur si Phidiam sculptorem fuisse ignorarem, visâ Jovis [i] Olympici admirabili pulchritudine, cognitoque ejus artificem fuisse Phidiam, non dubitarem non modò artificem Phidiam, sed summum artificem, præstantissi-

---

[a] Dionysius Halicarnass. libr. 2. Antiquit. Roman. in princip. [b] Plutarch. in Vitâ Romul. [c] T. Livius libr. 1. & Dionys. Halicarnass. libr. 2. Antiq. Roman. [d] Scævola apud Ciceronem de Oratore libr. 1. [e] Plutarch. in Vit. Numæ, T. Liv. libr. 1. decad. 1. [f] Plinius Natural. Histor. libr. 13. cap. 13. & Plin. Junior. de Vir. Illustrib. cap. 3. & Lactantius Firmianus libr. 1. cap. 22. [g] Valer. Maximus libr. 2. cap. 3. Plutarch. & Lactantius Firmian. ibidem. [h] Tit. Livius libr. 1. & Plinius de Viris Illustrib. cap. 10. Luc. Florus libr. 1. cap. 9. Dionys. Halicarnass. libr. 4. Antiquit. Roman. & Div. Augustinus de Civitat. Dei libr. 3. cap. 16. [i] Plinius Natural. Historiæ libr. 7. cap. 38. & libro 34. cap. 8.

tiſſimumque ſculptorem, qui tantum opus
confecerit, appellare; ita quum ſciam lin-
guâ Bruti commotam plebem Romanam,
commotos milites ad Regem Tarquinium
exigendum; quum opus oratoris, & qui-
dem præclariſſimum videam, Brutum fuiſ-
ſe oratorem cogor conſiteri. Quare mi-
ror, cur [a] Scævola aſſeveret exactionem
Regum mente, non linguâ Lucii Bruti eſ-
ſe perfectam; quid enim geri poteſt, quod
multitudinis conſenſum deſideret, quod
ſolâ mente confici poſſit. Jam verò liber-
16 tate per Lucium Brutum partâ, ajo maximas
Reipublicæ partes per diſertiſſimos viros
eſſe conſtitutas; etenim legibus Rempu-
blicam maximè contineri nemo non fa-
teatur; leges autem Romæ ſolo nutu, &
auctoritate magiſtratuum non ferebantur;
ſed qui volebat ferre legem, concionem
convocabat, & accuratâ oratione legis uti-
litatem, æquitatemque oſtendebat; & quam
populus legem ſciviſſet, ea rata habebatur;
leges igitur Romanæ alicujus oratione ſan-
citæ ſunt univerſæ; quo quod majus be-
neficium eloquentiæ poſſumus commora-
re? Jam verò quoties Conſules tribunitiis
procellis reſtiterunt, non aliâ, quàm di-
cendi facultate? quoties Tribuni plebis a-
cres, & non infacundi nimias Patrum o-
pes infregerunt, & obviam ſuperbiæ no-
bilitatis iverunt? ita factum eſt, ut neque
plebs inſoleſceret, neque primores civita-
tis ſuis viribus ad opprimendam plebem
abuterentur. Hinc Appiorum clariſſimum
17 nomen; quos nunquam tanta eſſet gloria
conſequuta, niſi Reipublicæ magnas utili-
tates dicendo attuliſſent. Nam [b] Appii
non ferè bellicis laudibus floruerunt; ſed
quia eloquentiâ multitudinis impetus re-
preſſerunt, quia tribunitios furores refre-
narunt, aliorum triumphos, & militarem
gloriam viſi ſunt adæquaſſe. Neque enim
Romani præclarius, magnificentiuſque du-
xerunt, manu cum hoſtibus confligere, vi-
ctaſque gentes perdomare, quàm animos
dicendo permovere, & orationis vi ma-
gnum aliquod afferre commodum civitati.
Cujus rei illud argumentum eſt, quod u-
ni poſt Urbem conditam Pompejo ob res
bello præclariſſimè geſtas, & ſuperatam om-
nium ducum ſuperiorum gloriam milita-
rem [c] Magni cognomen addiderunt; at
Valerium [d], qui oratione plebem, quæ ad
Anienem [e] ſeceſſerat, cum Patribus in gra-
tiam reduxit, Maximum nuncuparunt; &
ejusdem cognominis honore affecerunt,
quo Jovem, qui maximus appellatur; quæ
appellatio teſtis eſt, quantum eloquentia Va-
lerii profuerit Reipublicæ. Quod ſi quis
hos oratores fuiſſe negare perſeveret, huic 18
ego facilè conceſſerim caruiſſe illo tran-
ſmarino lepore, & ſuavitate ſermonis, ca-
ruiſſe politiſſimâ doctrinâ, ſummaque vi
orationis, quam Græci poſtea Romam in-
vexerunt; ſed infantes fuiſſe, ſed exper-
tes omnis eloquentiæ homines in dicen-
do exercitatos, qui frequentiſſimè vel ad
populum, vel in ſenatu de maximis rebus
accuratè verba faciebant, conſtanter auſim
pernegare. Si autem eloquentiâ, quantu-
lamcumque parare poterant illis tempori-
bus, tantum Reipublicæ profuerunt, mul-
to magis profuturos fuiſſe contenderim, ſi
dicendi ſummam facultatem fuiſſent con-
ſequuti. Sed veniamus ad eos oratores,
quos vel iniqui oratores fuiſſe fateantur;
putamus ne Catonem illum [f] Cenſorium
vel inſectando vitia, quibus bellum indi- 19
xerat ſempiternum, vel ſuadendo leges
optimas, & Reipublicæ ſalutares, vel ſen-
tentiâ dicendâ, quam ſenatus frequens ſe-
queretur, non ſe utilem civitati præbuiſſe?
aut alium, cujus facundiam conjunctam
pari ſapientiâ, & integritate vitæ Antiqui
ſuſpexerunt, non multa ſuis civibus per-
ſuaſiſſe, quæ Reipublicæ maximè expedi-
rent? aut [g] Catulum præſtantiſſimum vi-
rum, qua pollebat, facultate dicendi non
improbis reſtitiſſe, non fuiſſe adjumento
bonis, non pernicioſorum civium fraudes,
& ſcelera detexiſſe? Quid autem de Ca-
tone altero dicam, qui ſi eâ tempeſtate,
qua ſanari vitia ægræ civitatis, qua defen-
di libertas poterat, extitiſſet; profectò de-
pravatam Urbis diſciplinam emendaſſet, &
a cervicibus Romanorum ſervitutis jugum
dejeciſſet? Sed quid ego multos colligo?
nonne Ciceronis ingenium omnes priùs 20
genitos & eloquentiæ magnitudine, &
Reipublicæ utilitate ſuperavit? cui [h] ſena-
tus non, ut multis, bene geſtæ Reipublicæ
teſtimonium, ſed conſervatæ dedit; cujus
ob res in togâ geſtas ſenatus Deorum im-
mortalium templa novo honoris genere
patefecit; & merito, tres enim Romæ pa-
rentes, conditoreſque ſunt appellati, Ro-
mulus [i], & Camillus, & Cicero; ſed Ro-
mulus parvam condidit, Camillus [l] fini-

[a] Scævola apud Ciceron. de Orator. libr. 1. [b] Plutarch. in Vit. Pyrrhi, Plin. libr. de Viris Illuſtrib. cap. 34. & 37. [c] Plutarch. in Vit. Pompeji, Plin. libr. 7. cap. 26. Appian. de Bell. Mithr. in princ. & Tit. Liv. Hiſtor. libr. 10. dec. 3. [d] Idem Plutarch. in Vit. Fabii Maxim. & Pompeji. [e] Valer. Maxim. libr. 8. cap. 9. [f] Plutarch. in Vit. Catonis, Tit. Liv. libr. 3. & 4. dec. 4. & Valer. Max. libr. 8. cap. 7. [g] Cicer. de Oratore libr. 3. & in Bruto. [h] Plutarch. in Vit. Ciceronis. [i] Idem in Vit. Romuli, T. Liv. libr. 1. [l] Tit. Liv. libr. 5. Plin. de Viris illuſtribus cap. 23. Plutarch. in Vit. Camilli, & Luc. Flor. libr. 1. cap. 13.

timis dumtaxat imperantem restituit; Cicero [a] Orbis terrarum Imperio potitam conservavit. Mitto partam inter equestrem ordinem, & senatum suadente Cicerone concordiam: mitto agrariæ legis auctores eodem orante superatos: mittto compressos Clodii furores, indictum malis civibus bellum sempiternum, ejectum ex [b] Urbe Antonium, & ejus tyrannide Rempublicam liberatam; quod Ciceronis beneficium & si non fuit diuturnum, quia libertas Ciceronis ingenio, & virtute constituta Octaviani armis, & perfidiâ non solùm labefactata, sed funditus eversa est; tamen vel maximè Romanis profuit, quum Antonius dejectus fuerit possessione Reipublicæ, quam solus invaserat. Nam si fuit serviendum, Octaviano, quàm Antonio servire præstabat; nec regnasset Octavianus, nisi Antonium Cicero expulisset; quæ omnia declarant ei plurimum Rempublicam debuisse, qui plurimum habuit eloquentiæ.

DISSERTATIO XXXVII.

Cur Cicero dicat homines oratione maximè præstare ceteris animantibus.

Philippides biduo mille centum sexaginta stadia conficiebat; & centumquinquaginta millia passuum uno die Philonides. Milo Crotoniensis humeris taurum ferebat. Athanatus quidam thorace plumbeo quingenario indutus, cotburnisque pondo quingentorum calciatus per scenam incedebat; verùm velocitate, & viribus, sicut etiam ceteris omnibus homines ab animalibus longè superantur.

MAximè ceteris animantibus præstare homines, quòd proferre verbis animi sensa possint, inter seque commercio sermonis conjungantur, hoc loco, quem hodierno die suscepimus illustrandum, Tullius [c] asseverat. Quo dicto declaratur non solùm magis oratione, quàm reliquis rebus, verùm etiam magis, quàm ratione, homines bestiis antecellere. Id autem esse consentaneum veritati nobis ostendendum; & ceteris quidem corporis dotibus minùs homines, quàm oratione mutis animantibus antistare omnes consentiant; ratione verò pari discrimine distare plerique contendant; immo ceteris vinci homines nemo non fateatur. Da enim mihi vel Ladam, quem [d] Pausanias testa- 1
tur omnes velocitate superasse, nisi mendacissimis fabulis habere fidem velis, quæ tradunt ipsum in arenoso solo tam levi gressu cucurrisse, ut vestigia pedum arenæ impressa non relinqueret; nonnullorum tamen animalium celeritate victus esse reperietur: da rursus [e] Philippidem cursorem, quem biduo mille centum quadraginta stadia ferunt confecisse; aut [f] Anistim, & [g] Philonidem, quem centum quinquaginta millia passuum uno die cucurrisse memoriæ prodiderunt; quid erunt hi cum tigri [h] comparati, quæ tam immensæ 2
velocitatis esse perhibetur, ut quum multos catulos pariat, & omnes auferant venatores, in speluncam reversa toties homines velocissimis equis insidentes assequatur, relictosque ab ipsis catulos in speluncam referat; & antequam ad proximum mare perveniant, omnes interdum cogat relinquere. Quid autem de delphine dicam, quem Plinius [i] omnium animalium celerrimum esse confirmat, & volucribus, & telo ocyorem? idcirco [l] Pindarus, quum ob oculos ponere vellet Dei cuncta assequentis, cuncta comprehendentis celeritatem, affirmat aquilam alatam apprehendere, & Delphinem marinum præterire:

Θεὸς, inquit, ὃ καὶ πτερόεντ' αἰ-
ητὸν κίχε, καὶ θαλασσαῖ-
ον παραμείβεται
Δελφῖνα......

quàm cum hoc animali comparatus vel Papirius [m] ille Cursor, vel Magnus [n] Alexander, quem celeritate pedum ferunt præstitisse, vel Achilles, quem semper Homerus [o] pedibus celerem fuisse confirmat, tardus videatur! Nec robur quidem cor- 3
poris in ullo homine tantum, quantum in nonnullis animantibus; Milonem [p] Crotoniensem Græcorum litteræ celebrant, qui [q] ferre humeris taurum solitus dicitur; Athanatum quemdam [r] Plinius tradit thorace plumbeo quingenario indutum, cothurnisque pondo quingentorum cal-

[a] Plutarch. in Vit. Ciceronis. [b] Idem in Vitâ Antonii. [c] Cicer. de Oratore libr. 1. [d] Pausan. in Corinthiac. & in Arcadic. & Solin. Polyhist. cap. 6. [e] Solin. ibid. Plinius libr. 7. cap. 20. & Herodot. libr. 6. cap. 106. hunc esse Phidippidem contendit Salmasius ad Solinum. [f] Plinius eodem libr. 7. cap. 20. & Solin. ibid. cap. 6. [g] Plin. ibid. & libr. 2. cap. 71. & Solin. ibid. [h] Plinius libr. 8. cap. 18. Pompon. Mela libr. 3. cap. 5. de Situ Orbis, & Solinus cap. 21. [i] Plinius Natural. Histor. libr. 9. cap. 8. Ælian. de Anim. libr. 12. cap. 12. Paul. Manutius in Adag. *Delphinum natare doces*. [l] Pindar. Pyth. Od. 2. vers. 91. [m] Tit. Liv. libr. 9. dec. 1. & Plin. de Vir. Illustr. cap. 31. [n] Plutarch. in Vit. Alexandr. in princ. [o] Hom. Il. α. v. 58. 84. 121. 215. & alibi. [p] Ælian. Var. Hist. l. 2. c. 25. & l. 12. c. 22. Solin. c. 4. Polyhist. Athen. l. 10. c. 2. [q] Athen. ibid. [r] Plin. l. 7. c. 20.

calciatum per scenam incessisse; verumtamen hæ vires, quas in homine admiramur, quàm longè vincuntur elephantorum viribus, quos turres [a] ligneas cum multis armatis militibus, & rectore in prœlium, aciemque ferre solitos accepimus, & impetu suo globos bellatorum dissipare? quæ si faciebant elephantes africani, quantum robur [b] Indorum esse credendum est, qui habentur longè [c] fortiores? & tamen huic belluæ Indicam tigrim Arrianus [d] tradit viribus antecellere. Rhinocerotes certè ele-
4 phantorum robori non cedunt; nam si elephantos [e] Curtius testatur manu, quam proboscidem vocant, arma, virosque corripuisse, & rectoribus, qui insidebant, tradidisse; Rhinocerotes Martialis taurum cornu sustulisse, & in sublime jactasse tradit [f] his verbis:

Præstitit exhibitus totâ tibi, Cæsar, arenâ,
Quæ non promisit, prœlia Rhinoceros.
O quàm terribiles exarsit pronus in iras?
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

& alio in loco testatur ursum a Rhinocerote sublatum cornu, & tanquam leve pondus in altum esse conjectum; versus Poëtæ, quibus id refertur, hi [g] sunt:

Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,
Jactat ut impositas taurus ad astra pilas.

Sed harum belluarum moles immanis; quid minores feræ, tigres, leones, ursi, apri, nonne hominum validissimorum robur multis partibus præstant? quid [h] tauri carnivori, quos habent Troglodytæ, qui leonibus fortiores, velociores equis, tauris robustiores esse dicuntur? quid inter mansuetas bestias, equi, taurique? quàm firmo corpore, quàm compacto, laborumque patiente sunt præditi. Quid acies oculorum?
5 quanto acutior in aquilâ, quàm in homine! quanto sagacior in canibus odoratus! ex intervallo multorum millium sentiunt odorem cadaverum, & advolant ad pastum vultures; laudatur auditus aprorum, vel anserum, gustus Indici animalis, quod protogeustam vocant. Quæ sensuum sagacitas fecit, ut etiam præscia futurorum mutæ animantes viderentur; ita mures imminentem domus ruinam putantur præsentire; quos antequam ædes, in quibus habent sua latibula, collabantur, in alias migrare tradit [i] Ælianus: ita [l]

...... cornix plenâ pluviam vocat improba voce;

& [m] delphines futuram præsagiunt tempestatem, de quibus Lucanus [n] cecinit:

Nec placet, incertus qui provocat æquora delphin.

Ira magis imbres, & serena magis animantes, quàm homines præsentiunt, quæ ubi imminent [o],

.... celeres medio revolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferunt ad litora.......

In sicco ludunt fulicæ, notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem,

[p] Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

[q]...... & e pastu decedens agmine magno
Corvorum increpuit densis exercitus alis.

Impendente verò [r] serenitate:

Non tepidum ad solem pennas in litore pandunt
Dilectæ Thetidi halcyones, non ore solutos
Immundi meminere sues jactare maniplos;

[s] Solis & occasum servans de culmine summo
Nequicquam seros exercet noctua cantus;

[t] Tum liquidas corvi presso ter gutture voces,
Aut quater ingeminant......

Quæ omnia rationis expertes animantes præsentiunt, atque præmonstrant, quia acriorem accipiunt sensum aëris mutationum, & tempestatum; neque enim credo [rectissimè Virgilius [u] philosophatur] 6

[a] Machabæorum libr. 1. cap. 6. & Tit. Livius libr. 7. decad. 4. [b] Ælianus Histor. Animal. libr. 13. cap. 8. [c] Tit. Livius libr. 7. decad. 4. [d] Arrian. libr. Rerum Indicar. pag. 178. Edit. Henrici Stephan. [e] Q. Curtius libr. 8. circa fin. [f] Martialis Spectacul. epigr. 9. [g] Idem eodem libro epigr. 22. [h] Plinius libr. 8. cap. 21. Histor. Natur. Solinus cap. 55. & Ælianus Histor. Animalium libr. 17. cap. 45. [i] Ælianus Histor. Animalium libro 6. cap. 41. in fine. [l] Virgilius Georgic. libr. 1. vers. 388. [m] Plinius Natural. Hist. libr. 18. cap. ultimo in fine. [n] Lucan. libr. 5. Pharsal. [o] Virgilius ibid. vers. 361. Plin. ibid. [p] Virgilius ibid. v. 377. & Plin. libr. 18. cap. ultimo in fin. [q] Virgil. ibid. v. 381. [r] Virgil. ibid. v. 398. [s] Virgil. ibid. v. 402. & Ælian. Histor. Anim. libr. 7. cap. 7. [t] Virgil. ibid. v. 410. [u] Virgil. ibid.

. . . . . quia sit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major;
Verùm ubi tempestas, & Cœli mobilis humor
Mutavere vias, & Juppiter humidus Austris
Densat, erant quæ rara modò, & quæ densa relaxat,
Vertuntur species animorum. . . . . .

Solùm verò gustu, tactuque homines bestiis universis antecellere Adamantion putat; sed non his præcipuè quum in aliis etiam animalibus hi sensus acuti satis, acresque cernantur; & in nonnullis avibus potissimùm tactus excellere memoratur. Jam
7 verò vox admodum suavis in homine, & canora, & musicis apta modulatibus, sed lusciniæ cantum non vincit; quàm enim liquida vox lusciniis, quàm varia, quàm infatigabilis, quæ modò inflexa, modò in longum eodem tenore producta, modò gravis; modò acuta, modò incisa, clara, infuscata mirificè delectat etiam diversi generis animantes. Pulchritudo verò & si inter corporis dotes vel maximè propria hominis esse videatur; tamen [a] & pavonum picturatis pennis delectamur, & pulchridine, ac varietate colorum, quæ in avibus cernuntur; & species equi, vel leonis nos mirificè tenet. Nec, si in aliis animantibus non esset pulchritudo, unquam [b] Pasiphaën tauri formâ captam poëtæ veteres prodidissent; non igitur dubitari potest, quin magis oratione, quàm ceteris corporis dotibus homines mutis animantibus antecellant.



DISSERTATIO XXXVIII.

Animalia destitui omnino ratione volunt aliqui philosophi, alii negant; nulli autem sermonem illis tribuunt.

Melampodem intellexisse avium linguam dum fabulæ ferunt, summum augurem fuisse significant. Testudines marinæ in terrâ ova occultant, & quum discesserint, completis quadraginta diebus, quibus pulli excluduntur, reversæ secum pullos adducunt. Multorum animalium mira sagacitas.

Ratio magis, an oratio distinguat homines a ceteris animantibus hodierno die nobis inquirendum est; nam [c] Tullius loco, quem explicamus, orationem esse, non rationem, qua homines belluis præstent, asseverat; plerique omnes ratione ab homine vinci mutas animantes existimant Ideo [d] poëtæ veteres tradiderunt
ab Epimetheo factum hominem ceteris im- 1
becilliorem, atque infeliciorem extitisse; sed Prometheum [e], quum ignem e Cœlo subduxisset, & hominibus tradidisset, effecisse, ut homo ceteris omnibus antecelleret, ceteris omnibus imperaret; ignis quippe e Cœlo sublatus nihil aliud est, quàm ratio verè cœlestis ignis, cœleste lumen, & divinum; cujus compotes homines facti non solùm bestiis præstiterunt, sed ad Deorum naturam proximè accesserunt. Est igitur nobis exponendum, cur [f] Tullius a communi opinione dissentiat; & hominis præstantiam, qua superat alias animantes, in oratione, non ratione constitutam putet; causa autem in promptu est. Nam omnino ratione destitui mutas animantes multi, iidemque non contemnendi sapientiæ auctores haudquaquam concedunt; Stoici
quippe, & Peripatetici dabunt carere ani- 2
malia, quæ muta dicimus, ratione; non dabit Pythagoras, aut [g] Plato, non Diogenes, aut Anaxagoras, aut qui eorum studia sunt æmulati; sed carere eloquio, & vocibus, quæ articulatè proferuntur, omnes fortasse dabunt. Idcirco Galenus eloquentissimus Medicorum oratione, qua juvenes

a Plin. l. 10. cap. 20. b Virg. Ecl. 6. & l. 6. Æneid. Ovidius de Art. Amandi libr. 1. & in Epist. Ariadnæ, Propert. libr. 2. Eleg. 23. & libr. 3. Eleg. 17. Plutarch. in Vit. Thesei, Palephatus de Incredibil. cap. 2. Pausanias in Bœotic. Apollodor. libro 3. Servius ad libr 6. Æneid. Virg. in princ. Diodorus libr. 4. Biblioth. Hyginus fab. 40. & Plato in Minoë. c Cicer. de Orator. libr. 1. d Plato libro 17. sive in Protagor. vel Sophistâ, & Hesiod. Oper. & Die. e Horat. Od. 3. libr. 1. Æschylus in Prometheo, & Hygin. fab. 144. f Cicer. libr. 1. de Oratore. g Plutarchus libr. 5. de Placitis Philosophor. cap. 20.

venes ad artes cohortatur, dubitat, an ra-
tio inſit aliis animalibus; negat autem i-
neſſe ſermonem, quo animi ſenſa poſſint ex-
plicare; & Anaxagoras apud [a] Plutarchum
libro quinto de placitis philoſophorum,
uti beſtias ratione, non uti oratione aſſe-
verat. Idcirco poëtæ Græci homines me-
ropas [b] appellarunt, quòd ſoli animalium
in partes tributam, articuliſque diſtinctam
obtineant vocem, hoc eſt quod loquantur.
Nec immerito, nam ſi vocem attendamus
3 aliorum animalium non eſſe tam diſtinctam,
nec tot habere partes, ut tanta rerum va-
rietas, & multitudo, quæ oratione expri-
muntur, exprimi poſſit, obſervamus aliam
vocem eſſe mærentium, aliam gauden-
tium, aliam venereâ cupiditate incenſo-
rum dumtaxat animadvertimus. Hæc Tul-
lius [c] reſpiciens non tam ratione, quàm
oratione, homines præſtare dixit ceteris a-
nimantibus; nam orationem beſtiis nemo
tribuit, niſi fabulæ, quæ [d] Melampodem
vatem ferunt avium linguam intellexiſſe;
quæ tamen fabulæ non aves loqui, ſed
Melampodem ſummum fuiſſe augurem ſi-
gnificare voluerunt; rationem verò mul-
ti; & ſanè in belluis videntur aliqua ra-
tionis extare veſtigia. Ælianus [e] in variâ
4 hiſtoriâ notat teſtudines marinas in terrâ
ova edere, & occultare, deinde in ſuas re-
verti ſedes; nec ante redire ad locum, ubi o-
va terrâ obruerunt, quàm completis qua-
draginta diebus, quibus elapſis excluſiſque
pullis [neque enim prius excluduntur]
venire teſtudines, ſobolemque jam natam ſe-
cum adducere; ut numerandi ſcientiam ha-
bere videantur, quum ſciant, quando qua-
draginta dies effluxerint. Idem [f] tradit Ægy-
ptias ranas, ne ab hydro devorentur, arun-
dinis fruſtum tenere mordicus, & ferre
tranſverſum; quo illæ aſtu conſequuntur,
ut, quum os hydri non tantum pateat, ut
arundinis fruſtum poſſit deglutire, tutæ, &
incolumes Nilo devehantur. Nec [g] mi-
nor aſtus eſſe fertur polypodum; qui quum
ad petram adhæſerint, ejuſque colorem in-
duerint (eſt enim polypodum proprium a
rebus, quibus ſe ſe applicant, colorem, &
ſimilitudinem ducere) piſciculos, tanquam
petræ, polypodi adnatantes implicant cir-
ris, implicitiſque veſcuntur. Nec diſſi-
milem artem eſſe pantherarum [h] Antigo- 5
nus Caryſtius memoriæ prodidit; eas quip-
pe, quum ſciant odorem ſuum alias ani-
mantes appetere, ſed aſpectu deterreri,
corpus occultare, quod illæ fugiunt, ut
odore, quem cupiunt, illectas, captaſque
venentur; eſſe [i] genus ranæ, cujus ex o-
culis propendeat quippiam teres, oblon-
gum; in ejus extremo ſit caruncula quæ-
dam rotunda inſtar eſcæ, quam quum pro-
tenderint, & reliquum corpus occultave-
rint, piſciculos adnantes, & eſcæ ſpecie
deceptos capiant; ex quo ranam piſcatri-
cem vocant; inire ſocietatem [l] cum piſca-
toribus lupos apud paludem mæoticam,
prædamque captam aſſervare, & mercedis
loco alimentum accipere; & ſi non acce-
perint, lacerare retia, & piſces corrum-
pere. Sed hi ſagaces ad prædæ venatum;
ſed [m] cervi, ne aliorum præda fiant, non 6
minore ſolertiâ cavent; qui ubi pinguedi-
ne nimiâ ſe ſe graves evaſiſſe, & minus
idoneos ad fugam, curſumque ſenſerunt,
in latebras ſe ſe abdere, & conſulere ſaluti
dicuntur; eorum [n] verò feminæ alio mo-
do provident, ne a feris catuli devoren-
tur; quum prope vias, quæ hominum fre-
quentiâ celebrantur, edunt fetus; quo il-
læ propter timorem non accedunt. Qua-
rum [o] ſolertiæ lepores non cedunt, qui ne
omnes catuli ſimul capiantur, quum plu-
res pariant, non in eodem loco ponunt
univerſos, ſed a ſe invicem plethri inter-
vallo ſegregatos. Perdices [p] autem pullos,
antequam volare poſſint, aſſuefaciunt ſe ſe
proſternere ſupinos, & interjectâ glebâ ſe
occultare; ipſæ verò aucupibus inſectanti-
bus ſponte ſe objiciunt, & inter manus e-
lapſæ jam jam comprehendentes eludunt;
donec avertant ab eo loco, ubi pulli deli- 7
teſcunt. Sepiæ [q], quum vident appropin-
quare manus piſcatoris, effuſo, quod con-
tinent, atramento ſe celant, falluntque
comprehenſurum. Sed harum imbellis a-
ſtus; Ichneumon [r] autem cum crocodilo
dimicaturus tantum ſibi limi circundat, ut
eo, velut thorace, munitus Inimici vim non
pertimeſcat. Elephantes [ſ] autem alterum
ex dentibus, nam duos habent longiores,
inte-

[a] Plutarch. libr. 5. de Placit. Philoſophor. cap. 20. [b] Suid. in V. Μέροψ. [c] Cicer. libr. 1. de Orator. [d] Suid. in V. Μελάμπος, Schol. Apollon. Rhod. ad libr. 1. v. 118. Nicephorus ad Syneſium de Inſomniis, Herodot. libr. 2. cap. 49. & Diodor. Sicul. Biblioth. libr. 4. Plinius libr. 7. cap. 33. & libr. 25. cap. 5. & Pauſanias in Atticis. [e] Ælianus Var. Hiſtor. libr. 1. cap. 6. [f] Idem Var. Hiſtor. libr. 1. cap. 3. [g] Idem libr. 1. cap. 1. Paul. Man. in Adag. *Polypi mentem obtine*. [h] Antigon. Admirabilibus, & Solin. cap. 21. & Plinius libr. 8. cap. 17. & Ælian. de Animal. libr. 5. cap. 40. [i] Idem Ælianus de Animalibus libr. 9. cap. 24. [l] Idem Ælian. de Animalib. libr. 6. cap. 65. ſive ultimo. [m] Plutarch. de Sol. An. [n] Plut. ibid. & Ælian. l. 6. cap. 21. Hiſt. Anim. [o] Ælian. de Animal. libr. 13. c. 11. [p] Plutarch. de Amor. prolis, & de Sol. Anim. & Ælian. de Anim. l. 3. c. 16. Paulus Man. in Adag. Ἐκπερδικίσαι pag. 1259. in Edit. Venet. Ann. 1578. [q] Ælian. de Animal. libr. 1. c. 34. & Plutarch. de Solert. Anim. & Plin. l. 9. c. 29. Natur. Hiſt. [r] Plut. ibid. & Strab. l. 17. de Ægypto aliter Plin. l. 8. c. 23. [ſ] Ælian. libr. 6. c. 56. de Animal. & Plut. de Solert. Anim.

integrum, intactumque prœlio servant; si quid est conterendum, si quid comminuendum, frangendumve, quo vescantur, altero utuntur. Jam [a] grues eunco facto
8 volare ventis reflantibus quis nescit; quasi eam figuram ad diducendum, scindendumque, quidquid obstat, aptissimam esse intelligant; easdem, antequam [b] suscipiant iter, in sublime efferre se pennis, ut possint longè, lateque circumspectare; & si viderint nubes, aut ex aliquâ parte imminentem tempestatem, conquiescere. Quid memorem [c] hirundinum solertiam in nidis construendis, quæ festucas, & quæcumque sunt solida, tanquam fundamenta, supponunt; molliora autem superinjiciunt, ne pulli lædantur; & ad opus conglutinandum eo utuntur artificio; super lacum, aut paludem, aut flumen volant, ita ut alis leviter attingant aquam, & pennas humectent, nec degravent; deinde se provolvunt in pulvere, & luto, quod congesserunt, nidos linunt, ut inter se cohæreant, nec facilè dissolvantur.

DISSERTATIO XXXIX.

De mutarum animantium solertiâ.

Apes sexangulas cellas efficiunt, propterea quod hæc maxima figurarum, quæ totum circum locum complent, ut ostendit Pappus Alexandrinus. Canis, quum insequens feram ad trivium venisset, duasque vias explorasset, tertiam statim odore non captato ingressus est. Mulus, quum sale onustus in flumen fortè decidisset, sponte aliâs se dejiciebat; quare spongiis, & lanâ oneratus destitit. Omnium maximè elephanti solertiâ præstant.

Democritus [d] insignis, & præclarus auctor intelligendi putat multas artes homines a mutis animantibus accepisse; ut per quas homines rationis compotes profecerunt, uti ratione bestias consentaneum veritati esse videatur. Non igitur mirum, si Cicero [e] non tam ratione, quàm oratione præstare homines aliis animalibus affirmavit; nam rationis in ipsis multa vestigia deprehenduntur, nullum orationis; ad 1
quem locum Ciceronis illustrandum hesterno die multa, Auditores, attulimus, quæ non deesse bestiis intelligendi solertiam indicarent; & hodierno nonnulla, quæ eodem pertinent, afferemus. Atque illud inprimis argumentum sagacitatis in mutis animantibus, quòd, quæ corpori prosint, auxilia cognoverunt; quum hominum paucissimi pestifera a salutaribus discernant. Nam [f] origano sibi testudines, mustelæ [g] rutâ medentur; canes herbâ 2
quadam laborantes bile se purgant; dracones [h] aciem oculorum hebetatam marathro restituunt, & acuunt; leones [i] autem, lupique [l] distenti cibo, quum morbo sibi videntur obnoxii, abstinentiâ valetudini consulunt; palumbes [m] autem vulneratæ indere dicuntur origanum vulneri, quo auxilio convalescunt; & in Cretâ feræ [n] capræ, quum sauciis hæserunt sagittæ, dictamnum quærere, quod ejiciendi tela vim habere videatur; cervos [o] autem ferunt quum phalangii morsu periclitantur, quum cancros comederunt, periculum depellere. Jam illa admiranda maximè, quòd [p] apes efficiunt sexangulas cel- 3
las, propterea quod hæc maxima figurarum, quæ totum circum locum complent, nec ullum spatium vacuum relinquunt; ut ostendit Pappus [q] Alexandrinus; quòd formicæ [r] quum frumentum recondunt, ne humore madefactum lacte impleatur, & turgeat, & amittat usum frumenti, principium illud genitale corrodunt, unde germen erumpit; quòd Elephanti [s] flumen transituri præmittunt minores elephantos, ut, an vado transiri possit, explorent. Mitto [t] aprorum industriam ad pugnam acuentium dentes, taurorum [u] ad prœlium se comparantium exercitationes; hirundinum [x], & multarum avium acumen, quæ nidos rotundos construunt; quis hæc figura firmissima est omnium, minimeque præbet noxiis bestiis apprehendendi facul-

ta-

[a] Plutarch. de Solert. Animal. pag. 967. & 979. Edit. Francofurt. 1620. [b] Idem ibid. & Plin Natural. Histor. libr. 10. cap. 23. [c] Ælian. de Animal. libr. 3. cap. 24. Plinius libr. 10. cap. 33. & Plutarchus de Solert. Animalium. [d] Plutarchus de Solertiâ Animalium pag. 974. Edit. Francof. 1620. [e] Cicero de Oratore libr. 1. [f] Plutarch. de Solertiâ Animal. pag. 974. Edit. Francofurt. & Ælian. Histor. Animal. libr 3. cap. 5. & libr. 6. c. 12. [g] Ælian. Hist. Anim. l. 4. c. 14. aliter Plin. l. 20. cap. 13. [h] Ælian. Hist. Anim. l. 9. cap. 16. Plin. libr. 8. cap. 27. [i] Idem Ælian. Hist. Anim. libr. 4. cap. 34. & Plin. libr. 8. cap. 16. [l] Plutarchus de Solert. Animal. [m] Ælian. Histor. Anim. libr 5. cap. 46. [n] Virgil. Æneid. libr. 12. vers. 411. Plinius libr. 8. cap. 27. Plutarch. de Solert. Animal. [o] Plinius libr. 8. cap. 27. Histor. Natur. & Ælianus Var. Histor. libr. 13. cap. 35. [p] Idem Ælianus Histor. Animal. libr. 5. cap. 13. [q] Pappus Alexandrin. Collect. Mathematic. [r] Plinius libr. 11. cap. 30. & Ælian. de Animal. libr. 2 cap. 25. [s] Plutarch. de Solert. Anim. aliter verò Plinius libr. 8. cap. 5. & Ælian ibid. libr. 7. cap. 15. [t] Homer. Iliad. v. v. 475. Ælian. Histor. Anim. libr. 6. cap. 1. & Æsopus in fab. Virg. Georg. libr. 3. v. 255. [u] Ælian. de Anim. libr. 6. cap. 1. Virgil. Georg. libr. 3. v. 229. [x] Plutarch. de Solert. Anim. pag. 966.

catem; quum nihil inclusum angulis habeat, nihil eminens, nihil lacunosum; sed hæ solertiæ sunt universi generis mutarum animantium; illæ verò singularum, quæ Veterum monumentis celebrantur. Chrysippus [a] refert canem, quum feram
4 insequeretur, & ad trivium pervenisset, duas quidem vias nare sagaci explorasse, tertiam ingressum statim odore non captato; ex quo colligunt, sic argumentatum trium viarum unâ feram fugientem cucurrisse, non cucurrisse duabus, tertiâ igitur cucurrisse. Quod [b] autem de mulo ferunt nec auditu jucundum minùs, nec ad bestiarum declarandam solertiam minùs accommodatum; nam quum sal esset in urbem comportandum, & necessariò flumen vado trajiciendum, & fortè fortunâ mulus onustus sale concidisset, animadvertit levari se se onere liquefacto sale, & defluente; idcirco quoties fluvius trajiciendus, jumentum illud haudquaquam fatuum in aquam sponte prolabebatur. Id resciit Milesius Thales, & mulum spongiis, & lanâ jussit onerari; quum autem is in aquam se se abjecisset, & lana, spongiæque ingentem vim aquæ combibissent, miserumque jumentum iniquo onere pressissent, & degravassent, malo domitum non amplius in flumen se abjiciebat; sed onus integrum in urbem deferebat; ita sapientissimi viri ingenio mutæ animantis victa solertia est. Jam quæ [c] Plinius tradit de elephante quodam, omnem excedunt fidem, quem re-
5 fert Græcarum litterarum ductus didicisse; idem scriptor [d] memoriæ prodidit quosdam elephantos per funes incessisse, quosdam inter se gladiatorios congressus edidisse, & Pyrrichen saltasse; in [e] Pompeji theatro, quum se conficiendos esse cernerent, miserabili comploratione adeo populum commovisse, ut Pompejo diras imprecaretur; nec minùs est mirum, quod de elephante quodam scriptum reliquit [f] Plutarchus. Habebat quidam elephantem, cujus curam demandaverat servo; servus dimidiam partem hordei, quod ad alendam belluam accipiebat, quotidie furabatur, dimidiam elephanto apponebat; quum præsente domino servus feræ cibum præbere juberetur, coactus est totam hordei mensuram tradere; sed eo animadverso elephas proboscide hordei cumulum in duas partes æquales divisit, dimidiumque absumpsit, dimidium reliquit; quod quum dominus conspexisset, servi fraudem intellexit, eumque punivit, & in posterum cavit, ut elephanti nihil cibi subduceretur. Nec
minùs est lepidum, quod idem philosophus 6
tradit [g], quum famulus, qui elephantem alebat, subtraheret aliquid de cibo quotidiano, & ut mensuram impleret, arenam, & calculos immisceret; elephas quò injuriam ulcisceretur, proboscide cinerem in ollam conjecit, & ipsius eenam corrupit. Quid autem de leone dicam, qui, sicut Gellius [h] auctor est, Androdum servum, a quo fuerat, e pede evulsâ spinâ, servatus, in circo feris objectum, agnitumque longo post tempore defendit, & servavit servatorem suum? quid de pantherâ, quæ Philini [i] patrem sapientiæ sectatoris eò usque prosequuta est, dum ad loca incolis frequentia perveniret, gratiam referens, quòd ejus catulos extraxerat e foveâ, periculosque servaverat? quid de alio leone, qui quum ab [l] Elpi servatus fuisset, extracto osse, quod ejus ori inhæserat, remune- 7
ratus est servatorem suum, venatus aggerendo, quamdiu est in eo litore commoratus? quid de Bucephalo Magni Alexandri, qui [m] quum ornatus erat monilibus, & alio cultu, quo equi Regis solent ornari, neminem, præter Alexandrum, sessorem recipiebat. His quidam argumentis adducti bestiis inesse rationem sunt arbitrati; sed ipsas communione sermonis inter se, ut homines, jungi nemo potest affirmare; quum quædam nullam vocem emittant, ut pisces, qui quia sunt muti, Græcis ἔλλοι nuncupantur; quamobrem Sophocles dixit [n]:

Ε'φῆκεν ἔλλοῖς ἰχθύσιν διαφθοράν.

His de causis [o] Tullius loco, quem illustramus, eloquendi vim asseverat maximum esse inter hominem, belluasque discrimen; o igitur colendam dicendi facultatem, qua a ceterarum animantium vulgo segregamur; qua commercio sermonis cum hominibus copulamur; unde societas vitæ promanavit; cujus beneficio tot inventa præclara, tot artes prolatæ, vita hominum a ferarum incursibus, ab injuriis tempestatum, ab inclementiâ Cœli vindicata.



D I S-

[a] Plutarch. de Solert. Animal. & Ælian. Hist. Animal. libr. 6. cap. 59. [b] Ælianus libr. 7. cap. 42. Hist. Anim. [c] Plin. libr. 8. cap. 3. [d] Idem libro 8. cap. 2. [e] Idem eodem libr. cap. 7. [f] Plutarch. de Solert. Anim. pag. 968. [g] Idem eodem loco. [h] Aul. Gell. libr. 5. cap. 14. & Ælian. Hist. Animal. libr. 7. cap. 48. [i] Demetr. Physic. apud Plinium libr. 8. cap. 17. Paul. Man. in Adag. *Scarabeus aquilam quærit*. [l] Plin. l. 8. c. 16. [m] Arrian. libr. 5. & Plin. l. 8. capit. 42. [n] Sophocl. in Ajace. [o] Cicer. de Orator. libr. 1.

DISSERTATIO XL.

In orationem Scævolæ.

Jurisconsulti secundum post oratores dignitatis gradum obtinebant. Regna dicebantur Villæ, & ea omnia, in quibus quisque dominabatur. Iis, qui publicè preces Deo fundebant, verba de scripto recitabat aliquis, qui præire verba dicebatur; idem & in jurejurando, & in litibus observabatur. Præesse privatis judices dicuntur, quum jus dicunt. Manum conserere litigantes quid significet. Sacramentum dicebatur pecunia, quam ad Pontem deponebant litigantes.

UNa est virtus vel maxima orationis unicuique personæ dicendi genus tribuere, quod sit ei personæ maximè accommodatum; hanc sequutus est, & in primis assequutus Cicero cum alibi, tum in hoc loco, quem suscepimus hodierno die illustrandum. Inducit [a] enim Mucium Scævolam ea, quæ dixerat Crassus, confutantem, & oratoriæ facultatis laudes elevantem, & abjicientem; quæ oratio est apta personæ Scævolæ, qui, utpote jurisconsultus, oratorum gloriæ eâ tempestate florenti
1 maximè invidebat. Nam quum Jurisconsulti secundum post oratores dignitatis gradum obtinerent, credibile est invidiâ, quæ eminentioribus quidem, sed proximis adhæreſcit, oratorum splendorem prosequutos, quo proximo post oratores loco positi perstringebantur. Deinde loquutio, qua Scævola utitur, e jure civili petitis formulis plena est; sic fit, ut utraque, sententia nimirum, & eloquutio personæ convenient Jurisconsulti. Sed nobis non tam propositum est artificium orationis observare, quàm lucem obscuris afferre; quare nos obscura potius explicare conemur; ac primo loco nobis occurrunt [b] illa verba: *nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, multisque præissem* (vel, ut alii legunt *præessem*) *qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses.* In qui-
2 bus verbis illud fortasse quivis intelligat, Regnum Crassi dici villam ejus, & fundum; sic [c] Virgilius ait:

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas;

& Ausonius [d] de suo prædio:

Salve, Herediolum, Majorum regna meorum.

Omninoque in qua quisque re dominatur, ejus regnum dicitur; sic Tibullus animum amatoris appellat regnum dilecti [e] pueri:

Tunc, inquit, flebis, quum me vinctum puer alter habebit,

Et geret in regno regna superba tuo:

Sic Torquatus in oratione pro Syllâ regnum fori, curiæque objicit Ciceroni, ut illa Ciceronis verba [f] testantur: *hic ait se ille, Judices, regnum meum ferre non posse:* sic regnum fori tenere dictus est Hortensius: sic epistolâ primâ libri primi ad Atticum Cicero regnum judiciale dixit. Illud animadvertendum est magis verbum, 3
quo utitur Scævola, scilicet *præissem*; est autem proprium publicatum precum, & obsecrationum, in quibus, ne qui Deos obsecrabatur, aliquid præteriret, aut perperam diceret, aderat aliquis, qui verba de scripto recitaret, quod præire verba dicitur; quo loquendi genere usus est Livius libro quarto, ubi sic ait: *obsecratio a populo duumviris præeuntibus est facta*; & Suetonius [g] Claudio; *observavitque sedulò, ut quoties terra in Urbe movisset, ferias advocatâ concione Prætor indiceret, utque dira avi in Urbe, aut in Capitolio visa obsecratio haberetur, eamque ipse jure maximus Pontifex commonito pro Rostris populo præiret.* Quod etiam in jurejurando observabatur, quod conceptis verbis dicitur, quum aliquis præibat verba juris jurandi; quod haud scio, an ἐξαρχον ἐπαινον appellet Isocrates oratione ad Demonicum, & in votis. Idcirco Livius 2
libro quadragesimo secundo sic ait: *in Capitolio vovit Consul ludos fieri, donariaque dari, quanta ex pecuniâ decrevisset senatus, quum censum, & quinquaginta non minùs adessent, præeunte verba Lepido Pontifice Maximo id votum susceptum est.* Sed & Jurisconsulti præibant verba, quibus litigatores uterentur, ut 4
Cicero pro Murenâ testatur his verbis: *quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille, unde petebatur, non habebat; transit idem jurisconsultus tibicinis latini modo; unde tu me, inquit, ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco.* Atque hoc est quod Scævola ait: *multisque præissem*; ego, inquit Jurisconsultus, præissem multis verba, quibus interdicto tecum contenderent, interdicto scilicet *unde vi*, quo restitui [h] jubebatur actor, unde vi dejectus erat. Nam Crassus possessione philosophos dejecisse Scævolæ videbatur; quum, quod esse censebat eorum proprium, de qacumque re sermonem posse copiosè, & eleganter explicare, oratori tribuisset. Nec me fugit aliam etiam hujus loci le- 5
ctionem a nonnullis probari, quam doctissimus

[a] Cicer. de Oratore libr. 1. [b] Idem Cicer. de Orat. libr. 1. [c] Virgilius in Bucolic. eclog. 1. [d] Ausonius Idyll. 1. [e] Tibull. libr. 1. Eleg. 9. [f] Cicero pro P. Syllâ. [g] Sueton. in Vit. Tib. Claudii cap. 22. [h] Jo: Rosin. Antiquit. Rom. libr. 9. cap. 10.

mus Brissonius agnoscit, qui legendum putat: *multisque præessem*; nam & præesse jurisdictioni, & præesse juri dicundo, & præesse quæstioni latinè dicimus; & præesse privatis Lege secundâ Dig. de origine juris, qui jus dicit privatis, dicitur; sic enim Jurisconsultus loquitur: *ex pontificibus præficiebatur, qui quoquo anno præesset privatis*; quæ lectio si recipiatur, ita locus hic est capiendus: *ego*, inquit, *me constituerem judicem multis, qui tecum interdicto contenderent*. Sed id non multum refert; il-
6 lud adnotandum duabus uti loquutionibus Ciceronem, quarum altera ex jure prætorio, altera ex jure duodecim tabularum promanavit; nam interdicto contendebant jure prætorio; ex jure manu consertum vocabant jure duodecim tabularum; cujus eloquutionis vis est nobis enarranda. Antiquitus [a] litigantes quum apprehendissent adversarium, manu solebant in agrum, sive quid aliud fuisset, de quo disceptabatur, ducere; idque coram Prætore verbis vindicare; quo genere vindiciarum, qui contendebant, manum conserere dicebantur. Veruntamen quum finibus prolatis pigeret Prætorem in rem præsentem venire, institutum, ut litigantes non manum consererent, sed adversarium ex jure manu consertum vocarent; id est ut alter alterum ex jure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret; quum autem in agrum venissent, glebam ex eo in Urbem ad Prætorem deferebant, & in eâ glebâ, tanquam in toto agro vindicabant; ad hanc litigantium manus consertionem respexit [b] Ennius, quum dixit:

Non ex jure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solidâ vi.

Est etiam hujusmodi loquutio apud Varronem libro secundo de linguâ latinâ, & apud Ciceronem pro Murænâ; quam quum
7 satis illustraverimus, ad aliam illustrandam transeamus, quæ paulo post occurrit in his Ciceronis [c] verbis: *quibuscum tibi justo sacramento contendere non liceret*. Sciendum est autem sacramentum fuisse pecuniam, quam & qui petebat, & qui inficiabatur, ad pontem deponebat; hanc qui judicio vicerat, secum auferebat, qui victus discesserat, in sacro relinquebat. Hanc pecuniam assium quingentorum plerunque modum implevisse Varro [d] testatur; in quibusdam verò quinquaginta non excedebat, ut Festus [e] Pompejus docet; qui sacramentum definit æs, quod pœnæ nomine penditur, sive eo quis interrogatur, sive contenditur. Quum autem hæc pecunia sacramentum diceretur; sacramento justo contendere nihil aliud est, nisi rem aliquam sibi vindicatione asserere, & depositâ eâ pecuniâ litigare. Negat autem Scævola Crassum, si cum philosophis conten- 8
dat, & sibi vindicet hanc de qualibet re copiosè disserendi facultatem, superiorem discessurum; quòd hujus tam latè patentis facultatis possessio philosophis, non oratoribus jure debeatur. Utitur autem etiam hac loquutione Valerius Maximus libro 7. cap. 7. ubi sic ait: *nam Lucius quidem Sextilius, & Publius Popilius, quos Marcus Ancus sanguine sibi conjunctos eadem ex parte heredes fecerat, sacramento cum adolescentulo contendere ausi non sunt; tametsi præcipuis eo tempore Magni viribus ad defendendas tabulas testamenti invitari poterant*; & rursus capite octavo sic ait, *Afronia tamen cum sorore sacramento contendere noluit*. Verba verò eorum, qui sacramento contendebant, hujusmodi fuisse dicuntur: *quando negas, te sacramento quingenario provoco*; vel hæc: *quando negat, sacramento quærito*; quæ fuisse Prætoris nonnulli existimant.



[a] Aul. Gell. libr. 20. cap. 9. Paulus Manut. in Adag. *Ex jure manu consertum*. [b] Ennius Annalium libro 8. apud Aul. Gell. ibidem, & ex Cicerone libr. 7. Epistol. 13. [c] Cicero de Oratore libro 1.

[d] Varro libr. 4. de Ling. Latin. [e] Sextus Festus Pompejus in Voc. *Sacramentum*,

DISSERTATIO XLI.

De Eloquentiâ Philosophorum.

Platonis ore Jovem, si loqui vellet, loquuturum Veteres affirmarunt. Platonis copiam æquare se posse Cicero diffidebat. Aristoteles æmulatione Isocratis ad rhetoricam docendam se contulit. Theophrastus, quum antea Tyrtamus appellaretur, ab eloquii divinitate nomen invenit; eum successorem designavit Aristoteles postposito Menedemo, quum vinum lesbium rhodio prætulisset. Xenophontis ore Musas loquutas quidam affirmarunt. Epimenides expeditionem Jasonis versuum sex millibus quingentis est exequutus; & de Minoë, & Rhadamantho quatuor millia carminum scripsit.

Si non modò [a] scribendi rectè, sed etiam dicendi sapere est principium, & fons, & rem Socraticæ possunt ostendere chartæ, ut ab Horatio præclarissimè dictum est, Auditores; non mirum, si Scævola [b] apud Ciceronem philosophorum vult esse proprium in omni genere sermonis eleganter copioseque versari; nam quum Philosophia eloquentiæ fons habeatur, qui in illum fontem se se altiùs ingurgitarunt, verisimile est eâ copiâ affluere, & redundare, ut nihil aridè, nihilque jejunè loqui posse videantur. Et sanè philosophi veteres tales
1 fuerunt, quales a Scævolâ describuntur, ornati in dicendo, & graves; neque enim, quod plerique nunc faciunt, eloquentiam contemnebant; qui philosophi putant esse quàm inquinatissimè loqui, & non modò respuunt omnem orationis ornatum, sed omnem loquutionem, quæ humana videtur; neque, cui cor saperet, ejus linguam insipientem, & inficetam esse necessariam arbitrabantur; quin immo præstantissimi sapientum dicendi laude floruerunt. Siquidem Plato ille [c] divinus non minor
2 auctor habetur eloquendi, quàm sentiendi; cujus ore [d] Jovem, si græcè loqui vellet, loquuturum Veteres affirmarunt; cui Cicero ipse princeps oratorum, & Consul non unius anni, submittit eloquentiæ fasces; & se æquare posse Platonis in dicendo copiam, ubertatemque diffidit. Aristoteles autem ejus auditor non insuper habuisse fertur eloquentiæ curam, quam haud minùs, quàm philosophiam, discipulis [e] dicitur tradidisse; cui [f] Cicero flumen aureum tribuit orationis; qui non minùs rerum scientiam, quàm dicendi, sibi vindicavit: Nam quum videret Isocratem summum eloquendi magistrum florere copiâ nobilium auditorum, ipse etiam ad docendam artem rhetoricam studium suum contulit; quum versum tragici poetæ [g] retulisset paululum immutatum.

Αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ἰσοκράτη δ' ἐᾶν λέγειν: 3

tantam habuit vir ille eloquentiæ suæ fiduciam, ut Isocratem divinum in dicendo virum præ se contemneret. Hunc autem qui sequutus est, Theophrastus ab eloquii divinitate [h] nomen invenit, quum antea Tyrtamus appellaretur; cujus in dicendo suavitatem cum singulari doctrinâ conjunctam omnium auditorum sapientiæ prætulit Aristoteles. Nam [i] quum affectâ jam ætate, ægro & corpore fatigaretur, Philosophum supplices adierunt juvenes, qui studia ipsius æmulabantur, precantes, ut sibi deligeret successorem; Aristoteles verò se se id libenter facturum affirmavit, ubi temporis opportunitas advenisset; & quum auditores duos haberet ceteris doctrinâ præcellentes, & dicendi copiâ, Menedemum Rhodium, & Lesbium Theophrastum, Theophrasti suavitatem ceteris Menedemi virtutibus anteponere sese ad hunc modum indicavit. His præsentibus, qui scholæ successorem ut sibi destinaret, petiverant, poscit vinum Rhodium, aut Lesbium; asperum esse, & injucundum, & minus commodum valetudini, quod regio ferret, asserit. Quum lesbium, rhodiumque vinum esset allatum, & utrumque gustasset, utrunque collaudavit; & rhodium quidem firmum, jucundumque esse confirmavit, sed lesbium sibi videri suavius; quo dicto lepidè, verecundeque significavit se se Theophrastum successorem scholæ relinquere, ejusque suavitatem in dicendo anteponere Menedemi firmitati. Ex quo constat, quanti fecerit eloquii dulcedinem, qua Theophrastus antecellebat, quum Philosophus eum scholæ successorem relinquendum judicarit, qui non tam sapientiâ, quàm dicendi suavitate præstaret. Hanc autem Theophrastus quasi per 4
manus tradidit Demetrio Phalereo, de quo Cice-

[a] Horatius in Arte Poëtic. [b] Cicer. de Orator. libro 1. [c] Cicer. in Oratore ad Brut. & de optim. gener. Orator. & Quintilian. Instit. Orat. libr. 10. cap. 1. [d] Idem Cic. in Bruto, sive de Clar. Orat. [e] Cicer. in Oratore ad Brutum. [f] Idem libro 2. Academic. Quæstion. [g] Quintilian. Instit. Orat. libr. 3. cap. 1. & Cicer. de Orator. libr. 3. & Tusculan. Quæst. libr. 1. aliter Diogen. Laërt. libro 5. segm. 3. in Vit. Aristotel. [h] Diogen. Laërtius libr. 5. segm. 38. in Vit. Theophrasti, Strab. libr. 13. Cicer. in Oratore ad Brut. Quintilian. Instit. Orator libr. 10. cap. 1. Plin. in Præfation. Senec. Quæst. Natural. libr. 6. cap. 13. & Suidas in Voc. Θεόφραστος. [i] A. Gell. libr. 13. cap. 5.

Cicero [a] sic loquitur: *nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens; dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere*. Quid autem de Xenophonte dicam, cujus inaffectatam jucunditatem [b] Quintilianus admiratur, quem Diogenes Laërtius [c] ob eloquentiæ dulcedinem tradit Atticam Musam nominatum, Suidas [d] autem apem atticam; nec mirum, nam, quod de Nestore [e] Homerus affirmavit, ex ejus ore dulcior melle manabat oratio; nec defuerunt, qui [f] Xenophontis ore Musas loquutas esse pronunciarent. Qui [g] Socratis auditor, ceterique Socratici ostenderunt, quanta soavitas eloquentiæ fuerit in illo philosophiæ fonte Socrate; nec sine causâ Euripidem [h] in Palamede Socratem his verbis Musam appellasse:

Ε'κάνετ', ἐκάνετε τὰν πάνσοφον,
Τὰν ὐδεν' ἀλγύνουσαν ἀηδόνα Μῦσαν:

& Ælianum sirenis Atticæ nomine eundem
5 cohonestasse. Nec Socrate vetustiores philosophi non eloquentiæ studiis floruerunt; Solonem conscripti ab eo elegantissimi versus declarant eloquentiâ præstitisse: Em-
2 pedocles dignissimum rebus iis, de quibus loquitur, ut [i] Ciceroni videtur, sonum fundit: Epimenides [l] Cretensis ad rerum divinarum scientiam, quam profitebatur, adjunxit studium poëticæ facultatis, & expeditionem Jasonis in Colchos versuum sex millibus quingentis est exequutus; & de Minoë, & Rhadamantho quatuor millia carminum scripsit. In Anaximene [m] laudatur usus Jonicæ linguæ, qua simpliciter, & sine fuco composuit libros laudatissimos; in Anaxagorâ & jucunditas orationis, & magnificentia; qui nisi dicendi laude præstitisset, nunquam [n] Pericles tam insignis orator ex ejus scholâ prodiisset. Demo-
6 critum [o] Timon haudquaquam appellasset sermonum quasi pastorem, nisi eloquentiæ laudem summam esset consequutus; versus autem Timonis ita se se habent:

Οἷον Δημόκριτόντε περίφρονα ποιμένα μύθων,
Α'μφίνοον λέσχην, ἐν μετὰ πρώτοισιν ἀνέγνων.

Nec Hippocratem facundiâ, & arte dixisset insignem Cornelius [p] Celsus, nisi summam rei medicæ, naturæque scientiam cum summâ dicendi arte conjunxisset; Pythagoramque [q], & Pythagoreos nunquam arbitror tantam in Græciâ, quæ Magna est appellata, fuisse potentiam consequuturos, nisi, qua unâ arte Respublicæ olim regebantur, eloquentiâ valuissent.

DISSERTATIO XLII.

Eodem super Argumento.

Quamplures philosophi de rhetoricâ scripserunt; & poëmata, atque tragœdias composuerunt. Callisthenes quum Macedonum res gestas laudibus extulisset, omnes admiratione macedonicæ virtutis implevit; quum autem easdem elevare dicendo contendisset, Macedonas ad id sermonis genus compulisse Philosophum pœnituit. Diogenem, Critolaum, & Carneadem legatos Romam miserunt Athenienses, ut mulcta sibi remitteretur.

Quum lingua sit interpres cordis, nunquam doctissimi viri dissidium cordis, & linguæ comprobarunt; sed putarunt oportere, qui in excolendo corde multum studii consumpserat, eum in excolendâ quoque linguâ elaborare; philosophumque inprimis esse decere eloquentem. Et sanè cui non absurdum videatur hominem de maximis, pulcherrimisque rebus; de justitiâ, de magnitudine animi, de 1
liberalitate, de temperantiâ, clementiâ, mansuetudine, ceterisque virtutibus verba facientem; de Deo, divinisque mentibus, de rerum naturâ, de Mundo, ejusque admirabili ordine, pulchritudine, ornatu disputantem balbutire, & verba de trivio sumpta, nullo adhibito ornatu, incompositè, inconditè, barbarè effutire? nonne id est minuere rerum majestatem, philosophiæ, quæ quasi Regina est nobilissimarum facultatum, sordidam, attritam, laceram vestem circumponere, & luto gemmas inquinare, &, ut ait Poëta [r] Lyricus,

...... *stellis nebulam spargere candidis?*

Idcirco philosophi veteres eloquentiam sibi as-

[a] Cicero Offic. libr. 1. in princ. [b] Quintilian. Instit. Orator. libr 10. cap. 1. [c] Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 57. in Vitâ Xenophont. Paul. Manut. in Adag. *Attica Musa*, & in Ad. *Agrestis Apis*. [d] Suid. in Voc. Ξενοφῶν, Paul. Manatios ibid. [e] Homer. Iliad. α. v. 249. [f] Cicer. in Orator. ad Brutum, [g] Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 48. in Vitâ Socratis. [h] Euripides in Palamede apud Diog. Laërt. segm. 44. libr. 2. in Vit. Socratis, & apud Scholiast. Lycophron. pag. 69. & auctorem argumenti Orationis Isocratis de Busiride. [i] Cicer. Academicar. Quæstion. libr. 2. [l] Diogen. Laërt. libro 1. segm. 111. in Vit. Epimen. [m] Idem l. 2. segm. 3. in Vit. Anaximen. [n] Val. Max. l. 8. c. 11. Cic. in Brut. & l. 3. de Orat. Quintil. Inst. Orat. l. 12. cap. 2. Demosthen. in Orat. Amator. Suid. in V. Περικλῆς, Euseb. de Præpar. Evang. l. 10. & Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 12. in Vit. Anaxagoræ. [o] Timon apud Diog. Laërt. libr. 9. segm. 40. in Vit. Democr. [p] Corn. Cels. l. 1. in princ. [q] Origen. contra Cels. libr. 1. & Cicer libr. 3. de Orat. [r] Horatius libr. 3. Od. 15. in Chlorim.

bi assumendam sunt arbitrati; quia par est rebus orationem convenire, nec in ullâ re rudem sapientis esse sermonem; quod a veritate non abhorrere multis exemplis ostendimus hesterno die, & hodierno cum maximè ostendemus. Atque illud inprimis
2 argumento est philosophos eleganter, copioseque dicendi curam non insuper habuisse, quòd eorum nonnulli artis rhetoricæ præcepta tradiderunt; nam & Aristoteles [a] de hac facultate accuratissimè scripsit, & ejus auditor [b] Theodectes; & qui omnes [c] Aristotelis discipulos & suavitate orationis,& doctrinæ copiâ superavit Theophrastus; & [d] Demetrius Phalereus, qui elegantissimum de eloquutione libellum scriptum reliquit; & Chrysippus ille, qui fulcire putatur [e] porticum Stoicorum, de ratione dicendi, licèt non satis eloquenter, tamen [f] diligentissimè perscripsit; ut interim [g] Protagoram, & [h] Empedoclem, & [i] Longinum prætermittam, qui de hac arte aliquid præceperunt, quum philosophiam inprimis illustrassent. Sed magis ostendunt eloquentiam philosophorum, qui elegantiâ orationis, & ubertate præstiterunt, quàm qui de arte libros philosophi ediderunt, quare ad eorum exempla revertamur. Callisthenes quantâ fuerit elo-
3 quentiâ declaravit historia, quam oratorio pæne more composuit, ut Cicero [l] sanè quàm luculentus Auctor affirmat, idemque quum [m] in convivio Macedonum res gestas laudibus extulisset, omnes admiratione Macedonicæ virtutis implevit; quum autem easdem elevare dicendo contendisset, tantâ dicendi copiâ fertur id præstitisse, ut Macedonas ad id sermonis genus compulisse philosophum pœniteret. Crates [n] autem, & ipse philosophus non ignobilis tantum operæ impendit in eloquentiæ studium, ut in eo non minùs, quàm in philosophiâ elaboraret; & orationes habitas ad populum, & in obeundo legati munere scriptas relinqueret. Crantor [o] verò etiam poëmata dicitur conscripsisse; quod & Heraclides [p] Ponticus fecit, qui composuit tragœdias. Onesicritus autem, qui sequutus [q] est Magnum Alexandrum, tantâ præ- 4
stitit dicendi suavitate, ut [r] cum Xenophonte quodammodo compararetur. De Academicis verò nihil attinet dicere; neque enim, nisi eloquentiæ gloriâ floruissent, Timon ille sillographus ipsis orationis latitudinem tribuisset. Quantopere autem in omni genere eloquentiæ philosophi elaborarint, declaravit Atheniensium legatio; nam quum Athenienses [f] tres legatos Romam misissent rogatum Romanos, ut mulctam sibi quingentûm talentûm, quam ob Oropi vastationem irrogarant, remitterent; qui legati fuerunt Carneades, Critolaus, Diogenes; in his tria illa dicendi genera, quibus eloquentia constat, Romani sunt admirati; in Diogene stoico videlicet gracilem, & scitam orationem, qualem in Menelao proponit [t] Homerus; in Critolao peripatetico mediocrem, & omni aspersam suavitate, qualem idem vates [u] in Nestore fuisse tradit; in Carneade uberem, & copiosam, qualem in Ulysse floruisse memoriæ proditum est, quam Poëta [x] summus nivibus hibernis comparat. Adeò non disjuncta ab eloquentiâ fuit eâ tempestate 5
summa sapientia, ut nullum non eloquentiæ genus, qui tum sapientes habebantur, ad se putarent pertinere; nec Athenis, quum tot oratores dicendi laude florerent, quisquam aptior ad senatum Romanum oratione permovendum, quàm tres illi philosophi, judicaretur. At nunc tantum linguæ dissidium, & cordis extitit, ut qui sibi videntur sapientes, philosophi auctoritatem, gravitatemque tueri sese non posse existiment, nisi inquinatissimè loquantur; &, quum rusticos homines, si quid barbarè, perverseque dicunt, rideamus, philosophos plenum ruris, & [y] inficetiarum sermonem effundentes admiramur. Quod vitium nobis invexit superiorum temporum calamitas, quum superfundentes se nostris regionibus quasi quadam colluvie Barbarorum bonæ litteræ obrutæ, demersæ, sepultæque jacuerunt; nunc infectæ

[a] Quintilian. libr. 2. Instit. Orator. cap. 17. & libro 3. cap. 1. & Diogen. Laërt. libr. 5. in Vit. Aristotel. & Aristot. ipse libr. Rhetor. [b] Idem Quintil. libr. 2. cap. 15. & libr. 3. cap. 1. & Cicer. in Orator. ad Brutum, Vid. Valer. Maxim. libr. 8. cap. 15. §. de Aristotele philosopho. [c] Cicer. in Orator. ad Brutum, & libr. 2. de Divination. Quintil. libr. 3. cap. 1. Diogen. Laërt. libr. 5. segm. 48. & Hermogen. Scholiast. in Prolegomenis. [d] Diog. Laërt. libr. 5. segm. 79. in Vit. Demetrii, & ipse Demetr. liber de Elocutione. [e] Cicer. Academic. Quæst. libr. 2. [f] Diog. Laërt. libr. 7. segm. 201. in Vit. Chrysippi in fin. [g] Cicer. de Orator. libr. 3. & in Bruto, A. Gell. libr. 5. cap. 11. Qointilian. Institut. Orator. libr. 3. cap. 1. & Apulejos Florid. libr. 2. [h] Quintilian. ibid. Sextus Empir. libr. 7. adversùs Mathemat. & Diog. Laërt. libro 8. segm. 57. [i] Longin. de Sublimit. [l] Cicer. de Orat. l. 2. [m] Plotarch. in Vit. Alexandr. [n] Diog. Laërtius libr. 4. segm. 23. in Vit. Crateris Atheniensis. [o] Idem libr. 4. segm. 25. in Vit. Crantoris. [p] Idem Diog. libr. 5. segm. 92. in Vit. Heraclidis. [q] Plutarch. in Vit. Alexandri, Strabo libr. 15. Lucian. de Loogævis, Aul. Gell. libro 9. cap. 4. Arrianos de Exp. Alexandri l. 6. [r] Suid. in V. Ὀνησίκριτος, & Diogen. Laërt. libr. 6. segm. 84. in Vit. Onesicriti. [f] Aul. Gell. libr. 17. cap. ultim. Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 5. in fine. [t] Hom. Iliad. γ. v. 213. [u] Idem Hom. Iliad. α. v. 247. [x] Hom. Iliad. γ. vers. 222. [y] Catullus epigr. 37.

sectæ barbarie nobilissimæ disciplinæ eloquentiæ splendorem pristinum amiserunt. Contra verò illi, qui eloquentiam profi- 6 tentor, sapientiæ expertes, rerum inanes, verbis tomidi, pleni futilium sententiarum, ineptiis affluentes longissimè a gravitate veterum defluxerunt; qui nec sine dicendi nitore satis ornatam philosophiam, nec sine multarum scientiâ rerum satis instructam eloquentiam putabant. Idcirco [a] Scævola præclarè confirmat philosophi munus esse de qualibet re copiosè, & ornatissimè disputare; sed paulum tribuit oratori, quum hanc eandem facultatem ipsi detractam volt; nam revera orator non minùs, quàm philosophus, rerum sibi cognitionem vindicat; magis autem propriè orationis assumit ornatum; ille veritatem, hic veri similitudinem consectatur: ille eloquentiam desiderat, ut rerum magnitudini congruat oratio; hic, ut suum munus exequatur: in altero dicendi facultas est ornamentum; in altero instrumentum necessarium.

DSSERTATIO XLIII.

De scientiæ copiâ, qua veteres philosophi redundarunt.

Pythagoras stellam Veneris Solem consequi occidentem, orientemque prægredi primus invenit. Pythagorici Terram moveri, stare Solem censuerunt. Democritus centum talenta, quæ ipsi ex hereditate patris obvenerant, in peregrinationes consumpsit. Quas gentes, & quos præceptores discendi causâ adiverint Pythagoras, & Democritus.

Quantus in philosophis priscis & eloquentiæ nitor, & verborum flumen, & lumen fuerit orationis ostendimus; nunc quantâ rerum copiâ iidem abundarint, quàm eorum latè patuerit, quàm universas naturæ partes complexa fuerit sapientia, nobis est demonstrandum; sic enim Scævolæ [b] dictum, Auditores, nemo ve- 1 strûm mirabitur, qui nollam rem esse censet, quam philosophus non ornare verbis, non summâ copiâ, & scientiâ possit exponere; ut non doceat modò, sed & delectet auditores; quod quum fuero exequutus, quædam, quæ [c] Tullius attingit, propria cujusque sectæ philosophorum uberiùs explicabo. Omnium autem artium præclararum scientiam philosophos illos veteres mente esse complexos nemo non fateatur, qui, quàm acre fuerit eorum studium, quantæ peregrinationes cognitionis rerum causâ susceptæ, quàm pars nulla rerum ab ipsis neglecta, reputarit. Nam post illos septem, qui sapientes appellati 2 sunt, quos (Thaletem Milesium excipio) Plutarchus in Solone testatur in indagandâ rerum naturâ facili quadam usos, & pervolgatâ viâ, nec sanè multum profecisse; quantum Pythagoras in omni doctrinæ genere elaboravit? ille [d] Ægyptum, ille Græciam universam, ille Syriam, Asiamqoe totam doctrinæ causâ peragravit: ille in [e] Cretam, Samumque [f] navigavit, & [g] Persas, Magos, & Chaldæos, Judæosque [h] doctores audivit; nec ullius excellentis doctrinâ viri non familiaritate, disciplinaque profecit. Nam & Thaletis Milesii, & [i] Syrii Pherecydis, & Samii [l] Hermodamantis auditor fuit, & cum Epimenide [m] Cretensi familiariter fertur esse versatus; cum qoo in antrum Idæum descendit; & [n] Assyrii Nazareti disciplinâ est institutus, & [o] Abaridis, & Zaretis; quibus doctoribus nullum scientiæ genus, aut facultatis non hausit, & pertractavit. Geometriam [p] a Mœride inventam, & inchoatam [q] dicitur per- 3 fecisse; astrologiam sic excoluisse, ut eandem stellam Veneris [r] Solem consequi occidentem, orientem prægredi primus invenerit; quam in occasu quidem vesperum, in ortu luciferum appellavit. Ab eodem credibile est sententiam profluxisse, qua

[a] Scævola apud Ciceron. de Orat. libr. 1. [b] Idem Scævol. apod Cicer. ibid. [c] Cicer. de Orat. libr. 1. [d] Jamblichus in Vit. Pythagor. Cicer. libr. 5. de Finibus, Plin. libr. 25. cap. 2. & libr. 36. cap. 9. Lucian. in Dialog. qui inscribitur βίων πρᾶσις, D. Hieronym. Epist. ad Paulinum Presbyterum, Isocrat. in Encomio Busiridis, Diodor. Sicul. Biblioth. Histor. libr. 1. in fine, Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 1. Theodoritus in Sermone contra Græcos, & Justinus libr. 20. [e] Diogen. Laërtius libr. 8. segm. 3. in Vitâ Pythagor. & Porphyrius in Vit. ejusdem. [f] Diogen. Laërt. ibid. & Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 1. [g] Valerius Maxim. libr. 8. cap. 7. [h] Hermippus apud Josephum Judæum libr. 2. contra Apionem, Eusebius de Præparatione Evangelic. libr. 8. capit. 6. [i] Clemens Alexandrinus Stromat. libr. 1. Cicer. Tusculan. Quæst. libr. 1. Malchus io Vit. Pythagoræ, Diogen. Laërtius io Procemio, & in Vitâ ejusdem Pythagor. segm. 2. libr. 8. & Lactantius Firmianus de Divino Præmio libr. 7. cap. 8. [l] Diog. Laërt. & Malchus in Vit. Pythagor. ibid. Suidas in Voc. Πυθαγόρας, & Apulejus libr. 2. Floridorum. sed Leodamantem eum vocat. [m] Malchus Porphyr. & Diog. Laërt. ibid. [n] Clem. Alex. Strom. libr. 1. [o] Suid. in V. Πυθαγόρας. [p] Diogen. Laërt. ibid. libr. 8. segm. 11. in Vit. Pythagor. [q] Jamblich. in Vit. Pythagor. [r] Plinius libr. 2. cap. 8. & Diogen. Laërt. libr. 8. segm. 14. in Vit. Pythagoræ.

quam Pythagorici [a] in lucem extulerunt,
quæ Terram moveri, stare Solem, & reli-
quos ignes docet; quam sine scientiâ sum-
3 mâ rerum cœlestium, & naturæ nec inve-
nire, nec tueri potuisset, Medicinam [b] au-
tem omnes fatentur a Pythagora excultam
adeo, ut inter eos, qui auxerunt eam di-
sciplinam, jure numeretur. Nam de [c] arith-
4 matice nihil attinet dicere, quum sciamus
eam facultatem Pythagoræ inventis vel ma-
ximè floruisse: nihil de musice, quàm Py-
thagoras [d] auxit, ornavit, in Cœlum [e] e-
vexit; qua freti Pythagorei & sedasse quo-
rumdam iram exardescentem, & compo-
suisse curas, & effrenatam hominum licen-
tiam in modestiam, & tristitiam in lætitiam,
hilaritatemque convertisse feruntur. Jam
rationem civitatum regendarum, jam mo-
rum doctrinam, jam Physicâ, jam rerum
divinarum scientiam quis excellentiùs Py-
thagora cognovit? quis diviniùs est con-
templatus? quis autem sublimiùs pertra-
ctavit? qui Magnæ Græciæ civitates pul-
cherrimis [f] legibus, & institutis tempera-
vit; & ita ut eo regente, ejusque [g] disci-
pulis, felices forent, beatæque Respubli-
cæ; qui propter excellentiam [h] virtutis
Deus quidam inter homines est habitus,
qui tantum abhorruit a vulgi opinioni-
bus divinam naturam in multos Deos di-
videntis, & absurda de divinitate affirman-
tis, ut [i] Deum ipsum unum, ipsum bo-
num, solumque, [l] sapientem appellarit; cre-
daturque Judæorum sacris [m] initiatus, quia
vera de Deo sensit, & loquutus est. Qui
verò Pythagoreorum doctrinam est æmu-
5 latus Democritus ille physicus, centum [n] ta-
lenta consumpsit, quæ ipsi ex hereditate
patris obvenerant, in peregrinationes, quas
ad scientiam rerum sibi undique compa-
randam susceperat. Nam [o] & Æthiopas
adivit, & Indorum Gymnosophistas, Chal-
dæosque Persarum sapientes, & Ægyptio-
rum sacerdotes, & in Græciâ quoscun-
que comperit rerum cognitione eminere,
putavit [p] adeundos. Quibus ille doctori-
bus tantam, tamque latè patentem, & in
omnes partes diffusam sapientiam est con-
sequutus, ut auctore [q] Platone in philoso-
phiâ quasi quidam Pentathlos fuisse dica-
tur; quòd quemadmodum Pentathli [r] om-
ne genus ludorum exercebant, sic ipse nul-
lius doctrinæ, aut artis expers haberetur;
quod etiam Diogenes Laertius [s] testatur,
qui tradit ipsum, & Physica, & Mathema-
tica, & artes liberales tenuisse, & morum
disciplinam, & omnium facultatum noti-
tiam adeptum. Nam de Platone, quod de
Carthagine Sallustius [t] dixit, tacere sa- 6
tius puto, quàm parum loqui; quantus [u] ille
vir in Mathematicis fuit, quantus in Mu-
sicis, quantus in doctrinâ morum, quantus
in dialecticâ, & medicinâ, quantus in con-
templatione rerum divinarum! in quibus
nemo unquam naturali vi, & facultate ad
veritatem propius accessit; adeo ut non
mortali ore loqui, sed instinctu, afflatoque
divino incitatus oracula fundere, & in
sermonibus, quos habet de mentibus im-
mortalibus, & de Deo, Deus quidam esse
videatur; quantus denique in poëticâ! elo-
quentiâ mehercule, & dicendi gravitate, &
concinnitate nemo unquam Platonem adæ-
quavit. Aristoteles autem quantâ varietate
doctrinæ, quantaque copiâ, & scientiâ fue- 7
rit, declarant ingenii monumenta, quæ e-
didit, omnem complexa naturam, omnem-
que vitam illustrantia. Atque utinam om-
nia, quæ Aristoteles conscripsit, extarent,
nec multa, quæ Aristotelis nomen præ-
seferunt, volumina, falsò inscriberentur!
fortasse nihil in tanto Auctore frustra re-
quireremus; nec ejus libri tantam reprehen-
dendi sui facultatem his, qui naturam seriò
contemplari volunt, præbuissent; sed quo-
ta pars operum, quæ ab Aristotele scripta
Diogenes [x] Laërtius testatur non injuriâ
temporum intercidit?

DIS-

[a] Plutarchus de Placitis Philosophorum libro 3. cap. 9. Auctor de Cœlo libr. 2. cap. 13. & Stobæus libr. 1. Eclogar. Physic. cap. 21. [b] Corn. Celsus in princ. libr. 1. Vid. Ælian. Var. Histor. libro 4. cap. 17. & Jamblich. libr. 1. in Vit. Pythagor. & Diogen. Laërt. libr. 8. segm. 12. in Vit. ejusdem. [c] Diogen. Laërt. ibid. & Ælian. ibid. & Stobæus Eclog. Physic. libr. 1. cap. 2. [d] Plutarch. de Virtute morali in princ. [e] Macrob. in Somn. Scipionis libr. 2. cap. 1. [f] Porphyr. & Jamblich. in Vitâ Pythagoræ, Cic. libr. 3. de Oratore, & Diog. Laërt. libr. 8. segm. 3. in Vit. Pythagor. [g] Senec. Epist. 90. [h] Diog. Laërt. libr. 8. segm. 11. ibid. Porphyr. Malchus, & Jamblich. in Vit. Pythagoræ libr. 1. cap. 28. & Ælian. Var. Histor. libr. 2. cap. 26. [i] Clemens Alexandrin. in Protreptico. & Plutarchus de Placit. Philosophor. libr. 1. cap. 7. [l] Idem Clem. libr. 4. Stromat. [m] Vid. eund. Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 5. [n] Demetrius apud Diogen. Laërt. libr. 9. segm. 36. in Vit. Democriti. Ælian. Var. Histor. libr. 4. cap. 20. Vid. Dion. Chrysost. Orat. 54. Valer. Maxim. libr. 8. cap. 7. Athen. libr. 4. cap. 19. [o] Diogen. Laërt. libr. eod. cap. 35. Suid. in V. Δημόκριτος, Diodor. Siculus libr. 1. Biblioth. Histor. & Strabo libr. 15. [p] Cicer. de Finib. libr. 5. Tuscul. Quæst. libr. 4. [q] Plato apud Diog. Laërt. segm. 37. in Vit. Democriti libr. 9. & Suidas in V. Πένταθλος. [r] Sextus Pompejus in V. *Pentathlum*, & Cæl. Rhodigin. libr. 13. cap. 30. Antiq. Lection. [s] Diog. Laërt. libr. 9. in Vit. Democriti. [t] Sallust. in Bell. Jugurthin. [u] Diog. Laërt. libr. 3. & Olympiodorus in Vit. Platonis. [x] Idem Diogenes Laërt. libr. 5. segm. 22. in Vit. Aristot.

DISSERTATIO XLIV.

Eodem super Argumento.

Varroni, qui doctissimus Romanorum est appellatus, omnium soli imago in bibliothecâ publicâ viventi posita est. Xenocrates adolescentem cupientem philosophiæ operam dare rejecit dicens non habere ansas philosophiæ, quum liberalibus disciplinis esset destitutus. Plato vetabat quemquam geometriæ expertem Academiam adire. Aristophanes Socratem irridet, quòd pulicum saltus metiretur, & quæreret, unde vocem culices emitterent. Annicerin reprehendit Plato, quòd mirabili artificio currum agitasset; quasi non posset in magnis eminere, qui in exiguis tantum studii posuerit. In quo differant ab oratoribus philosophi.

CAllicles apud Platonem in Dialogo, qui Gorgias inscribitur,
philosophiam mediocriter attingendam, non penitus cognoscendam,
nec diutius pertractandam
existimat; quam sententiam sequitur Ennii [a] Neoptolemus, qui philosophandum
paucis putat; nimiumque philosophiæ studium censet improbandum. Quæ futilis
1 prorsus opinio est habenda; quum enim
philosophia sapientiæ studium profiteatur,
quid esse nimium potest in eo, quod est
pulcherrimum? Certè nulla virtus reprehenditur; neque enim quemquam tanquam nimis temperantem, aut nimis justum, aut nimis liberalem, aut nimis fortem, aut nimis constantem, aut magnanimum accusari videmus; cur ea virtus,
quæ in perspicientiâ veri, solertiaque versatur, nimia unquam existimetur? & quum
ceteræ, quo sunt majores, eo majore laude dignæ videantur, hujus unius excellentia vitiosa judicetur? Non est igitur ullis
terminis sapientiæ studium circumscribendum, quod tam latè patere debet, quàm
rerum natura patet, quam philosophus investigandam suscepit; & sicut nihil est,
quod rerum naturâ non comprehendatur,
ita nihil est, quod philosophi scientiâ non
debeat comprehendi; nec ulla res cognitione digna potest inveniri, quam sapienti pulchrum sit ignorare. Idcirco philosophi veteres Universum mente complexi
nullius rei scientiam ad se non putarunt
pertinere, sicut hesterno die multis exemplis ostendimus; qua de re etiam hodierno
die differemus. Ac mihi ad demonstrandum, quantâ Veteres varietate doctrinæ, 2
quantaque copiâ in studiis fuerint, suffecerit vel unus [b] Theophrastus; quid est in
Physicis, quid in morum doctrinâ, in administrandæ Reipublicæ scientiâ, in Dialecticis, in dicendi facultate, in rebus divinis, quod ille non diligentissimè explicarit? qui non contentus de rerum naturâ generatim, & universè loqui omnia
singillatim est persequutus; & singulorum
animalium [c], lapidum [d], plantarumque
naturas, formas, proprietates enarravit;
& de [e] metallis composuit libellum, & [f] de
alumine, & salibus, & de [g] ventis, & [h] de
coloribus, & de saporibus, & de carnibus,
& de [i] animalibus, quæ aliquo tempore
delitescunt, & de [l] venenatis, & de iis,
quæ [m] colorem mutant, & de iis, quæ
sponte nascuntur, & de [n] melle, & de [o] vino, & oleo, & de [p] odoribus, & de succis, & de flatibus. Quæ non idcirco refero, quòd mihi propositum sit opera, quæ 3
conscripsit Philosophus, recensere; quod
longum esset, & molestum, & haudquaquam necessarium; sed ut intelligatis, Auditores, & ad quàm minuta ejus industria
descenderit, qui magna est diligentissimè
persequutus. Nec solum, quam sequebatur,
Peripateticorum sententiam explicavit, sed
aliorum quoque sapientum placita videtur
illustrasse; nam & de [q] Anaxagoræ philosophiâ librum condidit; & de Anaximenis, & de Archelai sententiis scripsit, & de
Democrito, & de Empedocle; in compendium, quoque redegit Platonis Rempublicam, & Aristotelis, & Xenocratis doctrinam;
& de Democriti astrologiâ librum scriptum
reliquit; nec alias artes, facultatesque neglexit. Musicam [r] scriptis laudatissimis illustra-

[a] Ennius apud Ciceronem libr. 2. Disputat. Tuscul. in princip. & Apulejum in Apolog. [b] Diogenes Laërtius libr. 5. segm. 36. in Vit. Theophrasti. [c] Idem Diogenes ibid. segm. 44. Athen. libr. 9. cap. 9. [d] Diog Laërt. ibid. & Athen. libr. 3. cap. 13. [e] Diog. Laërt. ibid. Olympiod. l. 3. in Met. Jul. Poll. libr. 7. c. 23. & Suid. in V. Θεόφραστος. [f] Diog. Laërt. libr. 5. segm. 42. in Vit. Theophr. [g] Idem ibid. & Alexander Aphrodis. in Metaph. l. 2. [h] Diog. Laërt. ib. segm 43. [i] Diog. Laërt. libr. eod. segm. 44. Athen. libr. 2. cap. 22. & libr. 3. cap. 23. & libr. 7. cap. 18. & Photius in Bibliothec. cod. 278. [l] Diogen. Laërt. ibid. Athenæus libr. 7. cap. 18. & Apulejus in Apolog. [m] Athen. libr. 7. cap. 19. & Photius in Biblioth. cod. 278. [n] Photius, & Diogenes Laërt. ibid. [o] Diogenes Laërtius ibidem. [p] Idem Diogenes Laërtius ibidem, Suidas in Voc. Θεόφραστος, Vid. Meursium de libris Theophrasti, qui injuriâ temporis interciderunt. [q] Diogenes Laërt. ibid. segm. 42. & Simplicius ad Physic. Comment. 1. [r] Plutarchus in Symposio libr. 1. cap. 5. Censorin. de Die Natali cap. 12.

lustravit, de metris [a] volumen edidit, de
arte [b] dicendi, de [c] Poëticâ plures libros
evulgavit; rerum cœlestium historiam condidit,
& rerum geometricarum. Nec qui
4 consequutis longo intervallo temporibus
philosophi floruerunt, non eadem copiâ
doctrinæ, & artium plurimarum scientiâ
redundarunt; cujus enim facultatis ignarus
fuit vel Proclus, vel Porphyrius, vel
Sextus Empiricus; qoi dum omnes artes,
& disciplinas conatur [d] evertere, se ostendit
nullam ignorare. Plutarchi scripta declarant,
quantâ fuerit varietate doctrinæ, quantâ
cognitione rerum abundarit; quod enim
doctrinæ genus in elegantissimis illis
opusculis desideratur? Atque ea omnia
sunt aspersa poëtarum flosculis, & historiæ
luce illustrata, & referta notitiâ vetustatis,
ut auctori nihil ad summam rerum scientiam
defuisse videatur. Quid? Varronem
5 ne putamus Romanorum doctissimum appellatum [e],
& omnium soli [f] imaginem
in bibliothecâ publicâ viventi positam,
quod Physica duntaxat scierit, & nonnullas
de animâ in scholis decantatas quæstiones?
ille [g] verò omnium disciplinarum
scientiam, omnem antiquitatis memoriam
mente complexus est, & cum universæ
philosophiæ cognitione conjunxit; nec unius
tantùm philosophi placita, sed omnium
sibi cognoscenda est arbitratus, omnemque
sapientiæ florem delibavit. Nec
eorum, quos modò nominavi, fuit id proprium
arbitrari ad se omnium artium maximarum
scientiam pertinere; neminem
aptum philosophiæ Antiqui putabant, qui
non pulcherrima quæque aliarum facultatum
didicisset. Xenocrates [h] igitur adole-
6 scentem expertem, ignarumque liberalium
doctrinarum philosophiæ sacris initiari cupientem
dimisit, quum diceret: abi, philosophiæ
quippe ansas non habes; philosophiæ [i]
ansas appellavit nobilissimas disciplinas,
tanquam sine his in cognoscendâ
rerum naturâ frustra susciperetur labor.
At nunc illotis, ut ajunt, manibus rem omnium
sacerrimam philosophiam aggrediuntur;
nec illud saltem Platonis meminerunt,
qui [l] vetabat, quemquam geometriæ expertem
in Academiæ illa spatia philosophiæ
sacra penetrare; immo ne totam quidem
philosophiam cognoverunt; nam partem,
quæ pertinet ad mores, sine qua philosophi
gravitatem tueri nemo potest, plerique
non attingunt; alias verò sectas consectantium
philosophorum placita prorsus
ignorant; quo fit, ut quum eorum opiniones
conantur evertere, suam inscitiam prodant,
non alienam redarguant. In Veteribus
autem studium rerum cognoscenda- 7
rum potiùs excessit modum, quàm intra
mediocritatem stetit; nec [m] Aristophanes
ille facetissimus Comicorum Socratem irrisisset,
quòd pulicum saltus metiretur, &
quæreret, unde culices vocem emitterent,
nisi aliquis ad exigua nimis, & minuta
descenderet; cujus rei crimen, quod
erat nonnullorum, in Socratem Poëta maledicentissimus
transtulit, qui ab eo vel
maximè abhorrebat. In quam reprehensionem
illi verè incurrerunt, qui sophistæ
sunt appellati; qui interdum in levibus,
nulliusque momenti rebus otium consumpserunt,
quæ magna spectantibus sunt negligendæ.
Quocirca [n] præclarè Plato Annicerin
reprehendit, quòd eo præsente currum
mirabili artificio agitasset; negavit enim
posse in magnis, curaque dignis eminere,
qui tantum studii in exiguis, contemnendisque
posuisset. Ceterùm qui non ostentationis
ergo, sed rerum cognoscen- 8
darum amore ducti sapientiæ studia celebrarunt,
inanes quidem, & sordidas artes
negligebant; earum verò, quæ jure laudantur,
nullam non expetebant. Idcirco
Scævola [o] in hoc loco, quem illustramus, 1
philosophi vult esse proprium, quamcunque
rem ad dicendum sibi proposuerit,
eam posse copiosè, scienterque, & ornatè
verbis explicare. Quom enim & eloquentiâ
philosophos præstitisse, & omnium scientiâ
rerum abundasse, jam ostenderimus;
profectò nihil est, quod dubitemus eos potuisse
quamlibet rem dicendo persequi luculenter.
Illud autem a Scævolâ assumitur,
falsò non hoc idem præstare posse oratorem;
nam orator a philosopho non doctrinæ
copiâ, non eloquentiâ, sed instituto
differt; quom philosophus in umbrâ se se
exerceat; orator, quæ didicit in umbrâ, in
solem, pulverem, campumque proferat; &
alter contemplationi, alter actioni maximè
vacet; alteri vel unus, vel solitudo ipsa
theatrum sit, alter nisi ad circumfusam multitudinem
dicat, & probetur a coronâ,
suum munus exequi, & se jactare non
possit.

DIS-

[a] Diog. Laërt. libr. 5. in Vit. Theophr. segm. 47. & Victorin. de Arte Gramm. l. 4. [b] Diog. Laërt. ib. segm. 48. Dionys. Halicarn. libro περὶ ἑρμηνείας, Cicer. in Orator. & de Divinatione libr. 2. Quintilian. Instit. Orator. libr. 3. cap. 1. & Scholiastes Hermogenis in Prolegomenis. [c] Idem Diogen. ibid. & Diomedes libr. 2. de Tragœdiâ. [d] Sext. Empiricus contra Mathemat. [e] Lactantius Firm. de Fals. Relig libr. 1. cap. 6. & D. Augustinus de Civit. Dei libr. 3. cap. 4. & libr. 6. cap. 2. ex Ciceron. in Quæst. Academic. [f] Plinius Nat. Hist. libr. 7. cap. 30. [g] Cicer. libr. 1. Academ. Quæst. [h] Diogen. Laërt. libr. 4. segm 10. in Vit. Xenocrat. [i] Suid. in V. Λαβαῖς. [l] Marsilius Ficin. in Vit. Plat. [m] Aristoph. in Neb. [n] Æl. Var. Hist. l. 2. c. 27. [o] Scæv. apud Cic. de Orat. l. 1.

DISSERTATIO XLV.

Cur Cicero Pythagoreos, & Democriticos physicos appellet.

Suidas tradit Pythagoram scripsisse de Institutione, & de Administrandâ Republicâ. Dictum illud, omnia communia Amicorum *a Pythagora emanavit. Socrates quum dixit:* quæ supra nos, nihil ad nos, *non significavit negligendum divini Numinis cultum, ut Lactantius criminatur. Dialectice a Zenone Eleate inventa est. In quo felicitatem, seu summum bonum statuerint diversi philosophi.*

MAgnitudinem scientiæ cum dicendi copiâ, & splendore verborum veteres philosophos conjunxisse ostendimus; ob eamque causam diximus non falsò Scævolam in loco [a] Ciceronis, quem illustramus, opinari philosophos posse res omnes, quæcumque propositæ fuerint, non solum sciencer, & doctè, sed etiam ornatissimè, splendidissimeque, & cum summâ ubertate sermonis explicare; nunc de quibusdam, quæ Cicero vult esse propria quorumdam philosophorum, mihi disserendum.
1 Pythagoreos igitur [b] Cicero, & Democriticos appellat physicos; cur autem hæc appellatio magis Pythagoræ, & Democrito, quàm aliis philosophis conveniat, quæra potest; neque enim eâ de causâ Pythagoram, & Democritum dicemus physicos nominatos; quia alias philosophiæ partes non attigerunt, sed in indagandâ dumtaxat rerum naturâ elaborarunt; nam & Pythagoras, & Democritus non Physica solùm, sed etiam Ethica, quæ vocant, doctissimè, & luculentissimè explicarunt. Pythagoras quippe, auctore [c] Suidâ, librum de institutione, quem παιδευτικὸν appellavit, & alium de administrandâ Republicâ, quem πολιτικὸν inscripsit, scriptum reliquit; & primus docuit amicitiam illam perfectam omnium communione contineri; unde illa sententia emanavit, quæ semper omnium sermonibus celebrata [d] est, πάντα κοινὰ τῶν φίλων, *omnia communia amicorum*. Quum autem scientiæ, quæ pertinet ad mores,
caput sit investigatio summi boni, quo inventa nihil ferè in eâ doctrinâ desideraretur, Pythagoras in indagando summo bono elaboravit; idque esse tradidit virtutem scientiam [e] perfectionis. Democritus autem de doctrenâ morum scripsit libros, quos Babylonicos [f] nuncupavit; & summum bonum animi tranquillitate definivit, quam, teste Clemente [g] Alexandrino, Evesto nuncupavit. Cur ergo physicos Democriticos, 2
& Pythagoreos Cicero vocat? certè quia ante Socratem hæc pars philosophiæ, quæ spe- 3
ctat ad mores, & si non omnino negligebatur, tamen [h] Socrates princeps ad eam se totum contulit, & illam usurpavit vulgò celebratam [i] sententiam: *quæ supra nos, nihil ad nos*. Quo dicto significavit non contemnendam esse religionem, aut divini Numinis cultum omittendum, ut [l] Lactantius Firmianus criminatur; sed nihil ad nos exquisitam rerum cœlestium scientiam, abditarumque causarum pertinere; quia quamvis ea cognita, & perspecta penitus habeamus, miseri tamen sumus, nisi nos ipsos cognoverimus, nisi virtutem consectemur. Quapropter ad illa potius animum intendendum, quibus moribus vivamus, qua ratione voluptati virtutis omnes nervos elidenti resistamus; iram comprimamus, domitas habeamus ceteras cupiditates, inanemque lætitiam, mæroremque, & curas omnes sordidas exuamus; felicitatemque, quam omnes desiderant, nemo prorsus invenit, quo ad ejus fieri potest, assequamur. Hæc mens fuit summi viri, id institutum, qui nihil aliud totâ vitâ, quàm 4
virtutem appetivit, rerum autem cœlestium, naturæque scientiam assumendam non putavit, nisi quatenus ad componendos mores conduceret. Idcirco philosophiam e Cœlo in [m] terras, in mediosque hominum cœtus dicitur devocasse; ideo Cicero libro primo Academicorum quæstionum: *Socrates*, inquit, *mihi videtur id, quod constat inter omnes, primus a rebus occultis, & ab ipsâ naturâ involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerant, avocavisse philosophiam, & ad vitam communem adduxisse;* & Seneca Epistolâ septuagesimaprimâ sic ait: *Socrates, qui totam philosophiam revocavit ad mores; & hanc summam dixit esse sapientiam,* bo-

[a] Cicero de Oratore libro primo. [b] Idem Cicero ibid. [c] Suidas in V. Πυθαγόρας. [d] Suidas in V. Πυθαγόρα τὰ σύμβολα, Malchus, & Diogenes Laërtius in Vit. Pythagoræ libr. 8. segm. 10. Paulus Manutius in Adag. *Amicorum communia omnia*. [e] Heraclides Ponticus apud Clement. Alexandrinum libr. 2. Stromat. [f] Clemens Alexandr. libr. 1. Stromat. [g] Idem Clem. Alex. libr. 2. Stromat. [h] Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 20. in Vit. Socratis, Cicer. Academic. Quæst. libr. 1. & Tusculan. libr. 5. Aul. Gell. libr. 14. cap. 3. ex Xenophont. Senec. Epist. 71. & Lactant. Firmian. libr. 3. cap. 13. de falsâ Sapient. [i] Vid. Xenoph. Memorab. libr. 1. & Lactant. Firmian. libr. 3. de fals. Sapientiâ cap. 20. Paulus Manut. in Adag. *Quæ supra nos, nihil ad nos*. [l] Lactant. Firm. ibid. [m] Cicer. Tusculan. Quæst. libr. 5.

bona, maloque distinguere; & Sidonius Apollinaris de Socrate [a] cecinit:

..... Quam de naturæ pondere migrans
Ad mores hominum limandos transtulit usum.

Itaque quum Stoicis, & plerisque philoso-
5 phorum placeat philosophiam [b] in tres divisi partes; in dialecticen, physicen, & doctrinam morum [licèt his adjungant Peripatetici rerum divinarum scientiam, & mathematicas disciplinas] & dialectice quidem a Zenone Eleate, Aristotele [c] teste, prodatur inventa, quod est argumentum a Pythagora non admodum cultam; nec Democritum quidem constet in eâ multum elaborasse, quum inter opera Democriti nullum dialecticum a Diogene [d] Laërtio recenseatur; quumque Socrates conditor disciplinæ, quæ pertinet ad mores, habeatur; meritò Pythagoras, & Democritus, & alii Socrate vetustiores philosophi physici nominantur; non quòd morum disciplinam ignorarint, aut neglexerint, sed quòd non tanti fecerint, quanti Socrates, & qui Socratem philosophi sunt consequuti. Ille e-
6 nim primus omnem sapientiam, quæ non conduceret moribus, inanem judicavit: ille primus omnem disciplinam ad mores censuit esse referendam; itaque post Socratem demum philosophi, qui de summo bono dissentiebant, cœperunt videri de universâ philosophiâ dissentire. Quid enim fuit, cur Stoici a Peripateticis tam diversi judicarentur, nisi quòd alteri summum bonum in solâ [e] virtute collocabant, alteri & bona corporis, & bona fortunæ virtuti adjungebant? Hæc sola dissensio fecit, ut duæ sectæ bellum inter se gererent sempiternum; quum in Physicis non multum Stoici a Peripateticis dissiderent? Herillus auditor
7 Zenonis in ceteris a præceptore suo non dicitur discrepasse; sed quia [f] summum bonum cognitione rerum, & scientiâ terminavit, nemo unquam Herillum inter Stoicos recensuit. Tam Aristippus, quàm Epicurus felicitatem voluptate finivit; sed quia Aristippus [g] corporis voluptatem est complexus; Epicurus [h] autem a corpore profectam, & in animum redundantem voluptatem, cyrenaici [i] philosophi ab Epicureis visi sunt dissidere; duæque sectæ sunt conditæ inter se discrepantes. Nec [l] Hieronymus quidem Rhodius, qui summum bonum statuebat vacuitatem doloris, ab Epicuro multum dissensit, qui finem bonorum esse voluit in voluptate, sed eam summam esse in vacuitate doloris voluit; & tamen Hieronymi sectatores nunquam cum Epicureis convenerunt. Nec [m] Callipho,
qui adjunxit ad virtutem voluptatem, nec 8
Diodorus [n], qui vacuitatem doloris, magnopere a sententiâ Peripateticorum, & Stoicorum recesserunt; quorum alteri & virtutem, & voluptatem, & omnia, quæ bona vulgo videntur, complectebantur; alteri virtutem solam censebant esse beatissimæ vitæ effectricem; & tamen tam Callipho, quàm Diodorus a Stoicis, & Peripateticis diversi credebantur; omninoque qui non easdem opiniones in hac philosophiæ parte defendebant, inter se toto Cœlo dissidere videbantur. Ex quo perspici potest, quanti fecerint morum disciplinam, quum in eâ vel parva dissensio tantas contentiones pro suâ sententiâ, tànquam pro aris, & focis, pugnantium philosophorum excitarit. Atque id studium a rerum naturalium studio homines avocavit, & philosophi omnes ad differendum de moribus se se contulerunt; quare non sine causâ Cicero [o] veteres Physicos appellavit; quod Ciceronis dictum Sexti Empirici loco illustratur, qui sic ait: ὡς κ̓ μέχρι νῦν τοὺς πρώτως φιλοσοφήσαντας φυσικοὺς καλεῖσθ: *ut adhuc etiam, qui primi philosophati sunt, Physici appellentur.*



DIS-

[a] Sidonius Apollinar. in Epitbal. Polemii, & Araneolæ. [b] Cicer. Academic. Quæst. libr. 1. & de Oratore libr. 1. & de Finibus libr. 1. Alcinous de Doctr. Platonis cap. 3. Div. Augustin. de Civitat. Dei, Diog. Laërt. libr. 3. segm. 56. in Vit. Platonis, & segm. 84. & libr. 7. segm. 40. in Vit. Zenonis, Plutarch. de Placitis Philosophor. libr. 1. & Senec. Epist. 89. [c] Aristotel. apud Diog. Laërt. libr. 9. segm. 25. in Vit. Zenonis, & Sext. Empir. libr. 7. contra Mathem. [d] Diog. Laërtius l. 9. in Vit. Democrit. [e] Cicero Academic. Quæst. libr. 2. & libr. 5. de Finibus, & Sext. Empiric. advers. Mathemat. libr. 10. [f] Idem Cicer. Acad. Quæst. libr. 2. & de Finibus libr. 2. & libr. 5. Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 2. [g] Cicer. ibid. & Quintilianus Instit. Orat. libr. 12. cap. 2. [h] Cicero de Finibus libr. 1. & 2. Plotinus Enn. 2. libr. 9. cap. 15. Epicurus ipse in Epistol. ad Menœceum apud Diogen. Laërt. libr. 10. in Vitâ Epicuri, Seneca Epist. 66. & Lactant. Firmianus de fals. Sapientiâ libr. 3. cap. 7. [i] Cicer. Academic. Quæst. libr. 2. [l] Cicer. ibid. libr. 5. de Finibus, & Lactant. ibid. [m] Idem Cic. & libr. 2. de Finib. & libr. 2. Academic. Quæst. [n] Cic. de Finibus libr. 2. & 5. & Lactantius Firmian. de falsâ Sapientiâ libr. 3. cap. 7. [o] Cicer. de Oratore libr. 1.

DISSERTATIO XLVI.

De Ciceronis libris de Oratore.

Longinum animatam bibliothecam appellabant. Nullorum scripta cum Ciceronis libris de Oratore conferenda sunt. Multi feruntur ejus artis, quam tradiderunt, imperiti; sed vix id est admittendum. Dioscorides Plinio in simplicium medicamentorum naturis exponendis anteponendus.

Apelles[a] ille, qui Veterum judicio
provexit ad summam gloriam
penicillum, & in pictura terminos
perfectionis invenit, non
solum operibus, in quibus, quid
ipse livor carperet, non reperiebat, sed
etiam scriptis luculentissimis pingendi artem
illustravit; nam libros[b] edidit, quibus
ejus artis, quam perfecerat, præcepta
tradebat, omnesque coloribus imitandæ naturæ
vias eleganti stylo ostendebat. Sed
1 fatum fuit, ut non modò ejus artificis picturæ,
quæ in tantis rerum ruinis, tantâ
longinquitate temporis, tot excidiis urbium,
tantâ barbarie sæculorum, tam fragili materiâ
vix ad nos poterant pervenire, sed
etiam volumina, quæ sempiterna esse posse
videbantur, funditus interierint; quam
jacturam picturæ studiosis nemo non maximam
accidisse fateatur. Quàm enim fuit
optandum ejus generis artificibus, quid
summus artifex, cujus nemo unquam claritatem
æquavit, in pingendo sequutus sit,
ipso prodente cognoscere? nonne sic &
qui longo intervallo sæculorum nascebantur,
per eum, cujus nec opera viderant,
nec vocem audiverant, profecissent? Quæ
studiosorum est rara felicitas, ut ejus fieri
possint disciplinâ doctiores, qui sit in suâ
facultate princeps non suæ tantùm ætatis,
verùm etiam omnium sæculorum. Sed
2 quod pictoribus non contigit, eloquentiæ
studiosis contigit, ut ejus, qui omnes priùs
genitos, futurosque postea artificii præstantiâ
superavit, præceptis uterentur. Habemus
enim Ciceronis libros de Oratore,
quibus omnes rhetorum artes explicantur;
is autem non minore gloriâ dixit, quàm Apelles
pinxit; nec minus habetur Cicero ipsius
nomen eloquentiæ, quàm Apelles picturæ.
Quis igitur hos libros accuratè legendos,
volutandos, ac pæne ediscendos
esse non arbitretur? quum contineant artem
omnium pulcherrimam eloquendi ab
artifice non vulgari, sed omnium maximo
traditam; qui in eloquentiæ præceptis dandis
adhibet hanc ipsam, quam docet, eloquentiam,
eamque non mediocrem, sed
præstantissimam; ut hæc volumina non solùm
præceptis prosint, sed etiam exemplo;
sunt enim referta omnibus ornamentis,
omnibus conspersa floribus, omnibus illustrata
luminibus eloquentiæ, nihil illis pulchrius,
nihil comptius; nihil suavius, nihil
jucundius. Jam in his ita omnes oratorum
artes aperiuntur, ita omnia rhetorum 3
præcepta dilucidè explicantur, & ob
oculos ponuntur hujus facultatis arcana,
nihil ut judicem fieri posse perfectius.
Quapropter ipse Cicero in epistolis non
recusat, quominus nullus habeatur orator,
nisi in libris de Oratore tradiderit omnibus
numeris absolutam dicendi disciplinam,
seque[c] testatur in hos, quidquid sciret,
contulisse. Quanta est igitur in his
artis, quanta scientiæ magnitudo, quæ
mensura est eloquentiæ, & doctrinæ, qua
propemodum infinitâ Cicero abundavit?
quàm longè Cicero ceteris oratoribus præstat,
tam longè hi ceteris rhetoricis libris
antecellunt; quia nemo attulit ad scribendum
de arte tantam scientiam orandi, tantam
experientiam, quantam attulit Cicero;
nec alius fuit summus orator, qui præcepta
dicendi conscriberet. Nam Demosthenes,
quem Græcia opponit Ciceroni, contentus
in foro, & judiciis inter ceteros eminere
neglexit hanc eutam artis præcepta
litteris consignandi. Antipho[d], qui
rhetoricen libris pulcherrimis illustravit, 4
excelluit quidem laude dicendi, sed abfuit
tamen ab illâ omnibus numeris absolutâ
eloquentiæ præstantiâ; idem[e] de Isæo,
Lysiâque[f] dicendum, qui artes reliquerunt;
Isocrates[g] ipse, qui ut nonnulli
tradunt, artificium rhetorum compositis
libris explicavit, licèt magnam dicendi gloriam
sit[h] consequutus, tamen aptior pompæ,
& theatro, quàm judiciis, verisque
causis[i] habetur orator; ideo multum illi
deest ad summam, & omni laude cumulatam
eloquentiam. Et ut his prætermissis,
quorum libri de arte rhetoricâ non
extant, ad eos, qui omnium manibus teruntur,
accedamus; Aristoteles vel accuratissimè,
& acutissimè scriptos rhetoricorum
libros reliquit; sed in alienâ potiùs
arte, quàm in suâ explicandâ versatus est.

[a] Cicero in Bruto. [b] Plin. libr. 36. cap. 10. [c] Cicer. Epistolar. ad Familiar. libr. 6. Epistol. 18. ad Lepeum. [d] Plutarchus in Vitis decem Rhetor. cap. 1. & Quintilian. Instit. Orator. libr. 3. cap. 1. [e] Plutarch. ibid. cap. 5. [f] Idem Plutarchus ibid. cap. 3. [g] Photius in Bibliothec. cod. 260. [h] Cicer. in Bruto, & Dionysius Halicarnass. in Isocr. [i] Quintilian. Institut. Orator. libr. 10. cap. 1.

Demetrius Phalereus non omnem rheto-
5 rum disciplinam, sed ejus partem scriptis illustravit; & quamvis fuerit orator non contemnendus, tamen [a] caruit excellentissimâ laude dicendi, magisque suavitate orationis, quàm vi, & copiâ commendatur. Partem quoque Rhetoricæ Longinus complexus est libro sanè quàm luculento, qui de sublimi genere orationis inscribitur; & non oratoris nomen, sed philosophi, vel potiùs philologi, Plotini [b] judicio, meruit; quem [c] ejus ætatis homines ἔμψυχον βιβλιοθήκην appellabant. Hermogenis libri universam dicendi artem comprehendunt; sed Hermogenes nunquam ad summi oratoris gloriam aspiravit. Libri ad Herennium vel non [d] sunt Ciceronis, vel Ciceronis nondum oratoris; nec de inventione quidem scripsit Cicero quum esset tantam dicendi scientiam, tantam experientiam rerum assequutus. Quintilia-
6 nus verò etsi absolutissimum opus composuit, oratoremque susceptum a cunis, & nutricibus instituit, aluit, & ad omnem oratoriam laudem conformavit, & omnibus disciplinis auctum deduxit in forum; etsi inter [e] oratores ejus ætatis principem locum occupavit, non fuit cum Tullio ullo modo comparandus. Non puto expectatis, quum Quintilianum dixerim Ciceroni haudquaquam conferendum, ut de Victorino, Martianoque Capellâ dicam, qui de facultate dicendi nonnulla conscripserunt. Solus igitur Tullius & præcepta dedit orandi, & omnes oratores, qui fuerunt, erantque futuri, superavit orando; nec animum priùs appulit ad scribendum de Oratore, quàm in omni varietate concionum, causarumque forensium, & sententiis in senatu dicendis ætatem consumpsisset. Quum autem & usu rerum maximarum, & multarum artium scientiâ, & eloquentiâ tantâ præstiterit Cicero, quanta in ullo homine nunquam extitit, consentaneum est hos libros de Oratore tam accuratè conscriptos ab Auctore summo esse in suo genere perfectissimos; nam si quis existimat parum referre, utrum, qui tradit artem, sit mediocriter doctus, an usu, & scientiâ peritissimus, vehementer errat. Scio [f] Aratum dici astrologiæ ignarum
7 de cœlestibus rebus præclarum opus edidisse: scio [g] Nicandrum Colophonium hominem ab agro remotissimum agriculturæ præcepta luculenter tradidisse: scio fuisse nonnullos, qui [h] Manilium, qui astronomiam versibus condidit, astronomiæ imperitum fuisse affirmarent; nec defuisse, qui eandem notam inurerent Julio Firmico, qui siderum potestates præclaro opere est exequutus; nec me fugit quosdam censuisse [i] Cornelium Celsum de re medicâ, quum medicinam nunquam fecerit, conscripsisse. Sed mihi persuaderi non potest hos ejus artis, quam scriptis docuerunt, fuisse imperitos; aliquid, ut homines, ignorasse, in aliquo errore esse versatos, aliquando hallucinatos libenter concesserim; expertes artis fuisse, quam pertractabant, constanter negaverim; & tamen quantum illis defuit scientiæ, tantum eorum libris defuisse perfectionis ausim affirmare. Nam perfecta disciplina proficisci, 8
nisi ab eo non potest, qui perfectam scientiam sit consequutus; nec solùm scientia, sed etiam experientia desideratur in eo, qui sit artem [l] traditurus, & expertus longè præstat inexperto. Idcirco Dioscoridem Plinio in simplicium medicamentorum naturis exponendis nemo non anteponit; quòd alter ea, quæ usu cognoverat, alter quæ legerat, plerunque tradidit. Nec omnino sine causâ irrisit Hannibal [m] philosophum Phormionem, quòd quum nunquam aciem vidisset, nunquam classicum audisset, se præsente præcepta daret rei militaris. Mirificè quippe commendat auctoritatem docentis experientia; qua quum præstiterit Cicero, & insuper solus ex omnibus, qui de arte scripserunt, omnis memoriæ princeps fuerit oratorum, & de ratione dicendi luculentissimè, diligentissimeque perscripserit, quis neget omnibus anteponendum? quis hos libros de Oratore nocturnâ, diurnaque manu versandos esse non existimet? sic enim fiet, ut nos, quorum ætas ab ætate Ciceronis longissimè distat, discipuli quodammodo Ciceronis esse possimus; quod quàm esset optandum, exposuimus.



DIS-

[a] Cicer. de Offic. libr. 1. in princ. & Quintil. Instit. Orat. l. 10. c. 1. [b] Apud Porphyr. in Vit. Plotin. [c] Paulus Manutius in Adag. *Bibliotheca animata*. [d] Cicer. libr. 1. de Oratore, D. Hieronym. Præfat. in Abdiam, & Quintilian. libr. 3. cap. 1. Institut. Orator. [e] Cassiodorus libr. de Disciplin. de Rhetoric. & Ausonius in Commemoratione Professor de T. Victor. Minerv. [f] Cic. de Orat. libr. 1. & Cæl. Rhod. libr. 7. cap. 1 [g] Iidem ibid. [h] Jos. Scalig. in Manil. [i] Joann. Rhodius in Vit. Cornel. Celsi. [l] Pindar. Olymp. 8. v. 77. [m] Cicer. libr. 2. de Oratore.

DISSERTATIO XLVII.

De Ciceronis excellentiâ.

Theognis dixit; neminem omnibus placere, nec ipsum Jovem, quum pluviam, aut serenitatem Mortalibus largitur. Thucydidem Demosthenes octies exscripsit. Concio tota orante Cicerone propter voluptatem furere coepit. Caesar invitus ad ignoscendum Quincto Ligario a Cicerone permotus est. Zeuxidis picturâ deceptae sunt aves; Zeuxis autem ipse Parrhasii picturâ; sed & Apellis equo picto equi admoti adhinniverunt. Quintilianus dixit, illum multum profecisse, cui Cicero valde placeat. Apollonius Molo fassus est Ciceronem translaturum e Graeciâ in Latium eloquentiae gloriam.

THeognis ille Megarensis, qui morum disciplinam elegantissimis versibus elegiacis comprehendit, cum multa verè, praeclarèque dixit, tum illud verissimè; neminem [a] omnibus placere,
1 ipsumque Jovem, neque quum pluviam Mortalibus mittit, neque quum discussis nubibus jucundissimum aspectum serenae lucis impertitur, non omnium satisfacere voluntati; id & in ceteris cerni, & in Cicerone maximè potest. Ille apex eloquentiae, ille princeps apud Latinos litterarum, qui longiùs ingenio Romanae linguae terminos, quàm alii armis Imperii fines protulerunt; qui, ut [b] Quinctiliani verbis utar, vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis effinxit; nec verò quod in quoque optimum fuit, studio consequutus est tantùm, sed multas, vel potiùs omnes ex seipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissimâ ubertate; quibusdam minùs probatur, quosdam non habet amatores, quorundam obtrectationibus carpitur; & sunt quibus placere non potest orator, qui omnes omnium virtutes expressit, nec, ut [c] ait Poëta nobilis, deinde reliquit

Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.

2 Itaque [d] Senecam, vel Plinium malunt; perinde quasi aut Seneca sit orator, aut quidquid est in Plinio laudandum, id totum Ciceroni non debeatur. Sunt etiam, qui Cornelii Taciti brevibus, crebrisque sententiis delectentur; tanquam credibile sit Tacitum eodem modo causas orasse, quo historiam, annalesque conscripsit; nonnulli quoque ad Apuleios, & Cassiodoros descenderunt, & inquinatissimum dicendi genus optimo, politissimoque praetulerunt; his profectò similes, qui frugibus inventis, glandibus vesci maluerunt. Hos mihi consilium est aliquot dissertationibus confutare, quorum ineptias ferre non possum; quibus illud aurum purum, putum sordet eloquentiae Tullianae; quorum judicium magis est reprehendendum, explodendumque, quàm eorum, quos irridet [e] Tullius; qui quum Hyperidem, Aeschinem, Lysiam possent summos oratores, Thucydidem malebant imitari. Nam
illi Auctorem in suo genere praestantissi- 3
mum sequebantur; hi nec optimos aemulantur; & oratores illi habebant auctorem quodammodo suae sententiae Demosthenem; qui licèt Thucydidis dicendi genus concisum, adstrictum, & confragosum non expresserit; tamen octies [f] dicitur Thucydidem exscripsisse, multasque sententias Thucydidis, & figuras in suas orationes transtulisse; hi non possunt dicere, cujus auctoritate ducti non dico Plinium, aut alium idoneum latinae linguae auctorem, sed corruptissimum quemque Ciceroni anteponant. Nam se Plinium quidem sequi profitentur, sed ab ejus elegantiâ longissimè absunt, & perversissimam dicendi rationem consectantur, frigidi, inanes, pleni nugarum, pleni puerilium sententiarum; qui, quas vel audacissimi poëtae translationes reformident, crebrò auribus nostris inculcant; nec quidquam elegans, aut eruditum putant, nisi quod a naturâ, & verisimilitudine quàm maximè discrepat; nec ullum ordinem norunt dictionis, & nihil habent praeter inanem sonum, & aurium ludibria. Hi me planè irridebunt,
quòd Ciceronem dixerim summum orato- 4
rum; hi nobis igitur confutandi, & Ciceroni facultatis oratoriae principatus asserendus; quod non mehercule faciam, quia sperem posse eorum stupidam inscitiam, & contumaciam condocefieri oratione nostrâ, vel commoveri, qui omnium ferè Veterum judicio, omnium saeculorum consensu non commoventur; sed ne quemquam vestrûm, Auditores, eorum infatuare possit opinio; & ut dictis meis veritas, & fides constare videatur. Nec utemur hoc loco Ciceronis in causis orandis fortunâ: nec dicemus eum habendum principem oratorum, qui, quod efficere dicendo debet orator, maximè effecerit, ut

[a] Theognis in sententiis v. 25. Paul. Manut. in Ad. *Ne Juppiter quidem omnibus placet.* [b] Quintil. libr. 10. cap. 1. [c] Sil. Ital. libr. 8. Punic. Bell. v. 413. [d] Quintil. Inst. Orat. l. 10. c. 1. in fin. [e] Cicer. in Oratore ad Brutum paul. post initium. [f] Lucian. *πρὸς ἀπαίδευτον*, sive advers. indoctum librorum long. supellectil. rument. paul. post princ.

ut auditores in suam sententiam vel invitos, repugnantesque traherentur; qua re nemo par fuit Ciceroni: nec quæ [a] Plinius Tullium narrat eloquentiâ consequutum, quibus omnium triumphorum gloriam superatam putat, colligemus: non commemorabimus tantos eo orante populi plausus excitatos, ut sæpe tota concio orationis voluptate commota immemor sui repente furere, & debacchari videretur; quod cum sæpe aliàs, tum pro [b] Cornelio Balbo dicenti Ciceroni contigit: nec
5 præclaram de Cæsare Oratoris [c] victoriam hoc loco referemus. Quum esset pro Quinto Ligario Cicero apud Cæsarem verba facturus, obstinarat animo Cæsar Ligario non ignoscere; & eâ mente venerat ad audiendum, ut omnis Oratoris conatus futurus irritus videretur. Surrexit ad dicendum Cicero, cœpit influere in animum Cæsaris flexanimâ vi persuadendi, & flectere contumacem; cœpit variare affectibus orationem, & modò diluere crimen, modò facti necessitatem excusare, modò misericordiam commovere, modò invidiam in adversarios concitare, modò multis expertam victoris clementiam implorare, miscere preces, communicare cum adversariis crimen, exemplis eorum pugnare, qui quum in eadem causâ fuissent, non in eadem fortunâ fuerant. Quid multa? nondum Cicero perorarat, & jam Cæsar signa dederat mutatæ voluntatis; jam oculis, vultu, nutu se victum fatebatur. Vicit igitur Ciceronis oratio Cæsarem victorem omnium populorum; & cui tot indomitæ nationes, tot acies armatæ, tot inexpugnabiles urbes, Orbis denique terrarum universus cesserat, is cessit Oratoris eloquentiæ. Quæ si velim dicendo persequi, efficerem profectò, ut Ciceronem non modò principem oratorum, sed etiam unicum oratorem fuisse vel iniqui fateantur; nam si ille orator habendus est præstantissimus, qui optimè finem artis assequitur; optimè autem finem artis Cicero est assequutus; qui est [d] positus in persuadendo, quum Cæsaris invitum, & invictum animum expugnaverit; Cicero certè orator omnium præstantissimus. Non est, Auditores, ad
6 inanem aurium voluptatem dumtaxat aucupandam inventa dicendi facultas; illud optimorum flumen verborum, ille sententiarum apparatus, illa varietas, & concinnitas orationis, illa tot eloquentiæ lumina, illæ faces affectuum, quæ animis admoventur, illa copia rationum acutè conclusarum, licèt mentes jucundissimâ voluptate perfundant, nihil aliud sibi volunt, nihil aliud quærunt, quàm persuadere, quàm animos expugnare, & qui id optimè facit, optimus oratorum judicetur, necesse est. Quemadmodum, quia hostes vincere propositum est imperatori, qui plurimas urbes cepit, plurimas nationes debellavit, præstantissimus habetur imperator: quemadmodum, quia Rempublicam administranti proposita est felicitas civitatis, quo administrante felicitatem civitas consequuta est, is optimus Reipublicæ creditur moderator; ita, quia propositum est oratori persuadere, qui optimè persuadet, is orator omnibus numeris absolutus judicatur. Qua quidem in re nemo cum Cicerone 7
potest comparari; audistis quàm obstinatum animum Cæsaris flexerit, vicerit, Quinto Ligario placarit; non unam hanc palmam adeptus est summus orator, sed innumerabiles; qui quidquid voluit, semper dicendo est assequutus; voluit acerbissimum odium populi Romani in Vatinium concitare? summum odium populi in Vatinium concitatum est; adeo ut Vatinius pæne lapidibus obrueretur, & odium Vatinianum proverbio [e] celebratum sit; unde illud [f] Catulli:

Odissem te odio vatiniano.

Voluit [g] populum legem agrariam repudiare? legem agrariam hoc est alimenta sue populus repudiavit: voluit præfici bello mithridatico Pompejum? præfectus est bello mithridatico Pompejus: voluit ex Urbe Catilinam exturbari? exturbatus [h] est ex Urbe Catilina: voluit [i] Antonium hostem judicari? judicatus est hostis Antonius. Longum esset singulas Ciceronis 8
palmas recensere; rem brevi absolvam: quantùm omnes oratores Cicero vicit ingenio, vicit doctrinâ, vicit dicendi copiâ, tantum omnes effectibus eloquentiæ superavit. Quis enim alius in persuadendo potentior? quis populi motus magis pro arbitratu convertit? quis odia, in quos voluit, concitavit? quis voluntatem senatus habuit in potestate? quis inveteratas, ac penitus infixas ex animis judicum evellit opiniones? quis quos volvit, auxit, ornavit, evexit? quis quos est insectatus, evertit, afflixit, prostravit, nisi Cicero? quis majore cum gloriâ oratoris artem exercuit, quam Cicero?

[l] *Ille super Gangem, super exauditus & Indos*

Im-

a Plin. Nat. Hist. l. 7 cap. 30. b Quintil. Institut. Orator. l. 8. cap. 3. c Plutarch. in Vit. Ciceron. d Cic. de Orat. l. 2. & Quintil. Instit. Orat. l. 2. c. 15. e Paul. Man. in Adag. *Odium Vatinianum*. f Catull. Ep. 14. g Plutarch. in Vit. Cic. h Idem ibid. Sallust. in Bell. Catil. & Vell. Paterc. libr. 2. Histor. i Plutarch. in Vit. Ciceron. & Antonii. l Sil. Italic. libr. 8. v. 410.

Implebit terras voce.....

Ut igitur quum Zeuxidis [a] picturâ dece-
9 ptas aves, quum a [b] Parrhasio Zeuxin pictorem delusum, quum [c] audimus Apellis equo picto admotos equos adhinnivisse, summos eos fuisse pictores judicamus; ita quum Ciceronem ea effecisse dicendo, quæ nunquam alius, cognoscimus, Ciceronem apicem fuisse oratorum, & eloquentiæ principem cogimur confiteri. Sed, ne quis putet actionis magis, quàm orationis virtutibus ea Tullium consequutum [licèt id sit absurdum; qui enim eò pervenit eloquentiâ, quò nemo unquam potuit aspirare, eum necesse est non unâ, sed omnibus oratoris virtutibus eminere] adhuc aliis argumentis ostendemus, non posse quidquam perfectius dicendi genere, quo Tullius utitur, inveniri; cujus rei testem totam antiquitatem possum appellare; omnes eos, qui dicendi scientiâ præstiterunt; sed ex multis paucos testes adhibebimus. Livius historicorum facilè princeps, cujus
10 lacteam [d] sermonis ubertatem faciliùs quis admiretur, quàm æmuletur, consultus [e], quinam potissimùm Auctores essent perlegendi, & imitandi, respondit Ciceronem inprimis, & eos, qui Ciceroni essent quàm simillimi. Quintilianus [f] ille summus eloquentiæ doctor quot in locis damnat ineptias sui sæculi, quas Ciceronis osores solas oratoris virtutes arbitrantur? quoties Ciceronem tanquam exemplar absolutissimum eloquentiæ intuendum esse confirmat? sed ex omnibus afferre illud unum libet Quintiliani [g] dictum vel præclarissimum, quo maximè laudatur Cicero; quod in animis omnium infixum esse oporteret: *ille*, inquit, *se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit*. Non solum præcepit, quis esset imitandus, quis e manibus nunquam dimittendus; sed etiam attulit rationem, cur nonnollis [h] hominibus

Plenis ruris, & inficetiarum

Ciceronis eloquentia non probaretur: *non probant*, inquit, *quia ejus virtutes non intelligunt; quia non satis in eloquentiæ studio profecerunt; est enim magni viri non solùm Ciceronis virtutes imitari, sed etiam intellectu consequi*; quo quid dici magnificentius po-
11 test? Sed & Græci, qui sua dumtaxat mirantur, Ciceronem summis laudibus vehont; nam [i] Plutarchus ipsi Demosthenem non audet anteponere; quod ego instar magni præconii duco; nam si judicio Græcorum non cedit Demostheni Cicero, cui cedet, immo quem non superabit? Non facilè quemquam ex Latinis Auctoribus reperias, qui cum excellentibus in eo genere Græcis a Græcis ipsis comparetur; at Ciceroni non modò Plutarchus non præfert Demosthenem, sed etiam Longinus, ille, inquam, Longinus [l], qui criticorum sui temporis doctissimus habebatur, Demostheni Ciceronem [m] putat conferendum; & alterius quidem sublimitatem esse præruptam, & præfractam, alterius latè patentem, & copiosam; & alterum quidem similem esse fulmini, quod impetu valet, & statim percellit, prosternit, evertit omnia, alterum ingenti, latèque diffuso incendio, quod cunctatiùs quidem, sed nihilominus cuncta corripit, depascitur, populatur; addit autem se non posse, utpote Græcum, de Ciceronis virtutibus judicare. Quid si potuisset? certè Ciceronem Demostheni prætulisset, qui quum intelligeret minùs ejus virtutes, parem est arbitratus. Sed quid ego dico Græ-
cos Ciceronem Demostheni comparasse? 12
non compararunt solùm, sed etiam prætulerunt. Apollonius certè Molo summus apud Græcos eloquendi [n] magister, quum audisset [o] Ciceronem Græcè declamantem, hæsit admiratione defixus; deinde conversus ad Ciceronem, misereor, inquit, fortunæ Græcorum; nam antea armis victi eloquentiâ vincebamus; nunc autem, Cicero, te dicente, video eloquentiæ quoque summam gloriam in Latium e Græciâ migraturam. Quid causæ potest afferri, cur Græci, qui alios latinæ linguæ principes ne nominare quidem plerumque dignantur, Ciceronem solum eminentissimo Græcorum oratorum non modò conferant, sed etiam propemodum anteponant? nisi quia vicit invidiam Cicero, & ejus magnitudo tanta est, ut ii, qui non omnino cæcutiunt, & caligant in luce, summum esse oratorem cogantur confiteri.



DIS-

[a] Plinius libr. 35. Natur. Histor. cap. 10. [b] Idem Plin. ibid. [c] Plinius ibid. & Ælian. Var. Hist. libr. 2. cap. 3. [d] Quintilian. libr. 10. Instit. Orat. cap. 1. [e] Apud Quintil. libr. 2. Instit. Orat. cap. 5. & libr. 10. cap. 1. [f] Quintilian. ibid. [g] Idem Quintilian. ibid. libr. 10. cap. 1. [h] Catull. epigr. 37. [i] Plutarch. in Vit. Demosthen. in principio. [l] Suidas in V. Λογγῖνος, Eunapius in Vit. Porphyrii, Porphyr. in Vit. Plotini, & Vopiscus in Vitâ Aurelian. [m] Longin. Cassius de Sublim. dicendi. [n] Cicer. in Brut. Quintil. libr. 3. Instit. Orat. c. 1. Suet. in Vit. Cæsar. cap. 4. & Plutarch. in Vit. ejusdem Cæsar. in princ. Vid. Valer. Maxim. libro 2. cap. 1. de C. Mario. [o] Idem Plutarch. in Vitâ Ciceron. in princip.

DISSERTATIO XLVIII.

De eadem Ciceronis præstantiâ.

Poëtica laude floruit Cicero; quare immerito Juvenalis ridenda Ciceronis carmina dicit. Plurimi pictores, & sculptores in pretio haberi desierunt, quum alii egregii pictores, & sculptores floruerunt.

UT nec Homero defuit obtrectator [a], neque Virgilio præcellentissimis poëtarum; ita Ciceronem, qui carperent, nunquam defuerunt; sed quemadmodum nubes, licet Solem obscurare videatur, non diu potest permanere; & quamdiu permanet, nihil detrahit de clarissimo lumine; sed nobis, qui in humili, & remotâ regione versamur, quandam inanem speciem præbet obscuritatis; ita perversæ 1 opiniones de clarissimis Auctoribus & non diu durant, & quamvis officere, & obstruere luminibus eorum vulgo videantur, nihil tamen ipsis afferunt obscuritatis; sed præstantissimis ingeniis sua magnitudo semper, & claritas constat; sunt tamen molestæ, & a rectâ viâ multos cogunt aberrare, & in magno errore versari. Idcirco sunt penitus redarguendæ, & ex animis hominum, quo ad ejus fieri potest, funditus evellendæ; quod facere, Auditores, pro virili parte conamur; dum Ciceronem a quorumdam calumniâ vindicamus, & eloquentiæ unicum exemplar esse contendimus. Sunt enim quidam, ut sibi videntur, quantumvis eloquentes, & eruditi, qui salebras amant orationis, qui sententiarum flosculos, & ineptas argutias consectantur; qui nihil probant, nisi translatum, & longè accersitum, nihil venustum putant, quod naturali pulchritudine commendatur; orationis fuco, & calamistris delectantur, nullam clausulam sermonis esse volunt sine sententiâ; ideo infringunt, concidunt 2 in minutissimas partes, carpunt dictionem, & eloquentiæ generosam indolem prorsus enervant; ut eorum eloquutio, quod de Senecâ ajebat [b] Caligula, arena sine calce esse videatur, nec possit cohærere; quid autem rectum est, tanquam nimis pervulgatum aspernantur; orationis verò nervos, & lacertos, copiam, ubertatemque dicendi, argumentorum vim, sententiarum pondus, compositam, & factam, & aptam ad persuadendum, & affectus moventem, & oratoriis luminibus distinctam, perspicuamque, & numerosè fluentem, & concinnam orationem, tanquam [c] asini lyram, aversantur; hi Ciceronem in ordinem cogunt, putantque ejus eloquentiam jam obsolevisse aliorum oratorum ingenio, & claritate obscuratam. Quos ego libenter sic interrogem, Auditores, cur, si illi, qui 3 post Ciceronem floruerunt, Ciceronis eloquentiæ obscuritatem attulerunt, Cicero semper habitus est a doctissimis viris lex, & norma benè, ornateque dicendi? cur illi ipsi, qui diversam rationem sequebantur, Ciceronem tantopere suspexerunt? cur prolatis novis formis orationis doctissimus quisque Ciceronem maximè est admiratus? nam si nova dicendi genera præstitissent, nemo sanus Ciceronis eloquentiam prætulisset, præsertim quum ea vulgi judicio probarentur; & tamen semper ita Cicero est celebratus, ut ejus nomen [d] ipsius eloquentiæ nomen videretur, & scripta semper omnium manibus tererentur. Plutarchus [e] gravissimus, & doctissimus philosophus testatur Cicero- 4 nem adeo poëticæ laude floruisse, ut pauci Romanorum cum eo compararentur, nemo anteponeretur; sed quum postea præstantissimi poëtæ extitissent, eorum comparatione Ciceronis poëmata haberi in pretio, & legi [f] desiisse; ex quo Juvenalis [g] ridenda Ciceronis carmina audet appellare, falsò, neque enim, si quid meliorum comparationesordescit, continuò ridiculum est judicandum. Sicut ergo poëtica Ciceronis gloria, quæ initio enituerat, obsolevit, quia, qui consequuti sunt, poëtæ elegantiâ carminum longè præstiterunt; ita oratoria laus obsolevisset, si quisquam e recentioribus Ciceronem dicendi laude superasset; ut enim minus lumen in majoris luce positum obscuratur; ita novorum Auctorum claritate succedente, veterum fama extinguitur. Quis enim [h] Bularchi, vel [i] Hygiænontis, vel [l] Diniæ, vel [m] Char- 5 mæ, vel etiam [n] Eumari picturas sibi putavit imitandas, quum [o] Zeuxis, & [p] Parrha-

a Aul. Gellius libr. 17. cap. 1. b Suetonius in Vitâ Caligulæ cap. 53. Paulus Manutius in Adag. *Arena sine calce*. c Lucianus in Dialogo de his, qui mercede serviunt, Varro apud Aul. Gellium libr. 3. cap. 6. Div. Hieronymus advers. Vigilantium, & ad Marcellam Epistol. 25. Edit. Jan. & Athen. libr. 8. Paulus Manutius in Adag. *Asinus ad lyram*. d Quintilian. Instit. Orat. libr. 10. cap. 1. e Plutarchus in Vit. Ciceron. in princip. f Seneca in Excerptis Suasor. libr. 3. g Juvenal. Satyr. 10. vers. 123. h Plinius Natural. Histor. libr. 7. cap. 38. & libr. 35. cap. 8. i Plinius libr. 35. cap. 8. l Idem Plinius ibid. m Plinius ibid. n Idem ibid. o Vid. Diss. 47. n. 9. & Diss. 51. n. 2. in Ciceron. p Vid. Diss. 47. & 51. in Cic. iisd. loc.

rhasius, & [a] Protogenes, & [b] Timanthes, & [c] Apelles immortalibus operibus naturam provocassent? quis [d] Dædali statuas, quis [e] Dipœni, Bupali [f], atque [g] Anthermi est admiratus, quum [h] Phidias perfecto Jove Olympico, quò progredi posset ars, ostendisset? quum [i] Alcamenes, Agoracritus [l], Polycletus [m], Praxiteles [n], Lysippus [o] nullam vincendi sui spem Posteris reliquissent? quis Nævii versus, quis Ennii [p],

...... *quos olim fauni, vatesque canebant*, magnopere suspexit; quis expressit imitando, quum Virgilius ambiguam Græcis poëticæ gloriæ palmam fecisset, & latinas Musas in Cœlum extulisset? nonne illi tanquam sacri vetustate luci adibantur, in quibus nihil aliud, quàm ipse horror colitur? Virgilius solus legebatur, solus in pretio habebatur; denique omnes artifices tamdiu semper placuerunt, dum nemo extitit, cujus artificio vincerentur. Et ne ab orato-
6 ribus longiùs abeamus, quam admirationem, quos populi plausus antiquus ille Cato [q] Censorius, Lælius, Galba, uterque Gracchus, Carbo, ac deinceps magni oratores Antonius, Crassus, Sulpicius, & Cotta, & Philippus, & Hortensius excitarunt! nec verò solùm eorum viva vox cum ingenti coronæ admiratione, & voluptate audiebatur; sed scriptæ orationes post mortem transcribebantur, & studiosè lectitabantur, ac pæne ad verbum ediscebantur; sed, ubi immortale Ciceronis effulsit ingenium, omnibus, qui antea floruerant, oratoribus tenebras attulit, ut perspici potest ex libro de claris oratoribus; jam fœnum, quicumque Deus visus fuerat, in dicendo videbatur; omnes veterum orationes in tenebris, & situ oratoris novi obrutæ luce jacuerunt. Ipse Hortensius, qui regnum fori tenue- 7
rat, eloquentiæ fasces Ciceroni submisit, nec senex tenuit locum, quem adolescens occuparat; & ejus eloquentia, quasi solstitialis herba, ut ait [r] Comicus, *repente exorta est, repentinò occidit*, nec vetustatem tulit. Ut igitur Cicero superiores omnes oratores obscuravit, quia vicit omnes; ita si quis ex Posteris Ciceronem eloquentiâ vicisset, Ciceronis gloriam obscurasset; quis ergo neget Ciceronem summum oratorem fuisse, quum ad ejus gloriam neminem accessisse videamus?



a Plinius Natur. Histor. libr. 7. cap. 38. & libr. 35. cap. 10. Suid. in V. Πρωτογένης, Varr. de L. Lat. libr. 8. Cicer. in Bruto, sive de Clar. Oratorib & Verrin. 4. & libr. 2. Epist. 21. ad Attic. A. Gell. libr. 15. cap. 31. Plutarch. in Vit. Demetrii, & Ælian. Var. Hist. libr. 12. cap. 41. b Plin. libr. 35. cap. 9. & cap. 10. Athen. libr. 10. cap. 11. Ælianus Var. Histor. libr. 9. cap. 11. Quintilian. libro 11. cap. 13. Instit. Orat. Eustathius ad vers. 163. Iliad. ω. & Cicer. in Bruto. c Vid. Dissertat. 9. in Thucyd. n. 8. & Diss. 18. in Virgil. n. 6. & Diss. 47. n. 9. & Diss. 65. n. 4. in Cicer. d Diodor. Siculus Biblioth. Histor. libr. 4. Philostrat. libr. 1. Iconum in Pasiphaë, Pausan. libr. 8. Hygin. fab. 274. Themistius Orat. 15. Suid. in V. Δαιδάλου ποιήματα, Plato in Menone Aristot. de Animâ libro 1. cap. 7. Lucian. in Philopseude, Dio Chrysostom. Orat. 37. Pausan. libr. 2. & Plato in Hippia majore. e Plin. Nat. Histor. libr. 36. cap. 5. Pausan. libr. 5. sive Eliac. 1. Clemens Alexandr. in Protrept. & Cedren. Comp. Histor. pag. 265. Edit Basil. f Acron ad Epod. Horat. Od. 6. Pausanias in Messenic. sive libr. 4. & in Bœoticis, sive libr. 9. & Cedrenus ibid. g Plinius ibid. libr. 36. cap. 5. h Plinius libr. 7. cap. 38. & libr. 34. cap. 8. Valer. Maxim. libr. 3. cap. 7. de Phidia, Quintilian Institut. Orator. libr. 12. cap. 10. & Columell. libr. 1. de Re Rust. in Præfat. i Plin. Nat. Histor. libr. 34. cap. 8. & libr. 36. cap. 5. Quintilianus Instit. Orator. libr. 12. cap. 10. Cicer. libr. 1. de Natur. Deor. Valer. Maxim. libr. 8. cap. 11. Pausanias Eliacor. 1. sive libr. 5. & Dionys. Halicarnass. de Demosthenis acumine. l Plinius libr. 36. cap. 5. Strabo libr. 9. & Pausanias in Bœoticis, sive libr. 9. m Plin. ibid. libr. 34. cap. 2. & cap. 8. Cicero libr. 3. de Oratore, & in Bruto, Quintilian. Instit. Orat. libr. 12. cap. 10. Dionys. Halicarnass. de Isocr. Columella libr. 1. de Re Rust. in Præfat. Ælian. Var. Histor. libr. 14. cap. 16. Galenus libr. 1. περὶ κράσεων, & libro περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην, καὶ Πλάτωνα, & Xenoph. libr. 1. Apomnem. Vitruvius in Proœmio libr. 3. Paul. Manut. in Adag. *Polycleti norma*. n Plinius libr. 34. cap. 8. & libr. 36. cap. 5. ibid. Varr. libr. 1. Rer. Humanar. apud A. Gell. libr. 13. cap. 25. Quintil. Instit. Orator. libr. 2. cap. 19. & libr. 12. cap. 10. Columell. ibid. Valer. Max libr. 8. cap. 11. & Ausonius Epigramm. 56. ex Antholog. libr. 4. εἰς ἀγάλματα θεῶν ep. 8. & seqq. o Plin. ibid. libr. 34. cap. 8. Propertius libr. 3. Eleg. 7. Cicer. in Bruto, & libr. 5. Epist. 12. ad Familiar. Valer. Maxim. libr. 8. cap. 11. Horat. libr. 2. Epistol. 1. Vitruvius in Præfat. libr. 3. Statius libr. 4. Sylvar. in Herculis Vindic. Epitaph. Martial. libr. 9. epigramm. 40. & 41. Vellejus Patercul. libr. 1. cap. 2. Arrianus de Expedit. Alexandri libr. 1. & Plutarch. de Fortunâ, vel Virtute Alexandri parte prima. p Ennius libr. 1. Annal. apud Ciceronem in Bruto, & in Orator. & apud Quintilian. libr. 9. cap. 4. q Cicero de Claris Oratoribus. r Plaut. Pseud. Act. 1. Sc. 1. v. 37. Paul. Manut. in Adag. *Ut herba solstitialis*.

DISSERTATIO IL.

Quanti fecerit doctissimus quisque Ciceronem.

Asinius Pollio licèt infestus gloriæ Ciceronis æterna ejus opera futura affirmat; Seneca verò Ciceronis ingenium Romano Imperio par appellat. Divus Augustinus Hortensio Ciceronis commotus ad divinæ sapientiæ studium se contulit.

OMnes veteres oratores, qui Romanum forum illustrarant, simul atque Ciceronis effulsit ingenium, pristinam gloriam amisisse, & quasi minora lumina majoris luminis claritate obscurata latuisse; contra neminem ex Posteris ad Ciceronis gloriam aspirare potuisse confirmavimus. Ex quo effici necessariò censemus
1 Ciceronem, ut appellatur, esse principem oratorum; nam sicut Cicero superiores omnes, quia vicit omnes, obscuravit; ita, si quis e Posteris extitisset, qui Ciceronem vinceret eloquentiâ, Ciceroni obscuritatem attulisset; quod non fuit, nec erit unquam, dum latinæ litteræ vivent, & non omnis memoria antiquitatis abolebitur. Cujus argumenti quò clariùs vis eluceat, quanti doctissimus quisque eorum, qui post Ciceronem floruerunt, ejus eloquentiam fecerit, dicendum est. Sed immensum opus aggredior, si omnium præclara judicia de summo Oratore velim recensere; si laudes, quæ in tantum virum a doctissimis viris congeruntur, exequi pergam. Licet evolvere Veterum monumenta, licet, quæ fuerint præstantissimorum hominum de Cicerone judicia, cognoscere; semper invictam, semper intactam, & sacram Ciceronis gloriam fuisse deprehendemus. Plinius [a] naturalis histo-
2 riæ scriptor, quum florem hominum, ingeniorumque delibare sibi proposuisset, Ciceronem tanquam eminentissimum Latinorum nominavit; hunc eloquentiæ, latiarumque litterarum principem appellare non dubitavit; hunc asseveravit plus Romanorum gloriæ, quàm omnium triumphos contulisse; siquidem majus esse dixit ingenii Romani, quàm Imperii fines in tantum promovisse. Et hæc Plinius de Cicerone dixit, quem qui Ciceronem oderunt, in deliciis habent; & Ciceroni quamvis auctorem diversi operis putant anteponendum; quam eorum stultissimam opinionem Plinius ipse, si viveret, exploderet, & confutaret. Quid reliqui? Cremutius Cordus [b] Historicus insignis, & studiosus inprimis veritatis, eloquentiam Ciceronis divinam vocat: Asinius Pollio infestus glo-
riæ Ciceronis, & nominis inimicus non 3
dubitat tamen ejus monumenta fore sempiterna [c]: *hujus ergo*, inquit, *viri tot, tantisque operibus mansuris in omne ævum prædicare de ingenio, atque industriâ supervacuum est*. En ille, qui æmulatione ductus Ciceronis eloquentiam, quantum poterat, obterebat, æternam fore, & immortalem non diffidebat; non igitur ab aliquo obscuratum iri prævidebat, & cur non prævidebat? quia videbat esse summam. Ex quo intelligi potest Asinium Pollionem, quum Ciceronis eloquentiam obtrectabat, invidiâ adductum impudenter esse mentitum; quia, quum Historicum agit, hoc est, quum veritatem profitetur, præclarissimè laudat; siquidem laudare præclariùs non possumus alicujus eloquentiam, quàm si æternam fore spondeamus. Livius [d] ad Ciceronis laudes persequendas opus esse putat Cicero- 4
ne laudatore; sed hic ejus eloquentiam parem virtutibus, Seneca [e], qui scripsit controversias, Imperio Romano solam parem judicavit: *potui*, inquit, *illud ingenium, quod solum populus Romanus par Imperio suo habuit, cognoscere*; quo quid dici magnificentius potest? quantum ceteris Imperiis Romanum antecessit, tantum Ciceronis ingenium omnibus præstitit. Nec paucorum id judicium, sed omnium, quicumque litterarum sacra colebant; omnes enim Ciceronis opera præ ceteris mirabantur, & in iis perlegendis studium suum collocabant. Operæpretium est Laureæ Tullii elegantissimum epigramma recitare, quod scriptum est de fontibus, qui in Ciceronis villâ salubres oculis extiterunt; quo Ciceronis opera per totum Orbem terrarum sine fine legi elegantissimus Poëta testatur [f]:

Quo tua, inquit, *Romanæ vindex clarissime linguæ,*
Silva loco meliùs surgere jussa viret,
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus;
Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore levant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes quum patefecit ope,
Ut, quoniam totum legitur sine fine per Orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Sed

[a] Plinius in Prologo, & libr. 7. cap. 30. & libr. 17. cap. 5. [b] Cremutius Cordus apud Senec. Suasoriar. libro Suas. 6. [c] Asinius Pollio apud Senec. Suasor. cap. 6. [d] Livius apud Senec. ibid. [e] Senec. Controv. libr. 1. in Procem. [f] Laurea Tull. apud Plin. Histor. Nat. libr. 31. cap. 2.

Sed & conſequutis temporibus manſit ea-
5 dem admiratio eloquentiæ Tullianæ; Lucanus Tullium maximum auctorem eloquii Romani vocat; ſic enim [a] loquitur:

Cunctorum voces Romani maximus auctor
Tullius eloquii, cujus ſub jure, togaque
Pacificas ſævuus tremuit Catilina ſecures,
Pertulit iratus bellis, quum roſtra, forumque
Optares paſſus tam longa ſilentia miles,
Addidit invalidæ robur facundia cauſæ.

Cornelius Severus [b] extincto Cicerone extinctam putavit eloquentiam:

Abſtulit una dies ævi decus, ictaque luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ.

Quam ſententiam a [c] Sextilio Hænâ ſumpſit, qui de Ciceronis obitu ita carmen inchoavit:

Deflendus Cicero eſt, Latiæque ſilentia linguæ.

Martialis [d] Ciceronem tanquam unicum,
6 & perfectiſſimum exemplar eloquentiæ Romanæ ſemper nominat; ſic enim loquitur:

Cauſas, inquit, agam Cicerone diſertiùs ipſo,
Atque eris in triplici par mihi nemo foro;

& alio in loco de Tullio ſic ait ab Antonio proſcripto, a Lænate [e] trucidato:

Quid proſunt ſacræ pretioſa ſilentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui;

& [f] rurſus:

Magnus ab infernis revocetur Tullius umbris,
Et te defendat regulus ipſe, licet;

& alibi Tullium caput vocat Romanæ [g] eloquentiæ:

Hoc tibi Roma caput, quum loquereris, erat;

& Plinio [h] quum vult adulari, affirmat aliquando fore, ut cum Tullio comparetur:

Hoc, quod ſæcula, Poſterique poſſint
Arpinis quoque comparare chartis.

Nec ita ſentit, ſed Amico blanditur, ut mos eſt poëtæ; nec tamen quem in Cœlum conatur extollere, Tullio audet anteponere; ex quo conſtat Poëtam ſenſiſſe Tullio parem oratorem poſſe inveniri, ſu-
7 periorem Tullio non poſſe. Valerius Maximus [i] Ciceronem appellat vim Romanæ eloquentiæ; Petronius [l] Arbiter præcepit eloquentiæ ſtudioſis Ciceronem inprimis legendum, & imitatione exprimendum; cujus illa verba ſunt:

Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur;

Juvenalis [m] Philippicam ſecundam Ciceronis divinam vocat; idemque juvenes eloquentiæ cupidos nihil aliud optaſſe teſtatur, quàm ut Ciceronis eloquium aſſequerentur:

Eloquium, ac famam Demoſthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam.

Opulentiam Tullianam [n] Apulejus, & Sidonius Apollinaris [o] admirantur; Symma- 8
chus [p] eandem in Cœlum vehit, & Ciceronis eloquentiam modò Tullianum mel appellat, modò aurum Tullianum, & quum eſſet Plinio ſimilior, oſtendit Ciceronis imitandi ſibi potiùs facultatem deſuiſſe, quàm voluntatem. Auguſtinus autem clariſſimum lumen ſapientiæ Chriſtianæ quoſdam [q] dicit mirari linguam, non cor Ciceronis; ſed ſe utrumque mirari profitetur, qui Hortenſio Ciceronis lecto ſe commotum tradit ad divinæ ſapientiæ ſtudium contuliſſe; & eâ luce perfuſum cœpiſſe lumen pervidere; quanti verò Ciceronem fecerit Hieronymus ille noſtræ religionis alterum lumen, nihil attinet dicere; notius eſt ſanctiſſimi viri ſtudium, quàm ut a nobis debeat indicari.

DISSERTATIO L.

Ejuſdem Argumenti.

Litteræ latinæ Petrarchâ auctore, & Mediceæ gentis liberalitate renatæ ſunt. Plinius ſe Ciceronis imitatorem eſſe profitetur; hinc ei ſuperbia exprobrata eſt, quòd Ciceronem æmularetur.

Quod de Homero dixit [r] Ponticus Heraclides, puetos ab ipſis pæne incunabulis aſſueſcere homericorum carminum ſuavitati, & jam adultos, & ſenes in ore ſemper ejus poëtæ verſus habere; nec eſſe ullam ætatem, quæ ſummi vatis ingenio non delectetur; id de Cicerone priſcis il- 1
lis temporibus, quibus eloquentiæ ſtudia vigebant, dici potuiſſe contenderim. Nam ſi Veterum monumenta diligenter evolvamus,

[a] Lucanus libr. 7. verſ. 64. [b] Cornelius Severus apud Senecam Suaſoriar. 7. [c] Apud eundem Senecam eodem loco. [d] Martialis libr. 3. epigramm. 38. [e] Idem libr. 5. Epigramm. 70. [f] Idem libr. 4. Epigramm. 16. [g] Idem Martial. libro 3. epigramm. 66. [h] Idem libr. 10. epigr. 19. [i] Valerius Maxim. libr. 2. cap. 1. de C. Mario. [l] Petronius Arbiter in Fragmentis. [m] Juven. Satyr. 10. verſ. 115. [n] Apulejus in Apolog. pro ſe ipſo ſecundâ. [o] Vid. Sidonium Apollinar. libr. 4. Ep. 3. ad Claudian. [p] Symmachus libr. 1. Epiſt. 26. [q] Div. Auguſtinus Confeſſionum libr. 3. cap. 4. [r] Heraclid. Pontic. in Allegor. Homer. in principio.

mus, tam frequenter occurrunt doctissimo-
rum hominum de Ciceronis ingenio, &
summâ gloriæ claritate testimonia, tot ex
locis conjicias ubique Ciceronis opera le-
gi solita, per Orbem terrarum celebrari,
ut dubitare non possimus, quin omnes æ-
tates ejus Auctoris incredibili studio tene-
rentur; ac multo minùs ambigi possit, quin
tanta summi viri celebritas ex ejus elo-
quentiæ eximiâ, & singulari præstantiâ o-
riretur. Sed de laudibus, quibus disertissi-
mi viri Ciceronem extulerunt, hesterno
die diximus; nec tamen earum ullam par-
tem comprehendimus Auditores; sed num-
quid Priscis tantùm admirationi fuit elo-
quentia Ciceronis, recentioribus sæculis
contempta, despecta est? immo verò non
dico magis celebrata est, quod fieri non
potest, sed non minorem claritatem con-
sequuta est. Nam quum latinæ litteræ,
2 quæ longo intervallo Italiæ ruinis oppres-
sæ jacuerant, Petrarchâ [a], ut omnes con-
sentiunt, vindice, & aliis subinde, atque
aliis doctissimis viris, ac præcipuè Medi-
cûm regiâ liberalitate excitatæ cœpissent
in lucem revocari, nulla fuit ætas, quæ
Ciceronis nomen non veneraretur, quæ
non studio flagrarit ejus imitandi, quæ non
eloquentiæ caput, & fontem, & principem,
& litterarum lumen fateretur. Præcipuè
verò superiore sæculo, quod vel maximè
omnium post instaurata studia litterarum,
& dicendi gloriâ floruit, & doctissimorum
hominum copiâ abundavit, Cicero in pre-
tio fuit, Ciceronis gloria celebrata est;
quos viros possim nominare excellenti in-
genio, & facundiâ, doctrinaque mirabili,
qui in eo illustrando ætatem pæne con-
sumpserunt; qui ejus imitatione ad altissi-
mum gloriæ fastigium pervenerunt! qui
verò despectâ Ciceronis eloquentiâ virili,
& robustâ, fuco illitam, fractamque deli-
ciis orationem adamarunt, pœnas Cicero-
ni dederunt; nam pueris quidem, & le-
vissimo cuique placuerunt, sed doctissimo-
rum hominum judicio sunt improbati.
Omnium igitur consensu sæculorum Ci-
3 cero habitus est princeps oratorum, sem-
per floruit, semper eniruit, nunquam ab
ullo oratore obscurata est gloria Ciceronis;
quod accidisset, si post Ciceronem aliquis
præstantior orator extitisset. Nam quemad-
modum Cicero suâ claritate superiorum
nomini tenebras attulit; ita quicumque
Cicerone præstantior floruisset, Ciceronis
luminibus offecisset. At quid ego dico
non obscuratam gloriam Ciceronis cujus-
quam, qui postea, vel eodem tempore vi-
xerit, eloquentiâ? illâ verò omnium Po-
sterorum famam obscuravit. Testatur Au-
ctor de causis corruptæ eloquentiæ post
Ciceronis ætatem neminem habitum di-
gnum nomine oratoris; tanta nimirum
claritas fuit Ciceronis, tanta eloquentiæ
magnitudo, ut qui postea floruerunt, ora-
tores non viderentur, sed vel advocati,
vel patroni, vel causidici, vel diserti voca-
rentur. Vellejus [b] Paterculus affirmat elo-
quentiam, vimque dicendi forensem ita 4
totam sub principe sui operis Tullio eru-
pisse, ut mirari neminem possimus, nisi ab
illo visum, aut qui ipsum viderit; nec Se-
neca dissentit gravis inprimis Auctor, & cu-
jus de oratoribus judicium oraculi pon-
dus habere videatur, qui sic [c] ait: *deinde
ut possitis æstimare in quantum quotidie in-
genia decrescant, & nescio qua iniquitate na-
turæ eloquentia se retro tulerit, quidquid Ro-
mana facundia habet, quod insolenti Græciæ
aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem ef-
floruit*. Quàm irrideret hic nonnullorum
judicium, qui portentosum dicendi ge-
nus amplexi Ciceronis eloquentiam as-
pernantur; qui quidquid sanum, rectum,
firmum est in oratione, contemnunt, om-
nesque aurei sæculi scriptores tanquam
obsoletos negligunt; & Plinium se imita-
ri malle dicunt, a cujus elegantiâ tam lon-
gè absunt, quàm [d] simia turpissima bestia-
rum abest ab hominis pulchritudine, &
venustate! quàm irriderent illi Veteres, qui
tanti fecerunt eloquentiam Ciceronis, ut
humano ingenio vix exprimi posse cen-
ferent! Plinio certè scimus objectam, & 5
exprobratam superbiam, quòd non con-
tentus eloquentiâ sui sæculi Ciceronem
æmularetur; quàm irrideret ipse Plinius,
qui se Ciceronis imitatorem esse profitetur,
quia stultissimum ducat ad imitandum sibi
non optimum quemque proponere! Quem
igitur habent auctorem sententiæ tam stul-
tæ, tam ineptæ Ciceronis contemptores?
quem sequuntur? omnes viri docti, om-
nes ætates in eo consenserunt, ut Cicero-
nem omnibus anteponerent; cur ipsi dis-
sentiunt? cur non utuntur aliorum judi-
cio, qui suo sunt destituti? Etiam quum
studium novitatis nova dicendi genera in
forum invexerat, Ciceronis eloquentia
maximè probabatur; ideo Plutarchus [e] af-
firmat, quamvis multa in dicendo fuerint
innovata, Ciceronis gloriam semper floruis-
se,

[a] Paulus Jovius in Elog. de Petrarchâ, Hieronym. Squarciaficus in Vit. ejusdem, Flavius Blondus in Italiâ illustratâ de Rumandiolâ, & Vossius de Historic. Latinis libr. 3. cap. 1. [b] Vellejus Paterc. libr. 2. Historiarum. [c] Senec. Controvers. libr. 1. in Præfation. [d] Ennius apud Ciceron. libr. 1. de Natur. Deor. Pind. Pyth. Od. 2. v. 131. Paul. Manut. in Adag. *Simiarum pulcherrima deformis est*, & in Adag. *Pulchra apud pueros simia*. [e] Plutarch. in Vit. Ciceronis.

se, semper homines eâ dicendi ratione, etiamsi non uterentur, esse delectatos; &
6 Plinius [a] in epistolis narrat Panegyricam orationem Trajano dictam, a se in conventu doctissimorum hominum recitatam, & in eâ severiora magis, quàm lætiora placuisse, eaque severitate judiciorum se dicit delectatum; quia rectam, & veram eloquentiæ speciem probari hominibus appareret. Non igitur, siquid est in Plinio nimis poeticum, si quæ inverecundæ translationes, si quæ sententiæ longius accersitæ, & quæ magis vellicent animum, quàm permoveant; sed quidquid integrum, & sincerum, & rectum est, quidquid naturæ cognatum, quidquid ab illo eloquentiæ fonte fluxit, a doctissimis viris comprobatum est; idque eorum judicium Plinius ipse, cujus imitatores, qui sequuntur corruptissimum dicendi genus, se profitentur, rectissimum judicavit.

DISSERTATIO LI.

De Ciceronis præstantiâ.

Omnes artes paulatim perfectæ sunt, deinde quum ad summum pervenissent, retro referri cœperunt. Quid quisque in picturâ invenerit.

OMnes [b] artes, & disciplinæ rudes initio fuerunt; sed paulatim hominum solertium ingeniis excultæ quasi per gradus ad summum fastigium sensim ascenderunt; deinde, quum qui consequuti sunt, superiorum inventis non acquievissent, & aliquid perfectis addere voluissent, & quædam, ut erat necessarium in arte jam consummatâ, in deterius mutassent, descenderunt; donec corrupto magis, ac magis
hominum judicio præcipites ire cœperunt, 1
dum ad antiquam inscitiam revolverentur. Qui primi picturam invenerunt, umbrâ [c] hominis lineis circumductâ similitudinem hominis expresserunt; hæc origo fuit graphidis, quæ picturam maximè continet; hanc excoluisse dicuntur Ardices [d] Corinthius, & Telephanes Sicyonius; deinde lineas uno colore duntaxat illustravit Cleophantus [e] Corinthius, quod genus monochromaton est appellatum; mox alii alia invenerunt. Eumarus [f] Atheniensis pri-
mus feminam, maremque distinxit; obli- 2
quas imagines pingere, & variè formare vultus, & suspicientes, despicientesque Cimon [g] Cleonæus, qui articulis membra distinxit, venas protulit, & in veste sinus, & rugas invenit. Multa præterea picturæ contulit [h] Apollodorus, multa [i] Zeuxis, multa [l] Parrhasius, qui symmetriam picturæ [m] dedit, primus [n] argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris est assequutus; primus exrema corporum vel præstantissimè fecit, ut se extremitas ipsa ambiret, & quod occultaretur, ostenderet. Deerat tamen aliquid picturæ, & Parrhasius ipse, qui [o] a se inventos terminos artis gloriabatur, victus est [p] ab iis, qui ejus gloriæ successerunt; semperque pictura profecit, donec ad [q] Apellem ventum est; qui ut superiorum famam obscuravit, ita æmulandi sui spem Posteris non reliquit. Deinde paulatim pictura descendit a summo, & tanquam in Apelle vires omnes consumpsisset, effeta brevi est, nec unquam postea protulit artificem, qui cum eo posset comparari; ad extremum verò adeo consenuit, ut ætate suâ Plinius [r] pæne extinctam queratur. Atque hic orbis non

---

a Plinius lib. 3. Epist. 18. ad Severum. *b* Cicero de Claris Orator. & libr. 2. de Orator. Senec. Natural. Quæstion. libr. 6. cap. 5. & de Benef. libro 3. cap. 29. Arnob. libr. 2. Advers. Gent. Lucret. libr. 5. sub fin. & Aristot. libr. 1. Metaphys. *c* Plinius libr. 35. cap. 3. Nat. Histor. Vid. etiam Aristotel. probl. cap. 10. Athenagor. Legation. pro Christian. & Quintil. libr. 9. cap. 4. *d* Plin. Nat. Histor. libr. 35. cap. 3. *e* Plin. ibid. *f* Idem libr. 35. cap. 8. *g* Idem ibid. *h* Plin. libr. 35. cap. 9. Plutarch. in princ. Libelli Bello ne, an pace clariores fuerint Athenienses, & Hesychius in Σκῖα. *i* Plinius ibid. Quintilian. Instit. Orator. libr. 12. cap. 10. Isocrat. in Oratione de Permutation. circa initium, Plato in Gorgia, Dionys. Halicarn. in Judicio de Historiâ Thucydid. Maxim. Tyrius Dissert. 16. & 39. Himerius apud Photium in Biblioth. cod. 143. ex Orat. Propemptic. Dio Chrysost. Orat. 12. D. Gregor. Nazianzenus Orat. 34. Suid. in V. Ι'άκωβος ἰατρὸς, & in V. Ζεῦξις, & Petron. Arbit. in Satyric. *l* De Parrhasio Vid. Isocrat. de Permut. in princ. Himerium apud Phot. Div. Greg. Nazianz. ibid. Theophylactum Simocat. Epist. 6. Columell. de Re Rust. l. 1. in Præf. Diod. Sicul. l. 26. Horat l. 4. Od. 8. Propert. libro 3. Eleg. 7. Juvenal. Sat. 8. v. 102. Plutarch. in Vit. Thesei, Xenoph. libr. 3. Apomn. Sueton. in Vit. Tiberii cap. 44. Athen. libr. 10. cap. 11. Ælian. Var. Histor. libr. 9. cap. 11. Eustath. ad versum 545. Odyss. Hom. λ. Seneca libr. 5. Controvers. 34. Quintilianus libr. 12 cap. 10. Institut. Orator. Antholog. libr 4. cap. 8. & Justinianus Institut. Juris libr. 2. Tit. de Rerum Divis. §. *Si quis in alienâ &c.* *m* Plinius Natural. Histor. libr. 35. cap. 10. *n* Plinius ibid. *o* Idem Plin. ibidem. *p* Idem Plinius, Ælian. Var. Histor. Athenæus, & Eustathius ibid. *q* Cicer. in Bruto, seu de Claris Orator. Columell. in Præfat. libr. 1. de Re Rust. & Plin. libr. 35. cap. 6. *r* Plinius libro eodem cap. 7.

non in picturâ solùm, sed & in aliis arti-
3 bus universis volvitur, & præcipuè in elo-
quentiâ; nam, ut Græcos omittamus, pri-
mus eloquentiam latinam, quasi vagientem
in cunis majore sono [a] donavit, & loqui
docuit Cato ille Censorius; quem veteres
illi Romani, quia nihil perfectius fieri pos-
se censebant, latinum Demosthenem ap-
pellabant. Sed Catonis [b] horridior ora-
tio brevi victa est cultu, & suavitate se-
quentium oratorum; siquidem huic suppa-
res Lælius, & [c] Africanus orationis dulce-
dine, & elegantiâ præstiterunt; & Fannii
orationem Cicero omnibus, quæ scriptæ
fuerant, anteponit. Atque hos [d] omnes Gal-
ba vicit affectibus permovendis, & vi, & co-
piâ, & ubertate dicendi; nec tamen Gal-
ba cum Cajo Graccho comparandus, quo
Cicero [e] neminem pleniorem, neminem
uberiorem in dicendo putat extitisse, quem
legendum inprimis juventuti censet; quia
non solùm acuere, sed alere ingenium pos-
set. Sed Gracchum superavit [f] Antonius
4 pæne perfectus orator cui [g] Macrobius in
illo acri, & vehementi genere dicendi nemi-
nem anteponendum putat; Antonium vicit
Crassus [h], Crassum, qui ejus ætati succrevit,
Hortensius; qui nisi Cicero extitisset, vi-
deri poterat, apicem oratoriæ facultatis at-
tigisse. Sed Cicero & excellenti ingenio,
ac pæne divino, & doctrinâ tantâ, quanta
in ullo oratore nunquam fuerat, & studio,
& exercitatione dicendi summâ simulatque
forum attigit, ostendit eloquentiæ multa
hactenus defuisse, & æquales omnes, &
superiores obruit copiâ, & granditate ver-
borum, & acumine differendi, & affectuum
in mentibus excitandorum facultate, &
sententiarum pondere, & ornamentis, &
vi, & suavitate orationis. Post hunc retro
5 agi cœpit eloquentia, quum eversâ Repu-
blicâ non eadem essent oratoribus præmia
constituta, & ademptâ libertate loquendi,
in angustum oratio cogeretur; & ingenia
adulatione, ut ait [i] Tacitus, deterrerentur,
& erepta esset oratoribus apud populum,
& in senatu verba faciendi facultas; quum
omnia unius nutu gererentur, & e latissi-
mo campo ad subsellia judicum, disceptan-
dasque lites, & causas forenses compelle-
retur eloquentia; & in communi servitu-
te regiæ indolis, & regni sui oblivisci co-
geretur; ex quo factum est, ut, quemad-
modum dicebamus, post Ciceronem nemo
dignus oratoris nomine putaretur. Idem
accidit historiæ, quæ per [l] Fabios Picto- 6
res, Catones [m], Fannios [n], Pisones [o], Clau-
dios [p] Quadrigarios, Valerios [q] Antiates,
Sisennas [r] ad Salustium, & Livium per-
venit; quibus quum nihil fieri perfectius
posset, necessariò posteriores, quem illi
principem locum diversis virtutibus occu-
parant, tenere non potuerunt; quapropter
ipsi Taciti amatores aliquid summo viro
defuisse pernegare non audent. Idem ac-
cidit Poëticæ, quæ quum Nævium, En-
nium, Accium, Lucretium, Catullum, alium
alio perfectiorem protulisset, in Virgilio,
quò progredi posset, ostendit. Deinde ri-
tu corporum, quæ quum ad plenissimam
habitudinem, & firmissimum robur perve-
nerunt, non possunt consistere, sed in pe-
jus ruunt, retroque referuntur, non stetit
in eodem fastigio, sed ad Lucanum, Silium
Italicum, Valerium Flaccum, Statiumque
defluxit. Ut igitur Historicorum Salustius,
& Livius principes, Virgilius poëtarum sunt
habendi, ita Cicero longè præstantissimus
oratorum; quum iisdem gradibus, quibus
historia ad Sallustium, & Livium, poëtica
ad Virgilium pervenit, oratoriam faculta-
tem ad Ciceronem ascendisse videamus.
Et sanè quis uberior in dicendo, quàm
Cicero? quis acutior in differendo? quis
gravior sententiis? quis verbis ornatior?
quis luminibus, quibus illuminari solet o-
ratio, crebrior? quis motibus animorum
permovendis violentior? quare, sicut fa-
cetiis, vincit quoque Demosthenem; quis
ambitu, & comprehensione verborum ro-
tun-

[a] Cicer. in Bruto, sive de Claris Oratorib. [b] Cicer. in Orator. ad Brutum. [c] Idem libr. 1. de Orator. & in Bruto. [d] Idem in Bruto. [e] Cicer. ibidem. [f] Idem ibidem. [g] Macrob. libr. 5. cap. 1. Saturnal. [h] Cicer. in Bruto, sive de Claris Oratoribus. [i] Cornelius Tacit. libr. 1. Annal. in princ. [l] Tit. Livius libr. 1. 2. & 21. Appian. Alexandr. in Hannibalic. Cicer. in Bruto, Plin. libr. 10. Hist. Natur. cap. 24. & libr. 14. cap. 13. Quintilian. libr. 1. c. 10. Eutrop. libr. 2. & Suid. in V. Φάβιος Πίκτορ. [m] Dionys. Halicarnass. Antiq. libr. 1. Cornelius Nep. in Fragm. libr. 2. de Vit. excellent. Imperator. [n] Cicer. in Bruto, & libr. 1. de Legibus, & libr. 2. de Oratore, & ad Atticum libr. 12. Epist. 3. Sallustius libr. 1. Histor. apud Marium Victorinum ad prim. libr. Ciceron. de Inventione, & Priscianus libr. 13. [o] Cicer. in Bruto, & libr. 9. Epistol. 22. ad Papirium Pætum, & libro prim. de Legibus, & libr. 2. de Oratore, Plinius libro 2. Histor. Natural cap. 53. & libr. 13. cap. 13. Aul. Gell. libr. 11. cap. 14. Varro de Re Rust. libr. 2. cap. 1. Dionysius Halicarnass. libr. 1. Antiquitat. Romanar. & libr. 2. & 4. Priscian. libr. 10. & Plinius libr. 13. cap. 13. Natural. Histor. [p] Vellejus Paterculus libr. 2. & Seneca libr. 3. de Beneficiis cap. 23. [q] Vellejus Paterculus ibid. Priscianus libr. 9. Aul. Gell. libr. 7. cap. 9. & Plinius Natur. Histor. libr. 13. cap. 13. [r] Vellejus Paterculus ibid. Sallust. in Jugurth. Cicero in Bruto, & in 1. libr. Leg. Asconius Pædianus ad Cicer. Oration. pro Cornelio.

tundior? nihil ejus oratione pictius, nihil nervosius, nihil suavius, nihil jucun-
7 dius. Jam in sublimi genere dicendi tantus est, tam feliciter assurgit, ut vel hac unâ solâ virtute summum locum tenere potuisse videatur. Demosthenem [a] ceteris virtutibus cedentem Hyperidi, quia magnificentiâ orationis, & cothurno præstat, omnibus Græci anteponunt; non anteponetur Cicero omnibus, non habebitur princeps oratorum, qui non hac unâ virtute solùm, sed omnibus sui generis Auctoribus antecellit? Quod, si quis audeat negare, velim, mihi proferat aliquem, qui copiam vincat Ciceronis; quam ego non, ut [b] Homerus Ulyssis orationem, hibernis imbribus, & nivibus, sed torrenti, sed flumini, sed Oceano compararim: proferat aliquem, qui ad fidem faciendam majus habeat pondus, majorem afferat auctoritatem, qui sit aptior ad persuadendum, cujus ordo sit lucidior, major verborum splendor, major castitas, & nitor latini sermonis, vehementior impetus, visque dicendi; sed nemo quemquam nominabit ullâ oratoriâ virtute præstantiorem; nam quidquid potuit eloquentia Romana, id totum extulit in Cicerone.

DSSERTATIO LII.

De Ciceronis Eloquentiâ.

Virgilii poëma rerum naturæ ob varietatem comparat Macrobius; sed hac laude præstat etiam Cicero, licèt aliter sentiat idem Macrobius.

MAcrobius [c] non contemnendus Auctor Virgilii poëma rerum naturæ, & Mundo comparavit; quàm enim multiplex natura est, & quantâ varietate distinguitur facies Universi, tam multiplex est eloquentia Virgilii, & tantâ varietate dele-
1 ctat; & ut Orbis terrarum alibi assurgit in montes, alibi in immensa camporum spatia diffunditur; alibi floribus, & herbarum viriditate pingitur, alibi luxuriat segetibus, alibi silvis horret, & incultarum solitudinum vastitate; alibi scatet fontibus, fluminibus inundatur, lacubus, & mari distinguitur, & separatur; ita Virgiliani carminis majestas modò sublimis assurgit, modò in immensum dilatatur, modò in angustum cogitur; modò rhetoricis coloribus mirâ varietate pingitur, & luxuriat ingenii beatissimâ ubertate; modò effunditur, & fluminis modo fertur, nec ripis coërcetur; modò horridior videtur, & artem arte dissimulat; denique, quod de Proteo Virgilius [d] ipse dixit,

Omnia transformat sese in miracula rerum.

Nam in ejus poëmate videas & vultus Deorum, & ferarum, & monstrorum horribilem aspectum: videas maris tranquillitatem, rabiem tempestatum, impetus ventorum, & procellarum, tumultum bellorum, præliantium furorem: audias clangorem tubarum, anguium sibilum, fremitum undarum, fragorem ruinarum; omnia denique sic assequitur poëtica imitatio, ut ea vera, non ficta, coramque cerni, aut audiri videantur. Quod Macrobii judicium 2
de principe poëtarum ut vehementer comprobo; ita alterum eloquentiæ latinæ lumen eadem laude non carere contenderim, Auditores; neque enim [e] sententiæ Macrobii assentior, qui putat Ciceronis orationem semper eodem modo fluere, & semper esse uberem, & torrentem, & copiosam. Quid enim pictius aliquando, quid floridius eloquentiâ Ciceronis? nonne pro Archia poëtâ, pro Lege Maniliâ, pro Marcello, de suppliciis parricidarum, de laudibus Martiæ legionis omnes rhetorum arculas, omnia myrothecia excussit? Innumeri sunt præterea loci, ubi Cicero videtur omnes eloquentiæ flores collegisse, & mirâ varietate distinxisse; & præcipuè in libris de Oratore, quibus nihil floridius reperiri posse arbitror; pingue esse unquam nego, ut Plinii, dicendi genus, quo Cicero utitur; floridum esse, ubi res postulat, vehementer affirmo. Sublimitas verò orationis cui concessa major, quàm Ciceroni? non est necesse, Auditores, laudare singulos locos 3
Ciceronis, ubi ea virtus elucet, quum hæc laus propria Ciceronis esse videatur. Quid dicendi genus acre, vehemens, instans, & inflammatum, quisquam huic oratori deesse audeat affirmare, qui secundam philippicam legerit? quàm verò ardet orator, ubi Verrem [f] exagitat injustâ cæde sociorum, & civium Romanorum contaminatum? ubi Clodianos [g] furores execratur, ubi Catilinam nefarium [h] scelus molientem, & ex Urbe furentem, auda-

da-

[a] Vide Photium in Bibliothec. cod. 265. & Quintilian. libr. 12. cap. 10. [b] Homerus Iliad. γ. vers. 222. [c] Macrobius Saturnal. libr. 5. capit. primo in fine. [d] Virgilius Georgic. libr. 4. [e] Macrobius Saturnal. libr. 5. cap. 1. [f] Cicero in Verrinâ 7. seu libr. 5. Act. 2. in Verrem. [g] Idem Cicero pro Milone Oration. 38. [h] Idem Cicero in Catilinam.

daciâ, scelus anhelantem exterminat? ubi Pisonem[a], & [b] Gabinium duo busta Reipublicæ insectatur, & [c] Vatinio, & Antonio[d] inurit notas infamiæ sempiternas?
4 Quid verò dici de jure civili subtiliter, & enucleatè potest, quod non pro Cæcinâ Cicero dixerit? nec una pro Cæcinâ oratio est, quæ ostendat illum uberem, illum torrentem, & splendidum, illum sublimem, & copiosum oratorem Lysiæ, vel Calvi subtilitati non cedere; sed omnes orationes in quibus habere locum hæc virtus potest, hanc laudem Ciceroni haudquaquam defuisse declarant. Atque utinam omnes, quas Cicero habuit, orationes extarent, id clariùs, & apertiùs nobis appareret; sed quæ ad nos pervenerunt, scriptæ sunt ferè de rebus illustribus, atque magnis, ut rarò locus esse possit tenuitati, subtilitatique sermonis. Jam verò quum oratio vel ambitu verborum circumducta volvatur, ita ut extrema primis continuentur, & connectantur; vel in membra concidatur, vel utrumque genus misceatur, & in membra cæsa oratio unâ tamen verborum comprehensione teneatur; in his omnibus magnus est Cicero; sive enim utitur circuitu verborum numerosè cadentium, implet aures tantâ suavitate, ut quantumvis capaces nihil prorsus desiderent; itaque Isocrates ipse, qui [e] numeros orato-
5 rios dicitur invenisse, & hac re maximè commendatur, numerosâ oratione non vincit Ciceronem; sive membratim, & cæsim dicit, videtur hoc solus genere uti scire dicendi; quod enim adjunctum est huic generi vitium, omnium maximè fugit ariditatem; & habet illa in minutas partes concisa brevitas numerum quendam, & sonum pleniorem, & admirabilem dignitatem; sive utrumque genus miscet, tum verò satiantur aures incredibili voluptate. Quid de ceteris oratoris virtutibus dicam? quis aptiùs vel ad benevolentiam auditorum aucupandam, vel ad docendos judices, vel ad attentionem conciliandam, vel ad invidiam in adversarios concitandam, vel ad animos commovendos potuit exor-
6 diri? quis narrare luculentiùs, & adjunctâ brevitate ornatiùs? quis disponere scientiùs, ut argumenta, quæ sunt validissima, primo, vel ultimo loco collocentur, expendantur, in animis judicum defigantur; quæ sunt numero, non pondere valitura, conjiciantur in turbam? quis declinare cautiùs, quæ sunt causæ nocitura; ita ut & quum adversariorum tela fugit, prœliari videatur? quia docere diligentiùs, commovere vehementiùs? Lacrymas mehercule ciet etiam nobis, ad quos nihil eæ causæ pertinent, quum vult misericordiam concitare; quantum miserationis illis commovisse censemus, qui vivam vocem audiebant, qui præsentes reos, mœstos, sordidatos videbant, qui de eorum capite, fortunisque debebant judicare? Quid dicam, quàm omnia sint inter se apta, coagmentata; nihil hiulcum, nihil leve, nihil affectatum; omnia fluere sine curâ videantur, quæ nulla unquam cura assequatur? Has autem tot, tantasque virtutes, qui non vident, nonne eos dicemus in tenebris, & summâ ignoratione versari? qui quàm aberrent a vero, vel ex eo perspicitur, quòd in diversas abiere sententias, sicut illi, qui errore ducti de viâ declinarunt, eodem nunquam contendunt; itaque alii alios Auctores admirantur, & imitandos putant, nec inter se consentiunt, quia sunt expertes veritatis.

DISSERTATIO LIII.

De Philosophiâ Ciceronis.

Oratores, & philosophi iidem erant antiquitus; postea verò eorum inertiâ segregati sunt.

Qui facultatem dicendi principes invenerunt, sapientiæ quoque studia coluerunt; & iidem & sapientes, & eloquentes habebantur; iidem poterant dicendo populum commovere, & ingenia doctorum exercere disputando; sed consequutis temporibus vel hominum inertiâ, 1
vel ingeniorum imbecillitate oratores sapientiæ laudem non appetiverunt, & philosophi contenti solâ gymnasiis forum non attigerunt; quamvis & oratores essent philosophiæ non imperiti, & philosophi dicendi copiâ, & orationis elegantiâ excellerent. Itaque neque veteres illi oratores Alcibiades, Critias, Theramenes, Pericles, neque Antiqui, qui dicendi vim perfecerunt, Antipho [f], Isocrates, Lysias, Lycurgus, Æschines, Isæus, Hyperides, Demosthenes professi sunt rerum naturæ scientiam, aut de moribus disputarunt; contra neque Plato, neque Aristoteles, neque Xenocrates, neque Speusippus, neque Polemo, neque Theophrastus, neque ullus alius, qui sapientiam profiteretur, ex umbrâ, & otio in

[a] Cicero in Pisonem Orat. 37. [b] Idem Cicero de Provinciis Consularibus Orat. 35. [c] Idem in Vatinium Orat. 33. [d] Idem in Philippicis. [e] Naucrates apud Cicer. de Orator. libr. 3. & in Oratore ad Brutum. [f] Plutarch. in Vit. X. Rhetor. & Photius in Bibliothec. 259. & seqq.

in pulverem, aciemque forensem prodeun-
dum sibi existimavit, præter Demetrium
Phalereum; quem tamen [a] Cicero subti-
lem magis disputatorem, quàm oratorem
vehementem putat. Immo tantum extitit
dissidium inter philosophiam, & dicendi
facultatem, ut & philosophi oratores, ut
in Gorgia Plato, contemnerent, & philo-
sophos oratores, quod facere solitus dici-
tur Apollonius Alabandensis maximus e-
loquentiæ doctor, irriderent. Has autem
2 facultates naturâ conjunctas hominum so-
cordiâ separatas, & inter se dissidentes Ci-
cero solus copulavit; & ut aliis virtutibus
antecellit, ita vel hoc nomine vel maxi-
mè ceteris oratoribus præstat. Nam alii
oratores partem eloquentiæ, non totam e-
loquentiam sunt consectati; Cicero nihil
intentatum reliquit; quæcumque illustra-
ri dicendo poterant, illustravit; alii quip-
pe oratores causas forenses, & senatorias
actiones ad se putantes pertinere, philoso-
phicas disputationes non attigerunt. Qua-
propter humiliorem partem sunt persequu-
ti, altissimam, & uberrimam neglexerunt;
neque enim eloquentia foro tantùm, &
subselliis judicum, & curiæ parietibus in-
cluditur; sed has angustias aspernata toto
Cœlo libera evagatur, nec ullam partem
Universi relinquit, & iisdem, quibus na-
tura, terminis circumscribitur; immo se
se attollit altiùs, & ad naturæ parentem
fertur, & quæ supra Cœlum posita, inco-
gnita nostris oculis philosophiâ duce per-
scrutatur. Atque hic uberior est campus
3 eloquentiæ, ea materies benignior: hîc se
reficit, hîc exultat, hîc triumphat oratio,
& augustiorem induit speciem, quàm quum
in reis defendendis, accusandisque versa-
tur; nisi fortè inter sordes reorum habi-
tantem, quàm inter sidera spatiantem splen-
didiorem putamus eloquentiam; magis ube-
rem, quum de apicibus juris, quàm quum
de totâ naturâ disputat; magis augustam,
quum de rebus humanis, quàm quum de
divinis disserit; magis illustrem, quum te-
nebras judicibus offundit, quàm quum,
erroribus hominum patefactis, animos pul-
cherrimâ veritatis luce perfundit; quum
de unius hominis virtute, quàm quum de
ipsâ virtute verba facit, & in ejus augustis-
simâ specie explicandâ versatur. Enimve-
ro quanto gravior est persona philosophi,
quàm causidici, tanto eloquentiæ philoso-
phanti, quàm causas agenti, latior campus
aperitur; hoc ivere proceres litterarum,
hoc [b] Plato ille divinus, hoc Theophra-
stus quum incessissent, non hominis ore
loqui, sed ipsius Dei videbantur. Sed ora-
tores hoc augustius, & sublimius, & ube-
rius eloquentiæ genus reliquerunt, ut de 4
Antiquis indicavimus; nec illi quidem, qui
post Ciceronem floruere, Ciceronis exem-
plo commoti hoc decurrere voluerunt;
nihil illi de rerum naturâ, de Mundo, de
sideribus, de elementis, de rebus, quæ in
sublimi cernuntur, de causis, quibus om-
nia gignuntur, & procreantur; nihil de
immortalitate animorum, de mentibus sem-
piternis, quæ parentis imperia exequentes
Universum regunt, & moderantur, de ip-
so auctore, & conditore naturæ Deo, &
providentiâ, & fato, quibus omnia admi-
nistrantur; nihil denique de justitiâ, de
animi magnitudine, de temperantiâ, cete-
risque virtutibus, de officiis, de summo
bono, quo hominis felicitas continetur,
scriptum reliquerunt. Solus Cicero inge-
nii magnitudine insuditâ & in illo foren- 5
si genere dicendi principem locum occu-
pavit, & philosophiam doctissimis, & elo-
quentissimis scriptis illustravit; quàm ino-
pem apud Latinos, & inornatam verborum
dote locupletavit, & eloquentiæ pulcherri-
mis ornamentis insignivit; cujus de philo-
sophiâ libros dumtaxat non laudant semido-
cti; qui nihil probant, nisi quod in scho-
lis audiverunt; qui squallore sermonis, &
illuvie, & sordibus, tanquam sues luto, de-
lectantur; docti verò semper sunt admira-
ti, semper in Cœlum laudibus extulerunt;
& Ciceronem solum Platonis æmulum fuis-
se; & non solùm dicendi [c] auctorem præ-
stantissimum, sed intelligendi prædicarunt.
Atque eo magis in philosophiæ studio e-
nituit eloquentia, & doctrina Ciceronis, 6
quòd non unius philosophi placita, sed
omnium explicavit; nam & sententias Pla-
tonis, quem [d] omnibus anteposuit, dili-
gentissimè exposuit; & si quid est in Stoi-
cis acutum, contortum, breve expressit;
& tamen eorum spinas, salebrasque ser-
monis vitavit, & Stoicorum scita non stoi-
cè, sed elegantissimè, ornatissimeque enar-
ravit; nec Epicuri doctrinam prætermisit,
quam doctiùs, eruditiusque, quàm ipsi Epi-
curei solerent, pertractavit; nec cessit Pe-
ripateticorum ubertati, & scientiæ magni-
tudini in eorum placitis illustrandis; deni-
que omnes complexus omnium philoso-
phorum disciplinas, de omnibus Acade-
miæ more in utramque partem disputavit.
Solus igitur non mancam eloquentiam,
sed integram, & ab omni parte perfectam
est consequutus, solus orator, solus elo-
quens appellandus, cui nihil omnino desit.
Solum ergo, vel inprimis præcepta dicen-
di dantem audiamus; quum ille præstan-
tissi-

[a] Cicer. de Officiis libr. 1. in princip. [b] Cicero in Bruto, sive de Claris Oratoribus. [c] Cicer. in Oratore ad Brutum in princ. [d] Idem Cicer. in Oratore ad M. Brutum, & Tusc. Quæst. libr. 1.

tissimè docere possit artem, qui præstantissimus artifex habeatur. Quæ causa fuit, ut hos libros de Oratore & anno, qui proximè elapsus est, explicaverimus, & in præsentiâ explicare pergamus; neque enim citò dimittendos esse arbitramur, quum in hos quidquid sciebat, qui plurimum sciebat, contulisse videamus.

DISSERTATIO LIV.

Cur philosophiæ caput, & fons appelletur a Cicerone Socrates.

Præcipuæ philosophorum sententiæ ab Homero profluxerunt. Pythagoras sapientis nomen, quo antiquitus insignibantur philosophi, quum Deo solùm convenire censeret, repudiavit; & se philosophum, hoc est sapientiæ studiosum nominavit. Hellanicus, & Acusilaus, aliique Historici Herodoto vetustiores fuerunt. Thucydides adolescentulus, quum audisset Herodotum historiam suam recitantem illacrimatus est. Christianæ sapientiæ proceres Socratem inter insignes sanctitate viros recensendum judicarunt. Socrates, quum in mercatu res venales vidisset, dixit, quàm multa non desidero! Socrates fortis fuit in bello, & civicam meruit Xenophonte servato, & alia præmia fortitudinis suæ accepit, quæ Alcibiadi concessit.

REm vetustissimam, Auditores, esse philosophiam omnes, qui Homerum legunt, diligenter intelligunt; nam tot [a] occurrunt in utroque summi Vatis opere ex intimâ philosophiâ petitæ sententiæ, ut dubitare non possimus, quin eâ tempestate philosophiæ studiis colerentur; quas
1 Plutarchus [b] collegit libro sanè quàm erudito, quo probat præcipuas philosophorum opiniones ab illo fonte, velut ab Oceano maria, & flumina, profluxisse; omnesque, qui philosophiæ studiis floruerunt, ejus poëtæ lectione profecisse. Sed quum philosophia vetustate multis artibus antecellat, philosophi nomen omnibus ferè facultatibus recentius invenitur; quum enim omnes consentiant a Pythagora [c] primùm excogitatum; qui, quum antea philosophi sapientes vocarentur, sapientis nomen princeps repudiavit; quia solùm divinæ illi, immortalique naturæ censuit convenire; homines falli, decipi, errare, nec unquam ad summam virtutem pervenire, ob eamque causam non posse dici sapientes. Quapropter sibi præclarum satis duxit, & magnificum, si veritatis, & sapientiæ studiosus, hoc est philosophus haberetur; tantumque summi viri valuit auctoritas, ut omnes deinde, qui in sapientiæ studio versabantur, philosophi nomen assumpserint; nemo ausus fuerit, ut antea, se appellare sapientem, nisi Epicurus. Quum autem &
philosophia sit heroicis temporibus vetu- 2
stior, & philosophiæ nomen a [d] Pythagora constet inventum, qui [e] Socratem multis ætatibus antecessit, cur a Cicerone caput, & fons philosophiæ Socrates appellatur? his verbis, loco, quem suscepimus [f] explicandum? *urgerent præterea philosophorum greges jam ab illo fonte, & capite Socrate*; an potuit Socrates esse caput, & fons ejus disciplinæ, quæ fortasse mille annis antiquior fuit Socrate? & tamen non uno in loco Cicero philosophiæ parentem agnoscit Socratem, sed etiam in [g] secundo libro de finibus, ubi leguntur hæc verba: *quando enim Socrates, qui parens philosophiæ jure dici potest, quidquam tale fecit?* Ad quos Ciceronis locos explicandos duas hujus appellationis rationes afferemus, quarum alteram hodierno, alteram crastino die exponemus. Equidem arbitror, Auditores, excellen-
tiam Socratis fuisse causam, cur philoso- 3
phiæ caput, & fons, & parens nuncuparetur; nam sæpe usuvenisse animadvertimus, ut ii, qui ceteris in aliquâ disciplinâ præstiterunt, ejus parentes, inventores dicerentur, quamvis eam non primi in lucem protulissent. Herodotum Cicero [h] historiæ parentem appellavit, & tamen Herodoto vetustiores Historici reperiuntur; nam & [i] Hellanicus, & [l] Acusilaus, & alii

---

[a] Plinius Natural. Histor. libr. 2. cap. 6. & libr. 25. cap 2. Macrob. in Somn. Scip. libr. 2. cap. 10. & libr. 1. Saturnal. cap. 12. & Quintilianus libr. 12. cap. 11. [b] Plutarch. in Homero. [c] Cicer. Tusc. Quæst. libr. 5. Quintilian. Instit. Orator. libr. 12. cap 1. Clemens Alexandrin. libr. 1. Stromat. Eusebius de Præpar. Evangel. Lactantius libr. 3. de Falsâ Sapientiâ cap. 14. & Diog. Laërt. in Procemio, & D Augustinus de Civitate Dei libr. 18. cap. 37. [d] De tempore, quo Pythagoras floruit, Vid. Dionysium Halicarn. Antiq. Roman. libr. 2. de Numâ, Diog. Laërt. libr. 8. segm. 45. in Vitâ Pythagoræ, Diodor. Sicul. in Excerptis Valesianis, Cyrillum contra Julianum libr. 1. Eusebium in Chronico, & Aul. Gell. libr. 17. cap. 21. [e] De tempore, quo floruit Socrates Vid. Diog. Laërtium libr. 2. segm. 44. in Vit. Socratis. [f] Cicero de Oratore libr. 1. [g] Cicer. de Finibus libr. 2. in principio. [h] Idem Cicer. libr. 1. de Legib. [i] A. Gell. libr. 15. cap. 23. Clemens Alexandrin. Stromat libr. 1. Joseph. Antiq. Judaic. cap. 8. & Athen. libr. 2. & libr. 10. [l] Josephus contra Apionem libr. 1. Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 1. & Suid. in V. Ἀκουσίλαος.

lii ante Herodotum rerum gestarum memoriam litteris mandaverunt; sed quia non admodum eloquenter, sed rudi, & impolito genere sermonis historiam condiderunt; Herodotus autem tanto artificio, tantaque elegantiâ usus est, ut Musæ ipsæ, quarum nominibus libros suos inscripsit, si vellent historiam scribere, non aliter scripturæ fuisse viderentur, meritò parens historiæ nominatur. Cujus ea suavitas est, &
4 concinnitas orationis, ut quum Thucydides [a] adolescentulus audisset novem Musas Historicum [sic enim ejus libri appellantur] recitantem, illacrymatus esse dicatur, excitatusque ad parem laudem appetendam. Eodem modo Ciceronem eloquentiæ Romanæ patrem, & caput, & fontem a doctissimis viris animadvertimus nuncupatum; quum ante Ciceronem tot clarissimi oratores Romanum forum illustrarint. Poëta vetus in [b] Anthologiâ Demosthenem eloquentiæ patrem vocat; & tamen scimus, antequam Demosthenes dicendi laude floreret, multos pæne perfectos oratores extitisse. Quid Homerus nonne caput, & pater poëticæ facultatis [c] dicitur,

...... a quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis?

Quum Homero [d] multi vates præluxerint, nec defuerint, qui idem [e] argumentum pertractarint; quos non est necesse a me nominari, quum id alibi [f] fecerim, Auditores. Eadem planè ratione Horatius En-
5 nium patrem dixit his [g] verbis:

Ennius ipse pater nunquam, nisi potus, ad arma
Prosiluit dicenda......

Quia licèt Ennio Nævius, & alii vetustate præstiterint, Ennius elegantiâ, & gravitate carminum antecessit, & habitus est Princeps [h] latinorum poëtarum, antequam Virgilii Musa inclaresceret. Quod si propter excellentiam unusquisque dicitur & caput, & fons ejus facultatis, in qua ceteris entecellit, quis philosophiæ parentem, & caput, & fontem Socratem audeat negare? Is enim est ille, quem [i] Lactantius Regem philosophorum non dubitat appellare; nam his utitur verbis: *non enim de Socrate, aut Platone hoc saltem dicebat, qui velut Reges habentur philosophorum:* is est, quem oraculum Delphicum omnium Mortalium sapientissimum appellavit his [l] verbis:

Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος
Vincuntur omnes Socratis sapientiâ.

Qui eo præstitit acumine disserendi, ut 6
omnes, qui [m] sapientiâ excellebant, cum eo comparati pueri viderentur; &, si quando congrederentur, victi, superatique discederent, quicumque ceteros vincebant ingenii magnitudine, & disserendi scientiâ; quæ [n] res magnam Philosopho conflavit invidiam, qua ille postremò conflagravit; quum se publicè confutatos molestè ferrent, qui antea ob opinionem scientiæ magnam fuerant gloriam consequuti; quem iniquo judicio circumventum [o] Atheniensium civitas adeo desideravit, ut accusatores omnes vel exilio, vel morte mulctaret, & se orbatam optimo parente, & ob ejus injustam necem inexpiabili scelere obstrictam putaret; qui [p] de Deo, divinaque Providentiâ tam piè cogitavit, & sensit, ut non defuerint Christianæ sapientiæ proceres, qui Socratem inter insignes sanctitate viros recensendum judicarent. Ac si ille sapientiâ præstat, qui non ore tenus philosophatur, sed ea, quæ præcipit, mo- 7
ribus exprimit, & cujus vita cum sermonibus consonat; quis fuit Socrate sapientior? qui tantâ temperantiâ vitam traduxit, ut ejus accusatores, quum omnia, quæ in ipsum criminosè dici poterant, collegissent, nullum libidinosum factum objecerunt; ut ex gravissimis Auctoribus [q] discas, & ex ipsis criminibus, quibus est accusatus; quæ si quis detractâ calumniâ perpendat, non crimina, sed [r] laudes eximiæ videbuntur; qui tam paucis contentus fuisse fertur, ut in summâ paupertate lætissimus [f] vixerit. Itaque quum in [t] celebri mercatu, & omnibus

[a] Marcellinus in Vitâ Thucydidis, Photius Bibliothec. cod. 60. Suid. in V. Θουκυδίδης. [b] Anthol. libr. 5. epigr. 4. εἰς Δημοσθένην. [c] Ovidius Amor. libr. 3. Eleg. 9. de Mort. Tibulli. [d] Ælian. Var. Histor. libr. 11. cap. 2. [e] Photius in Bibliothec. codic. 190 ex excerptis Hephæstionis libr. 4. [f] Dissert. 13. in Euripid. n. 2. & Diss. 33. in Virgil. n. 3. [g] Horat. libr. 1. Epist. 19. [h] Lucretius libr. 1. de Rerum Natur. [i] Lactantius Firmianus libr. 3. cap. 17. de Fals. Sapient. [l] Galen. in Protreptico ad Artes, Justin Martyr in Cohortatione ad Græcos, Scholiastes Aristophanis ad versũ Ἀ'νηρεῖ' ἄρ᾽ ἡ Χαιρεφῶντα Σωκράτης e Nubib. Photius in Biblioth. cod. 246. Plinius libr. 7. cap. 31. & Lucianus de Saltatione. [m] Valer. Maxim. libr. 3. cap. 4. Div. Augustin. de Civitate Dei libr. 18. cap. 37. & Tertullian. in Apologet. [n] Plato & Xenoph. in Apologiis Socratis. [o] Themistius Orat. 2. Plutarch. de Invidiâ & Odio, Diogenes Laërtius libr. 2. segm. 43. in Vit. Socratis, Origen. contra Celsum libr. 1. Tertullianus in Apologet. & ad Nationes libr. 1. & D. Augustinus de Civitat. Dei libr. 8. cap. 3. [p] Lactantius Firmianus libr. 2. de Orig. Error. [q] Plato, & Xenoph. in Apolog. Socratis, & libr. 1. Memorab. & Diogen. Laërtius libr. 2. in Vit. Socratis. [r] Diogen. Laërtius libr. 2. in Vit. Socrat. segm. 27. [f] Idem ibidem. [t] Cicer. libr. 5. Tusculan. Quæstion. & Philo Judæus libr. Ὅτι ἄδρεπτον τὸ θεῖον, & Diogenes Laërtius libr. 2. segm. 25. in Vit. Socrat.

nibus affluenti, quæ ad luxum, & commodum, & delicias hominum pertinent, expositas res venales videret, quàm multa, dixit, non desidero! & oblata munera magni [a] pretii recusavit; qui quàm patien-
8 ter ferret [b] ea, quæ durissima homines arbitrantur, declarant ejus Inimici, qui dum vitæ duritiam ipsi exprobrant, tolerantiam viri magnificentiùs laudare non possunt. Quid autem de justitiâ dicam, cujus tuendæ causâ non cessit minis, & potentiæ triginta tyrannorum; & quum in carcerem conjectus, & capitali supplicio damnatus posset custodes corrumpere, posset imminentem mortem evadere, maluit mori, quàm injuriam facere Patriæ [c] legibus, & exemplum præbere civibus legum eludendarum? quid de amore Patriæ, cujus caritate adductus, quum ab Archelao Macedoniæ [d] Rege accerseretur, & a Scopâ Caronio [e], & ab Eurycholo [f] Charistio, maluit Athenis esse, & suos cives erudire, & ad virtutem incitare, quàm apud Reges amplissimum dignitatis gradum obtinere? Quid de constantiâ, qua sic excelluit,
9 ut de eo compositum Horatii [g] carmen esse videatur:

Justum, & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ, neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus;
Si fractus illabatur Orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Mitto fortitudinem in bello, qua civicam meruit, Xenophonte [h] servato, & ad Potidæam [i] commisso prœlio fortissimus Atheniensium est judicatus, & præmio donatus, quod ob animi magnitudinem concessit Alcibiadi: nihil dico de modestiâ, qua quum esset sapientissimus [l], nihil se scire præseferebat: nihil de religione, qua quum alia incerta esse affirmaret, nunquam dubitavit, quin divinâ providentiâ Mundus regeretur: nihil de moderatione, qua res prosperas, & adversas tulit, ut semper eumdem [m] vultum, quem extulerat, domum referret. His autem virtutibus quum excelleret Socrates, & scientiæ magnitudini victa integerrimè acta responderet, meritò habitus est Mortalium sapientissimus; ob eamque causam jure potest pater, & caput, & fons philosophiæ nuncupari.

DISSERTATIO LV.

De eodem loco Ciceronis.

Socrates in majore esse malo censebat injuriam inferentes, quàm accipientes; hos enim incommodo corporis, illos verò injustitiâ laborare. Discrepantes, inter seque pugnantes fuerunt plurimorum philosophorum sententiæ; tamen omnes a Socrate profluxerunt; & qua de causâ id acciderit.

Socratem philosophiæ caput, & fontem, & parentem [a] a Tullio appellari dicebamus hesterno die, non quia fuerit philosophorum vetustissimus, philosophiamque primus invenerit, sed quia ad altissimum sapientiæ fastigium pervenerit; quippe & ingenii magnitudine inauditâ fuisse confirma- 1
vimus, & acumine differendi tanto, ut nemo ejus argumentis resisteret, omnes ejus disputationibus victi, confutatique discederent. Quod si ad mores componendos inventa philosophia est, & ille præstantissimus philosophorum est, cujus pulcherrimis præceptis vita respondet, nec mores a doctrinâ discrepant; profectò Socratem habendum principem [b] Sapientum, cujus integritas vitæ eum mentis acie, doctrinaque certavit, & vicit sanctitas morum ingenii magnitudinem. Qua occasione sumptâ de Socratis virtutibus verba fecimus, Auditores; quibus addas, licet, patientiam, qua pertulit injurias, nec exarsit iracundiâ, nec de ultione cogitavit; existimabat quippe injustitiam summum esse malum, neque eum incommodis corporis comparandum; & ideo in majore malo esse censebat, qui inferunt injuriam, quàm qui accipiunt; accipientes quippe incommodo corporis, inferentes injustitiâ laborare; ob eamque causam nunquam inju-

[a] Diogen. Laërtius libr. 2. segm. 25. in Vit. Socratis, Senec. de Benef. libr. 5. cap. 6. & Ælian. Var. Hist. libr. 9. cap. 29. [b] Plutarch. de Liberis educandis, & libro de Irâ cohibendâ, & A. Gell. libr. 1. cap. 17. & libr. 2. cap. 1. [c] Cicer. Tusc. Quæstion. libr. 1. & Diog. Laërt. libr. 2. segm. 24. in Vit. Socrat. [d] Diogen Laërt. ibid. Senec. de Benefic. libr. 5. cap. 6. Aristotel. Rhetoric. libr. 2. cap. 23. Liban. Declamat. 29. prope finem; aliter Marc. Antoninus libr. 11. sect. 25. Τῶν εἰς ἑαυτὸν, & D. Jo: Chrysostom. libr. 2. adversùs vituperatores Vitæ Monasticæ. [e] Diog. Laërt. libr. 2. segm. 24. in Vit. Socrat. Liban. Declamat. 29. prope fin. [f] Idem Liban. ibid. [g] Horat. libr. 3. Od. 3. [h] Strabo libr. 9. de Delio, Plat. in Conviv. & Diog. Laërt. l. 2. segm. 22. in Vit. Socr. [i] Idem segm. 23. ibid. Plat. in Conviv. Plutarch. in Vit. Alcibiad. & Ælian. Var. Hist. libr. 3. c. 17. Vid. Athen. libr. 5. c. 15. [l] Phot. in Bibl. cod. 246. Cic. Academ. Quæst. libr. 1. Lucian. in Hermot. Diog. Laërtius ibid. segm. 32. & Isidor. Pelusiota Epist. 141. [m] Ælian. Var. Histor. libr. 9. cap. 7. Plin. Nat. Hist. libr. 7. cap. 19. & Seneca libr. 2. cap. 6. de Irâ. [n] Cicer. de Orat. libr. 1. & de Finib. libr. 2. in princ. [o] Plutarch. adv. Colotem.

injuriam injuriâ refutandam, ne in idem malum, quo Inimicus afficitur, incidamus. Quapropter & maledictis[a] lacessitus non re-
2 spondit, & [b] calcibus, & pugnis concisus non retulit percussoribus gratiam; nec eos dignos putavit, de quorum injuriâ quereretur; sed omnium maximum Socraticæ tolerantiæ opus fuit, quod Xanthippen [c] uxorem iracundam, morosam, difficilem, contentiosam patienter tulit; quod ego cum Herculis laboribus arbitror comparandum. Ajebat [d] autem Socrates in eo se equestris rei studiosos imitari; nam sicut illi equis refractariis, iracundis, ferocibus, acribus utuntur interdum, quò ceteris faciliùs possint imperare; ita se cum importunâ, & contumaci feminâ vivere, ut aliorum hominum importunitatem tolerare condisceret; itaque nunquam exarsisse irâ, nunquam succensuisse dicitur, quum quotidianis molestiis, & uxoris jurgiis, & morositate, & fastidio irritaretur. Aliquando [e] verò, quum ea, posteaquam diu inclamaverat, & maledicta ingesserat, Socratem aquâ calidâ perfudisset, nihil commotus, sciebam, inquit, postquam tonuisset, pluviam esse venturam. Alcibiadi au-
3 tem[f] miranti, quòd uxoris quotidiana convicia, odiososque clamores ferre posset, & intolerandam esse mulierem affirmanti respondit, quid tu? non fers anserum clamorem? at, inquit Alcibiades, mihi ova, & pullos pariunt; & mihi, subjecit Socrates, Xanthippe filios gignit. Sed de scientiâ Socratis, & virtutibus, & sapientiâ singulari satis, & abunde dictum est; venio nunc ad alteram rationem, quam me sum pollicitus allaturum, quum exponendum suscepi, cur Socrates philosophiæ pater, & fons, & caput appelletur; quæ omnia nomina in Socratem convenire nemo non fateatur, qui quanti philosophorum greges ab illo prodierunt, animadverterit. Nam Socratis disputationes in omnem partem fusæ tantum, tamque diversa sentientium philosophorum proventum protulerunt; ut ab eo omnes philosophiæ principes, tanquam ab Oceano flumina, profluxisse videantur; & quemadmodum ex Apennino quum plurimi fluviorum fontes oriantur, ipsi fluvii non in idem pelagus, sed in diversa, penitusque inter se opposita maria, superum, & inferum deferuntur; ita ab illo apice philosophiæ Socrate quum multæ sapientum familiæ profluxissent, non in diversas modò, sed etiam in contrarias, inter seque pugnantes abiere sententias. Nam quid tam discrepans, tamque diversum, quàm [g] Antisthenis, & [h] Aristippi 4
summum bonum; quorum alter in virtute, alter in corporis voluptate felicitatem collocavit? & tamen uterque, ab eodem fonte [i] tam diversa decreta derivavit; unde Stoicorum, & Cynicorum, Cyrenaicorumque familiæ sunt natæ. Quid tam discrepat, quàm a Stoicorum sententiâ Academicorum, Pyrrhoneorumque [m] sententia; quorum alteri sapientem putant [n] habere φαντασίαν, ut loquuntur, καταληπτικήν, id est *comprehendentem*, nec [o] falli, nec opinari; alteri nihil [p] posse comprehendi, in omnibusque assensum sapienti sustinendum; eæ tamen sententiæ a Socrate originem ducere inveniuntur. Nam licèt [q] Stoicorum auctor Zeno Cittieus auditor Socratis non fuerit; tamen [r] is verecundiâ vitæ potiùs, quàm sententiis a Cynicis discrepavit; idcirco satyrarum scriptor eximius Juvenalis [s] dixit:

Atqui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legi
A Cynicis tunicâ distantia......

Nam Cynici, quod est turpe naturâ, nusquam faciendum putabant; quod non est 5
turpe, non [t] occultandum; itaque multa, quæ sint absurda, si referantur, in propatulo perpetrare non verebantur; Stoici habebant communis moris, & verecundiæ rationem; Cynici verò a Diogene, qui Socraticum [u] Antisthenem audivit, sunt orti. Ab eodem autem fonte fluxerunt Academici, quum [x] Plato, veteris Academiæ conditor, fuerit Socratis auditor longè clarissimus. Eadem diversitas inter Peripateticorum, Stoicorumque summum bonum reperitur; nam Stoicorum [y] bonum simplex, & in unâ virtute situm; Peripatetico-

[a] Seneca de Costantiâ Sapient. cap. 18. [b] Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 21. in Vitâ Socrat. Plutarch. de Liberis educandis. [c] Diogen. Laërtius ibid. segm. 36. Seneca de Constantiâ cap. 18. A. Gell. libr. 1. cap. 17. Xenoph. in Convivio, & D. Jo: Chrysostom. Hom. 16. in Epist. 1. D. Paul. ad Corinthios. [d] Diogen. Laërt. ibid. [e] Diog. Laërt. ibidem, & Seneca cap. 18. de Costant. Sapientis. [f] Diogen. Laërt. ibid. [g] Diogen. Laërt. libr. 6. segm. 10. in Vitâ Antisthenis, [h] Cicer. libr. 2. de Finib. & libr. 2. Disputat. Tuscul. [i] Cicer. Academicar. Quæst. libr. 2. Diogen. Laërtius libr. 2. segm. 65. in Vitâ Aristippi, & libr. 6. segm. 2. in Vit. Antisthenis. [l] Cicero de Oratore libr. 3. & Academicar. Quæst. libr. 2. [m] Diogen. Laërtius l. 9. in Vitâ Pyrrhon. [n] Cicero Academ. Quæst. libr. 1. ad M. Varronem. [o] Cicero ibid. Lactant. Firmian. de Falsâ Sapient. libr. 3. cap. 4. [p] Diogen. Laërt. libr. 9. in Vit. Pyrrhon. in princip. & Senec. Epist. 88. [q] Senec. Consolat. ad Helviam cap. 12. & Cicer. Acad. Quæst. libr. 2. [r] Vid. Cicer. de Orator. libr. 3. & Diog. Laërt. in Vit. Menedemi libr. 6. segm. 105. [s] Juvenal. Sat. 13. v. 117. [t] Cic. de Off. l. 1. [u] Diogen. Laërt. in Vit. Diogen. libr. 6. segm. 21. Ælian. Var. Hist. libr. 10. cap. 16. & D. Hieron. l. 2. advers. Jovinian. [x] Diog. Laërt. in Vit. Platon. libr. 3 segm. 6. & libr. 2. segm. 47. in Vit. Socr. in fin. & in Procem. [y] Cic. Tusc. Quæst. l. 5. & de Fin. l. 4. Clem. Al. Str. l. 2. & Sext. Empir. advers. Mathem. l. 10.

ticorum [a] multiplex, & in externis fortunæ, & corporis, & animi bonis collocatum; adeo ut nihil eorum sit, quæ vulgus admiratur, quod non Peripatetici expetendum esse fateantur. Causa tantæ sen-
6 tentiarum varietatis inter Socratis auditores fuit, quòd quum Socrates nihil affirmaret, sed eos plerunque refelleret, qui sapientiæ nomine se circumspiciebant, eveniebat, ut in contrarias partes disputando ferretur; quum autem unusquique auditorum, quæ maximè probaret, excerperet, in dissidentes inter se opiniones concesserunt; itaque alius in Socratico sermone austeritatem adamavit, alius acumen suspexit, alius vim cuncta redarguendi; alium cepere laudes voluptatis, alium species honestatis, alius denique alia comprobavit. Sic omnium sententiarum, quæ sunt a doctissimis viris celebratæ, quasi fontes fuerunt Socraticæ disputationes; jure igitur Socra-
7 tes philosophiæ caput, & fons, & pater nuncupatur; quum tot ab eo familiæ philosophorum profluxerint. Nam quemadmodum Dionysius in Priegetico Romam omnium urbium matrem appellat,

Μητέρα πασάων πόλιων,

non quod omnes urbes condiderit, sed quòd multas colonias deduxerit, multas urbes constituerit; ita Socrates philosophorum pater dici potest; non quòd inventor fuerit philosophiæ, quæ tam antiqua est, ut [b] Dei donum, inventumque clarissimis Auctoribus fuisse videatur; sed quòd [c] innumeræ philosophorum familiæ ab eo, velut fonte, manarint.



DISSERTATIO LVI.

De eodem loco Ciceronis.

Boëthius, quum philosophiam veste lacerâ induxit, significare vult Socratis, & Platonis auditores pugnantibus inter se sententiis philosophiam dilacerasse. Socraticus pro philosophico usurpatur; hinc lucem accipiunt multi Auctores.

Boëthius [d] ille Severinus & sapientiæ auctor non ignobilis, & divinitatis eximius contemplator in aureo libello, qui de consolatione inscribitur, inducit philosophiam secum colloquentem, eamque mirificis coloribus exprimit, & ob oculos ponit. Quid ego speciem ejus vobis describam, quid admirabilem oris dignitatem, quum eam vir ille non descripserit, sed oculis pæne subjecerit? quid ejus maje- 1
statem humanâ augustiorem modò caput inter nubes condentis, modò sideribus inferentis, modò ad humanæ staturæ modum submittentis? quid vividos oculos, & vultus acrimoniam vobis exponam, & eloquentiæ coloribus pingam auditores? Reliqua non est necesse admodum recensere; unum est, quod ad id pertinet, de quo hesterno die dicebamus; idem Boëthius tradit philosophiæ vestem non fuisse integram, & illæsam, sed laceram, penitusque discerptam; sic autem philosophiam effecisse Socratis, & Platonis auditores, qui quum sapientiam universam, quæ in illis Auctoribus fuit, tenere non potuissent, eam in partes distraxerunt, & quasi lacerarunt.
Et sanè sectatores Socratis, excepto Plato- 2
ne, qui philosophiam auxit, ornavit, thesaurum sapientiæ collectum dissipaverunt, fontemque uberem, & inexhaustum in varios, & in oppositas partes tendentes rivulos diduxerunt; adeo ut quot capita, tot Socraticorum sententiæ censeantur. Nam præter eos, quos modò nominavi, a Socrate est institutus [e] Phædo Eliensis, a quo Eliaci philosophi sunt appellati; ab eodem doctus est Euclides [f] Megarensis, qui summum bonum, quod Unum esset, est arbitratus, a quo Megareorum [g] secta est nuncupata; qui sunt Eristici quoque dicti, & Dialectici, quòd acerrimi essent in disputan-

a Cicer. Tusculan. Quæst. libr. 5. & Lactantius Firmianus libr. 3. de Fals. Sapient. cap. 7. b Cicero Tuscul. Quæst. libr. 1. c Vid. Just. Lipsium Manuduct. ad Stoicam Philosoph. libr. 1. capit. 8. d Boëthius libr. 1. Prosa 1. de Consolatione Philosophiæ. e Diogen. Laërt. in Vitâ Phædonis libr. 2. segm. 105. Aul. Gellius libr. 2. cap. 18. & Origen. libr. 1. contra Celsum. f Cicer. Tuscul. Quæst. libr. 2. g. Diogen. Laërt. in Vit. Euclidis libr. 2. segm. 106. & Lactantius Firmianus libr. 3. de falsâ Sapient. cap. 12.

tando, & sanè quàm contentiosi, & in Dialecticâ plurimum operæ, studiique consumerent. Socratis etiam auditor fuit &
3 Theodorus[a], qui ἄθεος est nuncupatus, a quo [b] Theodorea philosophorum familia originem duxit; quæ multitudo familiam ducentium philosophorum, qui e Socratis ludo, quasi heroës ex equo Trojano, prodierunt, effecit, ut Socratis nomen ipsius philosophiæ nomen haberetur; quare Socraticus interdum a poëtis pro philosophico usurpatur; sic Propertius [c] ait:

Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Proderit, aut rerum dicere posse vias?

Quo in loco Socraticos libros vocat scripta philosophorum, quum Socrates de philosophiâ [d] nihil omnino conscripserit, & nulla ingenii monumenta, præter insignes omni laude discipulos, reliquerit; eodem etiam sensu Horatius [e] dixit:

Quum tu coëmptos undique nobiles
Libros Panæti, Socraticam & domum
Mutare loricis Hiberis
Pollicitus meliora tendis.

Nec aliâ significatione [f] Petronius Arbi-
4 ter Socraticum gregem nominavit his verbis:

Mox ex Socratico plenus grege mittat habenas,
Liber & ingentis quatiat Demosthenis arma.

Ubi præcipit oratori futuro, antequam forum attingat, & in agendis causis versetur, non modò imbuendam, sed implendam mentem philosophorum sermonibus, atque præceptis, quos poëtico more socraticum gregem nominat. Eodem modo Juvenalis eos, qui tristitiâ vultus, & habitu corporis philosophiam mentirentur, & virum sibi vellent, & muliebria paterentur, significare quum [g] vellet, dixit:

...... castigat turpia, quum sis
Inter Socraticos notissima fossa cynædos.

Neque enim notare voluit Socraticos, tanquam turpissimo vitio laborantes, quod aberat a gravitate, & temperantiâ Socraticorum; sed Socraticos appellavit homines, qui philosophi nomen sibi arrogarent; & Socraticos dixit cynædos eos, qui quum molles essent, & effeminati, se philosophos esse simularent, & obtentu gravitatis populum fallere conarentur; cujus generis homines nunquam defuerunt. Hæc au-
5 tem, quæ de Socrate diximus, si quis reputet, non mirabitur a Cicerone tam honorificè Socratem nominari. Illud etiam in hoc loco est adnotandum Ciceronem, quum de Socraticis loquitur, maxime propriè tribuere ipsis vim in eas angustias disputando compellendi, ut nihil se se scire faterentur; sic enim [h] ait: *urgerent præterea philosophorum greges ab illo fonte, & capite Socrate, nihil te de bonis rebus in vitâ, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitæ didicisse, nihil omnino quæsisse, nihil scire convincerent.* Fuit [i] quippe ea facultas propria Socratis, eaque vis, & acumen disserendi, ut eos, quibuscum disputabat, quamvis doctrinâ, aut aliâ dote præstantes, nihil scire convinceret, nullo in numero esse demonstraret. Sic [l] Alcibia- 6
dem ingenio, formâ, divitiis [m], quibus ceteros Athenienses præstabat, inflatum, & se peritum satis administrandæ Reipublicæ putantem, & eâ fiduciâ elatum ad gubernacula civitatis accedere cogitantem ita confutavit [n], & tumentes ejus spiritus compressit, & dicendo coërcuit, cumque ostendit ignarum tractandæ Reipublicæ, ut florentissimum adolescentem lacrymari cogeret; quum ipsum & fortunæ suæ, & indolis, & virtutis, & scientiæ pœniteret. Sic [o] Eutyphronem absolutissimam rerum divinarum doctrinam se tenere gloriantem ita exagitavit, & quidquid affirmaret, negare compulit, ut Eutyphron [p] Socratem Dædalo compararet; nam quemadmodum ille [q] statuas, quæ nunquam in eodem loco manerent, sed circumagerentur, faciebat; ita Socrates efficeret, ut sermones nunquam haberent quidquam firmi, & constitui; sed subterfugerent, & fusdeque verterentur. Sed Eutyphron, quamvis 7
molestè ferret suas rationes a Socrate labefactatas, & quidquid dixerat, impugnatum, & eversum; tamen Socratis disputatione multum profecit; nam eâ commotus ab accusatione patris destitit, quem in judicium capitis vocare cogitabat. At [r] Anytus eodem modo confutatus, & in angustias compulsus, & silere coactus exarsit irâ, & Socratem judicio capitis arcessivit; ad quam rem multos habuit adjutores, quia Socrates multos offenderat, qui acumine disserendi victi a Socrate ægrè ferebant sapien-

[a] Politian. in Miscell. cap. 35. in med. [b] Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 97. in Vit. Aristippi, & Suid. in V. Θεοδώρειος ἐκλήθη. [c] Propert. libr. 2. Eleg. 25. sive ultim. ex emendat. Scaliger. [d] Plutarchus de Fortun. vel Virtute Alexandr. Orat. 1. [e] Horat. libr. 1. Od. 29. [f] Petronius Arbiter in Satyric. [g] Juvenalis Satyr. 2. vers. 10. [h] Cicer. de Oratore libr. 1. [i] Plutarch. Quæst. Platonic. in princip. [l] D. Jo: Chrysostom. advers. Vituperatores Vitæ Monasticæ libr. 2. [m] Ælianus Var. Histor. libr. 3. cap. 28. [n] Plutarch in Vit. Alcibiad. [o] Plato in Eutyphrone, Diogen. Laërt libro 2. segm. 29. in Vit. Socratis. [p] Plato in Eutyphrone, sive de Sanctitate in fine. [q] Diod. Sicul. libr. 4. Plato in Menon. Callistrat. in Statuis, Lucianus in Philopseude, Aristotel. de Anim. libr. 1. cap. 4. & Dio Chrysostom. in Corinth. sive Orat. 37. [r] Plato in Menone, & Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 38. in Vit. Socratis.

pientiam suam antea celebrem, & præmiis auctam ludibrio haberi. Jure igitur Cicero Socraticum illum gregem philosophorum id proprium habere testatur, ut eos, contra quos disputaret, nihil scire convinceret; est enim is mos acceptus a Socrate, quo referti sunt Platonis, & Socraticorum libri; ideo nonnulli volunt Platonem nihil prorsus affirmasse, sed aliorum tantummodo sententias evertisse.

DISSERTATIO LVII.

De Academicis, & Pyrrhone.

Plato existimabat animos, antequam in corpus descenderent, nihil ignorasse. Pyrrho neque currus concitatos in viâ declinabat, neque ulla pericula. Perperam Plinius Heraclitum, & Diogenem cynicum inter eos, quos Græci ἀπαθεῖς vocant, collocat; nam Stoici arbitrabantur Sapientem affectus quidem sentire, sed non illis assentiri; Stoici autem a Cynicis non discrepabant.

QUum Plato summus Auctor intelligendi divinis illis dialogis disputantem Socratem semper induxerit, necessariò socraticum disputandi morem semper expressit; Socrates autem quum nihil prorsus affirmaret, sed aliorum dicta refelleret,
1 Platonis quoque dialogi plerunque videntur magis in falsis opinionibus redarguendis, quàm in patefaciendâ veritate versari. Qui mos alioquin sententiæ Platonis congruebat, & erat aptissimus; nam quum Plato censeret animos, antequam [a] in corpus descenderent, insitas omnium rerum habuisse rationes, nec ullam disciplinam ignorasse, non docendos homines putavit, sed ad memoriam rerum cognitarum excitandos. Idcirco non aperit, quid ipse sentiat [sic enim doctoris munere fungeretur,] sed in varias partes disputando fertur, falsasque sententias confutat; & interrogationibus utitur, & elicit latentem in animis veritatem, ut unusquisque possit ea, quæ jam novit, reminiscendo recognoscere. Quapropter inducit [b] Socratem prædicantem se obstetricis filium obstetricis officio fungi; nam sicut obstetrix non procreat partum, sed procreatum educit, & excipit, & adjuvat parientem; ita sese non veras inserere in animis opiniones; sed iis, quorum mens feta est, & parere concupiscit, præstò esse, & auxilium ferre laborantibus; ut non imperfectum, sed integrum, & maturum, & vitalem veritatis, & scientiæ proferant fetum. Sed ab eâ ratione disputandi, qua plerumque utitur 2
Plato, qua nihil affirmat, aut negat, sed aliorum sententias expendit, examinat, confutat, redarguit, ortum duxit [c] Academia; novam dico (nam [d] vetus a Platone instituta habuit sua decreta, quæ defenderet) cujus auctores, quum Platonem putarent nihil esse certum credidisse, ipsi quoque veri, falsique judicium sustulerunt. De hac Cicero [e] loquitur loco, quem explicamus, ubi sic ait: *instaret Academia, quæ, quidquid dixisses, id te ipsum negare cogeret;* quo loco morem tangit Academiæ contra omnium sententias disputandi; nam quum [f] Academici negarent quidquam posse comprehendi, omnibusque veris visis putarent admixta quædam falsa tantâ similitudine, ut discerni nullius ingenio possent, necessariò cum omnibus, qui aliquam sententiam tuebantur, aliquid certum judicabant, bellum gerebant sempiternum; & eo acumine disserendi, eâ doctrinæ magnitudine, eâ dicendi copiâ valebant, ut non facilè quis eorum laqueos evitaret, aut verborum flumini resisteret;
ideo [g] Cicero dixit: *quæ quidquid dixisses, id te ipsum negare cogeret;* & tamen, quum A- 3
cademici clarissimis rebus eriperent lucem, aliud alio occurrere sapienti probabilius, quod sequatur, arbitrabantur. Quare videntur [h] Academici a Pyrrhone discrepasse; nam Pyrrho [i] nec hanc probabilitatem reliquit, qua sapientis animus moveretur; siquidem ipsum ferunt [l] neque currus incitatos in viâ declinasse, neque ulla pericula subterfugienda censuisse, cognatorumque, & Amicorum curâ servatum, qui ipsum pone sequerentur; adeo vir ille nullius visi probabilitate animum in ullam partem inclinabat. Quæ ut in majus aucta crediderim; ita [m] constat Pyrrhonem, quum tempestate sævâ jactaretur, ceteris, qui unà vehebantur perterritis, & vota facientibus, in navi suem conspicatum, qui intrepidè glande vescebatur, ostendisse sociis, & talem in omni periculo, & terrore futurum sapientem affirmasse; non solum

[a] Plato in Theæteto, vel de Scientiâ, & in Phædone, vel de Animâ. [b] Plato in Theæteto in fine. [c] Diog. Laërt. in Vit. Arcesilai libr. 4. segm. 28. Eusebius de Præparat. Evangel. libr. 14. ex Numenio Pythagoric. cap. 2. Cicero de Orat. libr. 3. & Academic. Quæst. libr. 1. & Suid. in V. Ἐπέχει. [d] Vid. Diss. 55. in Cic. n. 5. [e] Cicer. de Orator. libr. 1. [f] Idem Cic. de Finib. libr. 3. & Senec. Epist. 88. [g] Cic. de Orat. l. 1. [h] A. Gell. libr. 11. cap. 5. [i] Cic. in Lucull. sive Academic. Quæst. libr. 2. [l] Antigonus Carystius apud Diog. Laert. libr. 9. segm. 62. in Vit. Pyrrhonis. [m] Idem Diogen. Laert. ibid. segm. 68.

lum timoris ictus animo non admittentem, sed ne sentientem quidem. Idcirco [a] Pli-
4 nius Pyrrhonem inter eos, quos ἀπαθεῖς Græci vocant, recenset: *exit*, inquit, *hic animi tenor aliquando in rigorem quemdam, torvitatemque naturæ duram, & inflexibilem, affectusque humanos adimit, quales apathes Græci vocant multos ejus generis experti, quodque mirum sit auctores maximè sapientiæ, Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem*. Quod de [b] Heraclito verum prorsus non puto; quum quoties in publicum prodiret, flevisse dicatur misericordiâ motus calamitatum, quibus homines conflictantur; ex quo [c] Seneca illum miti animo fuisse, sed nimis imbecillo arbitratur. Nec in Diogenem cynicum verè cecidit
5 hæc vacuitas affectuum humanorum; siquidem Diogenes a sententiâ Stoicorum non discrepabat; immo [d] Stoici a Cynicis non dissentiebant; Stoicorum est autem affectus quidem sentire sapientem, sed non affectibus assentiri; ita volunt in summo periculo constitutum impallescere quidem, & animo commoveri, sed nihil tribuere timori; non flere, non ejulare, non cedere sponte terrori, nec quidquam facere indignum sapientis gravitate, & constantiâ; perstringi denique affectibus, non vulnerari. Quod autem de Timone addit, ve-
6 rum puto, si de Timone Sillographo loquatur, quem constat sectatorem [e] Pyrrhonis fuisse; quem ejus complexum esse disciplinam declarant Silli, [f] maledicentissimum poëma, Pyrrhonem laudibus ferentes, quum scateant maledictis in alios philosophos conjectis; sed de Timone [g] qui μισάνθρωπος, hoc est *osor hominum*, est appellatus, falsum inprimis reor; nam quomodo ἀπαθὴς ille, qui ab odio, quod tæterrimus est affectus, nomen invenit? Solus igitur Pyrrho auctor fuit omnes animi perturbationes exuendi, nullique viso cedendi, & momenta rationum inter se conferendi, nec uni magis, quàm alteri assentiendi; idcirco Lucianus inducit Pyrrhonem cum trutinâ, qua se dicit rationes ponderare, & eorum paria examinare pondera. Appellati sunt autem, qui hanc philosophandi rationem sequebantur, ab au-
7 ctore Pyrrhone Pyrrhonei, vel [h] Sceptici ἀπὸ τοῦ σκέπτεσθαι, *a considerando*, quod nunquam quidquam statuerent ita esse; sed semper considerarent, inquirerent, deliberarent; vel ἐφεκτικοὶ, eo quod assensum sustinerent; vel ἀπορητικοὶ a *dubitando*, quòd nihil affirmarent, de omnibus dubitarent; vel Ζητητικοὶ, quòd verum semper inquirerent; quo nomine ab Academicis discrepabant; nam [i] Academici negabant verum posse reperiri; Sceptici posse inveniri inquirendo profitebantur. Ex quo tria summa genera philosophorum fuisse deprehenduntur; Dogmatici, Academici, Sceptici; Dogmatici veritatem a se inventam gloriantur, Academici posse inveniri non arbitrantur, Sceptici semper quærunt, licèt nunquam invenerint.

DISSERTATIO LVIII.

Ejusdem Argumenti.

Carneades Romanos ad philosophiæ studium commovit. Peripatetici ab ambolando *nomen acceperunt. Lyceum quidam a Pisistrato, alii a Pericle conditum tradunt. Cynosarges erat gymnasium, in quo nothi exercebantur, quia Herculi esset consecratum; qui, quum immortali patre, matre autem mortali esset procreatus, nothus quodammodo videbatur; in eo gymnasio Themistocles exercebatur, quòd Thraciâ matre natus nothus habebatur.*

QUum de philosophorum, quas Cicero tangit hoc loco, proprietatibus ageremus, attigimus morem Socratis adversùs omnes opiniones disputandi, a quo morem Academicorum diximus profluxisse; hac occasione sumptâ de Pyrrhone, 1
qui non multum ab Academiæ sententiâ discrepavit, verba fecimus; hodierno die de eodem Pyrrhone, & Academicis disseremus. Est enim, Auditores, operæ pretium cognoscere, quid Pyrrhoni propositum fuerit, quum semper assensum sustinebat, quum omnibus visis resistebat, quum nihilo magis hoc, quàm illud esse statuebat. Habebat in opinabilibus vacuitatem perturbationum consequi, quam ἀταραξίαν Sextus [l] Empiricus vocat; qui enim nihil esse bonum, aut malum, nihil fugiendum, aut appetendum judicat, non desiderio com-

[a] Plinius Natural. Histor. libr. 7. cap. 19. [b] Ælian. Var. Histor. l. 8. cap. 13. Senec. de Irâ l. 2. cap. 10. & de Tranquillit. cap. 15. [c] Senec. de Irâ libro 2. cap. 10. [d] Diss. 56. in Cicer. num. 5. [e] Diogen. Laërt. libr. 9. segm. 109. in Vit. Timonis, & Suid. in V. Τίμων Φλιάσιος. [f] Diogen. Laërtius & Suid. ibid. & Athen. libr. 8. cap. 3. [g] Diogen. Laërt. ibid. segm. 112. & Suidas in V. Τίμων μισάνθρωπος, & Lucianus in Dialogo, cui titulus: Τίμων, ἢ μισάνθρωπος. [h] Aul. Gell. libr. 11. cap. 5. Paul. Man. in Adag. *Pyrrhonia hesitatio*. [i] Seneca Epist. 88. Lactant Firmian. de Fals. Sapientiâ libr. 3. cap. 7. [l] Sextus Empiric. in Pyrrhon. Hypotypos.

movetur, non angitur timore; in his au-
tem, quæ necessariò accidunt, volebat me-
diocriter affici. Nam qui exempli causâ in
corporis cruciatu constitutus putat esse ma-
lum, putat asperum, & non ferendum dolo-
rem; non solùm accipit sensum doloris,
non solùm afficitur necessariò incommodo;
sed etiam cruciatur animo, quòd se in ma-
lo esse, quòd se miserum, aut saltem æ-
rumnosum putat; qui verò nihil tale o-
pinatur, non caret quidem sensu dolo-
ris, sed nihil præterea sibi adsciscit mali;
non perturbatur opinione præsentis in-
commodi, non æstuat, non jactatur, non la-
borat ægritudine, non inquietatur. Hanc
2 animi constitutionem Philosophus appe-
tebat, quam μετριοπάθειαν appellabat; ne-
que enim negabat affici dolore sapien-
tem, aut esse in voluptate, neque appa-
rentia tollebat Pyrrho, sed ea, quæ de ap-
parentibus dicuntur; exempli gratiâ, con-
cedebat dulce mel videri; esse dulce non
concedebat: videri vitandum morbum,
non esse vitandum; & cetera eodem mo-
do. Ut autem omnia incerta redderet,
& semper cohiberet assensionem, quod
ἐπέχειν Sceptici dicunt, decem modos exco-
gitavit, quibus eædem res diversæ viden-
tur; quos qui nosse desiderat, adeat [a] Sex-
tum Empiricum; nobis quippe in animo
non est in his explicandis diutiùs immo-
rari, quibus est de Academicis, ut polli-
citi sumus, differendum. Huic alioquin
3 similes Academici, nisi quòd aliquid pro-
babile, quo moveretur sapiens, relinque-
bant, in tres quasi classes distributi sunt;
nam & Academia vetus fuit ab illo prin-
cipe & intelligendi, & eloquendi Pla-
tone [b] instituta; sed ea clarissimis rebus
lucem non auferebat (Plato quippe, ut ait
Diogenes [c] Laërtius, quæ intellectu com-
prehenderat, ea vera esse affirmabat, falsa
redarguebat, ab obscuris assensum cohibe-
bat) hanc media est consequuta, quam in-
venit [d] Arcesilas; qui primus instituit, non
quid ipse sentiret, exponere, sed quod a-
lii dixissent, confutare. Hic omnia errore
teneri, omnia tenebris circumfundi confir-
mavit; quare ne sapiens labatur, ne turpi-
ter erret, assensum ab incognitis sustinen-
dum; nec enim quidquam errore turpius,
aut magis alienum sapientis dignitate, &
præstantiâ. Huic acerrima fuit cum Stoi-
cis dimicatio, quorum secta auctore [e] Ze- 4
none Cittieo tum primùm proferebatur;
cui quum indignum sapiente videretur,
cuiquam falso assentiri, arripuit id Arce-
silas, & quum falsi, verique nullam esse
certam notam judicaret, consentaneum
putavit nihil affirmare sapientem. Ab hoc
autem parum Carneades discrepavit, quem
ab Arcesilâ [f] quartum auctorem novæ A-
cademiæ [g] fuisse perhibent. Hic incredi-
bili dicendi [h] copiâ, & acumine dicitur
præstitisse; quibus ille fretus aliorum phi-
losophorum bene fundatam disciplinam
concussit, & pæne labefactavit; saneque
commovit Romanos ad philosophiæ stu-
dium; & illum de omnibus rebus dubi-
tandi Academiæ morem eximiè illustravit;
quem sequutus est Cicero, & hoc loco re-
spicit. Fuit autem Academiæ mos contra
omnes disputare, omnium sententias ever- 5
tere; nam quum quis audire vellet Aca-
demicum adversùs Epicuri de summo bo-
no sententiam disputantem, surgebat, &
sibi summum bonum videri voluptatem af-
firmabat; Academicus contra non esse in
bonis, non esse expetendam voluptatem
disputabat: quum quis audire vellet Stoi-
cos consutantem, virtutem solam esse bea-
tissimæ vitæ effectricem ajebat, vel aliam
Stoicorum sententiam proferebat; hanc
Academicus convellebat, hanc falsam esse
ostendebat; denique quidquid auditor di-
xerat, [i] oppugnabat. Ex quo intelligi po-
test, quanta doctrinæ copiâ, quantâ oratio-
nis ubertate opus esset Academicis; ne-
que enim sententias, quas defenderent,
eligebant, sed ab aliis propositas labefa-
ctabant; itaque nihil eorum, quæ ab aliis
philosophis dicuntur, Academicos igno-
rare, & omnem argumentorum copiam
habere in promptu oportebat. Dicti sunt 6
autem Academici ab Academiâ, quæ fuit
nobile gymnasium non procul ab urbe A-
thenarum ab Hecademo, sive [l] Academo
heroë sic appellatum; unde illud Poëtæ
non [m] ignobilis:

Atque inter silvas Academi quærere verum;

in

[a] Sextus Empir. in Pyrrhon. Hypotypos. [b] Diog. Laërtius in Procemio, & libr 2. segm. 47. in Vit. Socrat. & libr. 3. segm. 6. in Vit. Platon. [c] Idem Diogen. Laërt. libr. 3. segm. 52. in Vit. Platonis. [d] Lactant. Firmian. de Fals. Sapient. libr. 3. cap. 4. & 6. [e] Strabo libr. 14. Senec. de Consolat. ad Helv. cap. 12. Lactant. Firmian. libr. 3. de Fals. Sapient. cap. 6. & Diog. Laërt. in Procem. [f] Cicer. Academ. libr. 2. sive in Lucullo. [g] Div. Augustin. contra Academicos libr. 3. cap. 18. aliter Diogen. Laërt. in Procemio, & libr. 4. segm. 59. in Vit. Lacydis, Vid. Cicer. in Quæst. Academic. & libr. 3. de Oratore, [h] Lactant. Firmianus de Justitiâ libr. 5. cap. 15. Vid. infra Dissertat. 59. in Ciceron. num. 1. [i] Suidas in Voc. Ἀκαδημία, Plutarchus in Vit. Syllæ, Auctor Etymologic. in Ἀκαδήμιον, T. Liv. libr. 3. D. Hieronym. libr. 2. contra Jovinianum, & Diog. Laërt. libr. 3. segm. 7. in Vit. Platonis. [l] Diogen. Laërt. ibid. Ulpianus in Oration. Demosthen. contra Timocratem Aristophan. Scholiast. ad Nubes, & Horatius in Epist. libr. 2. Epist. 2. ad Lollium. [m] Idem Horatius ibid.

in qua, quis Plato, ejusque sectatores philosophati sunt, Academici sunt nominati. Tria [a] verò Athenis gymnasia fuisse dicuntur; Academia, quòd erat gymnasium suburbanum; Lyceum [b], ubi [c] Peripatetici inambulantes disputabant; unde clarissimæ familiæ nomen; nam *περιπατεῖν* est *ambulare*; quod gymnasium, ut quidam tradunt, a Pisistrato [d] conditum est, vel, ut aliis videtur, a [e] Pericle; in eo autem juventus, antequam ad bellum proficisceretur, exercebatur; tertium verò [f] gymnasium fuit Κυνόσαργες, in quo nothi congregabantur ob eam causam, quòd esset Herculi [g] consecratum; Hercules autem immortali patre, mortali matre procreatus nothus quodammodo videretur. Hoc autem gymnasium nobilitavit [h] Themistocles, qui Thracià matre natus nothus [i] habebatur; is
7 persuasit nonnullis adolescentulis summo loco natis, ut in eo gymnasio se se exercerent; quò demeret infamiam loco, quem necessariò celebrabat. Sed hoc gymnasium philosophorum ingenia non illustrarunt; cetera hac re maximè inclaruerunt; nam in gymnasiis, ubi corpora exercebantur, etiam acuebantur ingenia studiis litterarum. Idcirco Vitruvius [l] præcipit in palæstria hexedras esse faciendas, ubi philosophi, ceterique, qui studiis delectantur, disputent; & in secundo de [m] Oratore libro Tullius: *nam*, inquit, *& sæculis multis ante gymnasia inventa sunt, quàm in iis philosophi garrire cœperunt; & hoc ipso tempore, quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire, quam philosophum malunt in media oratione, qui simul ut increpuit, de maximis rebus, & gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt*; sed hæc de Academiâ satis fuerit delibasse.

DSSERTATIO LIX.

De Stoicorum Dialecticâ.

Carneades adversùs Chrysippum, & Stoicos disputaturus Helleborum sumpsisse fertur, ut mentis aciem acueret. Seneca se verbis usurum negat, si aliter animi sensa proferre posset. Chrysippus septingentos libros, & ex his trecentos undecim dialecticos conscripsit. Deos, si Dialecticâ utuntur, Chrysippeâ uti quidam dixerunt.

Carneades [n] ille, cujus acerrimum ingenium, altissimam doctrinam, uberrimam dicendi copiam vix ulli philosophi quantumvis acuti in disputando, in dicendo copiosi poterant sustinere; quum omnium sententias everteret, adversùs alios disputaturus non sanè solitus dicitur commoveri; sed Chrysippi, & Stoicorum placita confutaturus curam intendere, & studium majus adhibere; quapropter quo mentis aciem acueret, helleborum sumpsisse [o] fertur. Quod ille eâ ratione fecit, quòd Stoicorum disciplinam non facilè convelli posse censebat; sic enim eorum sententiæ inter se aptæ sunt, ita cohærent, & connectuntur; ut si parvum quippiam ipsis dederis, omnia sint concedenda; nec illa catena [p], seriesque causarum, qua Stoici dicunt fatum contineri, magis indissolubili nexu jungi videtur, quàm sententiæ Stoicorum. Sed præcipuè hominem excitabat ad animum vehementiùs intendendum disserendi mira subtilitas, contorti, aculeatique sermones, quibus illi philosophi utebantur; quorum nodos dissolvere ingenii est inprimis acuti, & in Dialecticis exercitati. Non ergo mirum, si [q] Scævola Crassum irretitum iri confirmat laqueis Stoi- 1

[a] Diogen. Laërt. in Vit. Platon. libr. 3. segm. 7. & Pausanias in Atticis, sive libr. 1. & Suid. in Voc. Ἀκαδημία, & Plutarch. in Syllâ, & Cicer. de Finibus libr. 5. [b] Plato in Lyside, & Livius libr. 1. decad. 4. & Pausan. l. 1. [c] Plutarch. in l de Reip. Gerendæ Præcept. Laërtius in Vit. Aristotel. libro 5. segm. 2. Cicer. Academ. Quæst. libr. 1. & Clemens Alexandrin. Stromat. libr. 1. [d] Theopompus apud Suidam in V. Λύκειον, Paul Manut. in Adag. *Lupinum potum*. [e] Philochor. apud eundem Suidam in eadem Voce, Paul. Manut. ibid. Plutarch. in Vit. X. Orator. cap. 7. refert a Lycurgo conditum fuisse Lyceum. [f] T. Liv. libr. 1. dec. 4. & Plutarch. in Themistocl. in princ. Laërtius in Vit. Antisth. [g] Suid. in V. Κυνόσαργες, Paul. Manut. in Adag. *Ad Cynosarges*. [h] Plutarchus in Vit. Themistocl. in princ. Paul. Manut. in Adag. *Ad Cynosarges*. [i] Paulus Manut. ibid. [l] Vitruv. libr. 5. cap. 11. [m] Cicer. de Orator. libr. 2. paulo post init. [n] Diogen. Laërt. libr. 4. segm. 62. in Vitâ Carneadis, Ælianus Var. Hist. libr. 3. cap. 17. Plinius libr. 7. cap. 30. & Lactant. Firmianus de Justitiâ libr. 5. cap. 15. & Cicer. de Orat. libr. 2. & 3. [o] Aul. Gellius libr. 17. cap. 15. Valerius Maxim. libr. 8. cap. 7. Fulgentius Mytholog. libr. 1. aliter Plinius libr. 25 cap. 5. Petronius Arbiter in Satyric. Tertullianus de Animâ, Div. Hieronymus Commentario 1. in Epistolarum Pauli ad Galatas, & Lucianus libr. 2. Veræ Historiæ, Paulus Manut. in Adag. *Bibe helleborum*. [p] Cicero de Fato, & Seneca Quæst. Natural. libr. 2. cap. 35 & 36. [q] Scævola apud Ciceron. de Oratore libro primo.

Stoicorum; quum Philosophus ille, qui ceterorum philosophorum greges argumentorum vi & pondere, & orationis ubertate conjecit in fugam, ac dissipavit, Stoicorum acumen reformidarit. Hæc autem sunt
2 verba Ciceronis, quæ hodierno die suscepimus [a] illustranda: *Stoici verò nostri disputationum suarum, atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent.* Quibus in verbis adnotadum est, laqueos appellari sermones captiosos, & argutias dialecticas, & argumenta, quæ difficulter dissolvuntur; ita in libro de fato Cicero dixit: *ad Chrysippi laqueos revertamur*; & Gellius libro primo noctium atticarum capite secundo sic ait: *atque interea vocabulis haud facilè cognitis syllogismorum, captionumque dialecticarum laqueis strepebat*; quos λόγων σκινδαλάμους Aristophanes [b] appellat metaphorâ sumptâ ab arundinum ramentis, quæ tenuissima dissecantur; & Sidonius [c] Apollinaris retia appellavit hoc versu:

Argumentosis dat retia syllogismis

Est autem allusum ad orationis genus, quo
3 propriè Stoici utebantur; qui dicendi copiâ neglectâ, ornamentisque verborum, & latitudine illâ platonicâ orationis, salebras, spinasque sermonis, & aridum dicendi genus consectabantur. Idcirco [d] Cicero alibi scripsisse Chrysippum confirmat de oratoria facultate libros, sed tantâ tenuitate sermonis, tam jejunè, tam aridè scripsisse, & sine ullo ornatu, ut ars oratoria Chrysippi magis infantem facere, quàm oratorem posse videatur. Nam Senecâ [e] teste, Chrysippus *rei agendæ causâ loquitur, & verbis non ultra, quàm ad intellectum satis est, utitur*; & penes eum vult esse acumen illud subtile in ipsam penetrans veritatem. Sed hîc quasi laudat Seneca Chrysippum, quum ei verborum tribuit parsimoniam, & acumen differendi; alibi [f] tamen damnat ejus nimiam subtilitatem, & Chrysippi acumen affirmat tam esse tenue, ut sæpenumero retundatur, & in se replicetur; & quòd etiam, quum agere videtur aliquid, pungat, non perforet; quo etiam vitio in ebrietate reprehendendâ Posidonium, & Zenonem tradit [g] laborasse. Itaque etiam
4 Seneca ille, cujus oratio siccior est, quàm oporteat, & qui adeo brevitatis est amator, ut se verbis usurum neget, si aliter posset animi sensa proferre, & tam avidè orationis argutias consectatur, ut si quis eas ipsi detrahat, Senecam totum Senecæ sit detracturus, majorem in Stoicis latitudinem orationis desiderat, & nimium studium acuminis reprehendit. Ex quo intelligi potest, quàm adstricta fuerit Stoicorum oratio, quàm omnia ageret interrogatiunculis, & acumine, non vi, & copiâ dicendi. Sed & [h] Cicero queritur Stoicos omnes non vim inferre animis persuadendi, sed argutè conclusis rationibus leviter mentes perstringere, non commovere, spinosumque dicendi genus eorum appellat orationem. Quod genus illi probaverunt, quia quum naturâ essent austeri, & severissimæ auctores disciplinæ, horridam, non comptam, brevem, & concisam, non uberem, atque fusam orationem severitati convenire judicabant. Et sanè quos ad austeritatem morum natura coformavit, ii tale dicendi 5
genus amplectuntur; ideo [i] Lacones acuri, & breves, Asiatici [l] pingues in dicendo, & redundantes; quia [m] Lacones severissimis moribus utebantur; Asiatici [n] luxu diffluebant. Sed studium brevitatis, & adstrictæ orationis, quàm Stoici concupiverunt, ipsos dicendi genus expers sanguinis, & succi, & nimis aculeatum coëgit amplecti. Accessit eodem nimium Dialecticæ [o] studium, in quo Stoici ætatem contriverunt; quod sicut acuit ingenium ad differendum, ita attenuat, & deterit dicendi facultatem. Quare idem Tullius Stoicos in Bruto architectos verborum vocat: *quàm hoc idem*, inquit, *in nostris contingere intelligo, quod in Grecis, ut omnes ferè Stoici prudentissimi in differendo sint, & id arte faciant, sintque architecti pæne verborum; iidem traducti a disputando ad dicendum inopes reperiantur*; nimium videlicet studium in
Dialecticis posuerant; ideo scitè verbis u- 6
tebantur, acutè concludebant; squallore sermonis, & inopiâ laborabant. Cujus rei illud argumentum est, quod [p] Chrysippus quum septingentos quinque libros conscripsisset, quot nemo antea, ex his [q] trecentos undecim dialecticos dicitur edidisse; sed apparuit tantum Dialecticæ studium Chrysippo non profuisse. Certè ejus eloquutio a Diogene [r] Laërtio improbatur, cujus judicium [s] cum Cicerone consentit; meruit tamen summam acuminis laudem, siquidem a doctissimis viris dictum accepimus,

[a] Cicer. de Orator. libr. 1. [b] Aristophanes in Nubibus. [c] Sidonius Apollinar. in Panegyr. Antemii Aug. Conf. v. 205. [d] Cicero de Orator. libr. 1. & de Finibus libr. 4. paulo post princip. [e] Seneca de Beneficiis libr. 1. cap. 3. [f] Idem Seneca ibid. cap. 4. [g] Idem Epist. 83. [h] Cicer. de Oratore libr. 3. & in Bruto. [i] Plutarch. de Garrulitate. [l] Cicero in Bruto, sive de Claris Oratorib. [m] Plutarch. Institut. Laconic. [n] Julius Firmicus libr. 1. Mathes. cap. 2. [o] Cicer. in Bruto, sive de Claris Oratoribus. [p] Diogen. Laërtius libro 7. segm. 181. in Vit. Chrysippi, & Suidas in Voce Χρύσιππος, Vid. Valer. Maxim. libr. 8. cap. 7. [q] Diog. Laërt. ibid. segm. 199. [r] Idem Laërtius ibid. segm. 181. [s] Cicer. libr. 1. de Oratore.

mus, Deos [a], si Dialecticâ utuntur, uti Chrysippeâ. Non igitur mirum, si Cicero Stoicis adeo Dialecticæ studiosis [b] tribuit laqueos disputationum, & argutias dialecticas.

DISSERTATIO LX.

De Dialecticâ Stoicorum.

Chrysippus, & Stoici varia Syllogismorum genera excogitarunt; multa etiam ad fallendum argumenta invenerunt. Veteres Chrysippum Aristoteli antepofuerunt in Dialecticâ; in aliquibus tamen Stoici a Peripateticis vincuntur.

NUllum studiorum genus, Auditores ornatissimi, non redundat jucundissimâ suavitate; nulla disciplina eorum, qui seriò student, non implet animos dulcissimâ voluptate; quapropter & illæ facultates, quæ maximè jucunditatis expertes videntur, suos amatores habuerunt,
1 & multis in deliciis fuisse dicuntur. Studium dialecticees est in verbis occupatum, spinas legit, sermonum laqueos nectit, & solvit, nihil afferre delectationis creditur; & tamen multos possumus nominare, qui in eo ætatem libentissimè consumpserunt, & suas delicias in Dialecticis invenerunt; teste Sexto Empirico Pantædes, Eubolides, Alexinus, Brison, Dionysodorus, & Thorius Euthydemus ita capti sunt studio dialectices, ita deliniti ejus disciplinæ dulcedine, ut reliquas partes philosophiæ, quæ sunt & ad animi voluptatem jucundissimæ, & ad gloriam, & dignitatem amplissimæ, & ad animum excolendum aptissimæ, reliquerint; in dialectice excolendâ, exornandâ, augendâ ætatem contriverint; nec unquam satiari delectatione, quam ex eâ percipiebant, potuerint. Qui perinde fecerunt, ac si quis ad amplissimas, magnificentissimas, ornatissimas ædes visendas invitatus ita vestibuli pulchritudine capiatur, ut in eo contemplando occupatus reliquas ædium partes ingredi, & spectare
2 non curet. Sed hos minus mirum est in studio dialectices consenuisse; fortasse voluptatem, fructusque uberrimos, qui ex doctrinâ morum, & contemplatione naturæ capiuntur, non gustaverant; Stoicos autem, qui omnes philosophiæ partes mente complexi fuerant, & seriò pertractaverant, mirandum est magis dialecticen ceteris quodammodo prætulisse; certè in eâ tam pertinaci studio se exercuisse, ut dialectice propria Stoicorum facultas esse videretur. Idcirco Lucianus libro, quem inscripsit *βίων πρᾶσιν*, quum proprietates cujusque familiæ philosophorum notet, Chrysippo tribuit sermonum laqueos, quibus devinciat auditores, & impeditis os occludat, & injecto quasi freno afferat silendi necessitatem; multasque syllogismorum formas, multos captionum dialecticarum nodos inducit pollicentem; & [c] crocodilinas ambiguitates, & sermonem, quem *θερίζοντα* Græci vocant, & quem *Ἠλέκτραν*, & quem *ἐγκεκαλυμμένον*, & quem *κυριεύοντα*. Multos etiam vitiosè conclusos syllogis- 3
mos, & ad fallendum aptos Diogenes Laertius [d] Chrysippum tradit invenisse, cujusmodi sunt illi: qui mysteria non initiatis enunciat, impius est; hierophanta autem mysteria non initiatis enunciat; impius est igitur hierophanta; &: quod non est in urbe, non est in ædibus; atqui puteus non est in urbe; non est igitur in ædibus puteus; & ille: est aliquod caput, illud autem non habes, caput igitur non habes; & ille: si quis est Megaris, non est Athenis; homo verò est Megaris; homo igitur non est Athenis; itemque: si quid loqueris, id per os tuum transit; plaustrum autem loqueris, plaustrum ergo per os tuum transit. Quæ Chrysippus, opinor, excogitavit, ut ingenia juvenum exerceret; nec tamen abest suspicio Stoicos non in utilibus rantùm elaborasse, sed inutilis etiam confectatos; quod idcirco fecerunt, quòd dialecticen magnopere sunt admirati, ab eaque robur omne, & firmamentum petendum esse censebant. Idcirco quum philo- 4
sophiam horto, qui genus omne fructuum comprehendat, similem esse [e] dicerent; arborum quidem virenti proceritati partem, quæ de rerum naturâ disserit, pomorum verò suavitati partem, quæ spectat ad mores, dialecticen verò parietum firmitati comparabant. Nec defuerunt, qui quum ovum præseferre philosophiæ similitudinem affirmarent, albo quidem naturæ scientiam, vitello philosophiam de moribus disceptantem, putamini verò dialecticen compararent. Qui autem eum animali philosophiam conferebant, sanguini, & carnibus partem, quæ rerum naturam contemplatur, nervis, & ossibus dialecticen,

[a] Diogenes Laërt. libr. 7. segm. 181. in Vit. Chrysippi. [b] Cicer. de Oratore libr. 1. & in Lucullo, sive Academic. Quæst. libr. 2. [c] Politian. in Miscell. cap. 55. [d] Diogen. Laërtius libr. 7. segm. 186. in Vit. Chrysipp. [e] Sext. Empiricus libr. 7. advers. Mathem. paul. aliter Diog. Laërt. libr. 7. segm. 40. in Vit. Zenonis, & Cicer. de Legib. in fine libr. 1.

cen, doctrinam morum animæ componebant; quæ comparatio fuit Posidonii Stoici clarissimi. Dialecticen igitur quum Stoici nervis, & ossibus compararent, in eorum oratione plus ossium, & nervorum erat, quàm carnis, & sanguinis; in eaque lacerti quidem validi spectabantur, eminebantque tori; concinnitas apta membrorum deerat, & suavitas illa coloris, qua species commendatur; siquidem interro-
5 gationibus, & contortis quibusdam conclusionibus omnia conficiebant, quæ consectaria Stoicorum appellat [a] apud Ciceronem Cato; tantumque Dialecticæ studio sunt gloriati, ut idem Cato tanquam soli Stoici differendi disciplinam tenerent, peritissimos ejus facultatis Peripateticos multa peccasse ignoratione Dialecticæ dicat; in quo Cato Antiquos ulciscitur, quos Aristoteles carpit, & putat in magnis erroribus esse versatos, quòd Dialectica ignorarint. Ex quo intelligi potest nos admirari Aristotelis Dialectica, quia Chrysippi libros non habemus; nam Veteres, qui Aristotelem, & Chrysippum legerant, Chrysippum anteponebant. Non omittendum tamen eâ re Stoicos a Peripateticis victos, quòd Stoici tantùm quomodo veritas dijudicetur, docuerunt; Peripatetici, unde argumenta ad quamlibet rem confirmandam, vel labefactandam eruantur, ostenderunt, quæ topica Aristoteles appellavit. Jure i-
6 gitur quum tantum operæ, studiique in differendi facultate Stoici consumerent, & eorum oratio non esset æqualiter fusa, neque ubertate affluens, & copiosa, sed aculeatis, quibusdam conclusiunculis ferè constaret, Cicero [b] disputationum, & interrogationum laqueos proprios esse vult Stoicorum. Quod autem [c] Aristotelem, & ejus auditorem Theophrastum [d] affirmat plura de arte rhetoricâ, & meliora, quàm ullos dicendi magistros tradidisse, id non est obscurum; siquidem Aristotelis rhetorici libri, omnium manibus teruntur copiâ rerum referti, ipsumque Aristotelem constat dicendi artem docuisse; Theophrastus [e] autem de arte multos edidit libros; nam & de eloquutione, & de [f] historiâ volumen unum conscripsit; & præcepta [g] rhetorica, & artem rhetoricam vulgavit; & de artibus rhetoricis septemdecim [h] libros, & de [i] arte poëticâ duos composuit.

DISSERTATIO LXI.

Qua referuntur ea, quæ Scævolæ Crassus respondit.

Etiamsi orator sit, qui in judiciis, & apud populum, & in senatu dumtaxat copiosè loquatur; tamen ei multarum rerum cognitione opus est; sin autem his terminis non circumscribatur, omnium rerum scientia in eo requiritur. Si Alpes humanâ ope transcendi non potuissent, Hannibal non fortis, sed temerarius fuisset.

HActenus, Auditores, oratorem non esse in omni genere sermonis perfectum, & perpolitum, sed in judiciis dumtaxat, & apud populum, & in senatu ejus eloquentiam cerni, & eminere [l] Scævola disputavit; quòd & philosophi sit proprium, non oratoris de omnibus rebus disceptare, philosophiaque sola verè omnium divinarum, humanarumque rerum scientiam profiteri videatur; & quòd in qua quisque arte maximè excellit, in eâ satis eloquens habeatur; ut in Mathematicis Mathematicus, 1
in Grammaticâ Grammaticus, in Musicâ Musicus; quorum artes oratoris facultas affinitate nullâ attingit; ob eamque causam, quum harum imperitus orator censeatur, non posse de iis copiosè, & ornatè dicere, quæ ad eas pertinent facultates; quo constituto, non posse dici in omni genere sermonis perfectum, & perpolitum, quemadmodum Crassus affirmarat. Huic Crassus respondet a philosophis ista jactari; & se præsente, quum Quæstor ex Macedoniâ Athenas venisset, a doctissimis viris, esse disputata; Academicis Carneade, & Clitomacho, & Æschine, & Metrodoro, & auditore Panætii Mnesarcho; Peripateticis autem Critolao, & Diodoro multisque præterea, qui philosophiæ studio præstantes habebantur; quos omnes ait a Republicâ administrandâ oratorem arcuisse non concessisse ei scientiam rerum; sed in judicia, & conciunculas tanquam in aliquod pristinum rhetorem detrusisse; quibus philoso- 2
phorum sermonibus neque se assentiri, neque Platonis Gorgiæ, a quo hæ disputationes, quasi fonte, promanarunt; sed controversiam esse in verbo positam; nam si quis oratorem statuat esse eum, qui in judiciis pos-

[a] Cicer. de Finibus libr. 3. [b] Cicero de Fato, & de Oratore libr. 1. [c] Cicero de Invent. libr. 1. & libro 2. de Divination. & de Oratore libr. 1. & 3. & Quintil. Instit. Orator. libr. 2. cap. 17. [d] Idem in Oratore ad M. Brutum. [e] Diog. Laërt. libr. 5. in Vit. Theophrast. [f] Idem ibid. segm. 47. [g] Idem ibid. segm. 48. Scholiast. Hermogen. in Prolegomenis, Quintil. libr. 3. cap. 1. & Cicer. libr. 2. de Divinat. & in Orator. ad Brut. [h] Diogen. Laërt. libr. 5. segm. 48. in Vit. Theophrast. [i] Idem ibi. [l] Scævol. apud Cicer. de Oratore libr. 1.

possit, & apud populum, & in senatu copiosè loqui; tamen hunc ipsum non rerum jejunum, aut expertem scientiæ esse oportere; sed & nosse omnium Rerumpublicarum formas, & jus civile tenere, & omnis ætatis memoriam mente esse complexum, humanæque naturæ, morumque scientiam habere perspectam, & pertractatam; quæ tanta est, ut philosophi [a], Socrates, Aristippus [b], & Cyrenaici omnes, & Aristo [c] Chius in eâ ætatem contriverint; quum alias philosophiæ partes aspernarentur; sin autem orator nihil aliud, quàm orationem compositam, ornatam, uberem, non concionum, aut judiciorum cancellis, aut curiæ parietibus circumscriptam pollicetur, omnem ei rerum scientiam concedamus, necesse est; nam quomodo res om-
3 nes ornatè poterit orator explicare, nisi res omnes cognitione, & scientiâ sit consequutus? nemo enim, non dico disertè loqui, sed ne loqui quidem de re planè incognitâ potest. Quod si ornatus cujusvis generis orationis est oratoris proprius, Democritum, qui de rebus physicis copiosissimè, & ornatissimè disputavit, & Platonem, quem altissimè, & cum summâ ubertate, & splendore loquutum esse constat, & [d] Theophrastum, cui divinitas orationis nomen dedit, & Aristotelem, Carneademque [e], quem in dicendo gravissimum tradunt extitisse, oratoris, non philosophi facultate ad eam eloquentiæ laudem, quæ summa est, pervenisse. Quod vel ex eo
4 perspici potest, quod Chrysippus [f] ille princeps prope Stoicorum tenui quodam sermone res easdem est persequutus; nec tamen philosophiæ non satisfecit, quum acutissimè fuerit philosophatus. Qua igitur causâ hujus tenuis, & jejuna elocutio ab amplâ, & splendidâ superiorum copiâ differt? non scientiâ rerum, quæ abunde aderat, sed artificio comendæ orationis, quo Chrysippus destituebatur. Contra verò aliquem finge, qui teneat omnes artes illuminandæ, poliendæ, & ordine quodam disponendæ orationis; careat autem ejus rei, de qua verba facere conatur, scientiâ, aut nulla erit, aut prorsus irridenda ejus oratio. Quid enim aut de Musicis non Musicus, aut de Mathematicis non Mathematicus, aut de re medicâ expers medicinæ, aut de Republicâ administrandâ ignarus administrandæ Reipublicæ, aut de rerum naturâ loqui potest philosophus imperitus, quod non ab omnibus explodatur? Ergo oratoris facul-
tas cognitione rerum destituta extare non 5
potest; & orator non solùm forensibus caussis, sed omnibus rebus, quæ in disceptationem veniunt, ornatum adhibere potest orationis; adeo ut quum ab aliis artibus materiam acceperit, superet ipsos artifices, qui ea profitentur. Quod si quis ab immenso pæne campo in angustias fori, curiæque, & judiciorum, in quibus eum potissimùm, frequentissimeque versari Crassus [g] fatetur, compellat, non inopem tamen esse, neque carere scientiâ rerum plurimarum concedet. Nam sunt hominum meotes ad iram, ad odium oratoribus incitandæ, vel ab iis ad mansuetudinem, lenitatem reflectendæ; conflanda invidia; vel restinguenda, de magnitudine animi, de justitiâ, ceterisque virtutibus persæpe dicendum; hos autem motus animorum concitare non posse, nisi eum, qui sciat, quibus rebus hi concitentur; esse igitur perdiscendam mentis humanæ vim, atque naturam, qua ignoratâ ignorari necesse est, quibus illa rebus moveatur; nec de virtutibus posse dicere sapientet, nisi eum, qui scientiam morum calleat. Quæ scientia
cum in ceteris generibus orationis, tum in 6
eo, quod demonstrativum vocant, maximè necessaria est; nam qui sine morum doctrinâ aliquem laudare, vel vituperare aggrediuntur, perinde faciunt, ac si quis in tenebris in scopum collineet; nam sicut ille non in scopum, sed in oppositas aliquando partes jaculetur, necesse est; ita qui sine morum disciplinâ laudes alicujus exornare conantur,
tur, interdum in contrarias partes dicendo 2
feruntur, & non virtutibus excellentem, sed vitiis affluentem describunt; & quum volunt ostendere liberalem, prodigum ostendunt; & quum parcum, sordidum; & quum moderatum, aut mansuetum, nimis remissum; & quum constantem, contumacem; & quum magnanimum arrogantem; & quum fortem, temerarium; denique vituperant potiùs, quem laudant, dedecorant, quàm cohonestant. Exempla multa
possint afferri; nos erimus uno contenti, 7
quod Polybius [h] refert; qui Hannibalis res gestas extollere voluerunt, ita exaggerarunt difficultatem Alpes eâ tempestate cum exercitu transcendendi, ut id opus confici humanâ ope non potuisse videretur. Quod si Hannibalis laudatoribus detur, Hannibal

[a] Diogen. Laërtius libr. 2. segm. 45. in Vitâ Socratis. Xenophon libr. 1. Mirabil. & Aul. Gell libr. 14 cap. 3. [b] Diogen. Laërt. libr. 2. in Vit. Aristippi segm 86. [c] Idem libr. 7. segm. 160. in Vitâ Aristonis. [d] Dissert. 41. in Ciceron. num. 3. [e] Cicer. Academic. libr. 2. sive in Lucullo, Lactant. Firmianus de Justitiâ libr. 5. cap. 15. Aul. Gell. libr. 7. cap. 14. & Diogen. Laërtius libr. 4. segm. 62. in Vit. Carneadis. [f] Cicero de Finib. libr. 4 paulo post init. & de Orat. libr. 1. [g] Crassus apud Ciceron. de Oratore libr. 1. [h] Polybius libr. 3. Historiar.

nibal non fortis, & magnanimus, sed te-
merarius habebitur; & quidquid gessit for-
tunæ, non virtuti tribuetur; nam temeri-
tatis est, quæ confici non possunt, aggre-
di, virtutis ardua superare; ardua igitur
fuit ostendenda transgressio Alpium; sed
non ita, ut qui eas transcendit, id ince-
ptum nullâ ratione aggressus videretur. Eo-
dem modo, qui vituperare volunt, aliquan-
do laudant; quod Comici veteres fecerunt,
qui dum philosophis exprobrant victum
tenuem, exprobrant vitam voluptatibus
carentem, & in studiis occupatam; ipso-
rum continentiam laudant, & ostendunt
vitam ab eorum oratione, præceptisque
non discrepasse.

DISSERTATIO LXII.

Ejusdem Argumenti.

Vitruvius omnium artium, & disciplinarum scientiam in Architecto requirit; quare multo magis in oratore necessaria erit; etiamsi forum non egrediatur. Geometria, & dialectice, quæ videntur a Rhetoricâ maximè alienæ, maximè tamen ei utiles sunt.

NUllum potest utilius preceptum
dari iis, qui sunt cupidi alicu-
jus disciplinæ, quàm si quibus
præsidiis instructus, quibus ar-
tibus eruditus ejus cognitionem
assequi quis possit, ostendatur; exem-
1 pli causâ, qui picturæ studiosum doceat,
structuram corporis humani cognoscen-
dam, & quam ἀνατομὴν Græci, Tertullia-
nus prosectionem vocat, penitus perdi-
scendam; ut & venarum, & musculorum,
& nervorum situm habeat cognitum; &
quomodo inter se membra jungantur, non
ignoret; itemque si quis ostendat ὀπτικὴν,
quam vocant, qua ratio visus continetur,
pingendi magistris esse necessariam; ut fi-
gurarum, quæ in eodem plano pinguntur,
aliæ aliis remotiores esse videantur; & di-
stantia locorum, quæ non est, appareat,
& fallat ars oculos, ut quod non adest,
adesse credant; multum proderit picturæ
studioso. Multum etiam proderit cupido
medicæ facultatis, si quis persuadeat mathe-
maticas disciplinas non ignorandas, assu-
mendam rerum naturalium scientiam, in-
spiciendam etiam atque etiam humani cor-
poris fabricam, partium situm, usumque,
& naturam diligentissimè cognoscendam;
quibus ignoratis perfecta medicinæ scien-
tia extare non potest; in omni denique
artificio scire inprimis expedit, quibus di-
sciplinis illud artificium consummetur.
Ne nihil igitur actum putetis, Auditores,
hactenus a Cicerone; nos[a] enim docuit id, 2
quod maximè eloquentiam continet, qui-
bus artibus perpolitum oratorem esse opor-
teat; cujus utilitate præcepti reliqua supe-
rantur; nam qui abundat doctrinæ copiâ,
nisi ingenio destituatur, & dicendi copiâ
abundabit. Quapropter operæpretium fuit
exponere, quibus argumentis[b] Crassus a-
pud Ciceronem probet hanc rerum copiam
oratori comparandam, & quæ discenda
præcipiat. Et superiore quidem sermone
diximus censere Crassum oratori omnibus
numeris absoluto omnium artium maxima-
rum scientiam esse perdiscendam, quia o-
rator eloquentiam pollicetur; eloquentia
autem non fori, & curiæ angustia sanè fi-
nibus continetur, sed nullis terminis jus
suum circumscribit; eum verò, qui no-
men oratoris aliquo modo tueri possit, sal-
tem scientiæ, quæ pertinet ad mores, pe-
ritum esse oportere; nunc reliqua, quæ in
quolibet oratore desiderat Crassus, perge-
mus exponere. Jubere, inquit, leges, aut
vetare, quid eligendum, fugiendumve sit 3
in administratione Reipublicæ, demonstra-
re nemo sine Reipublicæ gubernandæ scien-
tiâ possit; nec pro imperatore, aut contra
sine cognitione rei militaris, & sine ter-
restrium, maritimarumque notitiâ regio-
num dicere. Adeo latè patet oratoris do-
ctrina, quamvis angustiis judiciorum, &
fori, curiæque terminis includatur; cujus
fines si, quantum par est, proferantur, e-
tiam Physica, & Mathematica, & alias ar-
tes posse debet ornare dicendo; & qui ea
illustrat oratione, non utitur earum disci-
plinarum propriâ facultate, sed oratoris.
Quapropter Philo, qui[c] Atheniensium ar-
mamentarium fecit, quum rationem sui
operis populo reddidit eloquenter, non
architecti, sed oratoris usus arte dicendo
præstitit; &[d] Asclepiades, quum de morbis,
eorumque causis ornatissimè disserebat,
orationem oratoris officio, non Medi-
ci illustrabat. Ex quo efficitur ad oratorem
omnia, de quibus dici potest, idest planè
omnia pertinere; nec ullius rei scientiam
non oratoris studio contineri. Quod si
quis id esse infinitum arbitretur, posse cir- 4
cumcidi quædam, atque amputari dum id
oratori quasi proprium relinquatur, ut quum
ab alio, quæ ad alias pertinent artes, acce-
perit, de iis meliùs dicat, quàm ille ipse,
unde acceperit; & cetera, quidem impu-
nè

---

a Cicero de Oratore libr. 1. b Crassus apud Ciceronem de Oratore libro primo. c Cicer. de Oratore libr. 1. d Idem eodem loco.

nè posse ab oratore fortasse ignorari; philosophiam, quæ spectat ad mores, non posse; reliqua verò si non teneat, ab iis, qui ea probè teneant, quum opus fuerit, cognoscet, neque minùs muneri suo satisfaciet. Hic affert Cicero exemplum Arati, qui quum astrologiæ imperitus haberetur, de Cœlo, stellisque librum edidit sanè luculentum; & Nicandri Colophonii, qui, quum ab agro, reque rusticâ abhorreret, elegantissimis agriculturam carminibus ornavit; ita putat posse aliquo modo oratorem, quamvis rerum sit ignarus, tamen ea, quæ ignoret, ornare dicendo. Quibus
5 tamen exemplis allatis, eò rursus delabitur, ut dicat id, quod verissimum est, oratorem omnium artium, quæ sunt libero dignæ, peritum esse oportere. Nam in dicendo, confirmat animadverti solere, an oratores eas artes didicerint, an ignorent, quamvis de ipsis artibus verba non faciant; quemadmodum, qui pilâ ludunt, non utuntur in ipsâ lusione artificio proprio palæstræ; apparet tamen, sint palæstræ rudes, nec ne. In fine sermonis igitur asseverat etiam oratori, qui nihil aliud, quàm forum, subsellia judicum, & curiam cogitet, omnium artium præclararum scientiam esse cum eloquentiæ studio conjungendam; quod ego verissimum arbitror. Nam si [a] Vitruvius in architecto omnium artium, & disciplinarum scientiam jure desiderat, quanto justiùs ea desiderabitur in oratore? enimverò quanto conjunctior cum sapientiâ eloquendi, quàm ædificandi ratio, tanto scientia rerum magis convenit oratori, quàm architecto. Neque enim qui non sapiat,
6 loqui sapienter potest; ducitque colorem a scientiâ, & efflorescit oratio; quæ nullius non disciplinæ cognitione perpolitur. Quid enim tam remotum ab oratoris copiâ, & ubertate quàm subtilitas illa geometrarum? quid habet commune ea demonstrandi ratio, qua geometræ utuntur, in qua nullus probabilitati locus, nihil, nisi evidens assumitur, nihil ita concluditur, ut quippiam dubii relinquatur, cum oratorum argumentis, quæ & falsis plerumque nituntur, & omne punctum tulisse creduntur, quum ad verisimilitudinem accesserunt; nec inducunt scientiam, sed brevissimi temporis opinionem? & tamen geometriam utilem oratori, & Quinctilianus [b] docet, & veritas ipsa clamat. Nam qui in illo erudito pulvere desudarunt, assuescunt, quid in quoque sit falsum, deprehendere; assuescunt nullius argumenti probabilitate decipi; assuescunt nullum effugii locum adversario relinquere; quarum rerum facultas oratori necessaria est. Jam verò geometrarum disciplinis acuuntur ingenia, mentis acies excitatur, cujus in oratore summa solertia esse debet. Quid tam diversum, quàm Dialecticorum
spinæ, salebræque sermonis ab amœnâ, & 7
fusâ, & floridâ rhetorum oratione? & tamen dialectice ostendit oratori fontes, unde omnia argumenta eruuntur, ostendit rationem, qua [c]

.... curtum sermone rotato
Torqueat enthymema......

Immo Dialecticæ cum eloquentiâ tanta cognatio est, ut dialecticen rhetoricæ antistrophon, hoc est æqualis potentiæ, ut Sextus Empiricus explicat, Aristoteles [d] appellarit; & Zeno [e] quum digitos compresserat, pugnumque fecerat, huic similem dialecticen, quum eandem manum expanderat, hujus præseferre similitudinem oratoriam facultatem diceret. Quod si eæ disciplinæ, quarum indoles videtur ab orationis ornatu, & ubertate discrepare, oratori sunt adjumento; quanto magis futuras putamus illas, quæ alunt dicendi copiam, quæ animos attollunt, excitant, augent rerum cognitione maximarum?

DISSERTATIO LXIII.

Qua oratio Crassi illustratur, & de Carneade agitur.

Pæne nomine servi in pistrinum detrudebantur, ut ex quamplurimis Auctoribus constat. Carneades tanto studio fuisse fertur, ut neque ungues amputaret, neque barbam, aut comam tonderet, ne tempus tereret.

ORationem, qua Crassus Jurisconsulti Scevolæ dicta confutat, exposuimus, Auditores; sententiamque ejus proximis diebus complexi sumus, & a veritate
non abhorrere probavimus; nunc quædam, 1
quæ ad eam illustrandam pertinent, afferemus; & præcipuè vitas excellentium virorum, quorum [f] Crassus mentionem facit, quàm brevissimè referemus. Quæ vobis oratio non erit, ut opinor, injucunda;

[a] Vitruvius libr. 1. cap. 1. [b] Quintilianus Institut. Orator. libro primo cap. 10. [c] Juvenal. Satyr. 6. vers. 450. [d] Aristotel Rhetoricor. libr. 1. cap. 1. in princip. Alexander Aphrodisæus in Topica Aristotel. circa princ. & Suid. in V. Ἀντιςρόφος.

[e] Cicero in Oratore ad Brutum. [f] Crassus apud Ciceronem libro primo de Oratore.

quid enim suavius, quàm eorum memoria, quorum mores, & ingenium admiramur? quid utilius, quàm quibus rebus maximi viri profecerint, contemplari? Ac mihi primum locus Ciceronis occurrit, quo continentur hæc [a] verba: *a quibus omnibus unâ pene repelli voce oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrinâ, rerumque majorum scientiâ; ac tantùm in judicia, & conciunculas, tanquam in aliquod pistrinum detrudi, & compingi videbam.* Quibus in
2 verbis Ciceronis est adnotandum pistrinum fuisse locum, ubi frumentum molebatur, Græci μυλῶνα vocant. Sciendum est autem ad pistrinum damnari servos, qui aliquid deliquerant, consuevisse; testis est hujus rei [b] Terentius in Andriâ, ubi Simo senex Davum servum ita perterret minis:

Si senfero hodie quidquam in his te nuptiis
Fallaciæ conari, quò fiant minùs,
Verberibus cæsum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem
Eâ lege, atque omine, ut si te inde exemerim, ego pro te molam;

& alio in loco servus, qui se meruisse pœnam fatetur, his utitur [c] verbis:

. . . . . . nullus sum;
Quid causæ est, quin hinc in pistrinum rectâ proficiscar viâ?

& [d] alibi sic ait:

Meditata mihi sunt omnia mea incommoda, herus si redierit.
Molendum esse in pistrino, vapulandum, habendæ compedes;

3 & in Epidico Plauti adolescens minatur servum in pistrinum conjecturum, nisi sibi amanti argenti faciat copiam, quo puellam emat, quam deperit; his enim [e] utitur verbis:

Quem quidem ego hominem irrigatum plagis pistori dabo,
Nisi hodie priùs comparassis mihi quadraginta minas,
Quàm argenti fuero loquutus ei postremam syllabam;

& in Pseudolo servus ita [f] loquitur:

Pistrinum in Mundo scibam, si id faxem, mihi.

Ubi pistrinum sibi in Mundo esse nihil aliud significat, quàm citò, & nullâ interpositâ mora sese in pistrinum conjectum iri. Quum autem pistrinum esset supplicio servorum locus destinatus, & qui in pistrinum detrudebantur, opus facerent non servile solùm, sed etiam servis bonæ frugis indecorum, meritò Cicero dixit oratorem, si a scientiâ rerum maximarum depellatur, si omni doctrinæ spolietur ornatu, & ad disceptandas tantummodo lites compellatur, nec eas ipsas possit tractare luculenter, & ab administratione Reipublicæ arceatur, in pistrinum detrudi, atque compingi. Quid enim præclarum habebit orator, si
de apicibus juris tantùm differat; si quum 4
sit imperitus tractandæ Reipublicæ, ad populum temerè verba faciat? illa sunt præclara habere cognitam, & perspectam rerum naturam, nullius expertem esse disciplinæ; rationem tenere civitatum regendarum, & eâ posse uti, quum eloquentiâ tanquam instrumento potentissimo flectat animos, & moderetur, & ad felicitatem publicam dirigat; posse omnia, quæ novit, hoc est planè omnia ornare dicendo; quorum comparatione opus vulgarium, & plebejorum rhetorum, quod in judiciis, & conciunculis cernitur, servile, & pistrino dignum esse videatur; sed jam ad dicendum de excellentibus viris, quorum Crassus mentionem facit accedamus. Nominat igitur Crassus [g] inter philosophos ejus ætatis Carneadem, Metrodorum, Clitomachum, & Æschinem, & auditorem Panætii Mnesarchum, & Peripateticos Critolaum, & Diodorum; quos quia Carneades vicit omnes, & ingenii magnitudine, & nominis claritate, & dicendi copiâ, de Carneade primùm verba faciemus. Car-
neades ergo, qui Epicomo patre [h] natus 5
Cyrenis Hegesilai successor, ut Clemens Alexandrinus [i] testatur, novam [l] condidit Academiam, in Stoicorum præcipuè sententiis confutandis ingenium exercuit; ex quo dicere solitum ferunt, nisi [m] Chrysippus extitisset, ego non extitissem. Nec mirum Stoicos a Philosopho vehementissimè omnium oppugnatos; nam quum esset Academicus, nihil magis erat adversum Academicis, quàm sententia Stoicorum. Nam [n] Academici putabant non esse quemquam tam sapientem, ut quidquam posset comprehendere; Stoici contra non errare Sapientem, non decipi, & quod est majus, non opinari; quæ duæ sententiæ prorsus opponuntur. Magis tamen philoso-
phiâ, quæ spectat ad mores, quàm cogni- 6
tione [o] scientiæ naturalis dicitur præstitisse; quod eâ tempestate fuit commune omnium philosophorum; tanto verò [p] studio fuisse fertur, ut neque ungues amputaret, ne-

[a] Cic de Orat. l. 1. [b] Terentius in Andriâ Act. 1. Sc. 2. [c] Idem in Andriâ Act. 3. Sc. 4. [d] Idem in Phorm. Act. 2. Sc. 1. [e] Plaut. in Epid. Act. 1. Sc. 2. v. 18. [f] Idem in Pseudol. Act. 1. Sc. 5. v. 84. [g] Crassus apud Ciceron. de Orat. libr. 1. [h] Diogen. Laërtius libr. 4. segm. 62. in Vit. Carneadis. [i] Clemens Alexandrin. Stromat. libr. 1. [l] Div. Augustinus libr. 3. contra Academic. capit. 18. & Suidas in Voc. Καρνεάδης, Vid. Dissert. 58. in Cicer. num. 4. [m] Diogen. Laërtius libr. 4. segm. 62. in Vit. Carneadis. [n] Dissertat. 57. in Cicer. num. 7. [o] Diogenes Laërtius libr. 4. segm. 62. in Vit. Carneadis. [p] Idem ibid.

neque barbam, comamque tonderet; quòd ipsum pigeret aliquid temporis in corporis curâ consumere; ergo animum, quem excolebat, auxit insigni acumine disserendi, & scientiâ rerum singulari. Nemo congredi poterat impunè cum viro, quin sententiam ejus Carneades everteret; eo verò cursu, & verborum flumine Carneadis oratio ferebatur, ut adversarios dicendi copiâ obrueret, & torrentis instar secum raperet. Memoriæ proditum est [a] rhetores scholas reliquisse, & sese Carneadi in disciplinam tradidisse; tanta fuit in eo dicendi facultas, ut qui ceteros docebant ornatè loqui, præclarum sibi ducerent, si ejus discipuli esse possent. Magnitudinem verò eloquentiæ æquabat vocis magnitudo; quam [b] ut compesceret, Gymnasiarchus misit ad ipsum aliquando hominem, qui præciperet, ut sedatiùs loqueretur. Hanc Antipater Stoicus quum ferre non
7 posset, & ipso clamore Carneadis obrueretur, animum ad scribendum appulit, & scriptis ejus vocem aggressus est retundere; quapropter [c] Antipatrum καλαμοβόαν, quòd calamo, non voce clamaret, quemadmodum Carneades, appellarunt. Et sanè magnum Carneadi cum Stoicis certamen est institutum; neque enim Stoici adversarii contemnendi, sed omnium acerrimi; quapropter ferunt [d] Carneadem, quum Stoicorum libris esset responsurus, helleboro sumpto purgasse corpus, quo mentis aciem acueret, & ingenium excitaret; Stoicos autem vincebat eloquentiâ, cui nemo resistebat. Quare [e] Cato, quum Carneades legatus Romam venisset, censuit quàm primùm dimittendum; quòd eo dicente quid esset verum, non facilè posset dijudicari. Nec tamen non & Dialecticis
8 præstitit, quibus est a Diogene eruditus; ex quo jocari [f] solitum ferunt: si conclusi, satis habeo; si non conclusi, minam Diogenes reddat; quæ merces erat Dialecticorum. Atque hic tantus vir [g] nullum scriptum reliquit præter epistolas quasdam ad Ariarathem Regem Cappadociæ; in quo imitatus est Pythagoram, & [h] Socratem, & alios vetustissimos philosophos, qui sapientiæ suæ non libros, sed discipulos testes reliquerunt. Nam & Carneades quum Olympiade centesima [i] sexagesima secundâ ætatis anno octogesimo quincto fato concessisset, quo [l] die Luna dicitur defecisse, Clitomachum [m] auditorem suum præstantissimum philosophum successorem scholæ reliquit. Non omittendum hujus
philosophi dictum inprimis memorandum; 9
Carneades [n] ajebat opulentos homines, & Reges dumtaxat equitandi scientiam rectè condiscere; nam alias artes, & disciplinas quum docentur, adulatione præceptorum corrumpuntur, & a magistro laudati etiam, quum errant, prava pro rectis amplectuntur; at equus, qui nescit, pauperemne hominem, an Regem vehat, nisi ex arte regatur, non minùs Regem, non minùs potentem, quàm inopem excutit sessorem, & præsenti pœnâ castigat inscitiam moderatoris; quod dictum declarat, quantum discentibus obsit adulatio. Quam cavete, quæso, Auditores; nam etsi præceptores vobis non blandiantur, nunquam deerit adulator; nam unusquisque sibi assentatur, & persuadet multa scire, quæ nescit; hac autem opinione inflatus nemo potest multum proficere in studio litterarum; est igitur vana animi elatio, & stulta sui fiducia doctrinæ studiosis devitanda.



[a] Diogenes Laërtius libr. 4. segm. 62. in Vitâ Carneadis. [b] Idem Diogenes Laërtius libro 4. ibid. segm. 63. & Plutarch. de Garrulitate. [c] Plutarchus ibid. in fine. [d] Valer. Maxim. libr. 8. Aul. Gell. libr. 17. cap. 15. Fulgent. Mythol. libr. 1. & Paul. Manutius in Adag. *Bibe helleborum*. Plin. Natural. Histor. libr. 25. cap. 5. aliter Petronius in Satyrico, Tertullianus de Animâ, Div. Hieronymus Commentar. 1. in Epistolam D. Paul. ad Galatas, & Lucian. libr. 2. de Ver. Histor. [e] Plinius libr. 7. cap. 30. Vid. Diss. 42. in Cicer. pag. 284. litt. s. [f] Cicer. in Lucullo, sive Academic. Quæst. libr. 2. [g] Diogen. Laërt. libr. 4 segm. 65. in Vit. Carnead. [h] Plutarch. de Fortun. vel virtut. Alexandri Orat. 1. [i] Apollodor. in Chronicis apud Diogen. Laërtium ibid. [l] Suidas in V. Καρνεάδης, & Diog. Laërt. ibid. [m] Diog. Laërt. ibid. segm. 66. & Cicer. in Lucull. & Plutarchus ibidem. [n] Plutarch. de Adulatoris, & Amici discrimine.

DISSERTATIO LXIV.

De Clitomacho, Æſchine, & Metrodoro.

Veteres ætatem impedimento eſſe perdiſcendis diſciplinis non putabant. Clitomachus quadraginta natus annos, quum Carthagine philoſophiam profiteretur, Athenas ad audiendum Carneadem profectus eſt, quum fortè Romani Carthaginem obſiderent. Cato Græcas litteras ſenex didicit. Socrates in ſenectute Muſicæ, & ſaltandi magiſtris operam dedit. Seneca jam grandior natu ſe totum philoſophiæ dedidit. Æſchines, quum licentiâ nimiâ in Pompejum uteretur, exulare coactus eſt. Mithridates Metrodoro magiſtratum demandavit, a quo nemo poſſet ad Regem appellare. Apud Reges nunquam tuta fuit philoſophia, ut multis exemplis docemur; quare meliùs ſibi conſuluerunt plurimi philoſophi, qui a Regibus accerſiti ad eos proficiſci noluerunt. Sopater, quum Conſtantinus jura populis reddebat, in eodem ſolio dextram partem occupabat; deinde tamen indictâ causâ juſſu Imperatoris trucidatus eſt.

QUum Ciceronis locum illuſtrarem, ubi nominat excellenti ingenio, & doctrinâ viros, & ſapientiæ ſtudio memorandos, faciendum eſſe duxi, ut, quæ potui invenire de tantis viris prodita a clariſſimis Auctoribus, exponerem, Auditores. Et ſuperiore quidem ſermone de Car-
1 neade conditore novæ Academiæ diximus;
nunc ad ejus auditorem Clitomachum, quem a Carneade ſucceſſorem ſcholæ relictum eſſe memoravimus, ceteroſque, qui a Tullio nominantur, accedamus. Clitomachus [a] igitur ortus eſt Carthagine, & Asdrubal [b] appellabatur, antequam in Græciam proficiſceretur, philoſophiamque patrio ſermone profitebatur; ex quo conſtat Carthaginienſes, quamvis barbari haberentur, a philoſophiæ ſtudiis non alienos fuiſſe. Poſtea Athenas venit, quod eo tempore arbitror accidiſſe, quo Romani Carthaginem obſederunt; nam a Romanis exciſa carthago eſt anno ab Urbe [c] conditâ ſexcenteſimo ſecundo; Clitomachus autem Carneadi ſucceſſit anno circiter ſexcenteſimo vigeſimo tertio. Imminentem igitur Patriæ tempeſtatem fugiens in Græciam ſe contulit, quum quadraginta natus eſſet annos; & quum intelligeret, quantum ſapientia Græcorum vinceret ſapientiam Barbarorum, Græcis doctoribus operam dandam cenſuit; nec erubuit Athenis eſſe diſcipulus, qui Carthagine præceptoris muneri ſatisfecerat; ex quo apparuit ve-
rum Iſocratis eſſe dictum, qui affirmat in 2
oratione panegyricâ Athenienſium diſcipulos magiſtros eſſe aliarum civitatum. Nec eum [d] ætas deterruit, quæ multum proceſſerat, quominus ad philoſophiæ ſtudia tanquam adoleſcentulus incumberet; nimirum Priſci [e] non putabant ætatem impedimento ſibi eſſe oportere ad bonas artes perdiſcendas. Cato [f] major ſenex græcas litteras didicit: Socrates [g] autem ſenectâ jam ætate Muſicis operam dedit, & ſaltandi magiſtris; quòd eas artes ad animum componendum non inutiles eſſe arbitraretur: Seneca [h] grandior natu ſe philoſophiæ totum dedidit, nec ullam ætatem ad bonam mentem non cenſuit idoneam; quod ille veterum philoſophorum exemplo didicerat? nam Criton annis jam gravis vel diligentiſſimè Socratem audivit; & [i] Zenonem principem Stoicorum triginta anni, quos exegerat, a philoſopohiæ ſtudio non deterruerunt. His exemplis & Clitoma-
chus Carthaginienſis Græcis philoſophiæ 3
doctoribus ſe reformandum dedit; inter quos quum Carneadem videret excellere, in ejus diſciplinam ſeſe tradidit, Carneadem diligenter audivit; ab eoque impenſiùs eruditus in philoſophiæ ſtudio ſummam eſt claritudinem conſequutus; neque enim aut laboribus, aut vigiliis unquam pepercit, quò damnum ſerò ſuſcepti ſtudii Grajæ philoſophiæ compenſaret. Quapropter [l] multitudine librorum, quos conſcripſit, & evulgavit, eos ipſos, qui in Græcis litteris ætatem contriverant, ſuperavit; quadringentos [m] quippe dicitur edidiſſe; quibus Carneadis, cujus auditor fuerat, doctrinam, & ſententiam illuſtrabat. In eo fuit illud præcipuum, quod [n] trium ſcita ſectarum tenuit, & habitus eſt in philoſo-

[a] Cicer. in Lucullo, & Diogen. Laërt. libr. 4 ſegm. 67. in Vitâ Clitomach. [b] Diogen. Laërt. ibid. & Plutarch. Orat. 1. de Fortun. Alexandr. [c] T. Livius libr. 49. ex Epitom. L. Flor. Plinius Natural. Hiſtor. libr. 14. cap. 4. Vid. Oroſ. libr. 4. cap. 22. & Eutrop. libr. 4. cap. 4. [d] Diog. Laërt. libr. 4. ſegm. 67. in Vit. Clitomachi. [e] Paul. Manut. in Adag. *Senis mutare linguam*. [f] Valer. Max. libro 8. cap. 7. Cicer. in Caton. majore, vel de Senectute, & in Lucullo circa princ. & Plinius de Vir. Illoſtr cap. 47. [g] Valer. Max. ibid. Diog. Laërt. libr. 2. ſegm. 32. in Vit. Socratis, Sext. Empiric. libr. 6. adversùs Mathematic. Plato in Menexen. Quintil. Inſtit. Orat. libr. 1. cap. 10. Cicer. in Catone majore, & Suidas in V. Σωκράτης. [h] Juſtus Lipſ. in Vit. Senec. cap. 3. [i] Diog. Laërt. libr. 7. ſegm. 2. in Vit. Zenon. [l] Cic. in Lucull. ſive Academ. Quæſt. l. 2. [m] Diog. Laërt. libr. 4. ſegm. 67. in Vit. Clitomach. [n] Idem Diog. ibid.

losophiâ, quasi quidam [a] Herillus triplex, aut [b] Geryon; nam & Academicorum placita, & Stoicorum, Peripateticorumque cognovit. Huic Philon [c] successit, quem
4 Tullius [d] audivit; quem nonnulli volunt quartæ [e] Academiæ fuisse conditorem, quibus quinque placet academias extitisse, qui Antiochum quintæ fuisse auctorem arbitrantur. Tertium [f] Cicero nominat Academiæ novæ propugnatorem Æschinem; quem haud equidem scio, an appellet oratorem [g] Strabo; qui tradit ipsum, quum licentiâ nimiâ in Magnum Pompejum uteretur, coactum exulare. Et sanè tempus congruit, nec repugnat oratoris appellatio; nam philosophi eâ tempestate a Veterum severitate desciverant, & interdum magis rhetoris, quàm philosophi munus fungebantur; sic & Metrodorus, cujus hoc loco Cicero mentionem facit, eodem Strabone [h] teste a philosophiâ defluxit ad oratoriam facultatem. Mansit autem diu mos, ut philosophi rhetorum opera a se aliena non arbitrarentur; nam & Dionem Chrysostomum nescias, utrum rhetorem, an philosophum dicas; & orationes Themistii habent aliquid ab utraque facultate ductum, & opera Synesii, & [i] Juliani, qui παραβάτης est appellatus. Nihil igitur prohibet, quominus Æschines a Cicerone philosophus, orator a Strabone nuncupetur; nisi hic sit Æschines, quem statuam esse,
5 non reperio. Metrodorus autem, de quo Cicero loquitur, non est Metrodorus Lampsacenus, qui [l] fuit Epicuri sodalis, & auditor; quem [m] divinis laudibus in Cœlum vehit Epicurus, & sapientem appellat; sed Metrodorus Scepsius ab urbe Trojæ Scepsi dictus; qui [n] quamquam tenui re familiari locupletem duxit uxorem, ac tandiu Carthagine commoratus est, ubi uxoris Patria; deinde in Græciam reversus amicitiam Mithridatis [o] appetivit, ad ipsumque quum venisset, summum apud maximum Regem est honorem assequutus; nam ei demandata est jurisdicundi provincia; cujus magistratus ea fuit auctoritas, ut ab eo nemo posset ad Regem provocare. Sed amicitia Regis non prosperè cessit; quum enim malevoli, invidique magnam apud Mithridatem Philosopho invidiam, odiumque conflarint, ad Tigranem Regem missus orator a Mithridate descivit; coactus autem, quamvis reluctaretur, & repugnaret, ad eum redire sive dolo Regis, ut maximè credibile est, sive morbo absumptus interiit. Quo exemplo admonemur, apud Reges nunquam tutam 6
fuisse philosophiam, cujus rei multa sunt documenta; nam & Callisthenes Aristotelis [p] auditor, quum Alexandri Magni benevolentiâ aliquandiu floruisset, ad extremum offendit, & ab eodem Alexandro e medio sublatus est; & Platoni non expedivit ad Dionysium tyrannum navigasse; nam quamvis [q] initio Dionysius neminem haberet Platone cariorem, neminem pluris faceret; postremò nihil eorum, quorum causâ in Siciliam venerat, est assequutus; & si cadit in Sapientem injuria, injuriosè tractatus discessit. Senecæ verò nihil opes profuerunt, quas benevolentiâ Neronis congesserat; quippe ejusdem Neronis, qu m instituerat, jussu est interfectus. Eunapius [r] Sardianus memoriæ prodidit Sopatrum quendam philosophum nobilem inprimis Constantini Cæsaris gratiâ tantopere floruisse, ut quum Imperator jura populis redditurus consideret, Sopater in eodem solio dextram partem occuparet; sed brevi invidiæ procellam hominem percolisse, & indictâ causâ jussu Imperatoris esse trucidatum; raroque prorsus in aulâ felix fuit philosophia; quia philosophus est amicus veritatis, in aulâ mendacium floret, & regnat. Quapropter laudandi philosophi, qui a magnis Regibus accersiti ad eos 7
proficisci recusarunt; Socrates, qui ad Archelaum [f] Macedoniæ Regem, Heraclitus, qui ad [t] Darium Hystaspis filium, Zeno, qui [u] ad Antigonum, quamvis amplissimis conditionibus invitati, venire noluerunt. Sed ut ad Metrodorum referatur oratio, Carthaginiensis uxor, & amicitia Regis Mithri-

[a] Servius ad libr. 6. Æneid. Virgil. vers. *Gorgones, harpyiaque, & forma tricorporis umbre* [b] Palæphat. de Incredibilib. cap. 25. Hyginus fab. 30. & fab. 151. & Serv. ad libr. 6. Æneid. Virgil. v. *Gorgones harpyiaque, & forma tricorporis umbre*, & ad libr. 7. v. *Gyrgene extincto &c.* Æschyl. in Agamemn. Justinus libr. 44. & Diodor. Sicul. libr. 4. Biblioth. Histor. [c] Cicero in Lucullo, & Numenios apud Eusebium libr. 14. de Præparat. Evangel. [d] Cic. in Bruto. [e] Numenius apod Eusebium libr. 14. de Præparat. Evangel. & Sextus Empiric. libr. 1. cap. 33. Pyrrhon. Hypoth. [f] Cicero de Orator. libr. 1. [g] Strabo libr. 14. de Joniâ. [h] Idem Strabo libr. 13. de Troad. [i] Soidas in Voc. Ἰουλιανός. [l] Strabo libr. 13. ibid. & Cicer. libr. 2. de Finibus Diogenes Laërtius libr. 10. segm. 24. in Vit. Epicori, & Cornelius Celsus libr. 3. cap. 21. [m] Diogenes Laërtius ibidem segm. 23. [n] Strabn libro 13. de Troad. [o] Idem Strab. ibidem. [p] Plotarch. in Vitâ Alexandri, & Arrianus de Expeditione Alexandri libr. 2. [q] Diogenes Laërtius in Vit. Platonis libr. 3. segm. 21. Plin. libr. 7. cap. 30. & Ælian. Var. Histor. libr. 4. cap. 18. [r] Eunapius Sardianus in Vitis Sophistar. [f] Senec. de Beneficiis libr. 5. cap. 6. Aristotel. Rhetoric. libro 2. cap. 23. & Diogen. Laërtios libr. 2. segm. 25. in Vit. Socratis. [t] Diogenes Laërtios libr. 9. segm. 12. io Vit. Heracliti, & Clem. Alexandr. Strom. libr. 1. [u] Diogen. Laërt. libr. 7. segm. 7. in Vit. Zenonis.

thridatis facit, ut credam hunc eum esse Metrodorum scepsium, quem Plinius [a] tradit ab odio Romanorum nomen invenisse; qui scripsit Volsinios urbem inprimis Etruriæ nobilem ob duo signorum millia a Romanis eversam.

DISSERTATIO LXV.

De Mnesarcho, Panætio, & Critolao.

Diogenes Laërtius Zenonis Eleatæ peculiare fuisse tradit, quòd rarò Athenas commigrarit. Ille excellentiam notat, ut multis Auctorum locis ostenditur. Cicero imitatus est Panætii libros de Officiis. Venerem ab Apelle inchoatam nemo absolvere est ausus. Panætius censuit cometarum non esse verum ignem.

Quum Athenæ princeps Græciæ civitas, & altrix omnium disciplinarum philosophiam vel invenerint, vel [b] ab aliis inventam excoluerint, foverint, edocarint, nunquam destiterunt uberem philosophorum ferre proventum, vel in aliis urbibus natos ad se philosophos invitare, & invitatos augere sapientiâ, & gloriâ, & 1 cognitione rerum plurimarum. Quæ res effecit, ut admodum pauci philosophiæ studiis præstiterint, qui non Athenas repudiatâ Patriâ Patriam sibi delegerint; quapropter in Zenonis Eleatæ vitâ [c] Diogenes Laërtius tradit id fuisse Philosopho peculiare, quod Athenas rarò commigrarit; nec in eâ urbe domicilium collocarit, sed Eleæ, ubi natus fuerat, ætatem exegerit. Non enim solùm clarorum virorum, atque magnorum monumenta, quæ ibi frequentissima visebantur, non solùm inclytæ famâ urbis, non solùm celeberrima gymnasia, quæ doctissimorum hominum vocibus personabant, sapientiæ studiosos alliciebant; sed etiam, ut Lucianus in Nigrino testatur, Atheniensium ingenia, quæ fastum oderant, quæ luxum aspernabantur, quæ paupertatem nemini probro esse ducebant oportere; quæ si quid perperam factum animadverterent, urbanè, non acerbè reprehenderent, & facetissimis dictis castigarent; mores præterea civitatis non alieni a philosophiâ, sobrii, temperati, & omni fuco carentes; communis omnibus libertas, altissimum otium, & quies nullo tumultu interrupta ad ejus urbis amorem litteratos homines, & præcipuè philosophiæ cupidos excitabant. Quocirca Athenis magni philosophorum greges versabantur; quod cum ex multis intelligi potest, tum ex loco Ciceronis, quem suscepimus illustrandum; quot enim Cicero nominat non mediocres [d], sed pene summos philosophos, qui eadem ætate Athenis floruerunt? de quibus dicere cœpimus, Auditores; & de Carneade, Æschine, Clitomacho, Metrodoro sermonibus, quos proximè habuimus, verba fecimus; nunc ad reliquos accedemus. Proximum his, de quibus loquuti sumus, Cicero Mnesarchum nominat, 2
quem auditorem fuisse Panætii tradit, cujus philosophi nomen est obscurius; neque enim de eo quidquam legi, nisi apud Ciceronem, qui quarto libro Academicarum quæstionum Mnesarchum fuisse indicat philosophum non vulgarem, sed nobilem, in primisque memorandum; & cettè, si discipuli doctrina ex magistri scientiâ debet æstimari, Mnesarchum fuisse philosophum summum possumus arbitrari. Nam audivit Panætium, quem Dii boni! quem Cicero [e] prope principem judicat Stoicorum; qui locus Ciceronis huic affert nostro lucem; appatet enim, cur hic Cicero dicat Panætii illius, illius videlicet eximii, inclyti, principis philosophi. Nam *ille* excellentiam notat; sic Virgilius [f] ait:

En hujus, nate, auspiciis illa inclyta Roma;

& alio in [g] loco:

...... tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem;

& [h] alibi;

Tu ne ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus phrygii genuit Simoëntis ad undâ

Et [i] Arnobius: *Plato ille divinus multa sanctè, pieque doctus*. Sed & apud Græcos eandem vim ἐκεῖνος habet; Lucianus in somnio: ἀπὸ γὰρ τῶν τοιούτων ὁρμώμενος ὁ Φειδίας ἐκεῖνος ἔδειξε τὸν Δία, καὶ Πολύκλειτος τὴν Ἥραν εἰργάσατο: hoc est: *ab his initiis profectus Phidias ille Jovem fecit, & Junonem Polycletus*. Is autem [l] Panætius natus est Rhodi in urbe nobili, & doctorum hominum ingeniis [m] celebratâ; habuitque Antipatrum Stoicorum præceptorem, ob eamque causam Stoicorum [n] sententias probavit; sed eorum in differendo spinas, acerbitatemque [o] sententiarum vitavit; & Platonis, Aristo- 3

[a] Plinius Natural. Histor. libr. 34. cap. 7. [b] Diogenes Laërtius in Procemio. [c] Idem Diogen. libr. 9. segm. 28. in Vit. Zenonis Eleatæ. [d] Cicer. libr. 1. de Oratore. [e] Idem Cic. Academ. Quæst. libr. 2. [f] Virgil. Æneid. libr. 6. [g] Idem Æneid. libr. 6. [h] Idem Virgil. Æn. libr. 1. [i] Arnobius adverf. Gentes. [l] Strabo libr. 14. de Rhodo, & Suidas in V. Παναίτιος. [m] Strabo libr. 14. ibid. [n] Cicer. in Lucullo, sive Academic. Quæst. libr. 2. [o] Idem de Finib. libr. 4. in fine.

ristotelis, & Theophrasti ornamenta dicendi est summâ cum laude consectatus; amicitiâ [a] floruit Scipionis Africani, cui fuisse intimus fertur. Quapropter [b] in illâ oobili legatione, qua ad res Regum inspiciendas missus est Africanus, unum habuit comitem Panætium philosophum, cujus ille consilio plurimum utebatur; Suidas [c] etiam auditorem fuisse Panætii tradit Africanum, & ab eo præcepta sapientiæ accepisse; Posidonius [d] magno vir ingenio, & sapientiâ singulari ejusdem disciplinâ est institutus. Et hi quidem nobiles auditores, libri
4 verò multi, sed egregii, quos de officiis conscripsit; quos [e] Tullius est imitatus, qui tamen imperfectos ab eo relictos arbitratur; & Posidonii [f] dictum refert, qui ajebat, quemadmodum nemo esset inventus, qui Venerem ab Apelle inchoatam auderet absolvere, quum ab auctore extremam manum non accepisset; ita neminem repertum, qui a Panætio locum relictum explere tentaret, propter operis excellentiam. Hujus philosophi Seneca [g] memorabile dictum refert; quum adolescentulus ab eo quæreret, an sapiens esset amaturus; de sapiente respondit Panætius, videbimus; mihi, & tibi, qui longè absumus a sapiente, non committendum, ut incidamus in rem commotam, alteri emancipatam, vilem sibi. Idem [h] Seneca Panætium censuisse testatur non esse verum ignem eum, qui
5 in cometis cernitur; sed quandam speciem ignis oculos nostros falsâ imagine decipientem; ejusdem Clemens [i] Alexandrinus refert de summo bono sententiam; quod esse Panætius voluit vivere secundùm appetitiones nobis a naturâ datas; quæ definitio summi boni declarat, quid sit apud Stoicos [l] vivere secundùm naturam, quod illi statuunt esse finem bonorum. Atque hæc de Panætio satis fuerit delibasse; ex quibus perspicere possitis, Auditores, & quis Panætius fuerit; & cur a Cicerone cum insigni prædicatione nominetur; reliqui duo, quorum [m] Cicero mentionem facit, sunt Critolaus, & Diodorus. Crito-
6 laus [n] fuit is, quem supra ab Atheniensibus legatum missum memoravimus; ab Aristotele quinctus Peripato præfuit. Nam Aristoteli [o] Theophrastus, Theophrasto autem Strato, Stratoni Lycon, Lyconi successit Critolaus; qui, sicut ceteri Peripatetici, in externis fortunæ, & corporis, & internis animi bonis felicitatem sitam esse voluit; sed [p] tantum statuit esse in virtute momentum ad bene, beateque vivendum; ut si bona fingamus appendi, & in alterâ libræ lance divitias, & honores, & potentiam, & reliqua fortunæ bona, & pulchritudinem, & agilitatem, & robur corporis, & valetudinem collocari, in alterâ virtutem, eam ita præponderaturam, ut maria, & terram insuper depressura videatur; huic sententiæ congruenter summum bonum vitæ perfectionem secundùm naturam fluentia definivit.

DISSERTATIO LXVI.

De Diodoro, & Asclepiade medico.

Diodorus dialecticus pudore non solutæ protinus quæstionis interiit: quo argumento motum negaret. Asclepiades sponsionem cum fortunâ fecit, se omnis expertem morbi victurum; omnium Medicorum placita repudiavit; ambulationes, gestationesque, & corporis frictiones in morbis approbavit; suspendit lectulos, quorum jactatu somnos ægrotis alliceret; damnavit medicatas potiones, & vomitiones, quibus tunc frequenter utebantur.

Etsi vereor, Auditores, ne longiùs, quàm necesse est, ab argumento videar evagari; tamen, quia & ad audientium voluptatem, & ad Ciceronis lucem putavi pertinere, de claris viris dicere, qui a Tullio [q] nominantur hoc loco, faciendum esse duxi, ut quæcumque de his a magnis Auctoribus
memorantur, colligerem. Quæ comme- 1
moratio licèt non sit injucunda, tamen perstringit animum quodam sensu doloris; quum cogito vix memoriam extare tot præstantium virorum, qui sæcula priscis, & sapientiâ summâ, & incredibili in studiis gloriâ

[a] Cicero de Finibus libr. 4. & Tusculanar. Quæst. libr. 1. [b] Idem in Lucullo, sive Academ. Quæst. libr. 2. paulo post princip. & Plutarch. in Apophthegmat. Scipionis, & libr. qui inscribitur Philosophandum esse cum Principibus. [c] Suid. in V. Παναίτιος. [d] Idem Suid. in V. Ποσειδώνιος, & Ciceron. de Offic. libr. 3. [e] Cicer. de Offic. libr. 1. & 3. circa princ. & Lactant. Firmian. de vero cultu libr. 6. cap. 5. [f] Cic. de Offic. libr. 3. circa princip. [g] Senec. Epistol. 116. [h] Senec. Quæst. Natural. libr. 7. cap. 30. [i] Clemens Alexandr. Str. libr. 2. [l] Cicer. de Officiis libr. 3. [m] Cicero de Orator. libr. 1. [n] Cicer. de Orator. libr. 2. Aul. Gell. libr. 17. cap. 21. in fine, Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 5. & Dissert. 42. in Ciceron. num. 4. [o] Plutarch. de Exil. & Clem. Alex. Strom. libr. 1. [p] Cicer. Tusculan. Quæst. libr. 5. [q] Cicer. de Oratore libr. 1.

riâ floruerunt. En cur putemus nomen nostrum fore sempiternum; quum videamus tot doctissimos homines, qui suâ ætate principem in litteris locum occupabant, in iisdem tenebris vetustatis latere, quibus imperitos; nec eorum scripta solùm, sed etiam nomen pæne intercidisse; quis enim eorum, quos Cicero nominat, tanquam summos viros, non, ut Horatii [a] verbis utar,

..... illacrimabilis
Urgetur, ignotusque longâ
Nocte? ......

Quo mihi promptior venia de iis pauca dicenti; neque enim apud Auctores multa reperiuntur, & omnia ingenii monumenta, quæ reliquerunt, injuria temporum delevit; quod Reipublicæ litterariæ damnum quis non maximum esse fateatur? Et ceterarum quidem facultatum utcumque ferenda jactura est; philosophiæ verò, quæ magistra vitæ est, lux veritatis, Regina omnium disciplinarum, damno non possum, Auditores, non commoveri. Neque enim solum philosophorum, quorum Cicero mentionem facit, monumenta desidero; sed eorum memoriâ admonitus animus recordatur, quàm multa philosophorum opera perierint, quàm pauca ad nos pervenerint. Et miramur philosophiam parum profecisse, quum, quidquid tot sæculis inventum, cogitatum est ab eruditissimis viris, diuturnitas temporum, & inscitia hominum obliterarit? & philosophia, quæ jam canescere, & maturitatem assequi debuisset, adhuc infans esse videatur? sed nos ad inceptum reverta-
2 mur. Alter Peripateticus, qui a Cicerone recensetur, est [b] Diodorus, non ille dialecticus, qui, ut Sextus Empiricus [c] testatur, esse in rerum naturâ motum negabat; quòd quidquid movetur, nec in eo, in quo est, nec in eo, in quo non est, moveretur; quem Callimachus [d] mordacissimis versibus est insectatus, qui [e] Cronus a Ptolemæo Sotere dictus est; quem ferunt [f] interiisse pudore non solutæ protinus quæstionis; verùm alius, qui successit [g] Critolao; is ultimum expetendorum statuit esse expertem molestiæ cum honestate vitam [h] ducere. Hi a [i] Cicerone philosophi nominantur, qui quoniam noti vulgo non sunt, quia, quæ ediderunt, ingenii monumenta non extant, erant a nobis cum curâ dicendi. Nominat, etiam [l] Cicero Asclepiadem medicum, & affirmat ceteros eloquentiâ præ- 3
stitisse; nec id sanè mirum, nam antequam medicinam profiteretur, eloquentiæ ludum dicitur [m] habuisse; hunc oratione torrenti, & rapidâ totum Orbem in se circumegisse Plinius [n] tradit. Patria [o] viro Prusa nobile Bithyniæ oppidum, ut [p] Strabo scriptum reliquit; artis tantâ fiduciâ, ut sponsionem [q] cum fortunâ fecerit, ne Medicus unquam crederetur, nisi ætatem omnis expertem morbi exegisset; & contigit viro inoffensa valetudo, extinctusque est extremâ senectute [r] scalarum lapsu; ars verò tanta, ut [s] hominem, qui jam efferebatur, quum vidisset, & vivere certis signis comperisset, referri jusserit, & relatum sanaverit. Qua [t] famâ Mithridates Ponti Rex potentissimus, & medicinæ haudquaquam 4
ignarus, compulsus Asclepiadem missis legatis accersivit; sed imitatus est vir magnus ejus artis principem [u] Hippocratem; qui quum ab Artaxerxe opulentissimo Rege Persarum, ut ad se veniret, invitaretur, magno animo magni Regis promissa repudiavit, iramque contempsit repulsâ jam exardescentis, & minitantis extrema viro, & Græcis universis. Sed ut Hippocratis factum Asclepiades est æmulatus, ita conditâ novâ sectâ ab auctoritate, & sententiâ dicitur descivisse, & omnium Medicorum placita repudiasse, totamque medicinam ad quinque res præcipuè [x] revocasse; abstinentiam cibi, atque vini, & ambulationes, gestationesque [y], & corporis frictiones; & frigidâ [z] ægrotis dandâ blanditum esse eorum cupiditati, & simul morbos allevasse; damnasse medicatas potiones, vomitionesque, quibus [a] eo tempore Medici ad morbos curandos frequentibus utebantur, & invalidis cruciamenta detraxisse; ut in anginæ morbo, quem immisso in fauces organo curabant; suspendisse [b] lectulos, quorum jactatu somnos alliceret, & morbis mederetur, balneisque etiam juvisse la- 5
borantes, aut saltem oblectasse. Ideo Cornelius Celsus testatur esse nonnullos, qui me-

[a] Horatius libr 4. Od. 9. ad Lollium. [b] Strabo libr. 14. de Jasso, & libr. 17. circa finem; Clemens Alexandrin. Stromat. libr. 4. Aul. Gell. libro 11. cap. 12. & Diogen. Laërtius libr. 2. segm. 111. in Vit. Diodori. [c] Sextus Empiricus advers. Mathematic. [d] Callimachus apud Diogenem Laërt. libr. 2. segm. 111. in Vit. Diodori, & apud Sext. Empiric. advers. Mathematic. libr. 1. [e] Diogen. Laërtius ibid. [f] Idem Diogen. ibid. & Plin. libro 7. cap. 53. [g] Clemens Alexandrin. Stromat. l. 1. [h] Idem Stromat. libr. 2. & Cicer. de Finibus libr. 5. [i] Cicero de Oratore libr. 1. [l] Idem Cicer. de Orator. ibid. [m] Plinius Natural. Histor. libr. 26. cap. 3. [n] Idem Plinius ibid. [o] Idem Plinius libr. 7. cap. 37. & Suidas in V. Ἀσκληπιάδης. [p] Strabo libr. 12. de Phrysiâ. [q] Plinius Natural. Hist. libr. 7. cap. 37. [r] Idem ibid. [s] Idem Plin. ibid. & libr. 26. cap. 3. [t] Plinius ibid. [u] Suidas in V. Ἱπποκράτης. [x] Plinius libr. 26. cap. 3. Natural. Histor. [y] Cornel. Celsus de Medicin. libr. 2. cap. 13. [z] Idem Corn. Cels. libr. 4. cap. 19. [a] Plin. libr. 26. cap. 3. Natural. Histor. [b] Idem Plinius ibidem.

medendi rationem ab Asclepiade repertam affirment esse nimis dissolutam, & ægrotorum voluptatibus indulgere, quos ille tamen confutat; quum dicat initio quidem morborum Asclepiadem [a] languentes inediâ, & siti exercuisse; adeo ut nonnullis plurimorum dierum abstinentiam a cibo imperaret; procedente autem tempore, quum jam inediâ morbum fregisset, fuisse remissiorem, & ægris aliquantulum indulsisse. Idem [b] tradit ipsum de frictione diligentissimè omnium perscripsisse; nec aliquid tamen invenire potuisse, quod non maximus Auctor Hippocrates paucis verbis absolverit; qui frictione, si sit vehemens, durari corpus, sin autem lenis, molliri confirmavit. Hæc autem de viro tradere non alienum esse duxi, quia Cicero [c] vicisse ceteros Medicos eloquentiâ tradit; ex his autem, quæ in medendi ratione mutavit, apparet, quantâ dicendi arte opus fuerit illi, ut aliorum Medicorum bene constitutam, & vetustate corroboratam disciplinam labefactaret, & hominibus persuaderet; ut in re tanti momenti se potiùs, quàm tot antiquos Medicos auctoritate jam inveteratâ, & scientiâ rerum clarissimos, ducem sequerentur.



Tom. II.

DISSERTATIO LXVII.

De quibusdam ætatibus, quæ ingeniorum proventu floruerunt.

Falsum est Mundum continuò in deterius ferri; licèt hæc sit vetus opinio. Eadem ferè ætate innumeri philosophi, & poëtæ floruerunt. Omnes Historici celebres in Latio intra octoginta annos extiterunt; sicut Ciceronis ævo omnes oratores. Post Augusti Imperium tam Romæ, quàm in Græcia litteræ obsoleverunt. Xenophanem olympiade quadragesimâ natum usque ad Darii, & Cyri tempora vitam produxisse refert Clemens Alexandrinus; sed veriùs Diogenes Laërtius, & Eusebius circa olympiadem sexagesimam volunt floruisse.

Vetus opinio est, & [d] querela nonnullorum effetam esse naturam, & omnia in [e] pejus ruere, retroque sublapsâ ferri Mundi vitio jam senescentis. Idcirco, & [f] Homerus queritur humanæ 1 staturæ modum fieri in dies contractiorem, & plures deteriores, paucos parentibus esse meliores; & Columella [g] rei rusticæ scriptor insignis refert multos in eâ sententiâ fuisse ipsum jam solum effetum, jam vetustate non posse eadem copiâ, quâ priscis temporibus alimenta Mortalibus ministrare. Sed præcipuè hominum ingenia quotidie decrescere quidam arbitrantur; nec eandem in nobis esse mentis aciem, idem acumen ingenii, eandem sagacitatem, quæ in Antiquis fuit. Quam sententiam falsam inprimis existimo; nam, si casu Mundus regeretur, & suis, non divini Conditoris viribus rerum natura niteretur, putarem fortasse laborare, posse paulatim pristinum robur, & virtutem amittere; sed quum immensa vis æterni procreatoris, quæ nunquam defatigatur, nunquam consenescit, nunquam languet, omnibus Universi membris infundatur, omnia penetret, & regat, & administret, suppeditetque naturæ vires procreandi, & alendi procreata; cur credamus nobis eam maligniùs, quàm Priscis velle consultum; nec posse Mundum pristinum statum obtinere, quum ejusdem Rectoris benignitate foveatur? sicut idem exemplar est, quod fingit, & format omnia; ita omnia tam perfecta, quàm initio fuerunt, procreantur. Quæ quum ita se 2 habeant, Auditores, mihi recensenti virorum


Tt

[a] Plinius Natural. Histor. libr. 26. cap. 3. [b] Cornelius Celsus libr. 2. de Medicinâ cap. 13. [c] Cicero de Orat. libr. 1. [d] Senec. Epist. 97. [e] Virgil. Georgic. libr. 1. [f] Homer. in Odyss. libr. 2. vers. 276. [g] Columell. de Rustic. libr. 1. in Præfatione.

rorum multitudinem, qui ætate Craſſi oratoris floruerunt, quorum exiguam partem Cicero [a] nominat hoc loco, quem illuſtramus, mirari ſubit, quid ſit, quod nonnulla ſæcula tot viros doctrinâ ſingulari, & incredibili ingenio extulerunt; alia verò quaſi ingeniorum effeta proventu, vix unum, aut alterum præſtantem ſcriptorem genuerunt. Nonne id anſam præbet ſuſpicandi mutari Mundum, & ſi non conſeneſcat, modò tamen elangueſcere, modò vires reſumere? & tamen experimenta rerum docent non eandem ſemper eſſe ingeniorum præſtantium copiam, ſed alia ſæcula aliis eſſe feliciora. Qua tempeſtate Mileſius
3 Thales philoſophiæ naturalis [b], ut ita dicam, fores aperuerat, in ejus adyta [c] Pythagoras penetravit; huic [d] ætate par Mileſius Anaximander inferior ſcientiâ rerum, & nominis claritate ſæculum illud inprimis illuſtravit; illuſtravit & [e] Pherecydes, cujus Pythagoram ferunt auditorem extitiſſe; illuſtrarunt omnes Pythagoræ præceptores, qui multi, nec ignobiles fuiſſe [f] dicuntur; & Xenophanes auctor Eleaticæ [g] philoſophiæ; quem Apollodorus apud Clementem [h] Alexandrinum refert circa olympiadem quadrageſimam natum uſque ad Darii Regis, & Cyri tempora vitam produxiſſe; quamquam [i] Diogenes Laërtius, & Euſebius [l] fortaſſe verius circa olympiadem ſexageſimam volunt floruiſſe, & eodem omnino tempore, quo Pythagoras vixit, philoſophiæ ſtudia celebraſſe. Nec Xenophanis auditor [m] Parmenides longè abfuit ab ætate Pythagoræ; nec ille grex Pythagoreorum, qui Italiam præclariſſimis & inſtitutis, & legibus, & eruditione mirâ, & gloriâ decoravit; tantamque ætas illa, quæ naſcentem philoſophiam vidit, & prima philoſophi [n] nomen audivit, multitudinem philoſophorum tulit; ut tria genera philoſophiæ, quæ ſunt omnes ferè complexa philoſophos, ipſi debeantur; nam & Jonica philoſophia eo tempore [o] auctore Thalete Mileſio, & Italica Pythagora, & Eleatica Xenophane repertore prolata eſt. Jam poëtas [p] Hipponactem mordaciſſimi carminis [q] inventorem, Anacreontem [r] ſuaviſſimi, Æſchylum [f] graviſſimi celebravit; 4
celebravit & [t] Pindarum Lyricorum principem, & [u] Bacchylidem aliquanto juniorem Pindaro. Nec Simonidis [x] muſa non eandem ætatem illuſtravit, nec Theognidis inclyta nobiliſſimis carminibus ſapientia; ſiquidem Theognis olympiade quinquageſima octavâ [y] dicitur floruiſſe. Quid Socratis ætas, quot viros tulit in ſuâ facultate principes? tulit [z] Hippocratem quaſi quoddam medicinæ numen: tulit Democritum, quem neceſſe eſt Socratis ætatem attigiſſe, quum Democriti [a] pater Xerxem hoſpitio exceperit: tulit [b] Periclem, & ejus præceptorem [c] Anaxagoram, & Archelaum magiſtrum [d] Socratis, & [e] Euripidem, & Sophoclem [f] principes tragicorum poëtarum, & Ariſtophanem [g] mediæ comœdiæ [h] lumen, & [i] Protagoram, &

[a] Cicero de Oratore libr. 1. [b] Diogenes Laërtius libr. 1. ſegm. 24. in Vit. Thalet Cyrillus contra Julianum libr. 1. Simplic. ad libr. 1. Phyſic. Ariſtotel. text. 6. Cicero de Naturâ Deorum libr. 1. Lactantius Firmian. libr. 3. de Falsâ Sapient. cap. 14. & Origenes in Philoſophumenis. [c] De ætate Pythagoræ Vid. Diogen. Laërtium libr. 8. ſegm. 45. in Vit. Pythagor. Cyrill. ibidem, & Aul. Gell. libr. 17. cap. 21. [d] Idem Diog. Laërt. in Procemio ſegm. 13. [e] Cicero de Divinat. libr. 1. Plin. libr. 2. cap. 79. Diogen. Laërtius ibid. & libr. 1. ſegm. 118. & 122. in Vit. Pherecydis, Lactantius Firmian. libr. 7. cap. 8. de Divino Præmio, Jamblichus in Vit. Pythagoræ, Div. Auguſtinus Epiſt. 3. ad Voluſianum, Clemens Alexandrin. Strom. libr. 1. [f] Diogenes Laërtius in Vit. Pythag. libr. 8. ſegm. 2. Apulejus in Florid. libr. 2. & Porphyrius in Vit. Pythagor. [g] Clemens Alexandr. Stromat. libr. 1. [h] Apollodor. apud Clementem Alexandrin. ibid. [i] Diogen. Laërt. libr. 9. ſegm. 20. in Vit. Xenophanis. [l] Euſebius in Chronic. Vid. etiam Sextum Empiric. adverſ. Mathem. Athen. libr. 2. & Origen. in Philoſophumen. [m] Diogen. Laërtius libr. 9. ſegm. 23. Vid. Suid. in V. Ζήνων. [n] Cicero Tuſculan. Quæſt. libr. 5. Diog. Laërt. in Procemio, Clemens Alexandrinus Stromat. libro 1. Quintilianus libr. 12. cap. 1. Inſtit. Orator. & Lactantius Firmianus libr. 3. de Falsâ Sapient. cap. 14. [o] Diogenes Laërtius ibid. & Clem. Alexandrin. ibid. & Div. Auguſtinus de Civitat. Dei libr. 8. cap. 11. [p] Plinius libr. 36. cap. 5. [q] Clemens Alexandrin. Stromat. libr. 1. [r] Suidas in V. Α'νακρέων, & Euſebius in Chronico. [f] Euſebius ibid. Aul. Gell. libr. 17. cap. 21. aliter Suidas in V. Αἰσχύλος. ſed V. Iſ. Caſaubonum in Libello de Satyric Poëſi libr. 1. cap. 5. Meurſium de Archont. libr. 2. cap. 2. & Samuel. Petit. Miſcellan. libr. 3. cap. 14. [t] Suid. in V. Πίνδαρος, & Euſebius in Chronico. [u] Idem Euſebius ibid. [x] Suidas in V. Σιμωνίδης. [y] Idem Euſebius in Chronico. [z] Soranus in Vit. Hippocratis. [a] Valerius Maximus libr. 8. cap. 7. & Diogenes Laërtius libro 9. ſegm. 34. in Vit. Democriti. [b] Thucydides Hiſtor. libr. 2. & Plutarchus in Vit. Periclis. [c] Vid. Diſſertat. 41. in Ciceron. num. 5. Diogenes Laërtius libr. 2. ſegm. 12. in Vit. Anaxagoræ, & Lucianus in Timone. [d] Cicero Tuſcul. Quæſtion. libr. 5. [e] Thomas Magiſter in Vit. Euripidis, Suidas in Voc. Εὐριπίδης, Diogenes Laërtius libr. 2. in Vit. Socr. ſegm. 44. & A. Gell. libr. 17. cap. 21. [f] A. Gell. ibid. [g] Euſeb. in Chronico, Vid. etiam Gerard. Jo: Voſs. de Veterum Poëtarum temporibus libr. 1. cap. 6. aliter Suidas in V. Α'ριστοφάνης. [h] Vetus Ariſtophanis Scholiaſt. in Prolegomenis. [i] Diogenes Laërt. libr. 9. ſegm. 56. in Vit. Protagoræ, & Suid. in V. Πρωταγόρας.

& Hippiam; & Gorgiam [a] Leontinum, & Prodicum [b] Chium, & Herodotum [c] historiæ patrem, & Thucydidem eminentissimum rerum gestarum conditorem, & Metonem [d] Astronomum, qui [e] Solstitium observavit. Quæ verò ætas consequuta
5 est, quidquid in oratoriâ facultate, aut in philosophiæ studio mirandum videtur, extulit. Post Platonis, & Aristotelis, & Theophrasti capacem rerum naturæ mentem degeneravit Græcia; nec multis ætatibus ullum ferè admiratione dignum ingenium procreavit. Idem accidit Latio; paucissimæ fuerunt ætates, quæ magnorum virorum ingeniis illuminarentur. Vellejus [f] Paterculus notat, quidquid in historiâ latinâ opponere insolenti Græciæ possumus, intra octoginta annos extitisse; omnes oratores, quorum eloquentiam admireris, Ciceronis ævo floruisse; certè illa tempora, quæ fuerunt extrema Reipublicæ jam senescenti, & morienti libertati, & intra principatus ornatissimis ingeniis referta viguerunt, post Imperium Augusti, qui toto [g] Orbe terrarum pace constitutâ etiam pacis artes aluit, auxit, ornavit, litteræ tam Romæ, quàm in Græciâ obsoleverunt; nec Tiberii, Claudiique, & Neronis, & eorum, qui consequuti sunt, principum tempora magnopere doctrinæ laude censentur; ut illa ingeniorum lumina, quæ Augusti principatum illustrarunt, libertatis extinctæ reliquiæ quædam, & quasi scintillæ fuisse videantur.



DISSERTATIO LXVIII.

Qua quæritur, cur aliis ætatibus fuerit summa paucitas hominum doctorum, aliis autem summa multitudo.

Manilius Senator cunctis disciplinis nullo doctore nobilis extitit. Hipparchus vernum æquinoctium anno ab Urbe conditâ sexcentesimo vigesimo sexto observavit. Tiberii, Caiique, Claudii, ac Neronis ætate litteræ pene extinctæ sunt. Trajano verò, & Antoninis imperantibus revixerunt; diversitatis autem causa fuit Principum in litteras amor, vel odium. Caligula de abolendis Homeri carminibus, & Virgilii, & Livii imaginibus tollendis cogitavit. Nero Lucanum, & Senecam extinxit, & Petronium Arbitrum ad necem sibi consciscendam impulit.

Quum Ciceronis [h] locum, Auditores, explicarem, ubi Crassus quàm plurimos nominat viros præstanti scientiâ rerum, & eloquentiâ singulari, qui ipsius ætate floruerunt, non intempestivum judicavi, digredi paulisper ab oratione Crassi, & animadvertere quasdam ætates doctissimorum hominum copiâ abundasse; quasdam autem doctrinæ laude caruisse, & aut paucos, aut nullos ingenii gloriâ prædicandos viros protulisse. Et sermone quidem, 1
quem proximè habuimus, quibus ætatibus Græcia præclarissimis ingeniis illustrata sit, diximus; quibusque gloriæ suæ minimè responderit, & more arborum, quæ ubi fructus nimis largè produxerunt, consequenti anno paucissimos ferunt, & ubertate sterilescunt, quasi effetâ superiorum temporum fertilitate paucissimos viros pepererit sapientiæ laude florentes, animadvertimus; & Latio idem accidisse, omnesque, quorum ingenia admiramur, vel senescente Republicâ, vel Augusti ævo extitisse; Tiberii, Caiique, Claudii, ac Neronis tempora propemodum litterarum luce caruisse; hodierno die de quibusdam adhuc ætatibus, quæ doctissimis viris abundarunt, verba faciemus, & hujus rei causas exponemus. Trajano [i] igitur imperante, quum
jam senio confectum, & invalidum a tan- 2

[a] Suidas in Voc. Πρόδικος, & in V. Γοργίας, & Plat. in Theage. [b] Suidas in V. Πρόδικος. [c] Pamph. libr. 11. apud Aul. Gell. libr. 15. cap. 23. Diodor. Siculus libr. 2. Dionys. Halicarnass. in Judicio de Thucydide, & Suidas in V. Θουκυδίδης. [d] Diod. Siculus libr. 12. [e] Gerardus Jo: Vossius de Naturâ Artium libr. 3. cap. 33. & Salmasius in Exercit. Plinian. ad Solin. cap. 37. [f] Vellejus Patercul. Histor. libr. 2. [g] Suetonius in Vit. Augusti cap. 89. [h] Cicero de Oratore libr. 1. [i] Plinius in Panegyric. n. 47.

to Principe fotum, & recreatum convaleſceret, & lacertos moveret Imperium, etiam litterarum dignitas cum Reipublicæ dignitate reſtituta eſt; Antoninorum quoque [a] principatus ingeniis præcipuè Græcis redundavit; ſed inter ea tempora, quæ nobilitata ſunt philoſophiæ ſtudiis, & litterarum, non injuriâ ſæculum, quod hîc attingitur a [b] Cicerone, recenſendum eſt. Nam præter eos philoſophos, de quibus diximus, & qui in hoc loco nominantur, qui ſatis multi ſunt, nominis immortalitatem ingenii præſtantiâ ſunt conſequuti Apollonius [c] ille Rhodius, quem & eloquentiæ laude ferunt præſtitiſſe, & præcepta dicendi cum ſummâ gloriâ tradidiſſe; & apud Latinos [d] Lucilius, qui primus dicitur [e] ſtyli natum condidiſſe, & [f] Craſſus orator, & Antonius, & Sulpicius, & Cotta, & Cæſar, & Scævola Juriſconſultus, idemque orator non contemnendus; & qui eorum ætatem [g] Ennius anteceſſit, & Terentius, & Afranius, quem [h] Quintilianus exiſtimat illum ſolis conceſſum Atticis leporem, venuſtatemque conſequutum. Archias [i] quoque poëta nobilis,
3 quo tempore florebat in Republicâ Marius, Romam venit; Manilius [l] etiam ſenator ille, quem cunctis diſciplinis nullo doctore nobilem extitiſſe memoriæ proditum eſt, Marii, & Syllæ temporibus ſummam eruditionis gloriam eſt adeptus; & hiſtoria latina [m] Valerium Antiatem, Claudium Quadrigarium, & Cælium, & [n] Siſennam, & Rutilium, & Catulum [o] Luctatium, non illos quidem latis excultos, & perpolitos, non contemnendos tamen hiſtoricos habuit. Sed omnium famam vicit Hipparchus eximius ille Cœli, ſiderumque ſpectator; qui Plinio [p] teſte hominibus cum ſideribus cognationem intercedere approbavit. Hic tantus interpres Cœli fuit præcipuum lumen ejus ætatis, quæ Ciceronis ævum anteceſſit; ſiquidem Hipparchus vernum [q] æquinoctium obſervavit anno ab Urbe conditâ ſexcenteſimovigeſimoſexto; ex quibus conſtat ſæculum, de quo loquitur Cicero, excellenti doctrinâ viris abundaſſe. Sed multitudo ingenii dotibus, & ſcientiâ hominum præſtantiſſimorum, quæ quas-
4 dam ætates illuſtravit, & paucitas, quæ in aliis cernitur, deducit animum ad indagandas cauſas tanti diſcriminis; neque enim dicemus modò matrem, modò novercam eſſe naturam, & ſua dona modò largè, modò malignius Mortalibus impertiri; neque Mundum ſeneſcere, ob eamque cauſam omnia deteriora ſemper evadere; quod non eſſe conſentaneum veritati nuper oſtendimus. Non mutatur natura, quia non mutatur auctor, moderatorque naturæ; quare non in iis, quæ ſemper eadem manent, ſed in iis, quæ immutantur, quærenda cauſa eſt hujus diverſitatis. Ac mihi primùm occurrit illa pervulgata, quam omnes afferunt; omnes putant florere ſtudia litterarum, ubi qui rerum potiuntur ſtudiis delectantur, ingenia fovent, & augent honoribus, & opibus nobiles diſciplinas. Eſt [r] a Cicerone præclariſſimè dictum, quales ſunt Principes, tales eſſe mores civitatis; quod antea a Platone [ſ] pronunciatum Claudianus expreſſit his [t] verbis:

. . . . componitur Orbis
Regis ad exemplum . . . . . .

Quum igitur Principes civitatis litteras colunt, cives quoque ad colendas litteras 5
eorum exemplo commoventur; quum Dionyſius [u] junior in Siciliam accerſito Platone philoſophiæ ſtudis amplexus eſſe videretur, omnes amore ſapientiæ ſe incenſos eſſe præſeferebant; jam aula diſputantium vocibus perſtrepebat, alii geometricas formas in pulvere deſcribebant, alii ſiderum magnitudines metiebantur, alii Orbem radio deſcribebant, alii philoſophum ſectabantur & diſſerentem audiebant, & de virtute etiam, qui vitiis intercutibus madebant, loquebantur; ſed ubi Dionyſius infenſus Platoni philoſophiæ, quam non bonâ fide dilexerat, nuncium remiſit, omnium mutatæ ſunt voluntates, omnes a ſtudiis ſapientiæ, ab amore virtutis ad voluptatem, libidinem, crapulam, ebrietatemque converſi, philoſophiam, quam ſuſpexerant, contempſerunt. Multum ergo exemplis Principum 6
omnes ad bonas artes amplectendas excitantur; ſed multo magis liberalitate, & honoribus commoventur, quibus vident ornari litteratos; eſt quippe veriſſimum, & velut e cortinâ prolatum [x] Ciceronis illud effatum: *honos alit artes, omneſque incenduntur ad ſtudia gloriâ*; nec honos autem, neque gloria, neque divitiæ deſunt ſtu-

[a] Jul. Capitolinus in Vit. Antonini Pii, & Antonini Philoſophi. [b] Cicero de Oratore libr. 1. [c] Cic. ibidem, & in Brut. [d] Vellejus Patercul. Hiſtor. libr. 2. Quintilian. Inſtitut. Orator. libr. 10. cap. 1. & Hieronym. in Chronico ex Suetonio. [e] Plinius Hiſtor. Natural. in Præfatione. [f] Cicero in Bruto, & Vellejus Paterculus Hiſtor. l. 2. [g] Cicero in Bruto, & Aulus Gellius libr. 17. cap. 21. [h] Quintilianus libr. 10. Inſtitut. Orator. cap. 1. Paulus Manutius in Adag. *Lepos Atticus*. [i] Cicer. pro Archia. [l] Plin. libr. 10. Nat. Hiſt. cap. 2. V. Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 1. cap. 9. [m] Vell. Paterc. Hiſt. libr. 2. [n] Cic. in Brut. [o] Plutarch. in Vit. C. Marii, & Catonis. Luc. Flor. libr. 3. cap. 21. & ult. [p] Plin. libr. 2. Nat. Hiſt. c. 26. [q] Cl. Ptolemæus Almageſt. libr. 3. c. 2. [r] Cic. de Leg. libr. 3. [ſ] Plato libr. 4. de Leg. vel de Legumlat. [t] Claudianus carm. 8. v. 298. [u] Olympiodor in Vitâ Platon. [x] Cic. Tuſc. Quæſt. libr. 1. in princ. Paulus Manut. in Adag. *Honos alit artes*.

studiosis litterarum, ubi qui Rempublicam administrant eodem amore sapientiæ incenduntur; non ergo mirum, si quam multi doctrinæ præstantiam consectantur, multi consequuntur. Atque huc pertinet illa sententia [a] Martialis, quæ omnium ore celebratur:

Sint Mecænates, non deerunt Flacce Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Contra quum potentissimi homines vel ne-
7 gligunt studia, vel adversantur, necesse est jacere litteras, & paucissimos ad amorem laudis excitari. Quomodo quippe poterant, ut exemplum ab ætate nostrâ remotissimum afferamus, Caligulâ, vel Nerone Principibus doctrinæ studia celebrari? quorum alter non modò viventes odit sapientes verùm etiam mortuos est insectatus; qui de Homeri [b] carminibus abolendis, & de Livii, & Virgilii imaginibus tollendis cogitavit; alter duo lumina litterarum, quæ prope sola sæculum illud illustrabant, Lucanum [c], & Senecam [d] extinxit, & Petronium Arbitrum [e] virum, quamvis dissolutum, doctum tamen ad necem sibi consciscendam impulit? quomodo poterant Domitiano imperante vigere artes liberales, qui philosophos ejecit ex Urbe; quo Principe [f]

.... celebres, notique poëtæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarunt; nec fœdum alii, nec turpe putarunt
Præcones fieri, quum desertis Aganippes
Vallibus esuriens migraret in atria Clio.

Quum ergo non semper amatores doctrinarum, sed interdum etiam osores dominentur, fit, ut non semper eadem copia virorum doctrinæ studiis præstantium existat; sed hæc causa multitudinis doctorum hominum, & paucitatis est quidem præcipua, sed non sola; sunt enim aliæ multæ, de quibus alio die differemus.



DISSERTATIO LXIX.

Eodem super Argumento.

Luxus, & voluptates litterarum studia perimunt. Mecænatem, & Petronium Arbitrum insigni viros ingenio voluptates corruperunt. Hortensius oratorum amisit principatum propter deliciarum studium. Servitus etiam officit ingeniis, quæ contra in libertate florescunt; satietate quoque interdum doctrinæ studia deseruntur.

Causas exponere sum aggressus, Auditores, cur aliæ ætates magnum ingeniorum proventum tulerint; aliæ quasi jam effetâ naturâ vix unum, aut alterum, & quandoque nullum præstanti scientiâ virum procrearint; & superiore quidem sermone causam esse dixi penes Principes civitatum, prout diligunt, & admirantur, vel oderunt, & contemnunt bonas artes, doctrinæ studia celebrantur, vel negliguntur. Nam sicut navis eò dirigit cursum, quò convertit eam gubernator; ita civium voluntates eò spectant, eoque feruntur, quò qui rerum potiuntur, spectare, ferrique voluerunt. Sed quia hanc causam solam non esse arbitror doctorum hominum multitudinis, vel paucitatis, hodierno die alias quoque causas afferemus. Non enim semper accusandi Reges sunt; etiam populi in culpâ sunt, corrupti mores civitatum; ubi luxus excessit modum, ubi pravæ libidines civium mentes invaserunt, nullum honestis artibus relinquunt locum. Nam facilè animi a studio ad voluptatem convertuntur; nec habent gustum veræ gloriæ, qui in pessimis factis gloriantur, & vitia pro virtutibus ducunt; nec excitantur ad laudem, qui probrosam, & dedecoris plenam vitam amplectuntur; frangitur indoles luxu, libidine ingenia obtunduntur, Liberorum educatio, quæ certè ad recta studia promovenda plurimum valet, ubi publicus furor per luxum pereundi, perdendique omnia mentes occupavit. Operæpretium est audire Quintilianum, qui [g] nobis ob oculos ponit, & 2
ostendit, quibus ætate suâ puerorum animi vitiis imbuerentur; ut mirari desinamus, non perinde honesta studia, ac antea, viguisse: *utinam*, inquit, *Liberorum nostro-*

[a] Martialis libro 8. Epigramm. 56. [b] Suetonius in Vit. Caligul. capit. 34. [c] Cornelius Tacitus Annal. l. 15. n. 70. [d] Idem Cornelius Tac. ibid. n. 64. [e] Idem Tacitus libr. 16. Annal. num. 19. & Plinius libr. 37. cap. 2. [f] Juvenalis Satyr. 7. v. 3. [g] Quintilianus Instit. Orator. libro 1. cap. 2. Vid. Plaut. Bacch. Act. 3. Se. 3. & Terent. Heautontim. Act. 3. Sc. 1. v. 74.

nostrorum mores non ipsi perderemus; infantiam statim deliciis solvimus; mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis, & corporis frangit; quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poscit; ante palatum eorum, quàm os instituimus; in lecticis crescunt; si terram attigerit, e manibus utrinque sustinentium pendent. Gaudemus, si quid licentiùs dixerint; verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu, & osculis excipimus; nec mirum, nos docuimus, ex nobis audierunt, nostras amicas, nostros concubinos vident; omne convivium obscenis canticis strepit; pudenda dictu spectantur; fit ex his consuetudo, deinde natura. Hactenus Quincti-
3 lianus, cujus dicta utinam in nostrum sæculum non convenirent! his autem moribus assueti pueri quomodo possunt laborem, qui suscipiendus est in litterarum studio, non reformidare, possunt libris impallescere, possunt de nominis immortalitate cogitare? præsertim quum vitia, quæ pueri didicerunt, nunquam dedoceri, nunquam depravatam indolem possint emendare. Nam in luxu perditâ civitate nusquam voces audiuntur, quibus mores corrigantur; nusquam exempla cernuntur, quibus amor sapientiæ accendatur; ubi coqui philosophis anteponuntur, turpium cantilenarum scriptores gravissimis poëtis, histriones oratoribus, qui novam aliquam voluptatem invenerunt, iis, qui aliquo invento vitæ salutari juvere Mortales; cantores liberalium doctrinarum professoribus præferuntur; nihil integri moris est, nihil sancti, nihil pensi habetur. An verò non hæc in urbibus accidunt, quæ luxu dif-
4 fluunt? quis nescit illam Romam severissimæ disciplinæ parentem, ubi quondam faciliùs fuerat summas virtutes, quàm mediocria vitia invenire; ubi luxus civium mentes invasit, omne studium rerum honestarum abjecisse? Testatur Ammianus Marcellinus ætate suâ proceres Romanos omnes honestas artes contempsisse; nihil aliud, quàm de suis cupiditatibus explendis cogitasse; & Lucianus in Nigrino nihil aliud Romæ fuisse tradit in pretio, quàm sumptuosas cenas, magnificam, & splendidam supellectilem, & turpes voluptates; superbiamque, & fastum potentiorum civium eò processisse, ut se non salutari vellent, non coli, sed adorari; & non amicis honesta suadentibus, sed adulatoribus tantùm procerum aures patuisse; quid ergo mirum in tam corruptis moribus nullum locum fuisse nobilissimis disciplinis? Enimvero tantum abest, ut in deditâ de-
liciis, & depravatâ luxu civitate possint flo- 5
rere studia litterarum, ut singulos etiam homines licèt summis ingeniis præditos, & amore doctrinæ flagrantes luxus corruperit; & eâ sapientiæ laude spoliarit, quam essent alioquin consequuti. In Mæcenate fuit ingenium magnum, vel Senecâ [a] teste, qui ipsi, quantum potest, obtrectat; fuit amor litterarum tantus, ut hujus beneficio nominis immortalitatem quæsiverit; cur ergo alienis, non suis scriptis celebratur? ejus libri vetustatem non tulerunt? quia fregit indolem luxus, & affluentes voluptates, & nimias ejus delicias Musæ, quas colebat, sunt aspernatæ. Petronius Arbiter [b] tantâ fuit ingenii magnitudine, ut inter Latinos Auctores principem locum tenere potuisse videatur; sed ejus vita plena deliciarum, plena luxus, plena voluptatum corrupit ingenium, & multum de eloquentiæ, & doctrinæ laude detraxit. Nec aliam causam fuisse arbitror, cur Hortensius oratorum amiserit principatum, nisi deliciarum studium, quod in eo vehementer [c] accusatur. Si igitur luxus tam
perniciosus est studiis litterarum, non mi- 6
rum est non semper eadem ingenia vigere; non manent iidem mores, non manet eadem disciplina; corruptâ vero publicâ disciplinâ ingeniorum quoque indoles corrumpatur, necesse est. Est & alia hujus rei causa, quæ posita est in ratione Reipublicæ gubernandæ; clarissima quæque ingenia simul cum libertate floruerunt; ubi unius dominatu reguntur omnia, minùs vigent nobiles disciplinæ; nam libertas excitat animos, auget, attollit, servitus deprimit, & humiliores facit. Vix Atheniensium civitas Pisistratidarum excusserat jugum, quum scriptoribus eminentissimis cœpit abundare, & tamdiu abundavit, quamdiu potita est libertate; ubi Macedonum fracta armis eorum imperiis paruit, desiit copiâ florere præstantium doctrinâ virorum, & Athenæ doctissimis hominibus hospitium, non originem præbuerunt. Quod etiam accidit Græciæ universæ; quidquid ferè in Græcis miramur, effulsit quum Græcis libertate potiretur; neque qui serviente Græciâ Macedonibus, aut Romanis Auctores floruerunt, sunt cum his, qui vixerunt eâ liberâ, comparandi. Romæ quoque quidquid ingeniorum fuit,
quod cum Græcis compararetur, aut ef- 7
fulsit, aut natum est liberâ civitate; nam illi etiam, qui præclarissimi Scriptores Augusti

[a] Seneca Epistol. 19 & Epistol. 92. in fine, & Epistol. 114. [b] Cornelius Tacit. libr. 16 Annalium. [c] Varro de Re Rustic. libr. 3. capit. sexto, Aul. Gellius libr. 1. cap. 5. Macrobius libr. 3. cap. 13. & Plin. Natural. Histor. libr. 9. cap. 55.

gusti ætatem exorharunt, nati sunt moriente, non extinctâ jam libertate. His adnectere possumus aliam causam, quæ sita est in hominum fastidio, & inconstantiâ; verissimè [a] Homerus omnium esse rerum satietatem dixit; ubi litteræ diu viguerunt, ubi doctissimorum hominum copiâ diu civitates abundarunt, quædam, ut ita dicam, satias homines capit litterarum, & sapientiæ mysteria evulgata vilescunt; desinunt igitur coli doctrinæ studia, quia desinunt esse voluptati, desinunt esse miraculo; ob eamque causam eruditissimis sæculis indoctiores ætates plerumque succedunt non ingeniorum penuriâ, sed culpâ Mortalium, & fato rerum humanarum, quæ nunquam possunt consistere.

DISSERTATIO LXX.

Qua quæritur, an Aratus astrologiæ fuerit imperitus.

Falsum est Harmodium, & Aristogitonem Hippiam tyrannum interfecisse; nam Hipparchum ipsius fratrem trucidarunt; nec minùs falsum quotannis ab Hyperboreis missas virgines, quæ ad Apollinem Delium primitias frugum ferrent; quum Hyperboreos, quos supra Mæotin paludem collocabant, in eâ regione constet non fuisse; ita pariter Thalestrin Amazonem ad Alexandrum venisse, ut ex eo Liberos susciperet, fabulosum est, quum Amazones eâ tempestate nullæ fuerint. Macedones Paropamisum montem appellarunt Caucasum, ut Alexander ad Caucasum pervenisse videretur, sed id a veritate maximè abhorret; sicut etiam quod Democritus sibi oculos eruerit. Aratus non fuit astrologiæ imperitus, licèt docti viri id crediderint. Defenditur Lucanus multis in locis contra Scaligerum, & alios.

MUlta vulgò creduntur, & a gravissimis scriptoribus memorantur, quæ prorsus abhorrent a veritate; sic Athenienses crediderunt, & doctissimi viri falsò memoriæ [b] prodiderunt Harmodium, & Aristogitonem Athenas occiso tyranno in libertatem vindicasse; quum Harmodius, & Aristogiton non Hippiam Tyrannum, sed [c] Hippiæ fratrem trucidarint. Sic Virgines quotannis ab Hyperboreis missas ad Apollinem Delium colendum, & primitias frugum consecrandas & Græci [d] vulgò credidere, & clarissimi Auctores uno [e] ore prædicarunt; quum Hyperboreos, quos [f] illi supra Mæotin paludem collocabant in eâ regione constet non fuisse. Sic nonnulli eorum, qui res ab Alexandro gestas [g] condiderunt, Amazonem Thalestrin ad eum venisse, ut Liberos ex tanto Rege procrearet, affirmarunt; quum Amazones eâ tempestate nullæ fuerint. Sic [h] eundem multi putaverunt ad Caucasum pervenisse decepti Macedonum mendacio; qui quò Alexander eò quoque venisse crederetur, Paropamisum [i] montem, Caucasum appellarunt. Sic & vulgò creditum, & a nonnullis prodi- 2
tum [l] Democritum sese sponte luminibus orbasse; quò mentis aciem ad veritatem alacriùs pervidendam excitaret; quod falsum esse [m] intelliget, quicunque reputaverit id, quod est ab [n] Aristotele animadversum, oculorum sensum magis, quàm alios, diligi, quia ad scientiam rerum plurimum confert. Sed inter ea, quæ falsò produntur a scriptoribus, illud non ultimo loco posuerim, quod [o] Cicero hîc attingit; quod inter doctissimos homines constare dicit, Aratum de Cœlo, sideribusque luculentissimum poëma conscripsisse, quum esset astrorum scientiæ imperitus; de quo Ciceronis loco verba faciemus hodierno die; sed locus Ciceronis priùs est proponendus: *etenim*, inquit [p] Cicero, *si constat inter doctos hominem ignarum astrologiæ ornatissimis, atque optimis versibus Aratum de Cœlo, Stellisque dixisse*. Quod Ciceronis di- 3
ctum alienum esse a vero ausim affirmare; nam mihi semper visum permirum Aratum hominem, quod negare non possumus, doctum de rebus cœlestibus aggressum dicere, quum siderum scientiam prorsùs ignoraret. Nec assentior omnino doctis illis viris, inter quos Cicero constare dicit, Aratum fuisse Astrologiæ imperitum; nec

---

[a] Isocrates ad Demonic. [b] Alexand. ab Alexandr. Dier. Genial. libr. 3. cap. 20. [c] Herodot. libr. 5. cap. 55. Thucyd. libr. 6. Athen. libr. 15. cap. 15. Valer. Max. libr. 2. cap. 5. Plato in Hipparch. & Pausan. in Attic. sive libr. 1. [d] Herodot. libr. 4. cap. 33. Pausan. in Attic. sive libr. 1. Callimach. in hymn. in Delum v. 290. [e] Plin. Natur. Hist. l. 4. cap. 12. Solin Polyhist. c. 21. Pomp. Mel. de Sit. Orbis libr. 3. cap. 5. [f] Strab. l. 7. [g] Clitarchus, Polycritus, Onesicritus, Antigenes, & Hister apud Plutarch. in Vit. Alexandri, Diodor. Sicul. libr. 17. Bibl. Histor. & Strab. libr. 11. [h] Arrian. de Expedition. Alexandri libr. 3. Strab. libr. 11. [i] Vid. Plinium Natural. Histor. libr. 6. cap. 17. & 20. [l] Tertullian. in Apologet. & Himerius apud Photium in Biblioth. cod. 243. Paulus Manut. in Adag. *Ex aspectu nascitur amor*. [m] Plutarchus de Curiositate, Vid. etiam Ciceron. libr. 5. de Finibus. [n] Aristotel. Metaphysic. libr. 1. cap. prim. [o] Cicero de Oratore libro primo. [p] Idem Cicer. de Oratore ibidem.

nec enim [a] Hipparchus, qui scientiâ siderum ante se genitos vicit universos, in ejus Phænomena [b] commentarios libros edidisset, si rationem siderum nescisse credidisset. Quæ enim causa hominem doctissimum impulisset, ut Auctorem eâ tempestate non admodum vetustum vellet illustratum, si nihil sani prodidisset? neque illud opus Arati tantis laudibus [c] Veteres extulissent, si falsa contineret; neque, si vera de Cœlo, stellisque scripsit Aratus, rerum cœlestium fuit imperitus. Quid er-
4 go est? Aratum arbitror in nimiùm severos censores incidisse, qui quum in Arati scriptis aliqua adnotassent, quæ speciem erroris præseferrent, bonum poëtam, nec malum Astronomum, ignarum rerum, de quibus luculenter scripsit, pronunciarent; nam quum poëtas multa impropriè loqui metri necessitas cogat, sæpenumero creduntur ignorasse, quæ verbis minùs propriis explicarunt. Sic Lucanum reprehendunt, quod [d] dixerit:

...... atque umbras nunquam flectente Syene

quasi Lucanus putarit sub Cancri signo degentibus nullas unquam umbras aspici; quod cujus esset non dico inscitiæ, sed fatuitatis? nam ut fingamus Lucanum astrologiæ fuisse tam expertem, ut non videret, quum Sol modò ad Cancrum, modò ad Capricornum accedat, nec eosdem semper circulos describat, sed quotidie mutet umbras, non posse ullis gentibus perpetuò supra verticem ferri; illud certè non fugit hominem haudquaquam hebetem, Solem, & si medio Cœli constitutus non jaciat umbras, necessariò tamen jacere orientem, vel occidentem. Quo constituto, quod aniculæ etiam, puerique noverunt, illud falsum esse constat in eo Mundi situ, posituque Syenen collocatam, ut umbræ semper ad pares angulos, & ad perpendiculum cadant; quid ergo rem, quæ omnibus in promptu est, ingeniosus poëta nescivit? minimè gentium, sed id significavit Lucanus illis diebus, qui solstitium proximè antecedunt, vel subsequuntur, quum meridiem Sol attingit, nunquam in eâ Mundi plagâ umbras effici. Sic eun-
5 dem poëtam [e] nonnulli redarguunt, quòd hæc scripserit [f] de Arabibus:

Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem
Umbras mirati nemorum non ire sinistras....

Nam Arabes, qui inter solstitialem, & æquinoctialem plagam siti sunt, mirari non debebant sinistras umbras non jaci; quum illis modò sinistræ, modò dextræ jaciantur; quod genus Græci vocant ἀμφισκίους; sed fugit eos ratio; id enim Lucanus affirmavit, Arabes, quibus interdum Sol, quum est altissimus, in meridiem umbras jaculatur, quum in nostrum Orbem venissent, semper in septentrionem cadere esse miratos; nec aliter accipi Lucani versus debet, quàm si dixisset:

Umbras mirati nemorum nunquam ire sinistras.

Quid si dicamus eo tempore, quo Arabes in nostrum Orbem venisse dicuntur, solstitium fuisse, quo tota pæne Arabia cadentes in meridiem meridianas umbras videt; ob eamque causam jure esse miratos umbras tunc in meridiem non jaci? nonne Lucanus defendetur satis; nec tam imperitus fuisse credetur, ut putaverit Arabiæ Solem ad Septemtrionem semper attolli? Eodem modo carpuntur a magno viro ejusdem poëtæ illi versus [g]:

Quare agite Eoum comites properemus in Orbem 6
Dividit Euphrates ingenti gurgite Mundum,
Caspiaque immensos seducunt claustra recessus,
Et polus Assyrias alter noctesque, diesque
Vertit.......

Quis est, inquit Scaliger, ille polus, qui Assyriæ attollitur diversus a nostro, quum duo sint tantùm poli Arcticus; & qui vocatur Antarcticus? si polus Assyriorum est alter, hic, vel ille erit Antarcticus; quo quid dici potest absurdius? Ego verò pace dixerim tanti viri Poëtam non puto in tanto errore versatum; sed hîc accipi polum non pro vertice, & axis extremitate, sed pro Cœlo, quo significatu sæpissimè polus a poëtis usurpatur; & sicut regiones trans Euphratem positas alium Orbem appellavit, quia Romanus [h] Orbis Euphrate finiebatur; sic & aliud Cœlum, quod illis regionibus circumjectum est, appellasse. Quæ non idcirco dixi, quia Lucanum nunquam errasse, nunquam allucinatum putem; scio neminem in hac re justiùs esse reprehensum; sed ut ostenderem multa poëtis vitio verti, quia in severos nimiùm censores inciderunt. Sed dies me deficiet, si poëtarum locos velim recensere, in quibus, quia minùs propriè concessâ poëtis licentiâ loquuti sunt, nonnullis videntur res maximè pervulgatas ignorasse. Hanc arbitror causam fuisse, cur Aratus ignarus cœlestium rerum, de quibus luculentissimè scripsit, videretur.

DIS-

[a] Serv. ad Virgil. Georg. libr. 1. v. *Navita tum stellis numeros, & nomina fecit*, & Plin. l. 2. c. 26. [b] Suidas in V Ἵππαρχος. [c] Idē in V Ἄρατος Σολεύς. [d] Lucanus Pharf. libr. 2. [e] Jul. Cæf. Scal. Poët. libr. 6. cap. 6. & Jo: Gerard. Vossius Instit. Poët. libr. 1. cap. 3. [f] Lucan. libr. 3. Pharsal. v. 247. [g] Lucan. Pharf. l. 8. [h] Appian. Alex. in Præfat.

DISSERTATIO LXXI.

Cujus idem, ac superioris, est argumentum.

Docti omnes viri aliquando errarunt; qua occasione sumptâ Critici illos ignaros ejus, quod tractabant, dixerunt; sic Manilium, & Julium Firmicum astrologiæ prorsus imperitos censuit Scaliger. Ciceronem græcas litteras apprime calluisse ex Auctoribus, quos in latinum vertit sermonem, constat; licèt Critici illum redarguant, quòd quum Aristoteles animam ἐντελεχέιαν *appellarit, quòd sit perfectio corporis, ipse* ἐνδελεχέιαν, *hoc est* continuatam motionem *legerit; item quòd dixerit apud Græcos non esse vocem, quæ* inepto *respondeat. Livius classes interdum a Scriptoribus priscis appellari terrestres copias ignoravit. Plato existimavit per asperam arteriam in pulmonem rectâ ferri potionem. Nervorum principium non ex capite oriri, sed ex corde affirmavit Aristoteles. Aristoxenus Musicorum princeps hemitonium dimidium esse toni prodidit. Collocavit Nicomachus Mercurium supra Venerem; alii denique in alios errores inciderunt. Interdum Critici, si quid in Auctoribus non intelligant, ipsos reprehendunt; sic Scaliger Homerum redarguit, quòd induxerit Jovem, quum ningeret, tonantem; Horatium, quòd Africum præcipitem dixerit; & quendam poëtam, quòd vacuum admiserit. Nec minore inscitiâ aliqui Virgilium de Ætnâ loquentem improbant; & Aristotelem, quòd in Pireneis jugis Danubii fontes collocarit; quum constet Alpium partem, ex qua Danubius oritur, Pirenen appellatam.*

CUr Aratus imperitus astrologiæ, quam luculentissimis versibus illustravit, a nonnullis diceretur, suscepimus exponendum; & superiore quidem sermone diximus eâ de causâ Aratum ignarum esse habitum scientiæ sideralis, quòd quum concessâ poëtis licentiâ minùs propriè loquutus interdum sit, eum Critici ignorasse crediderunt, quæ minùs dilucidè explicavit; nunc alias hujus rei causas afferemus. Est

enim & alia causa, cujus imbecillitas humana fons est, atque [a] principium; 1

...... *non omnia possumus omnes;*

& etiam doctissimos nonnulla fugerunt; & quamvis in summâ doctrinæ luce versarentur, tamen in medio die caligarunt; sunt igitur aliquando lapsi, ubi labi non oportebat; in errores aliquos inciderunt, quos quum Critici observassent, satis esse causæ existimarunt, cur doctissimos homines inscitiæ redarguerent, & ignaros artis, quam profitebantur, prædicarent. Manilium Scaliger [b] astrologiæ prorsus imperitum fuisse existimat, quia nonnulla non satis ex arte ab eo tradita animadvertit; quam etiam notam inurit [c] Julio Firmico, quem rerum cœlestium planè ignarum audet pronunciare; quia quum in Siciliâ, vel Calabriâ scripserit, sequutus Auctores Ægyptios eò tempore Cepheum oriri tradiderit, quo in Ægypto oritur. Nec [d] defuerunt, qui Ci- 2
ceronem ipsum expertem Græcæ litteraturæ, expertem philosophiæ pronunciare non dubitarent; quòd ἐντελεχέιαν, qua voce ab Aristotele [e] anima appellatur, quòd sit perfectio corporis, & ut loquuntur in scholis, actus, ἐνδελεχέιαν [f] legerit, & esse voluerit perennem, & continuatam motionem; quòd carere dixerit Græcam linguam vocabulo, quo ineptiarum vitium exprimitur; nec esse vocem apud Græcos, quæ *inepto* [g] respondeat; quum ἀπειρόκαλος idem signet apud Græcos, quod apud Latinos *ineptus*. Sic ille Cicero, qui quum de rebus a se gestis Græco sermone scripsisset, doctissimos Græcorum a scribendo deterruit; qui quum apud Apollonium [h] Molonem græcè declamaret, tantâ hominem oratoriæ facultatis peritissimum admiratione complevit, ut eloquentiæ laudem e Græciâ in Latium Cicerone duce migraturam affirmaret, tanquam ignarus Græci sermonis a quibusdam ineptissimis hominibus fuerit accusatus; qui quum Ciceronis inscitiam redarguerent, suam prodiderunt; se enim ignorare ostenderunt Ciceronem, 3
quum in arte dicendi se exerceret, plerunque græcè declamasse; multa de Græcis Auctoribus [i] in Latinum vertisse sermonem; OEconomicum [l] Xenophontis, Arati [m] versus de rebus cœlestibus, qui

[a] Virg. in Buc. Ecl. 8. [b] Jos. Scal. ad Manil. libr 5. sive in Apotelesm. Sphær. Barb. in princ. [c] Idem Joseph. Scaliger ad Manilium ibid. [d] Angel. Politianus Miscell cap. 1. [e] Aristoteles de Animâ libr. 2 capit 1. Themistius, Philoponus, & Simplicius in hunc Aristotel. libr. Diogenes Laërtius libr. 5. segm 32. in Vit. Aristotelis, & Macrob. in Somn. Scipionis libr. 1. cap. 14. [f] Cicer. Tusculan. Disputation. libro primo. [g] Cælius Rhodiginus libro 7. cap. 8. Antiq. Lection. [h] Cicero in Bruto, sive de Claris Oratoribus, Plutarchus in Vitâ Ciceronis, & Angelus Politianus capit. 1. Miscellan. [i] Cicero de Oratore libr. 1. [l] Columell. de Re Rustic. libr. 11. capit. primo. [m] Cicero libro 2. de Natur. Deorum, & libr. 2. de Legibus, Priscianus libro 6. & 7. & Lactant. Firmianus libr. 5. de Justitiâ cap. 5.

φαινόμενα inscribuntur, Demosthenis adver-
sùs Æschinem, & Æschinis adversùs De-
mosthenem orationes, Platonis [a] Timæum
(quid enim aliud liber de Universitate Ci-
ceronis, quàm Timæi versio?) tot [b] Ho-
meri versus, tot [c] Sophoclis, tot Euripi-
dis transtulisse. Quæ si cogitassent ineptis-
simi homines nunquam tam temere Cice-
ronis gloriæ obtrectassent. Ineptè quidem
illi, sed imposuit hominibus alioquin a-
cutis aliquis error, quem incuria magno-
rum virorum parum cavit; & quem in a-
liquâ re leviter allucinatum esse deprehen-
derant, artis universæ, atque disciplinæ
rudem judicarunt. Est enim id vitium in-
situm naturâ omnibus, ut sint ad reprehen-
dendum, quàm ad laudandum, paratiores;
præcipuè Critici, quibus interdum hinc
decus, & nomen comparatur; qui tamen
consultiùs facerent, & meliùs nomini suo
consulerent, si de magnis viris verecun-
diùs loquerentur; nihil enim vitiosius est,
quàm uno, vel paucis erratis clarissimos viros
imperitos judicare. Nam si hæc ratio pro-
4 betur, ipsa lumina litterarum inscitiæ redar-
guentur; habebitur ignarus latini sermo-
nis [d] Livius historiæ Romanæ princeps;
quia classes interdum a scriptoribus priscis
appellari terrestres copias ignoravit; ne-
scisse putabitur structuram humani corporis
Plato [e]; quia sequutus multorum consen-
su antiquitus comprobatam sententiam per
asperam, quam vocant arteriam in pulmo-
nem rectâ ferri potionem existimarit: ne-
scisse credetur [f] Aristoteles, quia principium
nervorum non ex capite oriri, sed ex cor-
de constantissimè affirmavit: nescisse mu-
sicen credemus [g] Aristoxenum principem
Musicorum; quia hemitonium dimidium
esse toni prodidit; quod alii Auctores mu-
sicæ facultatis negaverunt; nescisse geogra-
5 phiam [h] Eratosthenem, quia terrestris orbis
ambitum multo majorem esse, quàm reve-
ra sit, asseveravit; quem supra trecenties
quindecies centena millia passuum dixit
comprehendere; quum ratio vera cogat
fateri [i] vicies bis centena millia non exce-
dere; ignarum fuisse geographiæ [l] Plinium,
quia Caspium mare ex Oceano putavit in-
fundi; ignarum rerum cœlestium, quia stel-
las [m] Solis ictas radiis consistere, eaque vi
effici siderum, quæ dicuntur stationes, pu-
tavit; quæ opinio fuit vetustissimorum ho-
minum, qui de ratione siderum disputa-
runt. Omnes denique Auctores in ordinem
cogentur, omnes ejus disciplinæ, cujus
peritissimi extiterunt, ignari judicabuntur,
si paucis maculis offendamur; si ex paucis,
quæ sunt falsò opinati, eorum scientiam
pendamus. Verumtamen non ita ferenda
sententia est de præstantissimis Auctoribus;
nam, si quid peccarunt, non inscitiâ pec-
carunt, sed vel incuriâ, vel quia magno-
rum virorum auctoritati crediderunt, vel
quia sunt aliquâ probabili ratione decepti,
vel etiam memoriâ lapsi; cujus exemplum
rei libet afferre non pervulgatum. Nico-
machus fuit magni nominis philosophus, 6
qui Pythagoream sequutus est disciplinam;
is cum multa scripsit, tum libellum, qui
extat, quem inscripsit Ἁρμονικῆς Ἐγχειρίδιον;
in eo citimam terris esse Lunam, supra
Lunam Venerem ferri, supraque Venerem
Mercurium affirmavit. Quis credat homi-
nem inprimis eruditum, & Pythagoreorum
sermonibus institutum ignorasse, quod vel
pueris erat compertum, Venerem supra
Mercurium collocari? non ignoravit pro-
fectò, sed hominis memoria fuit non bo-
næ fidei, qua deceptus a veritate aberravit;
neque enim defendi Nicomachus potest,
quasi Pythagoreorum sententiam de motu
terræ sequutus; neque enim Solem in Uni-
versi medio collocavit, sed a Lunâ, Sa-
turnoque quartum esse dixit. Sed, ut eò,
unde aberravit, referatur oratio; hanc e- 7
go caussam fuisse duco, cur Aratus expers
ejus disciplinæ, quam versibus luculenter
explicavit, putaretur; aliquid in eo acuti
homines observarunt, quod non satis ex
arte dictum videretur; ex eo conjecturam
de Arati inscitiâ fecerunt; & nescisse di-
sciplinam, quam alios docere esset aggres-
sus, pronunciarunt. Nec me fugit Hippar-
chum multa ab Arato inscienter dicta ob-
servasse; sed errores Arati magis temporum
sunt, quàm hominis, quum eadem ferè
errata in Eudoxo reperiantur, quem [n] se-
quutus est; non igitur imperitus Aratus a-
strologiæ, qui habuit auctorem rerum cœ-
le-

[a] Nonnius in V. *Cuniculum*. [b] Div. Augustin. libro 5. de Civitat. Dei cap. 8. & Cicero libr. 5. de Finibus, & Tusculan. Disputat. libro 3. [c] Cicero Tuscul. Disput. ibid. [d] Tit. Liv. libr. 4. dec. 1. [e] Plat. in Tim. [f] Aristot. Hist. Anim. l. 3. cap. 5. [g] V. Ptolem. Harmon. l. 1. cap. 9. & l. 2. c. 9. & Cens. de Die Nat. c. 9. [h] Cleom. libr. 1. Cyclic. Theoriæ cap. 10. Martianus Capell. libr. 6. capit. 4. Censorinus de Die Natal. cap. 13. Plinius libr. 2. cap. 108. Historiæ Natural. Strabo libr. 2. Vitruvius libr. 1. cap. 6. & Guilielmus Philander ad hunc locum. [i] Vid. Ptolemæum Geograph. libr. 1. cap. 7. & 11. Philippum Cluverium Introduct. ad Geographiam cap. 7. libr. 1. Keplerum in Epitom. Astronom. Copernic. libr. 1. Longomontanum Astronom. Dan. libr. 2. Sphæric. cap. 11. Jo. Anton. Maginium in Ptolem. Geographiam part. 2. in princ. & Petrum Herigonium Tom. 4. Cursus Mathemat. in Geograph. [l] Plin. libr. 6. Hist. Natural. cap. 9. & capit. 13. [m] Idem libr. 2. cap. 15. & sequent. [n] Joseph. Scaliger ad Manilium libr. 1. v. 379. *Montis ab excelso speculantur vertice Tauri*.

lestium scientissimum. Alia etiam causa potest afferri, quæ non est omittenda; interdum Critici, quæ non intelligunt, reprehendunt, & inscitiæ suæ culpam in Auctores transferunt; exemplis utar paucissimis. Homerum [a] Scaliger putat reprehendendum,
8 quòd induxerit [b] Jovem, quum ningeret, tonantem, & fulgurantem; & affirmat nunquam tonitrua, quum ningit, exaudiri; quod esse falsissimum quivis intelliget; certè ego ipse animadverti sæpe contingere; non igitur Homerus, sed ejus castigator Scaliger castigandus. Idem Horatium carpit, quòd Africum præcipitem dixerit his [c] verbis:

Primus, nec timuit præcipitem Africum.

Non enim Africum dici posse præcipitem existimat, quum ex humiliore Mundi plagâ feratur; ignarus id vocabulum non significare semper, quod ex loco superiore volvitur, sed quod cum impetu fertur, quod est vehemens, rapidum, violentum; ita Virgilius de tauro ad pugnam redeunte [d] dixit:

.... præcepsque oblitum fertur in hostem;

& præcipitem Notum appellavit [e] hoc loco:

...... quam dicitur urbem
Acrisioneis Danaë fundasse colonis
Præcipiti delata Noto......

Idem poëtam principem lyrici [f] carminis
9 redarguit, quòd ingentem nivium vim queratur decidisse, quo loco damna [g] deplorat, quæ Tiberis exundans intulerat; non enim, inquit, dolendum fuit nivem cecidisse, quæ tam utilis est ubertati camporum; quasi verò nesciamus maximas fluminum inundationes existere solere nivibus liquefactis. Nec minore inscitiâ idem Poëtam celebrem reprehendit, quòd aliquid in naturâ inane esse pronunciat; & ait esse philosophiæ imperitum, nihil enim esse vacuum, omnis corporibus plena, & constipata teneri; quasi verò philosophia non utramque sententiam tueatur. In pari errore versantur & qui Virgilii [h] carmen de Ætnâ improbant:

Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa;

quum materia illa, quæ ex Ætnæ crateribus eructatur, calore ignis destituta quodammodo lapidescat; & qui [i] Aristotelem inscitum putaverunt, quòd in Pirenæis jugis Danubii fontes collocarit; quum constet Alpium partem, ex qua Danubius oritur, Pirenen appellatam.

Tom. II.

DISSERTATIO LXXII.

De Arato Poëtâ.

Operis Aratæi principium admirandum prædicat Suidas, & ad Homeri gloriam accessisse existimat. Divus Paulus Arati hemistichium citat; cujus honoris etiam participes fuerunt Epimenides, & Menander. Zenonem Rex Antigonus invisebat, & ut ad se veniret, invitavit.

Horatius in Arte poëticâ cum multa sapienter præcipit, Auditores, tum illud inprimis præcipit poëtis eligendam materiam, cui suas vires intelligant suffecturas; in eo ad bene scribendum maximum putat esse momentum, nec facundiam, nec aptè disponendi rationem scriptori defuturam, qui prudenter argumentum elegerit [l]:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus; & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri; cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Huic poëticæ legi, quæ rata semper fuit, etiam priùs, quàm ab Horatio sanciretur, Aratus non paruisset, si, quemadmodum Tullius [m] tradit, de Cœlo, stellisque scripsisset, quum siderum doctrinam penitus ignoraret. Nam quomodo cujusquam vires pares esse possunt materiæ, quam quis non habet cognitam, & pertractatam? quomodo quis potest rem eloquenter explicare, & dilucidè verbis exponere, quam scientiâ non comprehenderit? nonne hæsitet, necesse est, obscurè loquatur, qui de re incognitâ scribat? nisi fortè arbitramur, 2
quod a Platone [n] dictum est poëtas multa, quæ nesciunt, præclarè pronunciare, quia instinctu, afflatuque divino concitantur; idque ex eo intelligi posse, quòd sedato furore ea, quæ divinitus profuderunt, non magis, quàm quivis e vulgo, intellectu consequantur. Sed in Arato nullum vestigium furoris deprehenditur; & apparet sedato animo scripsisse, quæ scripsit; quare mihi permirum semper est visum, quod hic a Tullio [o] affirmatur, aggressum de sideribus dicere, quum rerum cœlestium esset ignarus; quemadmodum dicebamus he-

[a] Jul. Cæs. Scal. libr. 5. cap. 2. Poëtic. [b] Homerus Iliad. x. sive libr. 10. [c] Hor. l. 1. Od. 3. [d] Virgil. Georg. libr. 3. [e] Idem Æn. libr. 7. [f] Julius Cæs. Scal. in Poët. libr. 6. sive in Hypercr. cap. 7. [g] Horat. libr. 1. Od. 2. [h] Virgil. Georg. libr. 1.

[i] Aristotel. Meteor. cap. 13. libr. 1. [l] Horatius in Arte Poëticâ vers. 38. [m] Cicer. de Orat. libr. 1. [n] Plato in Jone, sive de Furore Poëtic. [o] Cicero de Oratore libr. 1.

sterno die; sed nihil magis potest ostendere Arati scientiam, quàm ejus vita, quæ semper in studiis fuit occupata, de qua hodierno die disseremus; ut appareat magnis præsidiis instructum, multis artibus eruditum argumenta e reconditis petita litteris pertractasse. Nam Arato non solum
3 studium fuit poeticæ facultatis, in qua se excelluit, ut [a] Suidas operis Aratæi principium admirandum esse prædicet, & ad Homeri gloriam proximè accessisse; sed [b] & Grammaticæ diligentissimè navavit operam, eujus habuit doctorem Ephesium Meneeratem; & altiores disciplinas impensè coluit; nam philosophos audivit [c] Menedemum, atque Timonem; ex quo Arato studium extitit non ea, quæ sunt pervulgata, & poëtarum ingeniis celebrata, sed quæ ad rerum naturalium scientiam pertinent, versibus persequendi. Quapropter & de compositione [d] remediorum adversus bestias venenatas, & de hominis genturâ scripsit, & de anatome; quem librum Pausaniæ Macedoni dedicavit; composuit & librum, quem Phænomena inscripsit, quem [e] Cicero, & Germanicus in latinum sermonem elegantissimè converterunt; astrologiam quoque, & siderum positum præclaris carminibus enarravit. Ex quibus [f] constat
4 & scientiâ rerum abundasse, & studiis reconditis, & præcipuè rerum cœlestium, delectatum; ut nemini persuaderi possit ea, quorum studio tenebatur, ignorasse. Et quoniam tanti Poëtæ incidit mentio, non prætermittenda sunt cetera, quæ permulta conscripsit; nam & de Moribus edidit librum, & epistolas carmine, & prosâ oratione compositas, & hymnos in Pana, & de sacrificiis libellum, quem ἐπιθυτικὸν appellavit, & Epigrammata, & ludicra, quæ παίγνια nuncupavit; hujus versus carere motu, carere varietate, carere affectibus [g] Quinctilianus putat; sufficere tamen poëtam operi, cui se parem est arbitratus. Contigit autem Arato gloria quædam eximia, & singularis; nam Paulus ille Christianæ religionis alterum lumen ipsius hemistichium [h] citat, quod est hujusmodi: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: hoc est: *hujus enim soboles sumus*; quæ gloria illi cum Epimenide Cretensi, & Menandro [i] dumtaxat est communis; eujus Epimenidis idem vir divinus [l] carmen recitare non dubitavit:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί

Eandem verò Patriam Ciliciam [m] Aratus, quam vir sanctissimus [n] Paulus, nactus est; 5
nam Solis in urbe Ciliciæ clarissimâ natus est; quæ ab Achivis, & Rhodiis, qui Lindo venerant, condita Pompejopolis [o] postea est appellata; quia Pompejus exhaustam eivibus frequentavit; quum iis, quos piratico bello in fidem receperat, habitandam dedisset. Agebatur, quum natus est Aratus, olympias [p] centesima vigesima quarta; pater poëtæ fuit Athenodorus, fratres Myris, Caliondas, Athenodorus. Eadem autem civitas, quæ Aratum tulit, tulit & Chrysippum philosophum [q] eum primis nobilem, qui eodem ferè tempore floruit; & [r] Philemonem poetam comicum, qui novam comœdiam illustravit, & comœdiarum gloriâ nemini cessit, nisi Menandro; eum quo de principatu sæpe [s] contendit, & non elegantiâ carminum (quis enim in eo genere par Menandro fuit?) sed iniquis judicum sententiis æmulum superavit; sed superatus est judicio Posterorum, qui sine studio, & integrè judicarunt. Nec Arato defuit magnæ potentiæ, magnique nominis admirator; nam [t] Antigonus, qui Gonatas est appellatus, & in Macedoniæ Regno Demetrio Poliorcetæ successit, Aratum, & 6
Antagoram Rhodium poëtam præstantem inprimis observavit, & coluit, & præcipuè eum Arato familiarissimè vixit; qui apud eum quoque Regem summis eumulatus honoribus explevit supremum diem. Is est Antigonus, qui Zenonem [u] principem Stoicorum tantopere suspexit; ut quotiescunque Athenas veniret, deposito regio fastu philosophum inviseret, & cupidissimè audiret disserentem; nec unquam destiterit, ut ad se veniret, invitare; eoque defuncto questus fuerit se magnum theatrum amisisse. Eâ nimirum tempestate Reges virorum sapientum consuetudine delectabantur, sapientiamque, & bonas artes colebant. Quapropter [x] Pausanias animadvertit omnes

nes

[a] Suid. in Voc. Ἄρατος. [b] Idem eod. loc. [c] Idem Suid. eodem loco. [d] Idem ibid. & Anonymus in Vit. Arati, & Græce conscripta editâ Florentiæ apud Juntas 1567. unà cum Hipparcho Bithyno, & Achille Statio in Arati Phænomena. [e] Hieronymus in Commentar. in Epistolam D. Pauli ad Titum cap. 1. [f] Vid. Gerard. Jo: Vossium de Natur. Artium libr. 3. cap. 33. num. 19. [g] Quintil. Instit. Orator. libr. 10. cap. 1. [h] Actor. Apostolor. cap. 17. v. 28. Vid. D. Hieronym. in Epistol. D. Pauli ad Titum cap. 1. [i] D. Paulus Epistol. 1. ad Corinthios cap. 15. v. 33. [l] D. Paulus Epist. ad Titum cap. 1. [m] Suid. in V. Ἄρατος. [n] Actor. Apostolor. c. 22. [o] Stephan. de Urbibus, Solin. cap. 41. Polyhistor. Plinius Natural. Histor. libr. 5. cap. 37. & Strabo libr. 14. de Ciliciâ. [p] Anonym. in Vit. Arati, & Suid. in V. Ἄρατος. [q] Solinus cap. 41. Galen. in Protreptico cap. 3. & Origenes contra Cels. libr. 4. Strab. libr. 14. & Diog. Laërt. l. 7. segm. 179. in Vit. Chrysipp. [r] Strab. libr. 14. de Ciliciâ. [s] Aul. Gell. libr. 17. cap. 4. & Quintilianus libr. 10. Instit. Orator. cap. prim. [t] Pausan in Atticis, sive libr. 1. [u] Diog. Laërt. libr. 7. segm. 7. in Vit. Zenonis, & Suidas in Voc. Ζήνων. [x] Pauf. in Attic. sive libr. 1.

nes ferè poëtas Regis alicujus familiaritate, & amicitiâ floruisse; Anacreontem Samii Polycratis, Æschylum, & Simonidem Hieronis Regis Syracusarum, Philoxenum Dionysii Siculorum tyranni, Euripidem Archelai Macedoniæ Regis; nimirum prudentissimi Principes verissimum esse existimabant id[a], quod Sophocles disertissimè dixit:

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

DISSERTATIO LXXIII.

De Nicandro Colophonio.

Poëtæ multi, & philosophi belli, & pacis artes præclarissimè tradiderunt, licèt a bello, & administrandâ Republicâ abstinuerint. Plato ad Rempublicam administrandam non accessit, quia ad extrema remedia veniendum videbat; putabat autem in Patriam, sicut in matrem animadverti non oportere. Cicero nullius rhetoricos libros libris Aristotelis de oratoriâ facultate anteponit.

DE loco Ciceronis [b] hodierno die mihi differendum est, Auditores, ubi Nicandrum Colophonium poëtam clarissimum significat de Agro colendo, reque rusticâ scripsisse luculenter, quum agri colendi rationem ignoraret; propterea quod ab agro, & rebus rusticis maximè esset alienus; quod ego causæ servientem arbitror
1 dixisse Ciceronem. Nam, ut de Arato nuper affirmavi, mihi persuaderi non potest Nicandrum artem, quam nesciebat, aggressum versibus explicare; quod eo magis falsum de Nicandro, quàm de Arato puto; quòd Aratum expertem fuisse doctrinæ, quæ cœlestia contemplatur, auctoritate doctissimorum hominum probat; Nicandrum ostendit nescisse agriculturam, eo quod esset ab agro remotissimus. Quapropter utitur argumento magis verisimili, & oratorio, quàm vero; nam si concedamus non posse tenere agriculturæ scientiam, nisi qui in opere rustico faciendo diu, multumque fuerit occupatus; etiam Varro,
2 quem doctissimum Romanorum ferunt extitisse, quòd ejus politissimum, & liberalissimis disciplinis excultum ingenium nihil haberet cum rure commune, semperque in studiis litterarum versaretur, præcepta rei rusticæ ignorasset; eudemque modo Columellam, cujus elegantissimum opus declarat stylo magis, quam ligone manus attrivisse, negare possemus agri colendi rationem, quam docet, tenuisse. Cornelius Celsus & de philosophiâ scripsit [c] Scepticos imitatus, & medendi artem doctissimis libris illustravit, & præcepta [d] dicendi tradidit, & [e] agriculturæ perfectam disciplinam elegantissimo opere complexus est; quis eum credat tam diversa pertractasse, & usu cognovisse, & ægros curavisse, & reos defendisse, & agrum coluisse? Multa probatorum lectione scriptorum, percunctando a peritis, meditandu, rerumque naturam contemplando, tot artium cognitionem extudisse crediderim; neque enim necesse est omnia usu, & experientiâ pertractare; nonnulli ingenio dumtaxat, & studio tantum assequuntur, ut possint artes, quantumlibet magnas luculenter
explicare. Homerus nunquam militavit, 3
nunquam exercitus duxit; & tamen quàm multa in Homeri versibus reperiuntur, quæ ad rem pertinent militarem? Philippus certè Magni Alexandri pater ab Homero duxit exemplum Macedonicæ Phalangis, ut [f] Diodorus Siculus memoriæ prodidit; ejus autem filius Alexander nunquam tam studiosè Poëtam pervolutasset, nisi multa, quæ ad rem bellicam spectarent, ab eo didicisset. Hoc certè scimus admonitum a Poetâ exemplo Abantum, quos [g] Homerus tradit, ne ab hostibus possent apprehendi, syncipus totondisse, occipitis comam dumtaxat aluisse, Macedonibus [h], ut barbam raderent, imperasse; atque id consilium inter astus bellicos Alexandri, quos *στρατηγήματα* vocant, Polyænus [i] recenset. Quod si quis leve arbitretur, illud mihi concedat, necesse est, Alexandrum præcepta magni ponderis, quæ summus Poëta tradit, studiosè admodum exequutum, qui levissima quæque haudquaquam neglexerit. Ergo Homerus multa docuit summos bellatores, qui nunquam classicum audivit, nunquam attigit rem militarem; idcirco Laco ille dicebat Homerum [l] poëtam esse Lacedæmoniorum, Hesiodum Hilotarum; quia bellicas artes Homerus docet, quas Lacedæmonii solas addiscebant; Hesiodus agri colendi rationem, quæ ad Hilotas pertinebat, quibus agricolis Lacedæmonii utebantur. Quid de admi-
nistratione Reipublicæ dicam? quàm mul- 4
ta do-

[a] Sophocles in Ajace Locrensi, Vid. omnino Aul. Gell. libr. 13. cap. 17. [b] Cicero de Oratore libr. 1. [c] Quintilian. Institut. Orator. libr. 10. cap. 1. [d] Quintilian. Institut. Orator. libr. 12. cap. 2. & Jo: Rhodius in Vit. Cornelii Celsi. [e] Columella de Re Rust. [f] Diodor. Sicul. Bibl. Hist. libr. 16. [g] Homer. Iliad. β. v. 542. [h] Plutarchus in Vit. Thesei circa princ. [i] Polyæn. Strategem. libr. 4. de Alexandr. Strateg. 1. [l] Plutarch. in Apophth. Laconicis.

ra docere potest Homerus civitatum rectores? & tamen Homerus nunquam Rempublicam administravit. In agro Mantuano Virgilius natus mihi præclarissimè videtur & consilia pacis, & belli artes exponere, & ut a poëtis abeamus, de Republicâ philosophi præclarissimè conscripserunt, qui ad Rempublicam nunquam dicuntur accessisse; quorum, ut aliquos nominem, Cleanthes [a] de Regno nobiles libros edidit; & ex eadem familiâ [b] Sphærus de Regno, & [c] Chrysippus, & [d] Zeno de Republicâ egregia volumina reliquerunt; nec eorum quisquam Rempublicam attigit. Plato ipse, ipse Aristoteles multa præclara super eodem argumento litteris mandaverunt; neque tamen aut Plato, aut Aristoteles Rempublicam administravit. Nam Aristoteli facultas defuit, Platoni voluntas; quum [e] videret Athenienfium mores corruptos non facilè pati posse medicinam; nec unquam sanatum iri, nisi quis ad extrema remedia descenderet; quod sibi faciendum vir ille divinus non arbitrabatur; quia putabat in Patriam, sicut in matrem, animadverti non oportere. Ex
5 quibus exemplis apparet satis præclara ingenia non desiderare indocilem usus disciplinam, & de artibus, quas non tractaverant, multos scripsisse luculenter; quo in numero Nicandrum Colophonium fuisse arbitror; quem concedo non fodisse, non arasse, non sevisse arbores, non vites posuisse, non aliud denique opus rusticum fecisse; non tamen concedam imperitum fuisse agriculturæ. Nam potuit peritos ejus artis percontari, potuit Auctores, qui de rebus rusticis præclarè scripserant, diligenter evolvere; & quum eâ ratione magnam agri colendi scientiam sibi comparasset, ad scribendum de culturâ agrorum non imperitus accedere; quod eo facilius est consequutus, quòd ea ars non multis, nec sanè reconditis litteris continetur. Nam simile monstri putarem, si Nicander ejus rei præcepta præclarè tradidisset, quam prorsus ignoraret; quis enim docere, quod nescivit, unquam potuit? defuit illi quidem fortasse usus, sed in eo non sunt omnia; si quidem nonnullos videmus meliùs de artibus præcepisse, quas meditando tantùm fuerant assequuti, quàm illos ipsos, qui eas usu, & experientiâ cognoverant. Aristoteles nunquam forum attigit, nunquam veras causas oravit; & tamen ejus de oratoriâ facultate libris cujusquam eorum, qui in causis agendis ætatem contriverant, rhetoricos libros Cicero ipse non anteponit.

DISSERTATIO LXXIV.

De eodem Nicandro.

Phormionem philosophum irrisit Hannibal, quia se præsente militiæ præcepta traderet. Xenophon librorum lectione dux egregius evasit; qui Cyro defuncto decem millia Græcorum, quum immensis difficultatibus urgeretur, in Græciam reduxerit; quod factum admiratus esse fertur Antonius, quum in iisdem regionibus cum exercitu versaretur.

Phormio [f] philosophus eâ tempestate non ignobilis quum Hannibale audiente de re militari, & de imperatoris officio copiosissimè disputasset, ab Hannibale irrisus, & 1
contumeliâ affectus esse fertur. Nam interrogatus Hannibal, quid de ejus philosophi ingenio, doctrinaque sentiret, clarè, & ut omnes audirent, respondit se multos deliros vidisse senes, sed qui magis, quàm Phormio, deliraret, vidisse neminem; qui se præsente, qui tot, tantisque cladibus Romanam potentiam concusserat, ac pene prostraverat, ausus esset de arte militari disceptare; quum instructam aciem ipse nunquam vidisset, nunquam classico fuisset ad prœlium excitatus. Quod Hannibalis judicium in eo non est reprehendendum, quod ineptum duxit quenquam se coram imperatore maximo, & rerum bellicarum scientissimo de scientiâ militari verba facere conari; nam sicut Romani [g] stultum
2 existimabant coram Roscio actore summo comœdiarum agere gestum; ita coram Hannibale solertissimo duce, & bellatore fortissimo de artibus bellicis loqui stultitiâ carere non videbatur. Sed in eo, quod credidit non posse quemquam, nisi de re, quam usu, & experientiâ cognoverit, præcepta prudenter dare, non admodum esse arbitror comprobandum; nam satis bellè possumus docere artem, quam lectione multâ, & peritorum præceptis, & diuturnâ meditatione, non usu didicerimus. Quod esse consentaneum veritati multis exemplis ostendimus hesterno die, quum de

[a] Diogenes Laërt. libr. 7. segm. 175. in Vit. Cleanthis. [b] Idem Laërt. in Vit. Sphæri libr. 7. segm. 178. [c] Idem l. 7 in Vit. Zen. & Chrysipp. Plutarch. de Repugn. Stoicor. & Sext. Emp. Hypotypos. libr. 3. [d] Idem Laërt. libr. 7. in Vitâ Zenonis segm. 4. Plutarchus de Alexandri Fortunâ, Athen. libr. 13. cap. 1. & Theodorit. sermon. 3. ad Græcos. [e] Diogen. Laërt. libr. 3. segm. 23. in Vit. Platonis. [f] Cicero de Oratore libr. 2. [g] Cicero ibid.

de Nicandro Colophonio doctissimo poëta
diceremus; quem ab agro remotissimum,
ob eamque causam colendi imperitum Ci-
cero [a] putat, rei rusticæ præcepta præcla-
rè tradidisse. Quod argumentum Cicero-
nis magis esse oratorium, quàm verum
affirmavimus; neque enim ex eo, quod
Nicander esset ab agro remotissimus, effi-
ci diximus agri colendi rationem ignorasse;
quia multi disciplinas, quas usu nunquam
cognoverant, & docuere luculenter, &
scriptis præclarissimis illustrarunt; immo
3 nonnulli tanto ingenio extiterunt, ut res
maximas gesserint, non experientiâ docti,
sed libris perlegendis eruditi; nec deside-
rarint indocilem usus disciplinam. Cujus
appello rei testem Lucullum nulli Roma-
norum ducum secundum, qui [b] auctore
Cicerone, quum artis militaris imperitus
haberetur, tantum profecit ex historiæ le-
ctione, tantam hausit scientiam bellicæ
disciplinæ ex clarorum scriptorum monu-
mentis, & ex militarium virorum sermo-
nibus, ut ad bellum adversus [c] Mithridatem
Ponti Regem opulentissimum gerendum
missus a senatu ejus ingentes opes attrive-
rit; & in omni genere belli tantus fuerit
imperator, ut Mithridates ipse, qui se-
cundum Alexandrum maximus Regum
habebatur, hunc a se cognitum præstantis-
simum ducem affirmarit; Tigranem [d] po-
tentissimum Regem, & bellicosissimum cum
innumerabili exercitu devicerit, & Tigra-
nocerta expugnarit. Quid autem de Xe-
4 nophonte dicam? is quum Cyrum junio-
rem in expeditione adversùs Artaxerxem
fratrem sequutus est, nullum specimen edi-
derat magni ducis, nihil præclarè miles
gesserat, in medio Græciæ otio, in [e] So-
cratis philosophi summi educatus, altusque
sinu, sapientiæ præceptis imbutus, non
bellicis artibus institutus videbatur; & ta-
men quum interfecto Cyro decem millia
5 Græcorum, quæ Cyro tulerant auxilium,
urgente immenso hostium exercitu inter-
clusa tenerentur, amissis hostiam fraude
imperatoribus, ducem [f] se eorum profes-
sus tantum specimen dedit artis militaris,
quam non usu, & experientiâ, sed legen-
do, meditandoque collegerat; ut in me-
diâ hostium regione, innumerabilibus Per-
sarum copiis undique circumfusis depre-
hensus, equitatu destitutus, nemine sine
pugnâ præbente commeatum; quum tot
difficultates locorum circumstarent, tot
amnes ingentes trajiciendi essent, tot al-
tissimi, præcipitesque montes superandi,
tot angustiæ vallium penetrandæ, tam va-
stum terrarum spatium inter infestas gen-
tes, ferocissimosque populos transeundum,
tot desertæ regiones, & omnibus copiis
destitutæ peragrandæ, Græcos hostium, &
locorum, & inopiæ, & tempestatum victo-
res incolumes in Græciam reduxerit.
Quod Xenophontis factum [g] Appiano Ale- 5
xandrino teste, Antonius dicitur admira-
tus; quum in iisdem regionibus hostium
equitatu, & difficultatibus locorum, &
omnium rerum inopiâ circumventus in
summo periculo versaretur, & difficulter
admodum sese imminenti exitio posset
expedire; & sæpenumero exclamasse, ò
decem millia! quo dicto significavit se se
virtutem Græcorum, qui Xenophonte du-
ce multo pauciores, quàm tum essent Ro-
mani, eadem illa pericula sospites evase-
rant, admirandam putare. Quod si non-
nulli lectione dumtaxat, & auditu eruditi
res magnas gerere præclarè, quamvis an-
tea ad res gerendas nunquam accessissent,
potuerunt; quanto magis præclare scribe-
re de iis, quæ nunquam experiundo tra-
ctassent, sed legendo Auctores idoneos co-
gnovissent, multos potuisse concedendum
est. Quo constituto liquet, non ideo im- 6
peritum rei rusticæ pronunciandum Ni-
candrum Colophonium, quia esset ab agro
remotissimus; potuit enim agriculturæ sci-
entiam ex Auctorum lectione consequi,
& nihilo secius muneri suo satisfacere.
Eodem modo orator non habet necesse usu
cuncta cognoscere; nec quia sæpe ei de
imperatore, bellisque dicendum est, de
classe comparandâ, ornandaque & artibus,
quæ remotiores a foro, causisque viden- 1
tur, nonnunquam disserendum; idcirco
necesse habet vel militare, vel exercitus
ducere, vel alias artes usu didicisse; om-
nia illi bonos Auctores lectitando compe-
rienda, & rerum plurimarum non agendo,
sed meditando scientia assumenda est. Sed
hæc, quæ nosse debet orator, non eo tem-
pore sunt ipsi cognoscenda, quum causa
delata est, quæ eorum scientiam desideret;
nam si quis tum demum, quum dicendum
est, rei, de qua dicendum est, notitiam
comparet, in multis erret, necesse est,
nec satis omnia, quæ ad rem, causam-
que pertinent, teneat. Quare non acce-
do Crassi [h] sententiæ, qui putat oratorem
suo posse muneri satisfacere, si quum
opus fuerit, quæ nosse debet, a peritis

que-

[a] Cicero de Orator. libr. 1. [b] Cic. in Lucullo, sive Quæstion. Academ. libr. 2. [c] Cicer. ibid. & pro Muræn. & pro Lege Man. [d] Eutrop. libr. 6. cap. 2. Paul. Oros. libr. 6. c. 3. & Plin. de Vir. Illustr. c. 74. [e] Dieg. Laërt. libr. 2. in Vit. Xenephont. & Xenophon libr. 3. de Exped. Cyri l. 3. [f] Diod. Sicul. libr. 14. Bibl. Hist. & Xenoph. ibid. [g] Appian. Alexandrin. libr. de Bell. Parth. [h] Crassus apud Ciceronem de Orator. libr. 1.

quærat. Sed meminisse debemus Crassum loqui de oratore non perfecto, & omnibus numeris absoluto; sed de eo, qui quoquo modo nomen oratoris tueatur, cui multa licet ignorare; nam perfectum vult esse omnibus disciplinis perpolitum.

DISSERTATIO LXXV.

Ubi de Nicandro, & Hyperide nonnulla differuntur.

Patria Nicandri fuit Colophon, tamen Dionysius Phaselites, & alii in Ætoliâ natum tradunt. Septem urbes civem Homerum sibi vindicant. Auctor quidam putat opus, quod Ætolica inscriptum erat, fuisse hujus Nicandri; at Macrobius diversum fuisse innuere videtur. Attalus populum Romanum heredem reliquit. Hyperides omnes omnium oratorum virtutes complexus est.

Quoniam Cicero mentionem Nicandri [a] facit, Auditores, quoniamque defendimus ipsum rationem colendæ terræ non ignorasse, quum aggressus est agriculturam versibus illustrare; quemadmodum & Aratum affirmavimus non ignarum cœlestium rerum de Cœlo, stellisque tam multa scripsisse luculenter; hodierno die de ipso Nicandro verba faciemus; ne plus Arato, cujus vitam breviter perstrinximus, quàm Nicandro tribuisse videamur; deinde cur Hyperidem Cicero per-
1 fectum in dicendo hominem, & perpolitum vocet, rationem afferemus. Nicander igitur a Xenophane procreatus est auctore [b] Suida; sed Nicander Damnæo [c] patre se genitum asseverat hoc versu:

Αἰνέοιτις υἱῆα πολυμνήστοιο Δαμναίου:

hoc est:

Damnæi soboles meritâ tibi laude feretur.

Fuit autem viro Patria Colophon una ex urbibus, quæ Homerum civem sibi vindicant; quæ septem fuerunt, & comprehenduntur [d] hoc carmine:

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ;

alii autem asseruerunt [e] hoc Ætoliæ decus; quia in Ætoliâ multum temporis vixit, inter quos est Dionysius Phaselites. Floruit [f] 2
autem Attali junioris temporibus, qui populum Romanum [g] heredem reliquit; quo usus amico videtur, quum ipsum in carminibus alloquatur; ex quo constat, qua ætate vixerit. Nam Attalus ultimus Pergami Regum decessit anno ab Urbe conditâ sexcentesimo vigesimo primo, quum primus annus olympiadis centesimæ sexagesimæ secundæ ageretur; Apollinis Clarii sacerdotium gessit, quod a Majoribus acceperat. Trium artium non [h] mediocrium, sed prope maximarum scientiâ præstitit; quippe & medicinam, & grammaticen, & poëticam tenuit inprimis. De remediis adversus bestias venenatas condidit librum, quem *Θηριακα* inscripsit, & de auxiliis, quibus alia venena depelluntur, quem Alexipharmaca appellavit; quæ duo solùm Nicandri opera extant, quum alia vetustas deleverit. Curationum collectiones conscripsit; prognostica, quæ vocant, carmine est exequutus, quæ ex Hippocratis prognosticis dicitur [i] desumpsisse. De Oraculis omnibus tres libros publicavit; 3
conscripsit & Georgica, quæ maximè laudantur, de quibus hoc loco Cicero mentionem facit, quæ Virgilius in Georgicis est imitatus; quemadmodum [l] Macer Alexipharmaca Nicandri est imitatus; in remediis venenorum tradendis. Scripsit & quinque libros [m] *περὶ τῶν ἑταιρευομένων*, cujus carminis argumentum lascivum est; in eo carmine teste Clemente [n] Alexandrino Venerem *καλλίγλουτον* appellavit, quod est perinde, ac sic dicas *pulchris natibus præditam*; quod idem significat, quod [o] *καλλίπυγος*, cui rem divinam Syracusani faciebant. Macrobius Ætolica Nicandri citat, quod opus prosâ oratione compositum constat, quum citatus a Macrobio [p] locus non carmine, sed pedestri sermone sit scriptus. Continet autem locus ille rem scitu dignam; 4
Veteres nimirum ex hederâ pocula confecisse [q], & ideo cissibia appellasse; nam *κισσὸς* Græcis *hedera* dicitur. Macrobius tamen non videtur existimasse Ætolica esse ejus Nicandri, qui scripsit Georgica; neque enim, si de Nicandro poetâ clarissimo loqueretur, dixisset: *Nicander quidam Colophonius*; quum Nicander hic, de quo agimus, nobilitate carminum, præstantissi-

---

[a] Cicero de Oratore libro primo. [b] Suidas in Voc. *Νίκανδρος*. [c] Anonymus in Vit. Nicandr. [d] Aul. Gell. libr. 3. cap. 11. & Cic. pro Archia. [e] Suid. in V *Νίκανδρος*, Vid. Gerard. Jo: Vossium de Poëtis Græc. cap 8. & de Histor. Græcis libr. 4. cap. 14. [f] Idem ibid. [g] Horatius libr. 2. Od. 18. Loc. Florus in Epitome libro 58. [h] Suidas in Voce *Νίκανδρος*. [i] Idem Suidas ibid. [l] Quintilian. Institut. Orator. libr. 10. cap. 1. [m] Vid. Scholiast. Apollonii libro 1. Stephanum in *Ἀσπαλάθεια*, Athenæum libr. 3. cap. 7. & l. 7. cap. 15. [n] Clemens Alexandrin. in Protreptic. [o] Paol. Manut. in Adag. *Callipyges*. [p] Macrob. Saturnal. libr. 5. cap. 21. [q] Macrob. ibid. circa med.

tissimaque doctrinâ clarus inprimis habeatur; quod judicium fuit & [a] Suidæ, qui inter opera Nicandri Ætolica non recenset. Cui sententiæ & ipse acquiescerem; sed habeo Auctorem, qui Ætolica putat esse hujus poëtæ; nam [b] de Nicandro sic loquitur, de Nicandro, inquam, poëtâ præstantissimo: *διέτριψε δὲ ἐν Αἰτωλίᾳ τοὺς πλείονας χρόνους, ὡς φανερὸν ἐκ τῶν περὶ Αἰτωλίας συγγραμμάτων*: quæ verba sic interpretamur: *plurimum verò temporis in Ætoliâ versatus est, ut constat ex libris, quos de Ætoliâ scriptos reliquit*. De Nicandro præcla-
5 rum extat epigramma, quod est hujusmodi:

Καὶ Κολοφὼν ἀρίδηλος ἐνὶ πτολίεσσι τέτυκται
Δοιοὺς θρεψαμένη παῖδας ἀριστονόους,
Πρωτότοκον μὲν Ὅμηρον, ἀτὰρ Νίκανδρον ἔπειτα,
Ἀμφοτέρους Μούσαις οὐρανίαισι φίλους:

quod ego sic verti:

Clara urbes inter Colophon, quæ mente superbos
Præstanti natos educat una duos;
Mæoniden primum, Nicandrum deinde, Camœnis
Æthereis quorum carus uterque fuit.

Hi præstantes viri in oratione [c] Crassi a Tullio memorantur; de quibus aliquid diximus, quia minùs hoc quidem tempore noti videbantur, quo eorum scripta vel omnia, vel pleraque injuriâ temporum interciderunt. Nam de Demosthene, cujus
6 hìc Cicero mentionem facit, omnia jam pervulgata, & omnium celebrata sermonibus; illud haudquaquam omittendum; Hyperidem, & Demosthenem [d] dici perfectos in dicendo homines, & perpolitos. Quod de Demosthene dictum nemo mirabitur; quis enim nescit eorum omnium, qui unquam forum attigerunt, Demosthenem eloquentissimum extitisse? sed cur Hyperidem potiùs, quàm Æschinem, aut Lysiam, aut Isæum, aut Lycurgum, aut Dinarchum, aut ipsum Isocratem, aut alios disertissimos oratores, cum summo oratore conjungat, & perfectum esse dicat; id quispiam fortasse miretur; propterea quod non æquè constat Hyperidem ad summam Demosthenis gloriam proximè accessisse, ac Demosthenem eloquentiâ vicisse Græcos universos; ac sciendum tamâ dicendi laude Hyperidem floruisse, ut cum [e] Demosthene compararetur. Longinus igitur in libro,
7 quem de sublimi dicendi genere composuit, Hyperidem putat in quibusdam ipsi Demostheni anteponendum; cujus verba proferrem, nisi vererer, ne longiorem Auctoris Græci locum afferendo vobis molestiam creem, Auditores. Sententia autem scriptoris cum primis nobilis est hujusmodi Hyperidem multitudine virtutum Demostheni antestare, ipsumque pentathlo componit; quòd quemadmodum pentathli vincuntur a singulis athletis in singulis ludorum generibus, sed multitudine certaminum vincunt; sic Hyperides superetur quidem in quibusdam a summo Rhetore, sed virtutum multitudine antecellat. Nam quidquid laudatur in Demosthene, in Hyperide cerni, Lysiæ verò virtutes, veneresque subripuisse omnes Hyperidem, esse in eo subtilitatem, ubi oportet; nec eum eodem tenore omnia, sicut Demosthenes facit, pronunciare, sed orationem moratam quadam suavitate condire, affluere facetiis, & urbanitate quadam incredibili; jam scommata non inerudita, jam Atticos sales non longè accersitos, sed a causâ ductos, causæque utiles, & adversarium prementes, ingeniosam elevandi crimina, deridendique rationem, vix imitabilem venustatem, misericordiamque movendi, & concinnè, poeticeque fabulandi facultatem, dexteritatemque mirabilem, in digressionibus, & laudationibus pompam, & ornatum orationis ab omnibus jure suspici, omnibus esse miraculo.

DISSERTATIO LXXVI.

De Hyperide summo oratore.

Quædam facta præstantium virorum sunt clariora; quædam, licèt non minore gloriâ digna, in summâ obscuritate versantur. Hyperides Demostheni a quibusdam anteponitur. Suidas Hyperidem quinquaginta sex orationes scriptas reliquisse tradit, Photius autem quinquaginta duas. Hyperides triremem suis sumptibus conducere coactus est. Insidiæ est inter eos, qui Rempublicam administrant, societas. Leges interdum turbidis Reipublicæ temporibus non sunt observandæ; nam aliæ tranquillo Reipublicæ statu, aliæ alio tempore desiderantur. Salus populi suprema lex esse debet.

Plinius nunquam satis laudatus Auctor in epistolis animadvertit, quædam facta præstantium virorum esse clariora; quædam, licèt non minore gloriâ digna, in summâ obscuritate versari. Id Plinii dictum ad præstantissimos Auctores transferri potest; qui- 1
dam parem doctrinæ suæ, parem dicendi virtutibus claritatem sunt assequuti; qui-

[a] Suidas in V. Νίκανδρος. [b] Vid. Anonymum Scriptorem Vitæ Nicandri. [c] Cicer. de Orator. libr. primo. [d] Idem ibid. [e] Cic. in Bruto.

dam, licèt cum summis conferendi, nomen
suum vix ab oblivione vindicarunt. Hy-
perides fuit orator non dico cum postre-
mis, sed cum ipso Demosthene comparan-
dus [a]; & tamen, nescio quonam fato, vel
inscitiâ sæculorum, ejus orationes non tu-
lerunt vetustatem. De hoc Oratore dice-
bamus hesterno die, quum causam expo-
neremus, cur Cicero summus Demosthe-
nis admirator ipsum cum Demosthene quo-
dammodo conferat, & perfectum in dicen-
do hominem vocet, & perpolitum; quem
honorem Demostheni dumtaxat, & Hype-
ridi impertitur. Ad quem locum Cicero-
2 nis illustrandum usi sumus auctoritate Lon-
gini; qui quum concedat summam dicen-
di gloriam Demostheni, nec eripiat orato-
ri maximo

Hærentem capiti summâ cum laude coronam;
tamen fatetur Demosthenis virtutes in Hy-
peride esse universas, & multas alias, quæ
in Demosthene frustra requiruntur; & il-
lum quidem iis, quibus excellit, vincere,
hunc affirmat numero virtutum esse, &
varietate superiorem. Hodierno die, quò
magis rectum esse ostendamus Ciceronis de
Hyperide judicium, aliorum quoque scri-
ptorum judicia Hyperidi perhonorifica af-
feremus; deinde de ipso Hyperide verba
faciemus. Neque enim solus Longinus
huic oratori summam dicendi gloriam tri-
buit, ac pæne oratorum principatum; sed
& Petronius [b] Arbiter, qui sic ait: *quis
postea ad summam Thucydidis, quis Hyperidis
ad famam processit*? ubi & Hyperidi sum-
mam eloquentiæ laudem tribuit, & solum
ex oratoribus nominat, tanquam princi-
pem oratorum; & eundem tenere vult lo-
cum inter eloquentes, quem Thucydides
inter Historicos occupavit; nam utriusque
summam famam, summum decus esse as-
severat. Et Plutarchus [c] Auctor longè do-
3 ctissimus ipsum refert in concionibus om-
nes oratores præstitisse, & quorumdam ju-
dicio ipsi Demostheni anteponit. Cujus
accedit sententiæ Photius [d] eruditissimus,
gravissimusque scriptor, & acerrimo vir
judicio; qui Hyperidem optimum dicendi
artificem putat extitisse, & ambiguam De-
mosthenis fecisse eloquentiæ palmam; im-
mo testatur fuisse multos, qui Hyperidem
Demostheni anteponerent. Parciùs omnium
Quinctilianus [e] Hyperidem laudat; & ta-
men ipsi dulcedinem, & acumen conce-
dit: *dulcis*, inquit *inprimis*, *& acutus Hy-
perides*. Quæ & ipsa non mediocris est la-
us oratoris; nam quum, Horatio [f] teste,

Omne ferat punctum, qui miscuit utile dulci,
Hyperides acumine quidem orationis cau-
sæ proderat, quum acutè differendo fidem
dictis faciebat; jucunditate verò sermo-
nis auditores oblectabat. Dolendum autem
tanti oratoris nulla ingenii extare monu- 4
menta, quum quinquaginta sex [g] orationes
teste Suida scriptas reliquerit; qui nume-
rus est earum, quæ quin essent Hyperidis,
haud ambigebatur; nam [h] Photius alias esse
vigintiquinque, de quibus ambigebatur, as-
severat; sed in numero discrepat, & quin-
quaginta duas Hyperidis esse censet; omnes
verò, quæ ejus nomen præferunt, septua-
ginta septem esse; quæ quia interciderunt,
ideo minùs celebrata, quæ pertinent ad Hy-
peridem, quàm quæ ad Demosthenem, &
idcirco nobis quàm brevissimè percorren-
da. Hyperides igitur [i] Glaucippum pa-
trem habuit civem Atheniensem e popu- 5
lo Colyttieo, filium Glaucippum nomen
avi referentem, qui & ipse conscripsit ora-
tiones. Platonem, qui [l] præstantissimum
quemque ejus ætatis in philosophiæ studio,
dicendique facultate erudivit, dicitur au-
divisse. Rempublicam [m] administrabat eo
tempore, quo Alexander Græciæ res at-
tigit; & Atheniensibus auctor fuit, ne du-
ces Alexandro, triremesque, quas petebat;
concederent; copias etiam, quas in Tæ-
naro Athenienses alebant, non censuit
dimittendas. Et primò quidem mercede
causas actitavit, eaque arte magnas opes
congessit; ob eamque causam visus est a Per-
sis pecuniam accepisse; & ejus invidiâ rei
coactus est a populo triremem suo sumptu
conducere, & adornare, quum Byzantium
Philippus obsideret; & ad opem ferendam
Byzantinis missus Reipublicæ sumptus sup-
peditavit; honores etiam Demostheni cen-
suit decernendos, & oratorem summum,
& Lysiclem, & Lycurgum rhetores amici-
tiâ complexus est. Sed infida est inter eos,
qui Rempublicam administrant, & ad sum- 6
mas opes viam sibi muniunt, instabilisque
societas; nam extincto Lysicle, Lycurgo-
que quum Demosthenes in judicium voca-
retur, quòd pecuniam ab Harpalo accepis-
set, electus accusator unus ex omnibus
a populo, quia solus ex omnibus Harpali
dona contempserat, Demosthenem accu-
savit; habuitque populi benevolentiam De-
mosthenis amicitiâ antiquiorem. Nec ipse
ca-

[a] Cicero in Bruto, sive de Claris Oratoribus. [b] Petronius Arbiter in Satyric. circa princip. [c] Plutarch. in Vitis X. Oratorum cap. 9. in Vit. Hyperidis. [d] Photius in Biblioth. cod. 266. [e] Quinctilianus Instit. Orator. libr. 10 cap. 1. [f] Horat. in Arte Poët. [g] Suid. in V. Ὑπερίδης. [h] Phot. in Bibliothec. cod. 266. [i] Plutarch. in Vitis X. Orator. cap. 9. & Photius ibid. & Suidas in Voc. Ὑπερίδης. [l] Suidas ibid. & Diog. Laërt. libro 3. segm. 46. in Vit. Platonis. [m] Plutarchus ibid. in princ. & Phot. in Biblioth. cod. 266.

caruit accusatoribus, aut inimicis; quocirca quum post commissum ad Chæroneam prœlium, & fusas, fugatasque Atheniensium, & Græcorum copias censuisset inquilinos civitate donandos, & servos libertate, feminas, puerosque in Piræeo collocandos; ejus criminis reus est arcessitus, quòd contra leges id plebiscitum fieri curarat; sed evasit invidorum, malevolorumque calumnias; & quum a nonnullis reprehenderetur, quòd in eâ sententiâ, quam devictis ad Chæroneam Atheniensibus multas leges neglexisset: *ego*,[a] inquit, *veniâ dignus; mihi enim quominus, quid a legibus concederetur, viderem, Macedonum arma caliginem, & tenebras offuderunt*; rursumque dixit: *non ego hoc psephisma conscripsi, sed commissa ad Chæroneam pugna*. Et sanè in tur-
7 bidis Respublicæ temporibus interdum non observandæ leges, quæ tranquillâ Republicâ sunt constitutæ, quia alia tempora alias leges postulant; & ut aliter secundo vento navem regit, & moderatur gubernator, aliter mari sæviente, & turbinibus agitato; quum ea, quæ in tranquillitate prosunt, in tempestate sævâ perniciem sint allatura; ita aliam regendi rationem tranquilla Respublica, aliam concussa desiderat, omniaque sunt ad utilitatem populi dirigenda; nec cunctandum est aliquando, quum expedit, leges violare; quia ut scriptum est in duodecim tabulis, salus populi suprema lex esse debet; & leges, quæ publicæ utilitatis gratiâ sunt constitutæ, ejusdem publicæ utilitatis ergo dissolvuntur. Sic Romani[b] acceptâ clade Can-
8 nensi legem non observarunt, quæ servos militare prohibebat; nam e servis legionem conscripserunt, & eorum forti, fidelique operâ sunt usi. Sic contra leges Mario[c] tot consulatus continuarunt, quum Cimbri, Teutones, & Ambrones Imperio extrema minarentur; sic[d] Epaminondas vetantibus legibus, quum ita Reipublicæ tempora postularent, sibi ipsi imperium prorogavit, & Patriam egregiâ de Spartanis partâ victoriâ, & Græciæ principatu cohonestavit. Non ergo mirum si Hyperides a populo est absolutus; nam & si legibus non paruit, supremæ tamen, antiquissimæque legi, quæ populi salutem spectare jubet, obtemperavit.

DISSERTATIO LXXVII.

De Hyperide, Lycurgo, & Solone, & duodecim tabulis.

Hyperides, ne Patriæ arcana proderet, linguam deglutivit; plura scorta habuit. Plutarchus docet eos, qui ad voluntatem multitudinis loquuntur, asotos esse. Phryne meretrix Thebas ab Alexandro dirutas restituturam se pollicita est, si id mœnibus inscriberetur. Hyperides duas triremes suis impensis comparavit. Quomodo conditæ sint leges duodecim tabularum.

Sinistro, ut Juvenalis[e] ait, fato rhetores in Græciâ nascebantur; nam, quum eminentissimi quique oratores in ea tempora incidissent, quibus Macedonum opes Græcorum libertati jam imminebant; oratores autem Rempublicam, libertatemque tuerentur, 1
quam Macedonum Reges oppressam volebant, necessariò eorum odia in se incitarunt. Itaque licuit impunè[f] Themistocli, licuit Alcibiadi, licuit Pericli, qui florente Republicâ floruerunt, uti libertate dicendi, & populum pro arbitratu regere; non licuit Demostheni, non Hyperidi, qui infractâ Macedonum armis civitate vixerunt; sed amoris in Patriam, & communem libertatem pœnas, & quidem acerbissimas dederunt. Sed de Demosthene non est necesse dicere; notiora sunt[g] facta, & exitus viri, quàm ut a nobis debeant indicari; de Hyperide verò, cujus obscurior fama est, quia Cicero ejus[h] mentionem loco, quem suscepimus illustrandum, facit, dicebamus hesterno die, quo nonnulla attigimus, quæ ad ejus vitam, & genus, & Reipublicæ administrandæ rationem pertinerent; nunc ad ejus mortem crudelem, miserandamque veniendum est, quam obivit, accisis jam opibus Atheniensium, & extinctâ Patriæ libertate. Nam[i] quamdiu viguit Respublica custodem suum 2
retinuit, & omni ratione defendit; post acceptam autem a Græcis ad Cranona cladem, quum Antipater postulasset, ut sibi Hyperides traderetur, & populus ipsum perterritus Macedonum armis in Antipatri potestatem daturus videretur, ex urbe coactus est excedere, & se Æginam conferre. Ibi, quum Demosthenem offendisset, qui

a Photius in Biblioth. cod. 266. Plutarch. in Vitis X. Orator. cap. 9. in Vit. Hyperidis. b Tit. Livius libr. 2. dec. 3. Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 11. circa med. c Plutarchus in Vit. Marii, Plin. de Vir. Illustrib. cap. 67. Luc. Flor. libr. 3. cap. 3. & Plinius Nat. Hist. libr. 11. cap. 45. d Plutarch. in Vit. Pelopid. Cornel. Nep. in Vit. Epaminondæ, & Diodor. Sicul. Bibliothec. Historic. libr. 15. e Juvenal. Satyr. 10. v. 129. f Plutarchus in Vit. Themistoclis, Alcibiad. & Periclis. g Idem in Vit. X. Orat. c. 8. in Vit. Demosthen & Phot. in Biblioth. cod. 265. h Cicer. de Orat. libr. 1. i Plutarchus in Vit. X. Orator. cap. 9. & Photius in Biblioth. cod. 266.

eadem de causâ exulabat, & se templi religione tuebatur, seque ei purgasset, quòd ipsius nomen compulsus a populo detulisset, ab Archia, qui φυγαδοθήρης est appellatus, quòd exules insequebatur, in templo Neptuni, quò confugerat, comprehensus est, quum Dei simulacrum apprehendisset; & ad Antipatrum violenter abductus, quum admotis tormentis cruciaretur, ne civitatis arcana proferre doloris magnitudine cogeretur, abscissam dentibus linguam deglutivit interfectusque, & projectus insepultus; Alphini nepotis, vel Leucippi filii curâ, qui cadaver ipsius impetrarat, sepultus est, non solùm vetantibus Macedonum decretis, verùm etiam legibus Atheniensium, qui eum non modò solum vertere exilii causâ jusserant, sed in Patriâ quoque humari prohibuerant. Hic fuit exitus vi-
3 tæ clarissimi viri, qui constantiâ mortis se se ab infamiâ vitæ per libidinem, voluptatemque actæ vindicavit; nam fuit in venerem pronior, ostenditque exemplo suo verissimum esse, quod Plutarchus in libro de educatione Liberorum scriptum reliquit, eos, qui student ad voluntatem multitudinis loqui, asotos esse, & cupidos voluptatis. Siquidem ejecit [a] domo filium, quò Myrrhinen sumptuosum maximè scortum induceret, in Piræeo verò habuit Aristagoram; Eleusine Philten Thebanam suis alebat umptibus, quam viginti minis argenti redemerat. Phrynen [b] verò nobile scortum, & famâ celebratum quum impietatis ream defenderet, nec dilueret dicendo crimen, nudavit puellæ pectus, & ostendit occultam judicibus venustatem; qua illis tantum potuerat, ac tantas opes congesserat, ut [c] Thebas ab Alexandro Magno deletas restituturam se se polliceretur, si Thebani mœnibus inscribere voluissent: *Alexander evertit, Phryne meretrix refecit*. Eo spectaculo judices deliniti Phrynen innocentem pronunciarunt; & efficaciùs tacita pu. llæ pulchritudo, quàm disertissimi oratoris eloquentia peroravit. Sed hæc animum Rhetoris mollem, & voluptatis appe-
4 tentem redarguunt; illa egregia, studium in Rempublicam, & amorem tuendæ libertatis declarant, nec asperrimis rerum cedentem constantiam; quod Demosthenem adjuvit [d] in Lamiaco bello decernendo; quod eorum, qui pro Patriâ mortem oppetiverant, laudes mirabiliter celebravit; quod Philippo Rege, ut Eubœam occuparet, classem adornante, Atheniensibus ob acceptas clades pericula segniter subeuntibus, quadraginta triremes cogit, & ipse duas suis impensis comparavit; quod ad Rhodios missus legatus legationem egregiè pro Patriâ obivit; quod quum ab Antipatro legati venissent, & ejus mansuetudinem, probitatemque laudibus ferrent, occurrit ipsis, quum [e] diceret: *nobis quoque compertum est Antipatrum bonitate præstare; sed nos bonum dominum non desideramus*. Quantopere autem se præbuerit
invictum pecuniâ, & incorruptum, ipse de- 5
claravit, quum jussit Athenienses considerare, non an esset acerbus, sed an gratia acerbus; & meritò se se propter hanc virtutem circumspiciebat; nam, quum alii oratores vel Persarum, vel Macedonum auro corrupti dicantur, Hyperides nunquam hoc crimine laboravit. Verumtamen dum summi oratoris exponimus vitam, fortasse modum excessimus; quare, ne vobis, Auditores, molesti simus, ad reliqua procedamus; nec de Solone, Lycurgoque, quos hoc loco nominat [f] Cicero, quidquam dicemus; quis enim ignorat alterum Athe-
niensibus, alterum Lacedæmoniis incly- 6
tas leges tulisse? nec de legum Romanarum latoribus, qui, quòd essent decem, decemviri sunt [g] appellati, quidquam dicemus; res est æquè nota; quum plebs a Patribus dissid ret, Patresque leges, quæ a Tribunis plebis ferebantur, accipere recusarent, Tribuni plebis egerunt cum Patribus, ut quoniam leges ab ipsis latæ displicerent, legumlatores, qui quæ tuendæ libertati leges utiles viderentur, conderent, creari paterentur. Missi in Græciam legati Spurius Postumius Albus, Aulus Manilius, Spurius Sulpicius, qui Solonis leges, & Lycurgi describerent, aliarumque Græciæ civitatum mores, & jura pernoscerent; ad eas ferendas creati Decemviri sine provocatione, cautumque, ne quis eo anno magistratus esset, quò Decemvirûm major esset auctoritas. Quum Decemviri, quæ in rem populi Romani leges viderentur, ingenti omnium consensu pertulissent, decem tabulas confecerunt; his [h] additæ duæ totum Romani juris corpus expleverunt.
Nec de Galbâ, aut Lælio, quos hic elo- 7
quentiæ gloriâ præstitisse Crassus [i] testatur, longus est sermo; nec aliunde, quàm ex ipso Cicerone, quantus orator fuerit Galba, quærendum est; qui libro de claris oratoribus tradit Galbam Principem illa oratorum propria, & quasi legitima ornamenta

a Athen. libr. 13. cap. 6. *b* Quintilian. Instit. Orator. libr. 2. cap. 15. & Athen. ibid. *c* Athen. libr. 13. cap. 6. *d* Plutarchus in Vitis dec. Oratorum cap. 9. *e* Idem Plutarch. ibid. *f* Cicero de Oratore libr. 1. *g* Plutarch. in Vit. Solonis, & in Vit. Lycurg. *h* Tit. Livius libr. 3. dec. 1. Pomponius Jur. Conf. in l. 2. ff. de Orig. Jur. & Dionys. Halicarnass. libr. 10. Antiquit. Roman. *i* A. Gell. libr. 17. cap. 21. *l* Crass. apud Ciceron. de Orator. libr. 1.

ta tractavisse, ut digrederetur a proposito argumento; ut delectaret animos, aut permoveret; ut ad misericordiam judices flecteret; ut dicendo rem dilataret; ut communes locos adhiberet, omninoque Latinam eloquentiam adhuc pæne infantem, & quoquam progredi metuentem, & liberius incedere, atque etiam audacius excurrere, & viribus uti, & majore sono vocis docuisse. Lælium [a] autem testatur oratione fuisse admodum scitâ, & subtili, & æquabili; quæ non sententias judicum per vim extorqueret, sed eos quasi manu prehensos eò, quò non inviti venirent, adduceret.

DISSERTATIO LXXVIII.

An oratori omnium disciplinarum sit necessaria cognitio.

Eratosthenes Beta *est appellatus, quod in omnibus artibus proximum a primo locum occuparet. Epiphani divini honores decreti sunt; quòd quum septemdecim natus annos decesserit, Encyclopædiam didicerat. Isocrates pudore impeditus nunquam in publicum ad dicendum prodiit. Philippus Isocratem athletæ, Demosthenem bellatori comparavit.*

EXcipit sermonem Crassi, quo omnium [b] disciplinarum scientiam oratori esse necessariam affirmavit, Scævolæ, Antoniique sermo partim Crassi dicta comprobantium, partim majus onus ab eo oratoribus imponi, quàm ut ferre possint, disputantium, si nihil ipsis liceat ignorare; partim etiam verentium, ne studio artium maxi-
1 marum abducatur orator a consuetudine dicendi forensi; & similis ejus evadat oratio eorum sermoni, qui de rerum naturâ, & moribus eloquentissimè disputarunt; sed nihil habent eorum disputationes cum oratore commune. Siquidem philosophorum oratio est illa quidem splendida, & admirabili afluens ubertate; sed caret lacertis, caret nervis, caret viribus oratoris; & palæstræ magis est apta, quàm pugnæ. Quibus Antonii, & Scævolæ dictis oratio Crassi non infirmatur; nam arduum quidem Crassus esse fatebitur omnium artium maximarum scientiam consequi; sed non ex iis, quæ fieri prorsus non possunt; quum multos nominare possimus, qui orbem illum liberalium disciplinarum sunt mente complexi. Eratosthenes [c] a veteribus beta est appellatus; quòd quum omnes artes tenue- 2
rit, & scriptis illustrarit, in omnibus proximum a primo locum occuparit; quemadmodum beta secundum locum inter litteras tenet. Quod si Eratostheni licuit tantum in omni doctrinâ eminere, ut omnes vinceret, a principe dumtaxat earum facultatum vinceretur; quanto magis licebit oratori omnes artes cognoscere, qui non earum scientiam petit, ut in his magnus, & admirabilis esse videatur; sed ex unaquaque tantum assumit, quantum satis est ad ornatissimæ orationis augendam facultatem? Aliud est enim artem profiteri, aliud artem condiscere; qui profitetur artem, non satis habet aliorum inventa nosse; vult aliquid suo marte invenire, vult inter ceteros excellere, & ideo in eâ ætatem consumat, necesse est; at qui discit, & aliorum inventis acquiescit, & se vinci facilè patitur ab iis, qui ejus disciplinæ studio se penitus dediderunt. Idcirco, nisi desit ingenium, & acre studium, artes quantumlibet magnæ brevi condiscuntur; earum pertractatio, perpolitioque temporis diuturnitatem desiderat. Epiphanem quendam Cle-
mens [d] Alexandrinus testatur exiguo tem- 3
poris intervallo, & orbem illum disciplinarum, quem [e] ἐγκυκλοπαιδείαν Græci vocant, & Platonis doctrinam didicisse; ut quum septemdecim natus annos decesserit, tantam scientiæ gloriam sit consequutus, ut mortuo divini honores decernerentur; quem perniciosissimæ sectæ ducem Carpocratis sectatores habuerunt. Non ergo desperandum oratorem posse omnium artium maximarum doctrinam mente complecti; quum vel exiguum tot disciplinis condiscendis ætatem suffecisse videamus. Quod si concedamus non esse cujusquam animum tam capacem, ut tantarum scientiâ facultatum possit impleri; non tamen efficietur ex eo non opus esse oratori perfecto cognitione omnium disciplinarum, sed oratorem perfectum esse non posse; nec tamen inutilis oratio Crassi reperietur fingentis oratorem omnibus vitiis detractis, omni laude cumulatum. Nam & Stoi-
ci talem fingunt sapientem, qualis [f] nun- 4
quam fuit, aut esse forsitan potest; nec idcirco Stoicorum disputationes inanes, & futiles judicandæ; & Plato proponit Reipublicæ exemplar ejusmodi, ut nunquam repertum sit, nec reperiri posse videatur; & Xenophon talem describit Principem, qua-

---

[a] Cicer. de Clar. Oratoribus, sive in Brut. [b] Idem de Oratore libro 1. [c] Suidas in V. Ἐρατοσθένης, Hesychius Milesius, & Artemidorus Ephesius, vel Martianus Heracleot. in Periplo. [d] Clemens Alexandr. Stromat. libr. 3. circa princ. [e] Quintilian. Institut. Orat. libr. 1. cap. 10. [f] Clemens Alexandr. Strom. libr. 2. & Quintilian. ibid.

qualis nunquam extitit; nec ideo aut Platonis Rempublicam, aut Xenophontis de institutione Cyri libros inutiles arbitrabimur. Nam quemadmodum pictoribus, & statuariis plurimum prodest in exemplar quàm absolutissimum intueri; ita Rempublicam regentibus, vel regnum administrantibus multum expedit eam sibi Reipublicæ formam, & Regis exemplar proponere, quod sit omnibus numeris absolutum. Non igitur Crassi, vel potius [a] Ciceronis oratio reprehenda fingentis oratorem omnibus disciplinis perpolitum; nam & si consequi tantam rerum copiam, varietatemque non possimus; tamen in eam speciem intuentes, quantam quisque poterit, doctrinæ copiam nobis comparabimus. Nec illud verendum est, quod se vereri dicit Antonius, ne si orator a teneris, ut ajunt, unguiculis in multitudine artium maximarum, & varietate versetur, a consuetudine dicendi forensi, & communi sensu oratio ejus abhorreat. Non enim, si
5 Democritus, aut Plato, & quicunque de rerum naturâ eloquentissimè disputarunt, dicendi genus non pugnax, ut oratores, & contentiosum, sed æquabile, & temperatum sequuti sunt; idcirco necesse est omnes, qui in cognitione rerum plurimum operæ, studiique posuerunt, alio genere sermonis uti non posse, quàm quo sunt usi eloquentissimi, præstantissimique philosophi. Illi ipsi, qui tam sedatâ oratione, tam nitidâ philosophiam explicarunt, si ad agendas causas animum appulissent, oratoriis nervis, & lacertis, & viribus non caruissent; flexibilis est, & mollis oratio, & ad quamcunque formam voces facilè fingentem sequitur. Non est igitur periculum, ne homines doctissimis illis, & politissimis philosophorum sermonibus eruditi, quum ad causas agendas accesserint, non possint ad oratorium dicendi morem, consuetudinemque forensem orationem accommodare. Ideo Cicero [b] existimat & Platonem, si forense dicendi genus tractare voluisset, gravissimè, & copiosissimè potuisse dicere; & Demosthenem, si ea, quæ a Platone acceperat, explicare voluisset, Platonis copiâ, & ubertate non
6 fuisse cariturum. Isocrates [c] pudore impeditus nunquam in publicum ad dicendum prodiit; ob eamque causam ejus oratio palæstræ [d] magis, & olei, quàm civilis turbæ, & fori; ideò Philippus interrogatus Isocrates, an Demosthenes major esset orator, alterum [e] athletæ, alterum fortissimo bellatori comparavit. Num putamus Isocrati oratoria illa fulmina defuisse? unde igitur tantam vim dicendi, nisi ab Isocrate præceptore, Demosthenes, & [f] Hyperides, & alii disertissimi oratores hauserunt? Ac multo minùs metuendum est, ne philosophorum sermonibus institutus orator dicendi genus consectetur, quod a communi sensu abhorreat; nam si quis hoc vitio philosophus laborasset, Stoici certè laborassent, quorum sententiæ a vulgi opinionibus quàm maximè discrepant; & tamen [g] Cato Stoicus & excelluit forensi laude dicendi, & nunquam hoc vitio dicitur 7
laborasse; & Zeno, Cleanthes, & Chrysippus quamvis ad Rempublicam nunquam accesserint, multos, ut ait [h] Seneca, miserunt, qui nunquam tantâ civitatum regendarum gloriâ præstitissent, nisi ad communem sensum orationem accommodassent. Non igitur vera sunt, quæ objicit Antonius Crasso, & tamen utiliter a Cicerone ponuntur; continent quippe præceptum non contemnendum; nam ostendunt, quid oratori, qui in philosophiâ fuerit, & liberalissimis artibus, disciplinisque versatus, in primis fugiendum esse præcipiatur.



DIS-

[a] Cicer. de Orator. libr. 1. [b] Cicer. de Officiis libr. 1. in princ. [c] Photius in Biblioth. cod. 260. Plutarch. in Vit. X. Orator. cap. 4. Dionysius Halic. de Antiq. Oratorib. Suid. in V. Ἰσοκράτης, & Plinius libr. 6. Epistol. 29. ad Quadratum. [d] Quintilianus Institut. Orator. libr. 10. cap. 1. [e] Photius in Biblioth. cod. 265. aliter tradit Plutarchus in Vit. X. Rhetor. cap. 8. [f] Philostratus in Vitâ Isocratis. [g] Cicero de Clar. Orator. sive in Brut. [h] Senec. de Tranquillit. Anim. cap. 1.

DISSERTATIO LXXIX.

Qua quæritur, an ulla sit ars oratoris.

Stoici rhetoricen esse scientiam existimarunt, alii artem, alii nec etiam artem esse. Præcepta dicendi aliqui tradiderunt, qui eloquentes non erant. Demades, quum remex esset, Æschines autem histrio secundarum partium, simulatque forum attigerunt, cum principibus oratorum sunt comparati. Lacedæmonii adolescentem, qui rhetoricen didicerat, condemnarunt; legatum re non impetratâ dimiserunt, quòd longam orationem habuisset; alteri verò frumentum dederunt, quòd inanem arculam ostendisset, ac dixisset farinam deesse; nihilominus tanquam nimis garrulum reprehenderunt. Barbari, & Lacedæmonii, qui in pretio oratores non habebant, immo eos ejecerunt, leges nunquam mutabant; secus Athenienses.

Antonii sermo [a] continet extremo loco quæstionem a scriptoribus artis oratoriæ celebratam, qua quæri solebat, an ulla esset ars oratoris; de qua hodierno die mihi Ciceronis vestigiis insistenti disserendum est; ac philosophorum, de quibus Cicero loquitur hoc loco, referendæ sententiæ, qui artem esse rhetoricen aje-
1 bant, vel negabant. Ea quippe res philosophorum est agitata sermonibus, qui de hac, sicuti de ceteris inter se dissenserunt; nam [b] Stoici, quum rhetoricen scientiam rectè dicendi definirent, non solùm artem, sed etiam sapientiæ partem putaverunt. Nam scientia ex comprehensionibus constat; comprehendere autem nemo quidquam, nisi sapiens, Stoicis auctoribus, potest; quare si rhetorice est scientia bene dicendi, sapientem esse oratorem necesse est; quum habeat φαντασίαν, ut ipsi loquuntur, καταληπτικὴν, hoc est *comprehendentem*. Idcirco Stoicus Mnesarcus apud Ciceronem hoc loco asseverat facultatem dicendi esse virtutem, & qui hanc habeat, omnes habere, & esse sapientem. Nam Stoicis pla-
2 cet, omnes virtutes ita aptas, inter seque esse [c] connexas, ut in quo una invenitur, necesse sit inveniri universas; quæ sententia Stoicorum licèt multum oratoribus tribuere videatur, oratores funditus tollit. Quum enim sapiens, qualem [d] Stoici sapientem esse voluerunt, nemo unquam exstiterit, consequens est neminem fuisse oratorem. Xenocrates [e] autem licèt eadem finitione, qua [f] Stoici, uteretur, & rhetoricen diceret esse rectè dicendi scientiam; tamen discrepat a sententiâ Stoicorum; nam scientiam pro arte sumit, quo significatu Veteres scientiæ nomen usurpabant, & aliquid comprehendi posse censebant etiam ab iis, qui non essent perfectè, pleneque sapientes. Plato etiam licèt in Gorgia munus oratoris obterere, atque abjicere vide-
atur, tamen aliquam artem esse dicendi non 3
audet pernegare; nam rhetoricen esse finit opificem persuadendi in ipsis habentem sermonibus vim, & firmitatem persuadentem, non docentem; & [g] Aristoteles artem dicendi esse existimavit, qui rhetoricen artem sermonum definivit. Contra Carneades, Clitomachus, Charmides, Critolaus, & Academici omnes, aliique, quos [h] Cicero nominat, dicendi artem funditus sustulerunt. His Rhodius [i] Athenodorus, Agnon, & Epicurus accesserunt, qui omnes his argumentis ducti ab artium choro rhetoricen excluserunt: si enim, ajebant, rhetor esse potest, qui artem rhetorices non didicit, rhetoricen non esse artem concedendum est; nam qoomodo sine arte artifex esse possit? atqui multos putant extitisse, qui quum dicendi præcepta nescirent, oratoris munere perbellè fungerentur; non esse igitur ullam dicendi facultatem. Hic afferunt [l] exem-
pla Demadis, & [m] Æschinis, quorum alter 4
quum remex esset, & eâ ratione vitam sustentaret, simulatque accessit ad dicendum, non ultimum inter oratores locum occupavit; alter qoum actor esset non primarum partium, ubi forum attigit, non mediocrem dicendi gloriam est assequutus; immo cum principibus oratorum est comparatus. Ideo quum [n] Demosthenes primam orationem haboisset ad populum, & propter agendi imperitiam esset explosus, querebatur nautas, & temulentos homines, & indoctos a populo libenter audiri, & esse in pretio; se verò, qui in studio dicendi, & artium maximarum ætatem contrivisset, excipi sibilis, & in magnâ hominum irrisione, contemptuque versari. His Carneades illud addebat; om-
nes, qui de arte præcepta tradiderunt, 5
quasi deditâ operâ infantes foisse; quod licèt

[a] Apud Cicer. de Orator. libr. 1. [b] Quintilian. Instit. Orat. libr. 2. cap. 17. [c] Clem. Alexandr. libro 2. Strom. [d] Vid. Sen. de Constant. Sapientis cap. 7. [e] Sext. Empir. libr. 2. advers. Mathemat. [f] Diog. Laërt. in Vit. Zenon. libr. 7. segm. 42. & Sext. Empir. ibid. [g] Aristotel. Rhetoric. libr. 1. [h] Cicer. libr. 1. de Orator. [i] Quintilianus Instit. Orator. libr. 2. cap. 17. [l] Idem Quintilian. ibid. & Suidas in V. Δημάδης. [m] Qointilian. Institut. Orator. libr. 2. cap. 17. Plotarch. in Vit. X. Orator. cap. 6. Suidas in V. Αἰσχίνης, & Phot. in Bibliothec. cod. 264. [n] Plutarchus in Vit. Demosthenis.

licèt de omnibus falsum esse videatur,
quum eloquentissimi viri [a] Empedocles,
Antiphon [b], Gorgias Leontinus, Isocra-
tes, Aristoteles, Theophrastus, & Abde-
rites Protagoras, & Thrasymachus Chal-
cedonius de arte rhetoricâ scripserint, ta-
men de [c] Corace, & Tisia, qui primi genus
hoc scriptionis attigerunt, de Chrysippo,
de Hermagorâ verissimum est. Quomodo
etgo ars rhetoricc debet judicari; quam &
qui ignorarunt, rhetores in primis præcla-
ri fuerunt, & qui probè sciebant, eloquen-
tiæ, cujus se doctores profitebantur, laude
caruerunt? Ex quo, quemadmodum Sex-
tus Empiricus refert, dicendi magistri se
cotibus comparabant, quæ quum secandi
sint expertes, ferrum ad secandum ido-
neum reddunt; quod expressit [d] Horatius
his verbis:

...... fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet exsors ipsa se-
candi.

6 Quod si ars est ulla dicendi, ea debet ha-
bere percepta, & cognita sua præcepta;
sed præcepta Rhetoricæ percipi non pos-
sunt, quum sint falsa, & falsa percipi non
possint. Quæ enim sunt præcepta Rhetori-
cæ? hæc, ut ipsi affirmant, sic judicibus te-
nebræ offundendæ, movenda misericordia,
conflanda invidia, ad iram judcum mentes
concitandæ; ita sacrilegi, impii, consce-
lerati cives defendendi; quæ quum abhor-
reant a veritate, non possunt comprehen-
di. Præterea nullam artem a Rebuspubli-
cis ejectam videmus; at rhetoricen Lace-
dæmonii [e] ejecerunt; adolescentem con-
demnarunt, qui quum foris versaretur,
rhetoricas artes didicerat; causamque tam
severi judicii adjecerunt; quòd sermones
dolosos ad decipiendam Spartam esset me-
ditatus. Et quum [f] Chii legatum misissent
Spartam ad petendum frumentum, quum
fame premerentur, quòd is longam oratio-
nem habuisset, re non impetratâ dimise-
runt. Quum autem iidem rursus alium le-
gassent, is rem confecit; quia non est usus
circuitione verborum, sed ostendit inanem
arculam, & farinam deesse dixit; & tamen
hunc ipsum tanquam nimis garrulum Spar-
tani reprehenderunt; satis enim fuisse di-
cebant vacuam arculam præseferre. Sed &
Cretensium legumlator legem sancivit, qua
oratores insulâ Cretâ prohibebantur; &
Athenis in [g] Areopago rei patronum adhi-
bere vetabantur. Nec mirum rhetoricen
a bene moratis civitatibus exclusam; ne-
que enim ars debet judicari, nec habet 7
propositum finem utilem Rebuspublicis;
nam si esset utilis, vel prodesset ipsis ora-
toribus, vel civitatibus; non prodest au-
tem oratoribus; nam dum volunt artem
exercere, coguntur in foro cum impostori-
bus, cum sicariis, cum sycophantis versari:
coguntur ingenia parricidarum, adultero-
rum, furum cognoscere, quò solertiùs ipsos
possint redarguere, vel etiam, quom res
postulat, defendere; qua consuetudine ani-
mi rhetorum corrumpuntur, & eorum,
quibuscum versantur, imbibunt mores:
coguntur in odia multorum incurrere: co-
guntur inter sordes reorum, inter lacri-
mas calamitosorum vitam agere, semper-
que solliciti esse, & piratarum instar sem-
per timere, vel timeri. Cujus rei testis est,
ut ceteros taceam, Cato [h] Censorius, qui
quum multos accusasset, quater, & qua-
dragies causam dixit; licèt propter inno-
centiam semper fuerit absolutus; non igi-
tur prodest oratori dicendi facultas. Non
prodest autem civitatibus; nam quum le- 8
ges vinculum sint, & mens, & anima ci-
vitatum, leges ab oratoribus evertuntur,
immutantur, eluduntur; idcirco Byzanti-
nus orator interrogatus, quomodo se le-
ges haberent Byzantii, respondisse fertur:
quomodo ipse volo. Atque hujus rei illud
argumentum est, quod apud Barbaros, &
Lacedæmonios, qui dicendi facultatem in
pretio non habuerunt, nunquam, aut ra-
rò leges sunt immutatæ; apud Athenien-
ses verò, & alios, qui oratorum ingenia
sunt admirati, sæpissimè mutationam su-
sceperunt. Quum igitur neque oratoribus
rhetorice, neque Rebuspublicis prosit, in
artium numero neutiquam est habenda;
nam artes utiles esse debent; debent præ-
terea vel semper, ut philosophia, & Gram-
matica, suum consequi finem, vel plerum-
que, ut medicina, & ars gubernatorum;
at oratores nec semper, nec plerumque
finem artis assequuntur; sæpenumero quip-
pe non persuadent. Ad hæc nullus arti-
fex, quum de arte loquitur, pugnantia di-
cit, & quæ posuerat, tollit; oratores au-
tem sæpe contrarias inter se habent oratio-
nes, & ex arte loquuntur; ut Crassi oratio
pro Coloniâ Narbonensi contrariam sen-
tentiam orationi pro lege serviliâ continet;
& Cicero Vatinium [i] probris onaravit,
& innocentem rursus probavit; & Gabi-
nium

[a] Quintilian. libr. 3. cap. 1. Inst. Orator. [b] Cicer. de Claris Oratorib. sive in Bruto, & Plutarchus in Vit X. Orator. cap. 1. [c] Cicero de Orat. libr. 1. [d] Horat. in Arte Poëtic. [e] Quintil. libr. 2. Inst. Orator. cap. 16. Plutarchus in Laconic. & Cicero in Bruto. [f] Herodotus libr. 3. cap. 46. [g] Pausan. libr. 1. Apulejus Metamorph. libr. 10. Quintilian. libr. 2. Instit. Orat. cap. 17. & libr. 6. cap. 1. Lucianus in Anacharsi, & Aristot. Rhetoric. libr. 1. cap. 1. [h] Plin. de Vir. Illustribus cap. 47. Solin. cap. 7. Cæl. Rhod. libr. 11. cap. 14. aliter Plin. libr. 7. Natur. Hist. cap. 27. Vid. Val. Max. libr. 3. cap. 7. [i] Plutarch. in Vit. Cicer.

nium accusavit, & defendit; non est igitur artifex orator, nec ars oratoris facultas. His argumentis usi sunt, qui rhetoricen ex artium numero sustulerunt; quæ nos crastino die confutabimus.

DISSERTATIO LXXX.

Qua superiora argumenta refelluntur.

Artes liberales universas Sceptici sustulerunt; inutiles vitæ pronunciarunt Epicurus, Aristo Chius, Aristippus, Cyrenaici, & Diogenes, ejusque sectatores; & philosophiam solam, quæ spectat ad mores, relinquendam putarunt. Multi in unaquaque arte sine præceptis excelluerunt. Cleanthes quum irrigandis hortis victum quæreret, & Simo exerceret artem sutoriam, philosophiæ operam dabant. Lysippus ex fabro ferrario insignis pictor evasit. Aristoteles putat casu natam Poëticam, quum quidam inconsultò versus effudissent.

IGnobiles artes, & sordidæ, quas Βαναύσους Græci [a] vocant, meliore fortunâ sunt usæ, quàm liberales; nemo enim agriculturam, aut figulinam, aut fulloniam, aut textrinam, aut alias sellularias artes reprehendit, aut inutiles Reipublicæ affirmavit, aut artes non esse contendit; liberalibus disciplinis obtrectatores nunquam defuerunt. Cujus rei cau-
1 sam hanc arbitror extitisse, quòd earum artium, quæ ad animi cultum pertinent, utilitas in obscuro est; earum, quæ spectant ad corpus, apparet, & manifestò cernitur; quia corpus nobis notissimum est, animus ignotus, quo omnia cognoscuntur. Certè artes liberales universas Sceptici sustulerunt; inutiles vitæ pronunciavit [b] Epicurus, & [c] Aristo Chius, & [d] Aristippus, & Cyrenaici, & [e] Diogenes, & ejus Cynici sectatores; qui ne philosophiæ quidem pepercerunt, sed eam circumcidendam, atque amputandam putarunt, & partem solam, quæ de moribus disputat, relinquendam. Sed inter præstantissimas disciplinas maximè doctorum hominum invidiâ, & calumniis dicendi facultas laboravit; ut patrocinio maximè indigeat, quæ omnibus patrocinium pollicetur; non defuerunt enim, qui ex artium numero tollendam esse censuerunt, & eloquentiam eloquentiæ armis oppugnarunt; quorum argumenta, quibus nullam artem esse dicendi conantur ostendere, retulimus hesterno die, & hodierno, ne quis decipi possit, refellemus. Nec difficilis mihi ratio refellendi
proponitur; neque enim sunt magni ponderis; quid enim levius, quàm quod ajunt multos oratores, qui præcepta dicendi non didicissent, extitisse? id ego si negare velim, non facilè possim redargui; nam licèt [f] Demades, & [g] Æschines, quorum alter fuit remex, alter histrio, nullam doctrinam ad dicendum attulisse videantur; potuerunt etiam quum in tam humili opere versarentur, artis præcepta condiscere; quemadmodum [h] Cleanthes, quum aquâ hauriendâ, hortis irrigandis victum sibi quærebat, philosophiæ vel diligentissimè operam navabat. Nonne & Simon [i] Atheniensis, quum artem sutoriam exerceret, & Socratem audivit, & philosophiæ operam dedit, & triginta nobilissimos de philosophiâ conscripsit dialogos? Potuerunt denique, quum sordidis artibus relicta ad dicendi studium animum appulerunt; antequam in causis agendis versarentur, ea, quæ sunt cognoscenda, cognoscere; non est credendum famæ, quæ sommos interdum viros imperitos prædicat. Nam & [l] Antonius clarus inprimis orator
doctrinæ omnis expers habebatur; & ta- 3
men constat nullius ignarum fuisse disciplinæ, & [m] potius dissimulasse doctrinam, quàm ignorasse. Sed ne videar nimis præfractè negare, quod sibi concedi postulant, non inficias ibo fuisse nonnullos, qui quum dicendi præcepta non didicissent, tamen dicere non absurdè, haberique oratores potuerunt; sed non ex eo efficitur artem nullam esse dicendi, quòd aliqui sine præceptis, & magistro ad nonnullam eloquentiæ gloriam pervenerunt. Silanion fuit [n] statuarius egregius, & cum primis ejus artis memorandus; & tamen nullum habuit doctorem, a nemine præcepta artis accepit, usu tantùm, & exercitatione est eruditus; num idcirco statuariam esse artem negabimus? minimè gentium; quia

a Gerard. Jo: Vossius de Artium Naturâ libr. 1. cap. 2. b Diogen. Laërt. libr. 10. in Vit. Epicuri, Cicero libr. 1. de Finibus, & Div. Hieronymus adversùs Rufinum. c Diogenes Laërtius libr. 6. in fine segm. 103 post Vitam Menedemi. d Idem Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 92. in Vit. Aristippi. e Idem Laërt libr. 6. segm. 103 post Vitam Menedemi, & Lucian. in Vitar. Auction. f Quintil. Inst. Orat. libr. 2. cap. 17. & Suid. in V. Δημάδης.

g Quintilianus ibid. Plutarch. in Vit. X. Orator. cap. 6. Suid. in V. Αἰσχίνης, & Phot. in Biblioth. cod. 264. h Diogen. Laërtius libr. 7. segm. 168. in Vit. Cleanthis, Valer. Maxim. libr. 8. cap. 7. Senec. Epist. 44. & Suid. in V Φρεάντλης. i Diogen. Laërtius libr. 2. segm 122. in Vit. Simonis. l Cic de Orat. libr. 2. in princ. m Quintil. Inst. Orat. l. 2. c. 17. n Plin. l. 34. c. 8. Hist. Nat.

licuit Silanioni naturam intuenti ea cognoscere, quæ alii a præceptore didicerunt; quod Eupompus [a] pictor præcepit Lysippo, qui neminem censuit imitandum; naturam ante oculos habendam, eâ magistrâ utendum; quod Eupompi præceptum Lysippum ex fabro ferrario nobilissimum, præcellentissimumque statuarium fecit. In-
4 numeri philosophi & doctrinæ copiâ abundarunt, & scientiâ rerum singulari, antequam dialectice a Zenone Eleate proferretur; qui profectò dialecticen non ignorarunt, quum & concinnè diviserint, & doctissimè definiverint, & argumentum ratione concluserint, & vera a falsis discreverint, & rationes captiosas, & sermonum laqueos dissolverint; num ergo quia Dialectici extiterunt, antequam Dialecticæ præcepta traderentur, nullam esse artem disserendi dicemus? non opinor; quia licèt illi Dialecticorum præcepta a libris, magistrisque non didicerint, ea tamen ingenii mirâ solertiâ perceperant. Ut igitur quamvis aliquis vel optimus extiterit sine ullo artis præcepto statuarius; & quamvis multi, antequam Dialecticæ disciplina proferretur, scienter, & dialectico more disputarint; nec statuariam esse artem negamus, nec disserendi nullam esse disciplinam affirmamus; itaquamvis aliquot oratores non cognitis eloquentiæ præceptis dicendi laude floruerint; tamen esse aliquam eloquentiæ artem concedendum est. Nam
5 artium aliæ in inspectione, & cognitione versantur, aliæ in actu, e quarum numero est doctrina dicendi; quæ in inspectione sunt positæ, & intellectu contentæ, nihil ultra desiderant, eæ ferè sunt reconditæ, nec sine libris, aut doctoribus prænoscuntur; quæ verò in actu, faciliores habentur, & usu aliquo modo percipi possunt. Agricolæ sciunt agri colendi rationem; nec Hannonis Carthaginiensis, aut Catonis, aut Varronis, aut Columellæ, aut Palladii, aut Plinii libros evolverunt. Marius [b] præstitit scientiâ rei militaris; nec homo rusticanus [c] ea, quæ a doctissimis viris prodita sunt de arte militari, nisi usu, cognoverat. Quàm multi cum laude Rempublicam administrarunt experientiâ docti, non libris eruditi? nec idcirco nulla est ars agri colendi, vel belli gerendi, vel Rei-
6 publicæ administrandæ. Eodem modo est ars oratoria; licèt aliquot oratores extitisse dicantur, qui rhetorum præceptis non fuerint eruditi; nam quod negant [d] artem esse dicendi, quia ita naturâ nati sumus, ut & exordiri, & narrare rem gestam, & quod proposuimus, argumentis confirmare, & adversariorum dicta refellere, & ad extremum deprecari possimus; id nullum argumentum est. Nam & naturâ vocem aliquo modo modulari possumus; nec idcirco musicen artem non esse quisquam ausus est affirmare; & saltare ad numerum aliquo modo possumus; nec ideo ullam esse artem saltandi negamus. Pueri fingunt e luto, vel cerâ, & similitudinem hominis, quamvis nullo præceptore docti, repræsentant; & quum calamum in manum sumpserunt, lineamenta humani oris imitantur; num ob eam causam aut fingendi artem, aut pingendi tollimus? quis [e] nescit multas artes esse natas ex observatione eorum, quæ sponte naturæ fiunt? quum aliquis loqueretur, excidit loquenti versus; observatum id est ab hominibus ingeniosis, & acutis; & numeros, quos casus effudit, sunt imitati; ex eo natam artem poëticam Aristoteles [f] arbitratur.

DISSERTATIO LXXXI.

Qua alia argumenta refelluntur.

Nullæ ferè artes solis præceptis cognitis percipiuntur. Erigonus ex tritore colorum insignis extitit pictor. Artes quascumque aliquæ gentes contempserunt; ab ipsâ etiam agriculturâ plures populi abstinuerunt, & diversis rebus singuli victitarunt. Ateas Rex hinnientem equum Ismeniæ tibicini præcellenti antepofuit. Romani quingentos triginta quinque annos Medicis caruerunt.

HOdierno die pergemus, Auditores, quemadmodum hesterno cœpimus, argumenta confutare, quibus nonnulli rhetoricen ex artium numero sustulerunt. Ac mihi primum occurit illud, quo Carneades utebatur [g], qui innumeros, qui de oratoriâ facultate scripserunt, quos infantes fuisse constat, recensebat; ex quo intelligi volebat non esse ullam artem eloquentiæ; quum 1
qui eloquentiæ præcepta vel optimè tenuerunt, eloquenter loqui haudquaquam potuerint. Quod argumentum magis ad refutandam quorundam stultam arrogantiam valet, qui artis fiduciâ subnixi ambulant, quòd rhetorum præcepta didicerunt, quàm ad

a Plinius libr. 34. cap. 8. Natur. Hist. *b* Plutarch. in Vit. Marii, & Plin. de Vir. Illustribus cap. 67. *c* Cicer. Quæst. Tuscul. libr. 2. *d* Vid. Cicer. de Orator. libr. 1. Quintil. Instit. Orat. libr. 2. cap. 17. *e* Theodoret. serm. 3. de Provident. *f* Aristotel. de Arte Poëtic. cap. 4. *g* Carneades apud Ciceronem de Oratore libr. 1.

ad ostendendum nullam artem esse dicendi; non enim omnes artes pereeptione solâ præceptorum comparantur; pleræque usu discuntur; omnes verò ingenium idoneum desiderant. Non mirum multos, qui dicendi præcepta tenuerunt, infantes fuisse; defuit ipsis ingenium, defuit eognitio rerum plurimarum, defuit usus, exereitatioque dicendi. Est iniquissimum, quia magna est ars oratoris, & multa præterea præcepta requirit, ipsam ex artium choro velle sublatam. Si concedamus omnes facultates, quæ non sunt solis præeeptis contentæ, in artium numero habendas non esse, pleræque omnes artis nomen haudquaquam obtinebunt. Apelles [a] om-
2 nia præcepta pingendi eomplexus est libris oppidò luculentis; nonnulla scripsit Euphranor [b], quæ ad picturam pertinerent; quidam superiore sæculo eiusdem facultatis præcepta litteris mandaverunt; num aliquem putamus his dumtaxat præeeptis eognitis ad summam picturæ præstantiam pervenisse? facilius mehercule qui colores terunt, observando artificum opera, quæ quotidie in officinis vident, observando pingentes artifices, egregii pictores evaserunt, quàm quisquam præceptis dumtaxat legendis aliquam in pingendo laudem assequatur. Nam Erigonum [c] accepimus ex tritore colorum Nealcæ pictoris nobilem pictorem esse factum; qui solis pingendi præceptis legendis multum in eâ arte profecerit, neminem accepimus; num ergo picturam, quia sola præcepta non desiderat, artem esse negabimus? Licet idem de
3 architecturâ dicere; quæ tantum abest, ut solâ præceptorum cognitione consummari possit, ut Pythias [d] architectus non posse perfici sine omnium disciplinarum perfectâ scientiâ sit arbitratus: licet idem de ceteris artibus dicere; ex quibus paucissimæ reperiuntur, quæ cognitis, perceptisque præeeptis possint cum laude tractari; semper eæ aliquid extra præcepta positum requirunt. Roscius [e] ajebat caput esse artis decere, quod ipsum tradi nullâ arte posset; non igitur efficitur ex eo nullam artem esse dicendi, quod multi præcepta dicendi cognita habuerunt, & luculenter explicarunt, & tamen oratores non fuerunt; quia alia multa, quæ, præter artis præcepta, in oratore requiruntur, ipsis defuerunt. Nam & multi præcepta statuariæ eognoverunt, & tamen statuarii non extiterunt; & multi picturæ, plastices, medicinæ, artis militaris, & Poeticæ, nec habiti sunt pictores, aut fictores, aut Medici, aut poetæ, aut boni imperatores. At enim artes non ejiciunt, sed accersunt, 4
amplectuntur civitates; rhetoricen & Lacedæmonii, & Cretenses, & Barbari ferè omnes ex urbibus expulerunt; & Atheniensis legumlator exclusit ex [f] Areopago, & alibi eireumcidendam putavit eloquentiam; nam vetuit oratores misericordiam commovere; quod argumentum si comprobetur, nulla erit ars, quæ se confidat artis nomen retenturam. Quæ enim se nullius decreto gentis ejectum iri sibi possit polliceri? Judæi [g] picturam, plasticen, statuariam, sculpturam e suis finibus exterminarunt; quod Judæorum institutum Turcarum natio est imitata, quæ scelus nefarium putat hominum imagines vel pictas, vel sculptas habere. Agriculturam Æthiopes, qui Macrobii vocabantur sunt aspernati, 5
siquidem [h] lacte, & carnibus, non frumento vescebantur; quapropter [i] quum Rex Æthiopum a Persarum legatis audisset, Persas frumento vitam sustentare, frumentum verò subacto solo, & stereorato provenire, irrisit hanc rationem victus, dixitque non esse mirum Persas exiguum tempus vivere [nam Æthiopes Macrobii ad longissima spatia ævum producebant, ex quo nomen invenerunt] quum stercore victitarent; aspernati [l] sunt Ichthyophagi, qui piscibus vescebantur; Elephantophagi [m], qui Elephantorum venatu alebantur; Aeridophagi [n], qui locustis; Rhizophagi [o], qui radicibus arundinum; Cynamyni [p], qui bubus Indicis, quos ope canum venatorum occiderant; Hylophagi [q], qui decidentibus e silvis fructibus; aspernati [r] sunt Troglodytæ, aspernati sunt [f] Arabes Nomades, & Scytharum magna pars; ex quo qui terram [t] colebant ἀροτῆρες, hoc est *aratores*

[a] Plinius Natur. Histor. libr. 35. cap. 10. [b] Idem libr. 35. cap. 11. [c] Idem ibid. [d] Vitruv. libr. 1. cap. 1. [e] Cic. de Orat. l. 1. Cæl. Rhodig. Antiq. Lection. libr. 14. cap. 17. [f] Lucian in Anacharsi, Pausan. libr. 1. Apulejus libr. 10. Metamorph. & Quintilian. libr. 2. Instit. Orat. cap. 17. & libr. 6. cap. 1. [g] Philo Judæus de Gigant. in fin. [h] Herodot. libr. 3. cap. 22. [i] Herodot. ibid. [l] Strabo libr. 15. de Arianâ, Arrianus rerum Indicarum libro, Photius in Biblioth. cod. 250 ex Agatharchidis Histor. libr. 1. cap. 12. & seqq. & Pomponius Mel. de Sit. Orbis libr. 3. cap. 7. Plinius libr. 6. cap. 23. Histor. Natur. Solin. cap. 57. & Div. Hieronym. advers. Jovinianum libr. 2. [m] Phot. ibid. cap. 25. [n] Diodor. Sicul. libr. 3. Biblioth. Histor. cap. 115. Agatharchides apud Photium in Biblioth. codic. 250. cap. 27. Solinus cap. 33. Plinius libr. 6. Histor. Natur. cap. 30. & libro 7. cap. 2. & Strab. libr. 16. de Arabiâ, & D. Hieronym. advers. Jovinian. libr. 2. [o] Diod. Sic. Bibl. Histor. libr. 3. pag. 111. [p] Diodor. Sicul. ibid. pag. 115. [q] Idem Diodor. ibid. [r] Idem ibid. & Strabo libr. 16. de Troglodytis. [f] Strab. libr. 11. de Tanai, & libr. 16. de Sinu Arabic. [t] Plin. libr. 4. cap. 11. Natural. Hist.

tores vocabantur; quia non eodem, quo alii Scythæ, victu utebantur; ut quos ratio victus distinguebat, & nomen distingueret; aspernati sunt denique & [a] Thraces, qui Galactophagi sunt appellati, quos Homerus [b] fuisse tradit Mortalium justissimos. Quid architecturam? nonne & Tro-
6 glodytæ [c] contemnebant, qui in speluncis habitabant, & Scythæ [d], qui plaustris pro domibus utebantur? Medicinam licèt nusquam non esse Cornelius Celsus dixerit, quamdiu Romani ignorarunt? quandiu in Urbem non receperunt? Primus Romam medicus e Peloponneso venit [e] Archagathus anno ab Urbe conditâ quingentesimo trigesimoquinto; ex quo constat quingentostrigintaquinque annos sine Medicis fuisse Romanos; nec ille ipse, qui venerat primus, apud populum fuit valde gratiosus; quandoquidem ob secandi, urendique sævitiam carnifex est appellatus, & magnum odium Romanorum in artem saluberrimam concitavit; & Plinius multa gentium millia sine Medicis degere asseverat. Quod si quis objiciat mihi & Romanos, & alias gentes fuisse sine Medicis, non autem sine medicinâ; ego quoque haudquaquam negabo omnes gentes aliqua adversùs morbos auxilia cognovisse; sed usu, non arte cognovisse, & artificiosâ medendi ratione caruisse contendam. Eodem modo, quo illæ etiam gentes, quæ rhetorea e suis urbibus expulerunt, aliquâ dicendi facultate sunt usæ (quid enim sine eloquio confici publicè, aut privatim potest?) sed illâ artificiosâ, politaque dicendi ratione caruerunt. Multas præterea artes possu-
7 mus nominare, quas nonnullæ nationes vel expulerunt, vel sunt aspernatæ; quis enim credat musicen a Scythis comprobatam, quum memoriæ sit proditum Ateam Regem Scytharum [f] audito Ismenia tibicine, qui tibiæ cantu ceteris omnibus antecellebat, aliis mirantibus hominem, affirmasse audire sese libentiùs equum hinnientem? quia alias artes liberales a Barbaris non irrisas, non expulsas existimet, quum propter inscitiam earum pleræque nationes barbaræ dicerentur? Lacon quidam [g] Atheniensi Spartanos indoctos appellanti respondit: sumus verò indocti Spartani, qui nihil a vobis didicerimus mali. Quid non didicerant ab Atheniensibus Spartani? ea nimirum, quæ qui sciunt docti & habentur, & nuncupantur; non didicerant artes liberales, omnesque nobilissimas disciplinas, quarum [h] inventrices, vel saltem altrices Athenæ; has illi malas appellabant, quia bellicas dumtaxat artes mirabantur; non ergo solam oratoriam facultatem, sed alias omnes ejecerunt Spartani. Et sanè quis unquam e Spartanis illis antiquis fuit, qui propter insignem astrorum scientiam prædicetur, vel arithmeticæ, vel geometriæ, vel Grammaticæ, vel aliarum artium laudatarum? Ut igitur aliæ artes ex artium numero non excluduntur, quia sunt a nonnullis gentibus repudiatæ, ejectæ, contemptæ; ita oratoria facultas non excludenda, quia a Cretensibus est, & Spartanis improbata.

DISSERTATIO LXXXII.

Pergit Adversariorum argumenta refellere.

Rhetorice oratori minimè nocet. Apud Thurios lex erat, ut qui novam legem suadere vellet, laqueo collum insereret, & si lex non placeret, strangularetur; quare post annos ducentos quinquaginta primùm quidam, cui oculus, quem unicum habebat, effossus fuerat, legem tulit, ut effossori uterque oculus erueretur, quum jam lex esset, ut effodiens oculum oculo privaretur. Mutationes ad artes perficiendas, augendamque rerum scientiam plurimum prosunt; nocent autem Reipublicæ administrationi. Respublicas meliùs gubernare ingenia tardiora, quàm acutissima Thucydides censuit.

Quæ tributa sunt nobis benignitate naturæ, ea solertiâ artis perficiuntur, excoluntur, augentur; nec aliud sibi volunt artes, quàm facultates nobis a naturâ datas adjuvare. Tribuit nobis natura cor- s
poris robur, & agilitatem; inventa est palæstræ, saltandique disciplina, quæ corporis robur, agilitatemque firmaret, augeret, & quadam concinnitate moderaretur. Tribuit nobis natura imitandi solertiam; inventæ tot artes imitatrices, inventa pictura, statuaria, plastice, Poëtica, & omnes aliæ, quæ in imitatione cernuntur. Tribuit nobis vocis modulandæ facultatem; inventa musice est, quæ tantam cantus efficeret suavitatem, ut animi eorum, qui musi-

[a] Strab. l. 7. de Getis, & Nicol. Damasc. de Morib. Gent. [b] Hom. Iliad. v. in princ. [c] Strab. l. 17. de Mauritan. Pomponius Mel. de Situ Orbis libr. 1. cap. 8. Senec. Quæst. Natur. libr. 4. cap. 2. Vid. etiam Diodor. Sic. libr. 3. pag. 115. [d] Herodot. libr. 4. cap. 46. & Strabo libr. 11. circa initium.

[e] Cassius Hemina apud Plin. libr. 29. cap. 1. Hist. Natural. [f] Plutarch. in libro non posse suaviter vivi secundùm Epicur. [g] Plutarch. in Apophth. Laconic. de Pleistonacte. [h] Vid. Diss. 13. 14. & 15. in Ciceronem.

musice delectantur, jucundissimâ voluptate diffluant, & liquescant Musicorum vocibus deliniti. Tribuit natura disserendi solertiam; inventa dialectice est, quæ eò subtilitatis processit, ut nodos aliquando nectat, quos non possit ipsa dissolvere. Tribuit studium rerum cognoscendarum, indagandæque naturæ, abditarumque causarum cupidinem intellectu percipiendarum; inventa philosophia est, quæ giganteo planè conatu, sed non impio, non temerario Cœlum ipsum scanderet, Cœlum perruaderet, & penetraret, ipsumque parentem naturæ, & auctorem Deum, quatenus cognosci voluit, ostenderet, & inaccessâ caligine involutam lucem explicaret. Circa omnes denique facultates nobis a na-
2 turâ attributas aliqua ars, & disciplina versatur, quæ promoveat insitam vim, cujus beneficio tantum doctus præstet indocto, quantum indoctus ceteris animantibus præstat. Quum igitur inter alias facultates, inter alia dona, quæ nobis natura donavit, principem locum obtinere videatur ars ea, qua loquimur, qua animi sensa exponimus, & declaramus; quis aliquam artem, & disciplinam repertam neget, quæ hanc facultatem fingeret, ornatet, perpoliret? & si est reperta; quis neget hanc esse rhetoricen, & rhetoricen esse artem non vulgarem, sed excellentissimam; utpote quæ nobilissimarum facultatum famulatu utatur ad suum munus exequendum? & quum artes eo præstantiores, & utiliores habeantur, quo præstantiores, utilioresque dirigunt facultates; ut quæ ad animum pertinent, iis, quæ spectant ad corpus, anteponuntur; quis inficias ibit dicendi artem esse præstantissimam, quæ eloquendi vim regit, & moderatur; quæ tantæ præstantiæ est, ut eâ ferè solâ mutis animantibus antecellamus; tantæ utilitatis, ut nihil neque publicè, neque privatim sine eâ possit inter homines agi, eaque solâ societas humana constet? Non igitur audiendi, qui dicendi fa-
3 cultatem ex artium numero censent esse tollendam; quia nec oratori conducat, nec Reipublicæ; nam quanto conducibilius est unicuique loqui posse, quàm mutum esse natum, tanto eloquentem, quàm infantem esse præstat. Jam ad publica munia obeunda quis non eloquentiam aptissimam esse fateatur? quis, nisi prorsus insaniat, si mittendus ad Regem sit, vel ad Rempublicam de magnis rebus orator, disertum indiserto non anteponat? quis ad populi seditionem comprimendam malit adhibere hominem, qui dicendi sit imperitus, quàm qui abundet copiâ, & ubertate orationis? quis ad sententiam in senatu dicendam, ad persuadendas, dissuadendasque leges, ad populi iram placandam, cohortandosque cives ad virtutem, ad concordiam, ad subeunda pro Patriâ pericula, ad pacem, ad bellum, infantem, quàm eloquentem, judicet esse aptiorem? Est igitur & publicè, & privatim utilis dicendi facultas; & qui fingunt oratorem callidum, versutum, veteratorem, qui semper cum sicariis, & sacrilegis, parricidisque versetur, ut eorum mores, astusque condiscat, qui semper agere vitam trepidam, & inquietam, aut aliis terrorem inferentem, aut alios reformidantem volunt; maledicta de trivio sumpta conjiciunt in præstantissimam facultatem. Quid enim magis a-
lienum a veritate? versabatur ne cum furi- 4
bus, cum sicariis, cum impostoribus, cum sacrilegis [a] Pericles, Alcibiades, Demosthenes [b], Hyperides [c], Lycurgus [d], Crassus, Antonius, Cicero [e], an cum principibus civitatis? num autem idcirco minùs redarguit [f] Catilinæ conjurationem Cicero; quia nunquam conjuravit, quia nunquam conjuratos amicitiâ, & familiaritate complexus est? num idcirco minùs artificiosè Verris [g] furta, sacrilegia, rapinas, crudelitatem, stupra, peculatus accusavit; quia & provinciæ Siciliæ summâ cum integritatis, & innocentiæ, & humanitatis laude Quæstor [h] præfuit; & in Asiam Proconsul missus provinciam innocenter, integre, clementer administravit? Etiam judices consceleratorum hominum debent nefaria facinora deprehendere; num ideo eorum similes esse coguntur? Nec multis periculum creant oratores, nec multos pertimescunt; Crassus, Antonius, & omnes celebres rhetores unum, aut alterum accusarunt, multos defenderunt; Cicero nemi-
nem, nisi Verrem in judicium vocavit; 5
in quo Verrem quidem offendit, sed rem gratissimam fecit populo Romano, qui veterem judiciorum severitatem desiderabat; rem gratissimam fecit Siciliæ universæ, quàm Verres tot annos spoliaverat, expilarat, divexarat, everterat. At multos tamen offendit Cicero; sed offendit pro Patriâ, pro qua vitam profundere non modò non recusandum, sed etiam optandum; quippe [i]

Dulce, & decorum est pro Patriâ mori.

Nec sordes reorum, lacrimæque vitam mise-

---

[a] Plutarchus in Vitis Periclis, & Alcibiad. [b] Idem in Vitis decem Orator. capit. 8. [c] Idem ibidem cap. 9. & Phot. in Bibliothec. cod. 266. [d] Idem Plutarch. ibid. cap. 7. & Photius in Biblioth. cod. 268. [e] Plutarch. in Vit. Ciceronis. [f] Cicero in Catilinam. [g] Idem in Varrem. [h] Plutarchus in Vitâ Ciceronis. [i] Horat. libr. 3. Od. 2.

feram, & calamitosam efficiunt oratoris;
quemadmodum nec morbi, nec vulnera
Medicis afferunt calamitatem; quum non
tam molestum sit aliorum videre miserias,
quàm miseria opem ferre jocundum. Nec
quemquam pertimescet orator innocentiâ
sæptus; nec enim circumveniri potest in-
nocentia, nec expugnari, quæ eloquentiæ
armis semper instructa est. At enim eæ ci-
6 vitatea, quæ dicendi vim, & copiam sunt
admiratæ, frequentissimè veteres leges an-
tiquarunt, novas condiderunt, nunqoam
iisdem sunt usæ, quemadmodum Athe-
niensium civitas; ideo non utilis Rebus-
publicis dicendi facultas. Non oratorum
ea culpa fuit, sed civitatum, quæ legum
mutationibus lætabantur; quæ qui aucto-
res fuissent legom abrogandarum, habe-
bant in pretio, & præmiis ingentibus, &
honoribus afficiebant. Si populi legum
auctoritatem sanctam habuissent, legumque
novarum auctores essent aversati, nun-
quam tam crebrò mutationibus laborassent.
Civitas Thuriorum [a] fuit inprimis Italiæ
7 nobilis; hanc legibus conditis Charondas
fundavit; quas inter ea maximè celebra-
tur, qua sanciebatur, ut si quis populo
suadere vellet legem emendandam, vel om-
nino tollendam, hoc pacto verba facere
cogeretur: adstante carnifice laqueo col-
lum erat inserendum; si persuasisset legem
mutandam, aut prorsus abrogandam, sta-
tim dimittebatur; sin autem minùs, nollâ
interpositâ morâ adducto laqueo strangu-
labatur. Quamvis in eâ urbe multi, ut in
aliis urbibus Græciæ, existerent, qui di-
cendo valerent, ducentorom qoinquagin-
ta annorum spatio nemo repertus est, qui
esset auctor veteris legis corrigendæ; ad
extremum unus inventus est, qui adversùs
legem aude et perorare. Lex [b] jubebat eroi
oculum homini, qui alteri oculum eruis-
set; erat quidam Thuriis captus altero
lumine; huic, qui superstes erat, effodit
oculum, & omnino cæcum reddidit ini-
micus, hic tantâ injuriâ affectus, quum
contentus pœnâ non esset, quam adver-
sario infligi videbat a lege, ausus est populo
suadere illud addendum legi, ut si quis ocu-
lo hominem privavisset altero destitutum,
utroque orbaretur; nam qui cæcitatem ho-
mini attulisset, cæcitate planè puniendum;
si unus adversario oculus adimeretur, ju-
cundissimo lucis aspectu non cariturom,
quo, propter ejus injuriam, sibi esset om-
nino carendum. Persuasit populo, & di-
missos est e laqueo, additumque legi, ut si
quis lusco oculum eruisset, utrumque lu-
men amitteret; hæc tanto annorum inter-
vallo prima lex Thuriis emendata est. U-
bi non præmiom, sed pœna constitota his, 8
qui novas ferre leges, veteres abrogare co-
nantur, leges eædem semper manent, &
vetustate corroborantur. Atque hæc cau-
sa fuit, cur Spartani, & Barbari iisdem fe-
rè legibus uterentur; novandi libido de-
erat Lacedæmoniis, & Barbaris. Athenien-
ses contra novis & institutis, & legibus
delectabantur, quia Athenienses [c] acuti,
sagaces aliquid invenire se posse, quod
Majorom prudentiam effugisset, sibi persua-
debant; & ideo veteribus nunquam acqui-
escebant; quæ res, ut ad perficiendas ar-
tes, augendamque rerum scientiam ipsis
magno fuit adjumento; ita ad Rempubli-
cam rectè administrandam non modico im-
pedimento; nam præclarè Cornelios [d] Ta-
citus affirmavit usui non esse crebras mu-
tationes. Idcirco Thucydides [e] dixit me-
liùs Rempublicam gubernare populos, qoi
sunt ingenio aliquanto tardiore, quàm qui
sunt acutissimo præditi; non igitor orato-
rum fuit culpa, sed ingeniorum, quibus
Athenienses utebantur.



DIS-

[a] Diodorus Siculus Bibliothec. Historic. libro 12. [b] Idem Diodor. Siculus ibid. [c] Philo Judæus in libro, cui titulus: *Quod omnis probus liber*. [d] Vide Cornelium Tacit. Annal. libr. 3. [e] Thucydid. libr. 3. in Oratione Cleonis.

DISSERTATIO LXXXIII.

Qua qui artem negant esse rhetoricen refelluntur.

Cicero plerumque persuasit, quæ voluit. Finis oratoris est apposite dicere ad persuadendum, non autem persuadere. Hannibal, & alii summi duces incepto sæpe frustrati sunt; immo quidam mutato hoste mutaverunt fortunam. Quum Hannibal ad Urbem obsidendam esset profectus, Romani Capuam oppugnabant; & quum portis assideret, legiones in supplementum Hispaniensium exercituum miserunt; & ager, in quo Hannibal castra posuerat, non diminuto pretio Romæ venditus est. Diogenes Babylonius dolore victus a Stoicis ad Epicurum transfugit. Thessalus omnia veterum Medicorum placita delevit; ideo se Jatronicen, hoc est Medicorum victorem *appellavit. Aristoteles calidum esse Solem negavit. Anaxagoras nigram nivem esse dixit. Zeno Eleates, & Diodorus motum e rerum naturâ sustulerunt. Epicurus bipedalem Solem affirmavit.*

HOdierno die reliqua argumenta, quibus adducti quidam negarunt ullam artem esse dicendi, refellemus; ajunt inter artes rhetoricen non esse recensendam, quia vel semper, vel plerumque suum finem aliæ artes consequuntur; oratores neque semper, neque plerumque persuadent, qui finis est oratoriæ facultatis; non igitur artis nomen in oratoriam facultatem convenire. Quod argumentum facilè possem dissolve-
1 re, si negare vellem summos oratores non plerumque persuasisse; nec mihi deesset exemplum [a] Ciceronis, qui judicibus, populo, senatui quæcumque voluit, plerumque persuasit; cujus rei testes esse possunt res gestæ Ciceronis; tot rei, qui Cicerone defendente sunt absoluti. Non ita tamen respondebo, dabo adversariis, quod sibi concedi postulant; oratores non plerumque persuadere, quamquam in magnis oratoribus id falsum existimem; sed quis illud alterum, quod assumunt, dabit, fi-
2 nem esse oratoriæ facultatis persuadere? Quintilianus [b] certè negat, & constanter affirmat bene dicere esse finem oratoris; in qua sententiâ fuisse videtur etiam Aristoteles [c] maximus Auctor omnium, quicumque præcepta dicendi tradiderunt; qui munus oratoris asseverat esse non persuadere, sed dicere appositè ad persuadendum. Quo constituto nunquam orator a fine artis aberrabit; erit rhetorice e numero artium, quæ semper finem suum assequuntur; quia orator, qui ex artis præceptis loquitur, semper bene, semper appositè dicet ad persuadendum. Sed ne nimis pugnaces, & contentiosi esse videamur, concedamus hoc etiam adversariis; sic erit finis oratoriæ facultatis persuadere, ut imperatoriæ victoria; quàm multos duces possumus nominare, qui licèt scientissimi rei militaris, sæpe magnas clades acceperunt, vel certè victoriam non sunt consequuti? Cum Hannibale Pœno paucissimi imperatorum, 3
scientiâ rerum bellicarum possunt comparari; at quoties [d] Hannibalem fortuna frustrata est! Placentiam [e] urbem in plano positam frustra oppugnavit; Tarenti [f] arcem nunquam potuit expugnare; Campanis obsessis [g] opem nequidquam ferre contendit; ad obsidendam Urbem [h] profectus adeo Romanos non perterrefecit, ut interim Capuam summâ vi oppugnarent; & ager, in quo Hannibal castra posuerat, non diminuto pretio Romæ venderetur; & quum idem portis assideret, legiones in supplementum Hispaniensium exercituum mitterentur. Nolam [i] frustra tentavit, cum Marcello [l] sæpe congressus sæpius victus, nunquam vicit; quum Minucii [m] copias debellaturus videretur, a Fabio Maximo spoliatus est victoriâ; quocirca a se victum Minucium, se a Fabio fassus est superatum; ad extremum a Scipione [n] in Africam retractus fuit, fugatusque est; nec minorem accepit cladem qualibet earum, quas ipse Romanis intulerat. Jam verò Antiochi [o] Regis classi præfectus a Romanis ducibus navali prœlio profligatus fugit; denique quotiescumque cum [p] Semproniis, cum [q] Flaminiis, cum [r] Varronibus dimicavit, insignes victorias reportavit; at quotiescumque cum Fabiis Maximis, cum Marcellis, cum Scipionibus signa contulit, aut non vicit, aut victus est;
num

[a] Plutarch. in Vit. Ciceronis. [b] Quintilian. Instit. Orator. libr. 2. cap. 15. & Cicer. de Orator libr. 1. [c] Aristotel. Rhet. libr. 1. cap. 2. [d] Plinius in Vitâ Hannibalis cap. 42. de Viris Illustr. [e] Tit. Livius decad. 3. libr. 7. [f] Idem Livius decad. 3. libr. 5. [g] Idem ibid. [h] Idem Livius dec. 3 libr. 6. [i] Idem decad. 3. libr. 3. [l] Idem ibid. & Val. Maxim. libr. 1. cap. 6 [m] Tit. Liv. dec. 3. libr. 2. Luc. Flor. libr. 2. cap. 6. Plutarchus in Vit. Fabii Maximi, & Frontinus libr. 2. cap. 5. [n] Plin. de Vir. Illustrib. cap. 42. Paulus Orosius libr. 4 cap. 18. & Eutrop. libr. 3. cap. 2. [o] Plinius de Vir. Illustr. cap. 54. [p] Tit. Livius libr. 1. dec. 3. & Syl. Ital. libr. 4. [q] Tit. Liv. dec. 3. libr. 2. Luc. Flor. libr. 2. cap. 6. Cic. libr. 1. de Divinatione, & Val. Maxim. libr. 1. cap. 6. [r] Tit. Livius libr. 2. dec. 3 Polybius libr. 3. Plinius Histor. Natural. cap. 18. libr. 15. Strab. libr. 6. in fine, Syl. Ital. libro 9. Valer. Maxim. libr. 1. cap. 2. & Plio. de Viris Illustrib. cap. 42.

num igitur nullam artem dicemus esse mi-
4 litarem, quia summus imperator Hannibal toties victoriam non est assequutus? Sed quid ego in unius ducis rebus gestis perpendendis immoror? Romani quum innumeris gentibus bellum gesserunt; num putamus eas nationes, quæ cum Romanis pro libertate, pro gloriâ, pro Imperio contenderunt, nunquam habuisse duces peritos rei militaris? ego verò existimo multos fuisse imperatores, qui adversùs Romanos duxerunt exercitus, quibus nihil ad summam rei bellicæ scientiam deesset; & illi duces non plerumque vicerunt, sed plerumque victi, fusi, fugatique; unde Romanis tot materia triumphorum, quos multo plures, quam annos ab Urbe conditâ recensebant. Quid, quod multos duces accepimus, qui plerumque vicerant, hoste mutato plerumque superatos? Labie-
5 nus [a] legatus Cæsaris, quum Cæsaris auspiciis militavit, semper usus est prospero eventu prœliorum; quum Pompejanas partes est sequutus, nihil unquam prosperè gessit, & cum hoste fortuna mutata est. Tigranes[b], antequam cum Romanis bello contenderet, innumeras gentes devicerat, multas in suam ditionem, & potestatem redegerat, excepto Mithridate, opulentissimus Regum Orientis habebatur (tam latè Imperii fines propagarat) eratque terribilis ipsi Parthorum potentiæ, terribilis finitimis, & longinquis nationibus; at suscepto adversùs Romanos bello, ille ipse Regum victor, ille domitor magnarum nationum, qui tot Regibus tanquam servis argento emptis ad humillima ministeria abutebatur, adeo fractus est, ut regium diadema, quod ad [c] Pompeji pedes abjecerat, Pompeji donum acceperit. Idem [d] accidit Antiocho; qui Magni cognomen Imperii, & rerum gestarum magnitudine est consequutus; at ubi Romanos bello lacessivit, nunquam signis collatis dimicavit, quin vinceretur. Num dedidicerant illi hoste mutato artem militarem; non dedidicerant planè, sed
6 non satis est ad vincendum scientia militaris, & potest quilibet magnus imperator fortunâ uti semper adversâ, & artis carere successu. Ut igitur nemo negat esse aliquam artem belli gerendi, quamvis qui eâ utuntur, plerumque victoriam non consequantur; ita minimè negandum est esse aliquam orandi disciplinam, quamvis oratores non plerumque persuadeant; quia quarum artium successus pendet a fortunâ, & adversariorum potentiâ potest impediri, non sunt ex successibus metiendæ.

Ipsa medicina, quam Sextus Empiricus, qui ullam artem esse dicendi negat, inter artes collocat, quæ plerumque finem assequuntur, si ægris dumtaxat adhiberetur, qui non possunt sine ejus ope convalescere, haud scio, an gloriari potuisset se morbos plerumque depellere; sed quum ægroti etiam Medico destituti plerumque convalescant, ideo videtur effectrix plerumque sanitatis esse medicina. Ceterùm non medicinæ beneficio plerique convalescunt, sed sponte naturæ, cujus ad invenienda auxilia, quæ sibi prosunt, mira solertia; & tamen artem esse medicinam, & quidem maximam nemo pernegabit. Quis ergo ejusdem appellationis honorem non tribuat 7
dicendi facultati, quum haud minùs multi rei eloquentiæ beneficio absolvantur, quàm ægri Medicorum ope convalescant? Præsertim quum mirabilior sit orator in criminibus diluendis, quàm in morbis Medicus depellendis; nam orator vulneribus iis medetur, quibus venenum adversarius infudit, quæ adversarius exulceravit, & exulcerat; Medico, quominus ægros perducat ad sanitatem, nemo est impedimento. Quod si quispiam adesset, qui veneficia medicamentis opponeret, qui bene consulta perverteret, qui pro salutaribus pestifera substitueret, nec Æsculapius ipse morbis mederetur. Est igitur id argumentum levissimum; sed multo levius est illud, quo utuntur, quum ajunt nullam artem sibi pugnantia dicere, & a se ipsâ dissentire; at oratores, quas defendebant, causas interdum oppugnare; quos laudarunt, maledictis incessere; quos innocentes probarunt, accusare; quasi verò oratores, quum contrarias causas defendunt, quum quæ probaverunt, evertunt, de iis, quæ pertinent ad artem, ab aliis oratoribus, aut a se ipsis dissentiant. Nonne & Dialectici, quæ magno argumento- 8
tum apparatu probaverunt, rursus evertunt, & nodos nectunt, & solvunt; & tamen ex eo non efficitur nullam esse artem disserendi? Qui philosophiam [e] artem vitæ nuncupavit, non inanes effudit sonos, sed verissimum nomen tribuit præstantissimæ facultati; nihilo tamen secius philosophi non de iis, quæ extra artem sunt posita, sed de ipsis artis decretis inter se digladiantur, & pugnant; immo quidam, quæ ipsi affirmarunt, negant, & a seipsis desciscunt. Diogenes Babylonius constantissimè Stoicorum sententiam [f] defenderat; sed vi doloris victus in Epicuri castra transfugit; & qui malum dolorem negave-
rat,

[a] Plutarch. in Vit. Cæsar [b] Appian. Alex. de Bell. Mithridat. & Plutarch. in Vit. Lucull. [c] Idem in Vit. Pompeji, & Dio Cass. libr. 36. [d] Plinius de Vir. Ill. cap. 54. Appian. Alex. in Syriac & Luc. Flor. l. 2. cap. 8. [e] Cic. de Finib. libr. 3. in princ. [f] Diog. Laert. libr. 6. segm. 81. in Vit. Diog.

rat, summum malum esse affirmavit. Quid Medici? nonne de ipsis artis præceptis dissentiunt? hinc eorum libri pleni concertationum, pleni discrepantium sententiarum; & nonnulli exstiterunt, qui non unam, aut alteram Medicorum opinionem repudiarent, sed totam prorsus disciplinam subverterunt. Asclepiades cunctam [a] me-
9 dendi artem novâ repertâ medendi ratione mutavit: Thessalus [b] omnia Veterum placita delevit, & ἰατρονίκην se, hoc est *Medicorum victorem* appellavit. Sed oratorum melior est causa; neque enim de artis præceptis dissident, sed de his, quæ nihil ad artem pertinent; quum igitur medicinam artem, & quidem maximam esse fateamur, quamvis concertationibus Medicorum scateat, qui & de remediis morborum, & de causis eorum dissentiunt; quanto magis oratoriam facultatem artem fatebimur, quæ non de ipsâ arte litigat, sed de iis, quæ artem non attingunt. Illud verò futile prorsus est argumentum, quod ajunt percipi Rhetoricæ præcepta non posse, quia sunt falsa; nam falsum esse judicibus tenebras offundendas, legibus non obtemperandum, invidiam concitandam, misericordiam movendam. Quod si concederemus, non efficerent adversarii, quod volunt; non enim præcipiunt rhetores offundere judicibus tenebras oportere, quod a veritate prorsus abhorreret; sed si cui sit opus, & expediat judices fallere, hanc, vel illam rationem esse accommodatam, quod verum est. Veruntamen oratores lucem
10 clarissimis rebus eripiunt; utinam hoc vitio philosophi non magis laborarent. Aristoteles [c] esse calidum Solem, quo omnia concalescunt, negavit: Anaxagoras [d] nigram nivem esse dixit: Zeno [e] Eleates, & Diodorus e rerum naturâ motum sustulerunt: Epicurus [f] bipedalem Solem affirmavit; quæ si defenderent oratores, quomodo ferre possemus hos, qui tam impudenter præclarissimam facultatem redarguunt? Quod si quis unquam orator justitiam apertè labefactavit, aut leges subvertit, illum dicemus non functum esse officio oratoris, quem ostendimus virum bonum esse oportere. Nam quod misericordiam, aut ullos affectus negant commovendos, perinde loquuntur, ac si in Platonis Republicâ loquerentur; utinam nunquam expediret affectus in animis judicum excitare! utinam innocentia nunquam his uti præsidiis cogeretur! Rutilius [g] iniquo
judicio circumventus in exilium abiit; quod 11
exemplum integritatis, & innocentiæ Romana civitas tulit: Socrates [h] injustia judicum sententiis damnatus cicutam bibit; quòd supplicare judicibus, quòd misericordiam movere noluerunt; & sæpenumero accidit, ut judices ad innocentem reum absolvendum non vi rationum, & veritate adducti, sed misericordiâ moveantur. Non igitur nefarium facinus facit, qui vias ostendit vel misericordiæ, vel aliorum affectuum movendorum; non ut nocentes absolvantur, sed ut innocentes non condemnentur.

DISSERTATIO LXXXIV.

De exercitationibus dicendi, quibus Veteres utebantur.

Narrationes oratorum breves quidem esse oportet; sed non ut Historicorum. Quid sit apud rhetores catasceve, *&* apofceve. *Speculo naves an Archimedes combusserit. Artifex vitrum ductile confecisse dicitur, quem Tiberius, ne aurum, & gemmæ vilescerent, e medio sustulit. Loci communes, & theses quid sint.*

Qui præcepta tradunt alicujus artis, aut disciplinæ nihil antiquius habent, Auditores, quàm exponere, quibus exercitationibus ea disciplina comparetur. Exempli causâ, qui disciplinam militarem sunt tradituri, ante omnia docent, quo genere exercitationis conveniat tyrones erudiri: præcipiunt exercendos ad palum, ad
cursum, ad gradum militarem; tradendam 1
ipsis natandi peritiam, missilia jaculandi, sagittas mittendi, jactandi lapides, & plumbatas; assuefaciendos onera portare, castra munire, equos ascendere, non cæsim, sed punctim ferire; docendos armaturam, & reliqua, quibus meditatio belli continetur. Id consilium sequutus Cicero [i] priusquam

---

[a] Cornelius Cels. de Medicin. libr. 1. in Præfation. [b] Plin. Natur. Hist. libr. 29. cap. 1. [c] Jo: Stob. Eclog. Physic. libr. 1. cap. 25. de Sol. Natur. &c. & Aristotel. Meteorolog. libr. 1. cap. 4. [d] Cic. in Lucullo, sive Academ. Quæst. libr. 2. [e] Aristotel. libr. 1. cap. 2. Physic. & libr. 6. Phys. cap. 9. Vid. etiam Sextum Empiricum libr. 3. cap. 7. Pyrrh. Hypotypos. & adversùs Mathemat. & Jo: Stobæum Eclog. Physic. libr. 1. cap. 23. de motu. [f] Cicer. de Finib. libr. 1. & in Lucullo, vel Academ. Quæst. libr. 2. Lucretius libr. 5. de Naturâ rerum, & Diogen. Laërtius libr. 10. segm. 91. in Vit. Epicuri. [g] Senec. de Consolatione ad Marciam cap. 22. & de Anim. tranquillit. cap. 3. & de Providentiâ cap. 3. & Epist. 67. Vellejus Patere. Hist. libr. 2. & Cornel. Tacit. Annal. libr. 4. num. 43. [h] Diogenes Laërt. libr. 2. segm. 42. in Vitâ Socratis. [i] Cicero de Orator. libr. 1.

quam tradat præcepta dicendi, quibus exer-
ceri debeant oratores, docet; nos autem
Ciceronis vestigiis insistentes hodierno die
quibus exercitationibus Veteres uterentur,
exponemus. Primam igitur exercitatio-
nem Quintilianus [a] proponit adolescen-
tibus narrationes; quæ non historico mo-
re sunt instituendæ, sed quodammodo de-
bent esse pleniores, & orationis quasi qui-
busdam luminibus illustrari; & subinde a-
liquid, quod causæ prosit, continere. Nam
2 licèt rhetores præcipiant narrationem bre-
vem esse oportere, tamen in oratore im-
mortalis illa Sallustii brevitas [b] non ad-
modum probaretur; oratoriæ narrationis
brevitas est sui generis brevitas; exem-
plum libet apponere hujus rei narrationis
initium (neque enim totam possum pro-
pter angustias temporis recitare) quo uti-
tur Cicero pro Sextio, qui de vi accusaba-
tur, *Parente*, inquit [c] Cicero, *Publius Sextius
natus est, Judices, homine, ut plerique memi-
nistis, & sapiente, & sancto, & severo; qui
quum tribunus plebis primus inter homines no-
bilissimos temporibus optimis factus esset, reli-
quis honoribus non tam uti voluit, quàm di-
gnus videri*. Ubi sanctitas patria, & sapi-
entia, & severitas & conciliat filio judi-
ces, & ostendit eum rectè, & laudabiliter
educatum; ut haudquaquam verisimile vi-
deatur quidquam, tam sapienter, & seve-
re institutum contra leges facere voluisse.
Quod autem addit de moderatione, qua
non tam honores voluit adipisci, quàm me-
reri, & ornat orationem, & indicat filio
exemplum paternæ moderationis neuti-
quam defuisse, quo adductus nunquam de
vi deberet cogitare. Jam illa mirificè au-
gent Sextii patria laudes, quòd tribunus
plebis factus est, quòd primus, quòd opti-
mis temporibus, quòd inter nobilissimos
homines; quæ omnia Historicus reliquis-
set contentus dicere parente Sextium esse
procreatum, qui tribunatum plebis gessit.
3 Deinde subjicit: *eo auctore duxit honestissimi,
& spectatissimi viri C. Albini filiam. Duobus
his gravissimis, ac sanctissimis viris sic probatus
fuit, ut utrique eorum & carus maximè, & ju-
cundus esset; ademit Albino soceri nomen mors
filiæ, sed caritatem illius necessitudinis, & be-
nevolentiam non ademit; hodie sic hunc diligit,
ut vos facillimè potestis ex hac vel assiduitate
ejus, vel sollicitudine, & molestiâ judicare*. U-
bi & bene moratum exprimit Sextium, qui
non aliquâ levitate juvenili, sed auctorita-
te patris adductus duxit uxorem, & duxit
spectatissimi, atque honestissimi viri filiam,
& summâ virtute præditam, & humanita-
te singulari; qui sanctissimis, & gravissimis
viris probaretur, & socerum tantâ sibi cari-
tate devinciret, ut ab eo non minùs extin-
ctâ, quàm vivâ filiâ diligeretur; & oratio-
nem antitheto illuminat: *ademit Albino so-
ceri nomen mors filiæ, sed caritatem illius ne-
cessitudinis, & benevolentiam non ademit*. Lon-
gum foret narrationem totam recitare; ex
his autem, quæ retulimus, intelligi satis
potest, quantum oratoria narratio ab histo-
ricâ discrepet.. Verumtamen quum ne-
que jejunam, neque inornatam esse de-
ceat oratoriam narrandi rationem, non de-
bet ea lascivire descriptionibus, nec su-
pervacuis redundare. Huic subjungit ali-
ud genus exercitationis [d] Quintilianus, 4
quod, κατασκευὴν, & ἀποσκευὴν vocat. Pro-
poni solebat in scholis aliquid ex Historico-
rum monumentis petitum; qui id verum
esse defendebat, κατασκευάζειν, qui falsum
arguebat, ἀποσκευάζειν dicebatur; exempli
gratiâ, quærebatur, an esset consentaneum
veritati [e] corvum in Valerii galeâ conse-
disse; Numam [f] cum Ægeriâ Deâ noctur-
nos congressus habuisse; Semiramidem a
columbâ [g] nutritam, Telephum [h] a cervâ,
Romulum [i] a lupâ, Cyrum [l] a cane. Quod
genus ad philosophos quoque potest per-
tinere; nam quæri potest, an speculo Mar-
celli naves Archimedes combusserit, ut
Galenus [m], & [n] Tzetzes testatum relique-
runt; extiterit aliquando artifex, qui vitri 5
ductilis conficiendi rationem invenerit;
quem, ne aurum, & gemmæ vilescerent,
Tiberius dicitur e medio sustulisse, ut Dio
Cassius [o], & Plinius [p], & Sarisberiensis
memoriæ prodiderunt. Quò spectat ea quæ-
stio, quæ proponebatur in scholis, ut Quin-
tilianus [q] refert, & an Scipio serpentis con-
cubitu genitus fuerit, disputabatur; quod
etiam

[a] Quintilianus Institut. Orator. libr. 2. cap. 4. [b] Idem Quintilian. libr. 10. cap. 1. Institut. Orator. [c] Cicero in Oratione pro Publ. Sextio. [d] Quintilianus libr. 2. cap. 4. Institut. Orat. [e] T. Livius decad. 1. libr. 7. A. Gell. libr. 9 cap. 11. & Quintilianus ibidem. [f] Quintilianus ibid. Plutarchus in Vit. Numæ, Val. Maxim. libr. 1. cap. 3. Ovid. libr. 3. Fastor. Cicer. de Legib. libr. 1. Tit. Livius libr. 1. Div. Augustinus de Civitate Dei libr. 7. cap. 1. & cap 35. Lactant. Firmianus libr. 1. cap. 22. de Falsâ Religione, & Plinius de Viris Illustr. cap. 3. [g] Diodorus Sicul. Bibliothec. Historic. libr. 2. pag. 65. [h] Ælianus Var. Histor. libr. 12. cap. 42. & Lucianus de Sacrificiis. [i] Tit. Livius libro 1. Plutarchus in Vitâ Romuli, & de Fortunâ Roman. Plinius libr. 15. cap. 18. Dionysius Halicarnass. Antiquit. Roman. libr. 1. & Strabo libro 5. de Italiâ. [l] Porphyrius de Abstinentiâ ab esu Animal. libr. 3. [m] Galenus de Temperam. libr. 3. cap. 2. [n] Tzetzes in Chiliad. [o] Dio Cassius Hist. libr. 57. circa fin. [p] Plinius Nat. Hist. libr. 36. cap. 26. [q] Quintilianus Institut. Orator. libr. 2. cap. 4. Plinius de Viris Illustribus cap. 49. T. Livius libr. 6. dec. 3. & Aul. Gell. libr. 7. cap. 1.

etiam de Alexandro [a] Magno tradiderunt; nam philosophi est considerare, an immortales illæ naturæ cum feminis mortalibus possint commisceri, & Liberos procreare.

6 Præterea Quintilianus [b] censet laudandis claris viris, & vituperandis improbis ingenia juvenum exercenda, quo genere comparationem etiam putat contineri; non enim solùm laudantur magni viri, sed etiam inter se comparantur; & ex duobus quis major sit habendus, disputatur; possunt autem vel viri viris, vel facta factis conferri. Nam si quis quærat, Scipio Africanus, an Hannibal major fuerit imperator, Alexander, aut Cæsar, Cimon, an Lucullus, viros viris conferat; si quærat [c] majorem temperantiæ laudem sit consequutus Alexander [d], qui Darii uxorem ætate florentem, & excellentiâ formæ omnibus Asiæ feminis præcellentem non modò non violavit, sed ne videre quidem captivam appetivit; an Scipio [e] Africanus, qui quum in Hispaniâ cepisset puellam admirabili pulchritudine, & singulari, visam intactam, inviolatamque sponso restituit; rectiùs fecerit Atheniensis [f] legumlator, qui nul-
7 lam parricidio pœnam constituit, ne non tam atrocissimum facinus prohibere, quàm admonere homines videretur; an Romanus [g], qui parricidas cum simiâ, & viperâ, & gallo gallinaceo in culeum insutos in mare censuit demergendos, facta cum factis comparet. Ad hæc locis communibus pertractandis tyrones exercebantur; loci communes a dicendi magistris appellantur, qui nullam habent certam personam definitam [h]; ut si quis in impudicum, in ganeonem, in mœchum declamet; si quis contra testes, aut pro testibus, contra quæstiones, aut pro quæstionibus dicat; non enim certa persona designatur, sed de universâ re habetur oratio; hi etiam theses appellantur. His addit Quintilianus [i] theses, quæ parum, immo nihil discrepant a locis communibus; sunt enim quæstiones nullis personis, aut temporibus definitæ; non enim quæritur, Catoni ducenda sit uxor, sed an omnino uxorem ducere oporteat; non, an Platoni sit in Siciliam ad Dionysium navigandum; sed, an omnino philosopho sit Regum familiaritas appetenda. Has censet adolescentibus proponendas, & studiosè pertractandas; ex his autem maximè laudat eas, quæ ex rerum comparatione sumuntur, hoc modo; justitia ne, an fortitudo sit anteponenda; jurisconsultum [k], an oratorem major gloria consequatur.

DISSERTATIO LXXXV.

De iisdem Exercitationibus.

Demosthenes partem capitis radebat, ut domi se contineret, & exerceret ad dicendum. Hortensius non respondit expectationi, quia æmulum non habebat. Declamationes, quæ a Græcis dicuntur μελέται, corruperunt eloquentiam; a quo, & quando inventæ sint. Porcius Latro a solœcismo orationem incepit.

Apelles ille, cujus picturæ naturam, quam exprimebant, vicisse videbantur, artis excellentiam, qua omnibus præstitit, acceptam [m] referebat consuetudini, qua nunquam tam occupatam diem egisset, quin lineam ducendo manum exerceret. Quod si exercitatio tantum prodest etiam iis, qui ad summum artis fastigium pervenerunt, quanto magis proderit iis, qui artem vix a primo limine salutarunt? & si minores artes tam assiduam exercitationis curam desiderant, quanto magis desiderabit dicendi facultas, quæ magnitudine omnibus antecellit? idcirco maximi oratores nunquam dicendi meditationes omiserunt. Siquidem [n] Demosthenes tam vehementer in eam curam incubuisse fertur, ut nunquam intermisso studio totos menses in eâ consumeret; qui ne quidquam temporis exercendi sui studio pertinaci subduceret, radebat partem capitis, quò ejus deformitatis pudore impeditus inclusus domi maneret; nec ante domo pedem efferebat, & suas exercitationes intermittebat aliquantulum, quàm capillus erasus adolevisset. Cicero [o] verò, si quando a forensi-

a Aul. Gell. libr. 7. cap. 1. & Ptolemæus Hephæst. libr. 3. apud Phot. Biblioth. cod. 190. b Quintilianus libr. 2. cap. 4. Instit. Orat. c A. Gell. libr. 6. cap. 8. d Plutarch. in Vit. Alexandri, Appianus apud A. Gell. ibid. e Tit. Liv. libr. 6. dec. 3. in fine, Val. Max. libr. 4. cap. 3. Plin. de Vir. Illustr. cap. 49. & Aul. Gell. ibid. f Plutarchus in Vit. Solon. Cic. pro Sext. Rosc. Amerino, Diog. Laërt. l. 1. segm. 59. in Vit. Solonis, D. Hieron. Ep. 151. Paulus Diac. Hist. Miscell. libr. 5. Paul. Orosius libr. 5. cap. 16. & Sopater in Hermogen.

g L. 1. & l. ult. ff. de pœn. & l. 1. Cod. eod. tit. & §. alia Instit. de publ. jud. & Juvenal. Satyr. 8. v. 214. h Quintilianus Institut. Orator. lib. 2. cap. 4. i Quintilianus Inst. Orat. & libr. 10. & Seneca in Præfat. libr. 1. Controvers. & Suetonius de Clar. Rhetor. in princ. l Quintil. l. 2. Inst. Orat. cap. 4. m Plin. libr. 35. cap. 10. Paulus Man. in Adag. *Nullam hodie lineam duxi*. n Plutarchus in Vit. X. Rhetor. cap. 8. & Photius in Biblioth. codic. 265. o Plutarch. in Vitâ Ciceronis.

rensibus causis otium daretur, vel philoso-
2 phorum quæstionibus explicandis, quæ & ipsa non mediocris est dicendi exercitatio, vel aliâ ratione, qua rhetores uti solebant, eloquentiam exercebat; & etiam senex inter ardorem civilium armorum declamabat. Et Porcius [a] Latro declamator ille nobilis, ut ait Seneca, jungebat noctibus dies, nec animum, antequam nimio labore deficeret, remittebat. Nec aliâ de causâ Hortensii [b] ætas jam firmata non respondit expectationi, quam adolescentia excitarat, nisi quòd adeptus consulatum, quum e Consularibus neminem parem sibi videret, intermisit studium, exercitationemque dicendi; & se putavit, quum æmulo careret, sine labore tenere posse locum, quem summo labore occuparat. Quum igitur exer-
3 citatio tantam vim habeat ad augendam, corroborandam, conservandamque dicendi facultatem, meritò rhetores de eâ diligentissimè præceperunt; & nos exponendum suscepimus, qua ratione Veteres, qui eloquentiæ laude præstiterunt, antequam ad causas orandas accederent, ingenia exercerent. Et superiore quidem sermone de hac re multa diximus, sed tamen omnia complecti non potuimus, quæ eò pertinent, Auditores; quapropter hodierno die in eodem argumento versabimur. Inter exercitationes dicendi, quibus Veteres utebantur, declamationes principem locum obtinebant, quas Græci μελέτας vocant; qua voce significantur commentationes, curæ, exercitationes quod a Græcis declamationi nomen impositum propter excellentiam constat. Nam quasi declamatio sola sit vera exercitatio, meditatioque forensium [c] causarum, & concionum, & senatoriarum actionum; declamationem universi generis nomine appellarunt. Est autem declamatio causa ficta similis earum, quæ in foro, judiciisque versantur; argumenta declamationum in Veterum libris multa circumferuntur; nos exempli gratiâ pauca [d] afferemus. *Rapta raptoris aut mor-*
4 *tem, aut indotatas nuptias optet; unâ nocte quidam duas rapuit; altera mortem, optat, altera nuptias*: itemque; *lex peregrinum vetat in murum ascendere; ascendit quidam, & hostes e muro dejecit; accusatur*: [e] itemque; *quidam, quum haberet formosam uxorem, peregre profectus est; in viciniam mulieris peregrinus mercator commigravit; ter illam appellavit de stupro, adjecit preces; negavit illa. Decessit mercator, mulierem testamento omnibus bonis heredem reliquit, & adjecit elogium: quia pudicam comperi. Adit hereditatem; redit maritus, accusat uxorem adulterii ex suspicione.* Sed hæc habent quiddam remotum a foro, quod raro possit contingere; illud Asterii thema similius veris causis. *Epicurus negabat divinâ providentiâ Mundum administrari, impietatis reus arcessitur*. Atque hujusmodi argumenta declamationum propo- 5
ni solebant; sed quum declamatio maxima eloquentiæ exercitatio videatur; tamen eo tempore inventa est, quo prope desierant esse eloquentes; ideo Petronius [f] Arbiter dixit: *nondum juvenes declamationibus continebantur, quum Sophocles, aut Euripides invenerunt verba, quibus deberent loqui: nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, quum Pindarus, novemque Lyrici homericis versibus canere timuerunt; & ne poëtas quidem ad testimonium citem, certè neque Platona, neque Demosthenem ad hoc genus exercitationis accessisse video:* & Seneca [g] rhetor libro primo de ratione declamandi loquens ait: *ideo facile est mihi ab incunabilis nosse rem post me natam*: & Quintilianus [h] libro secundo: *pauca mihi de ipsâ declamandi ratione dicenda sunt, quæ quidem, ut ex omnibus novissimè inventa, ita multo est utilissima*. Ex quibus hoc exercitationis genus vetustum non esse constat, & eloquentiâ jam perfectâ repertum; certissimum tamen est & Ciceronem [i] declamasse; quod ex multis locis Ciceronis colligas; ex hoc autem loco, quem illustramus, adhuc florente Crasso id genus in usu fuisse intelligas; sic enim Crassus apud Ciceronem [l] loquitur: *equidem probo ista*, Crassus inquit, *quæ vos facere soletis, ut causâ aliquâ positâ consimili causarum earum, quæ in forum deferuntur, dicatis, quàm maximè ad veritatem accommodatè*. Non igitur aberret a veritate, si quis affirmet declamandi morem cœpisse adhuc puero Cicerone; Seneca [m] tamen tradit a-
lio genere declamationis uti solitum Ciceronem, alio eos, qui postea sunt consequuti; & ante Ciceronem in usu fuisse, quas vocant, theses. Apud Græcos verò studium declamandi circa Demetrii Phalerei tempora cœpit celebrari; nec defuerunt, qui ejus inventorem Demetrium Phalereum fuisse constanter affirmarent; ut intelligi potest ex [n] Quintiliano, qui libro secundo sic ait: *nam fictas ad imitationem fori, consiliorumque materias apud Græcos dice-* 6

ce-

a Senec. in Præfation. libr. 1. Controversiar. *b* Cicero in Bruto, sive de Claris Oratorib. *c* Quintilianus Institut. Orator. libr. 4. cap. 2. *d* Seneca Controversiar. libr. 1. controv. 5. & libr. 1. Excerpt. Controvers. Declamat. 5. *e* Senec. libr. 2. controv. 15. & libr. 2. Excerpt. Controv. Declamat. 7. *f* Petron. Arbiter in Satyrico in princip.

g Senec. in Præfation. libr. 1. Controv. *h* Quintilian. Instit. Orator. libr. 2. cap. 10. *i* Cicero in Bruto, sive de Claris Orator. & Sueton. de Claris Rhetor. cap. 1. *l* Cic. de Orat. libr. 1. *m* Senec. in Præfat. libr. 1. Controvers. *n* Quintilian. Inst. Orat. libr. 2. cap. 4. in fine.

cere circa Demetrium Phalerea institutum ferè constat; an ab ipso id genus exercitationis sit inventum (ut alio quoque libro sum confessus) parum comperi. Sed ne ii quidem, qui hoc fortissimè affirmant, ullo idoneo auctore nituntur. Sed declamandi ratio quo aptior ad exercenda ingenia, eloquentiamque parandam videbatur, eo magis corrupit eloquentiam; idemque accidit in hac re, quod in ludis, quos Græci gymnicos appellabant. Gymnici ludi sunt a Græcis instituti, ut juventus bellicas artes in pace meditaretur; sed nihil magis bellicam virtutem enervavit, quàm nimium studium ludicrorum. Eodem modo institutum est, ut in scholis verarum caussarum imagines declamationes dicerentur; ut adolescentes eo velut forensis militiæ simulacro assueti in veris prœliis fierent fortiores; sed nihil magis fregit eloquentiæ vires, quàm assiduus usus declamandi. Nam quum multi putarent eam exercitationem vel solam sufficere ad vim, facultatemque dicendi comparandam; alia studia negligebantur, & in declamationibus plerique ætatem consumebant. Por-
7 cium Latronem [a] scimus principem declamatorum nunquam forum attigisse; & quum aliquando coactos esset ad causam orandam accedere, adeo perturbatum, atque confusum, ut a solœcismo orationem inceperit; qui ostendit verissimum esse id, quod Petronius [b] Arbiter de declamatoribus dixit, *eos eâ ratione consequi, ut quum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos.* Albutium [c] quoque eo studio celeberrimum constat, quum semel in verâ causâ offendisset, ad declamandum se contulisse, & consenuisse in scholis declamantem; qui homines [d] novo vocabulo scholastici dicebantur; quos meritò Sextus Empiricus affirmat, quum ab umbrâ in publicam lucem prodierint, ad loquendum ineptiores. Hi omnem eloquentiam perdide-
8 runt; nam quum declamatores non victoriam peterent, sed tantummodo plausum, & aurium delinimenta dumtaxat aucuparentur, infregerunt orationem, & in numeros conciderunt, qui saltari magis, quàm pronunciari deberent. Alii, quum translata verba viderent esse jucundissima, nihil nisi translatum adamarunt, proprietatem reliquerunt; & his, quibus distingui, & illuminari oportebat orationem, referserunt, & obscurarunt: alii, dum sententias probari vident, nullam dicendi virtutem esse, præter sententias, putaverunt; casque non esse gemmas, & ornamenta, sed corpus orationis voluerunt: alii intempestivis descriptionibus lascivire pulcherrimum sunt arbitrati: nemo veram, & solidam, & germanam eloquentiam consectatus est; sed omnes inanem, & illitam fuco, calamistris inustam, unguentis delibutam dilexerunt: omnes argumentandi rationem, quia has delicias non recipit, refugerunt; quo fiebat, ut eorum oratio non compositus ad fidem faciendam sermo, sed ad demulcendas aures quædam cantilena videretur. Accessit eodem quidam tumor,
quem contraxerant ex materiis tragicis, 9
quæ tractabantur in scholis; nam, ut utar Petronii [e] Arbitri verbis, adolescentes *nihil ex iis, quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident; sed piratas cum catenis in litore stantes, & tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita præcidant; sed responsa in pestilentiâ data, ut virgines tres, aut plures immolentur.* Atque ea vitia declamatorum manarunt latiùs, & omnes eloquentiæ partes infecerunt; hinc Lucanum [f] quidam non poëtam, sed declamatorem appellarunt: hinc Statii tumor originem duxit: hinc aliorum scriptorum crebræ sententiæ: quæ licèt vellicent aures, excussæ tamen inanes reperiuntur. Ex quibus intelligi potest Ciceronem [g] veluti præsagum futurorum præcepisse, causas, quæ proponuntur in scholis, similes forensibus causis esse oportere. Atque hæc de ratione declamandi satis fuerit delibasse; sed addendum his, quæ diximus, duo genera fuisse declamationum, suasorias, & controversias; suasoriæ ad deliberativum dicendi genus, controversiæ ad judiciale pertinent; exemplum suasoriæ est: *deliberat [h] Alexander, an Chaldæorum prædictis obstantibus Babylonem ingrediatur*; controversiæ [i]: *quidam luxuriante filio luxuriari cœpit*, accusatur dementiæ.



DIS-

a Quintilian. Inst. Orat. libr. 10. cap. 5. b Petron. Arbit. in Satyr. in princ. c Sueton. in Vit. Rhet. Illustr. cap. 6. d Senec. in Præfat. libr. 1. Controvers. e Petronius Arbiter in Satyric. in princ. f Vossius Instit. Poët. libr. 3. cap. 4. Vid. Petron. Arbitr. in Satyr. Quintilian. Instit. Orat. libr. 10. cap. 1. & Jul. Cæs. Scalig. Poëtic. libr. 3. cap. 26. & libr. 6. cap. 6. g Cicer. de Orat. libr. 1. h Senec. Suasor. 4. i Idem libr. 2. controvers. 14.

DISSERTATIO LXXXVI.

Eodem ſuper Argumenro.

Optimorum Auctorum verſionem Cicero maximè probat. Plinius cum Amico queſtus eſt, quòd propter ejus interpellationem decem verſuum lectionem perdidiſſet. Quid ſint Epichiremata.

DE ratione declamandi diximus, Auditores, & de vitiis, quibus declamatores laborarent; nunc ad alia exercitationum, quæ prætermiſimus, genera veniendum eſt. Veteres, ante quam mos eſſet diutiùs, quàm par erat, in ſcholis deſidere, eodem ferè modo eloquentiam, quo rem militarem adipiſcebantur; nam ſicut, aucto-
1 re Salluſtio[a], Romani in caſtris uſu militiam diſcebant; ita in foro quodammodo uſu eloquentiam ſibi comparabant. Nam poſtea quam exceſſerant ex ephebis; & quæ utiles vel ad formandam mentem, vel ad erudiendam linguam videbantur, diſciplinas perceperant, non in ludo fictis cauſis, ſed in foro veris exercebantur; nam alicujus oratoris, cujus dicendi vis, & facultas celebris haberetur, in diſciplinam traditi, eum quotidie ſectabantur, eum in forum deducebant, ejus intererant actionibus. Si quid ab ipſo vel inter altercandum, vel inter orandum, quod plauſum excitaret, diceretur, excipiebant; quid judices commoveret, quid a coronâ probaretur, animadvertebant; jocos etiam, & acutè interrogata, vel reſponſa memoriæ mandabant. Hac arte tam celeriter proficiebant, ut[b] Craſſus undeviginti natus annos Carbonem in judicium vocaverit, & excellentem inter oratores gloriam ſit conſequutus, Cæſar[c], quum vigeſimum primum ageret annum, Dolabellam; eadem ferè ætate Aſinius[d] Pollio Cajum Catonem, nec multo grandior natu[e] Calvus Vatinium accuſaverit. Sulpicium ſcimus,
2 quum Antonii monitu admodum adoleſcens Craſſum[f] cœpiſſet audire, cœpiſſet ejus lateri ſemper adhærere, non majore, quàm unius anni, intervallo tantum in dicendi ſtudio promoviſſe; ut ſummis oratoribus vel[g] granditate verborum, vel ubertate, & copiâ orationis, vel nervis, & lacertis, & viribus compararetur. Multum, Adoleſcentes, ad dicendi facultatem confert audire quàm frequentiſſimè verba facientes eloquentiſſimos viros; multum, ſi non oſcitanter audiamus, ſi eorum dicta non prætervolent aures, ſed animo penitus infigantur. Nec omittendum eſt aliud exercitationis genus, licèt a Cicerone[h] improbetur, quo Cajum Carbonem uti ſolitum, & aliquando Craſſum ipſum memorat: propoſitis verſibus maximè gravibus, vel lectâ aliquâ præclarâ oratione ad eum finem, quem memoriâ poſſent comprehendere, eandem illam ſententiam, quæ vel verſibus, vel illâ oratione continebatur, verbis, quàm lectiſſimis poterant, exponebant. Sed in eâ re id vitii eſſe putat, quod præſtantiſſimi Auctores ea verba, quæ propria cujuſque rei, quæque eſſent ornatiſſima occuparunt; itaque ſi iiſdem verbis utamur, nihil prodeſſe; ſin autem aliis, etiam obeſſe, quum deterioribus uti conſueſcamus. Quare nobis auctor eſt[i] Cicero, ut vertendis potiùs Græcis oratoribus, aliiſque 3
ſcriptoribus, qui eloquentiæ tenent principatum, nos exerceamus. Et ſanè id ſtudii genus eſt utiliſſimum non ſolùm proptet eas cauſas, quas affert Cicero, ſed etiam propter Auctorum Græcorum præſtantiam; non enim ſine cauſâ Horatius[l] dixit:

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui......

Idemque præcepit nullum tempus eſſe vacuum oportere lectione Græcorum exemplarium[m];

...... vos exemplaria Græca
Nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.

Nam omnes dicendi virtutes in Auctoribus Græcis reperiuntur; licet admirari Platonis altitudinem, & copiam, & ubertatem, Xenophontis jucunditatem, Iſocratis pompam, ſubtilitatem Lyſiæ, nervos, & vim Demoſthenis, Herodoti ſuavitatem, Ariſtophanis facetias, Pindari ſpiritum, Homeri majeſtatem, Anacreontis leporem, Thucydidis gravitatem. Quæ virtutes nunquam magis obſervantur, & exprimuntur, quàm quum ad transferendos in latinum ſermonem præſtantiſſimos quoſque Græcorum Auctores animum acriter intendimus; oportet autem Græcorum ſcripta vertentem, ſi modò facturus eſt operæpretium, non modò ſollicitum eſſe de verbis, & ſententiis, verùm etiam de formâ orationis, & virtutibus exprimendis. Veruntamen id ſtudium multum laboris deſiderat, & plus 4
habet difficultatis, quàm quiſquam inexpertus arbitretur; lectio verò jucundiſſima, & quæ

[a] Salluſt. de Bello Catilin. paulo poſt principium. [b] Cicero de Oratore libr. 1. & 3. [c] Plutarch. in Vit. Cæſaris, Suetonius in Vit. ipſiuſmet Cæſaris cap. 4. & Auctor Dialogi de Cauſis corruptæ eloquentiæ n. 35. [d] Idem Auctor de Cauſis corrupt. eloquent. ibid. [e] Idem ibid. [f] Cicer. de Orator. libr. 1. [g] Cicer. in Bruto, ſive de Clar. Oratorib. [h] Cicer. de Orator. libr. 1. [i] Cicero ibid. [l] Horat. in Arte Poëtic. [m] Idem Horat. ibidem.

quæ minimum laboris afferre videatur; cui
Veteres vel diligentissimè operam dabant;
quapropter Cato [a] quasi quidam helluo li-
brorum habebatur, qui in ipsâ curiâ, quum
Senatus cogeretur, si quando maturiùs ve-
nisset, lectione non abstinebat; & Plinius
naturalis [b] historiæ conditor tam avidè li-
bros perlegebat, aut legentes audiebat; ut
& quum ambularet, & quum veheretur,
& quum distringeretur in balneo, terge-
returque, & quum cœnaret, anagnosten
audiret; aliquando verò quum discumbe-
ret cum aliquot amicis, & lector quædam
perperam pronunciasset, & quidam ex iis,
qui aderant, revocasset, & repeti coëgisset,
dixerit: *intellexeras nempe, cur ergo revoca-
bas? decem ampliùs versus hac tuâ interpella-
tione perdidimus;* tanta illi aviditas lectio-
nis, & temporis parsimonia. Demosthenes
5 autem non contentus Thucydidis histo-
rias sæpiùs legere, octies [c] dicitur transcri-
psisse; quid ergo mirum, si Veteres, quem
admirabantur, Auctorem imitando expri-
mebant; quum in eo cognoscendo tantum
laboris impenderent? Sed ne tantùm o-
stendamus multâ Veteres usos lectione,
quod etiam tacentibus nobis quivis in-
telligit; sed & de lectione quædam præci-
piamus; legendi sunt omnes, qui alere
eloquentiam, vel augere scientiam pos-
sunt; nam etsi paucis libris, ut ait [d] Seneca,
sit opus ad bonam mentem, non paucis o-
pus est ad eloquentiam, & scientiam re-
rum comparandam; nam qui paucos le-
get, inopiâ sermonis, & rerum laborabit.
Quintilianus putat [e] oratori etiam elegia-
6 cos poëtas evolvendos: Plinius [f] ajebat nul-
lum esse librum tam malum, ex quo non
aliquid utilitatis possit decerpi: Plato So-
phronis [g] mimos tam studiosè lectitavit,
ut sæpe dormiturus cervicali supponeret;
ex Epicharmo [h] poëtâ comico multa sum-
psit, & ejus poëmata in deliciis habuit;
adeo nullum est Auctorum genus, quod
non eloquentiæ prodesse, vel scientiæ pos-
sit. Sed quum omnes, quicumque laudan-
tur, Auctores sint diligenter evolvendi,
tamen optimis immorandum; hi nunquam
e manibus deponendi, iis a teneris, ut a-
junt, unguiculis assuescendum. Quintilia-
nus [i] Demosthenem non solùm censet ac-
curatè perlegendum, sed etiam prorsus edi-
scendum. Et sanè veteres oratores viden-
tur hujus rhetoris orationes tam frequen-
ter, & tam accuratè perlegisse, ut sententias 7
ejus omnes, omnes illustres locos habe-
rent memoriâ comprehensos; siquidem Ci-
cero libro primo de Oratore de Menedemo
sic loquitur: *Ea Menedemus exemplis ma-
gis, quàm argumentis conabatur refellere; me-
moriter enim multa ex orationibus Demosthenis
præclarè scripta pronuncians docebat illum in a-
nimis vel judicum, vel populi in omnem partem
dicendo permovendis, non fuisse ignarum, quibus
ea rebus consequeretur; quæ negaret ille sine
philosophiâ quenquam scire posse.* Ubi notes
Menedemum oratorem memoriter potuisse
recitare, quæcumque essent in Demosthe-
ne, quæ ad eam rem, de qua disputabatur,
pertinerent. Neque tamen lectioni tan-
tum temporis tribuendum, ut scribendi 8
studium omittamus; nam sicut pictores
parum proficerent, si magnorum artificum
tabulas, & signa, & lineamenta corporum
spectare diligenter, & etiam, atque etiam
considerare contenti, nunquam tabulæ ma-
nus admoverent, nunquam, quæ obser-
vassent, exprimere penicillo, & imitari co-
narentur; ita parum prodest ad eloquen-
tiam, eloquentissimorum hominum ope-
ra perspexisse, & attentè evolvisse, ac
memoriæ mandasse; nisi quàm pluri-
mum ipsi scribamus, & stylo frequen-
ter utamur. Nam *stylus*, Cicerone [l] teste,
*optimus est, & præstantissimus dicendi effector,
ac magister;* alternanda sunt igitur, ut Se-
necæ [m] verbis, & sententiâ utar, stylus, &
lectio. Sed quibus rebus Antiqui stylum
exercerent, jam diximus; quibus adden- 9
dum exercitationis genus, quo [n] Porcius
Latro nobilis inprimis declamator uteba-
tur; qui aliquo die nihil præter sententias,
aliquo nihil præter enthymemata, aliquo
nihil præter epichiremata; sunt autem epi-
chiremata argumentationes; qua exerci-
tatione sunt usi etiam philosophi; siquidem
Aristoteles [o] epichirematum duos libros,
octodecim scripsit [p] Theophrastus.

DIS-

[a] Cicero libr. 3. de Finib. [b] Plin. junior in Epistol. ad Marc. libr. 3. Ep. 5. [c] Lucian. πρὸς ἀπαίδευτον, sive advers. indoct. libror. long. supellectil. tum. paulo post princ. [d] Senec. de Tranquillit. Animi cap. 9. & Epist. 45. [e] Quintilian. libr. 10. cap. 1. Vid. etiam libr. 1. cap. 8. Instit. Orator. [f] Plin. junior Epistol. ad Marc. [g] Diogenes Laërt. libr. 3. segm. 18. in Vit. Platonis, Quintilian. Institut. Orat. libr. 1. cap. 10. Valer. Maxim. libro 8. cap. 7. Hesychius Milesius in Vit. Sophronis, Athen. libr. 11. cap. 15. & Olympiodor. in Vit. Platonis. [h] Diogen. Laërt. libr. 3. segm. 10. in Vit. Platon. [i] Quintilian. Instit. Orat. libr. 10. cap. 1. [l] Cic. de Orat. libr. 1. [m] Senec. Epist. 84. [n] Idem in Præfat. libr. 1. Controv. in fine. [o] Diog. Laërt. libr. 5. segm. 24. in Vitâ Aristot. [p] Idem Laërt. libr. 5. segm. 43. in Vit. Theophrasti.

DISSERTATIO LXXXVII.

De Actionis, & memoriæ exercitationibus, quibus Veteres utebantur.

Oratores, & Musici ad vocem aptè formandam phonascis utebantur; comœdis verò ad gestum componendum; malè autem primam syllabam in phonasco *corripit Sidonius Apollinaris. Demosthenes, quum in primâ causâ actionis vitio fuisset sibilis explosus, quomodo actionem emendarit, & linguæ vitium, quum litteram R pronunciare non posset. Artem memoriæ Simonides invenisse dicitur; & qua ratione ea excoleretur. Seneca duo millia nominum semel audita eodem, quo recitata fuerant, ordine reddebat. Cyneas postero die, quo Romam venit, Senatum, & plebem universam suis nominibus persalutavit. Adolescens tria millia nominum semel recitata vel eo ordine, quo acceperat, vel inverso referebat. Mithridates viginti duarum nationum, quibus imperabat, linguam cognovit. Plurimi etiam alii immane quantum excolendâ memoriâ profecerint.*

QUum sit officium oratoris primùm [a] invenire, quid dicat,
deinde disponere, mox ornare
verbis, & elocutione quàm aptissimâ, tum memoriæ mandare, ad extremum agere cum quadam vocis, & gestus elegantiâ, & venustate; &
in has quinque partes dicendi vis, & facultas universa tribuatur; sermonibus, quos
1 proximè habuimus, quibus Antiqui rebus
inveniendi, disponendi, eloquendi facultatem exercerent, exposuimus; hodierno
die, quibus memoriæ vim, & firmitatem,
& actionis dignitatem sibi compararent, exponemus. Veteres in primis vocis exercendæ magnam curam habuerunt; quia
vocis magnitudo, suavitas, & concinnitas
mirificè commendat oratorem; utebantur
igitur vocis moderatoribus, quos phonascos [b] Græco vocabulo appellabant, qui
ἀπὸ τῦ ἀσκεῖν τὴν φωνὴν, ab exercendo vocem dicebantur; quare miror, quid in mentem
venerit Sidonio Apollinari, qui primam
syllabam [c] hujus nominis correptam pronunciavit hoc versu:

Psalmorum hic modulator, & phonascus.

His operam dabant, qui voci studebant;
Suetonius [d] in Augusti vitâ: *pronunciabat
dulci, & proprio quodam oris sono, dabatque assiduè phonasco operam*; & in Nerone
testatur [e] *nihil joco, seriove egisse*, nisi astante phonasco, qui moneret, a quibus, ne
vocem læderet, esset abstinendum. Sed
Augustus utebatur phonasco, quò vocem 2
ad obeundum munus oratoris conformaret; Nero, quò ad musicum certamen pararetur. Nam phonasci dicti sunt, qui
præcinunt choris, quos præcentores Apulejus [f] vocat, quos Aristoteles [g] appellat κορυφαίους, Plato [h] χορῶν ἄρχοντας. Sed iis
non opus habebant oratores, sed phonascis, qui vocem exercerent, ne infuscaretur, ne aspera nimis, ne sordida, ne imbecillis evaderet, ne tenuaretur, ne frangeretur in cantum. Scio [i] Quintilianum
monere non easdem phonascis, & oratoribus exercitationes convenire; sed quum
quosdam animadvertam operam dedisse
phonasco, qui non canendi, sed orandi
studio tenerentur, puto eosdem potuisse &
oratoriam vocem, & musicam erudire;
quum idem fateatur multa oratoribus ad 3
phonascorum similitudinem esse facienda.
Vocis autem exercendæ ratio tam accuratè a Senecâ rhetore in præfatione describitur, ut ejus verba prætermittere piaculum ducam; his igitur utitur [l] verbis: *illum
fortem, agrestem, & Hispanæ consuetudinis morem non poterat dediscere; utcumque res tulerat, ita vivere, nil vocis causâ facere; non illam per gradus paulatim ab imo usque ad summum perducere; non rursus a summâ contentione paribus intervallis descendere; non sudorem unctione discutere, non latus ambulatione
reparare*. Hactenus Seneca; cujus verba
declarant, quantum studium Veteres tuendæ, augendæ, conformandæ vocis adhiberent; Demosthenes [m] autem ejusdem firmandæ, & emendandæ causâ conjectis in
os lapillis ingrediens, ascensu arduo, integras periodos unâ contentione pronunciabat. Quapropter industriâ tantum est
consequutus, ut qoum initio [n] primam rhetorices, quam profitebatur, syllabam eloqui non posset, non solùm naturæ vitium
emendarit, sed etiam quemadmodum ceteris dicendi virtutibus, ita pronunciationis elegantiâ, & firmitate vocis omnibus 4
antecelleret. Quum autem actio duabus
rebus constet, voce nimirum, & gestu; non
mi-

[a] Quintilian. Inst. Orator. libr. 3. cap. 3. [b] Vossius Etymol. in V. *Phonascus*. [c] Sidon. Apollin. Epistol. 11. libr. 4. [d] Sueton. in Vit. Augusti capit. 84. [e] Idem in Vit. Neronis cap. 25. [f] Apulejus de Mundo. [g] Aristoteles, vel Auctor Libelli de Mundo. [h] Plato libr. 6. de Legg. [i] Quintilian. Institut. Orator. libr. 2. cap. 8. & libr. 11. cap. 3.

[l] Senec. in Præfat. libr. 1. Controv. [m] Plutarch. in Vit. Democriti, & in Vitis X. Orator. cap. 8. Phot. in Biblioth. cod. 265. & Cicer. de Orator. libr. 1. [n] Idem Plutarch. & Phot. ibid. & Cicer. de Orat. libr. 1. in fine.

minius in componendo gestu, quàm in formandâ voce studium collocabant; & ut in voce phonascorum, ita in gestu comœdorum artificio utebantur. Demosthenem ferunt, quum primam causam egisset, & actionis vitio excidisset, & sibilo a populo esset explosus, in maximam tristitiam, & mærorem, & desperationem incidisse; hunc quum Satyrus [a] histrio non ignobilis esset conspicatus, interrogasse, quid tristis esset; & quum Demosthenes tristitiæ suæ causam aperuisset, pollicitum esse remedium sese malo allaturum; jussisse itaque recitare aliquot Euripidis, aut Sophoclis versus, quos quum Demosthenes pronunciasset, eosdem illos Satyrum eâ suavitate, flexuque vocis, eâ venustate gestus extulisse, ut Demostheni omnino diversi viderentur; eoque oratorem monitum cœpisse in studio pronunciationis, & gestus elaborare. Quapropter [b] interrogatus aliquando, quid primum in toto genere dicendi putaret? respondit actionem; quid secundum? dixit actionem; quid tertium? rursus actionem sibi videri affirmavit; & ipse actioni plurimum studuit, & se Andronico [c] histrioni præcellentissimo in disciplinam tradidit. Quid Cicero? nonne a [d] Roscio, ad
5 cujus excellentiam [e] nemo eâ ætate aspiravit, credibile est multa didicisse, quæ ad gestum pertinerent, quum eo familiarissimè uteretur? Habebant autem Antiqui artem, qua propriè gestus formabatur, quàm chironomiam [f] appellabant. Nec memoriam minùs excolebant, multis & suis, & aliorum scriptis ad verbum edíscendis; quin etiam memoriæ artem invenerunt; de qua mihi differendum est, Auditores, quia de arte memoriæ Cicero [g] non semel mentionem facit; hanc Simonidem primus dicitur ostendisse. Epulabatur Simonides apud Scopam [h], vel ut alii tradunt, Glaucum, vel Leocraten, vel Agatharchum; qui sacri certaminis victor epulum ob eam victoriam quàm splendidissimum multis claris civibus dabat; fortè fortunâ accidit, ut Simonides, nescio cujus rei gratiâ, exiret e triclinio; nonnulli a Castore, & Polluce ferunt evocatum; eo temporis momento, quo Simonides egressus convivium reliquerat, conclave illud, ubi convivium celebrabatur, ingenti ruinâ corruit, & omnes oppressit; quum fractos artus, contusa ora, tota corpora deformata nemo posset dignoscere, Simonides admonitus memoriâ locorum, ubi quisque discubuerat, uniuscujusque cadaver suis ad sepulturam dicitur tradidisse. Eo casu condocefactus in- 6
tellexit memoriam plurimum locis adjuvari; quapropter excogitavit artem memoriæ, quæ locis animo concipiendis, & imaginibus continetur; qua arte qui [i] utebantur, complectebantur animo loca spatiosa, & multâ varietate distincta; puta, magnas ædes, quarum innumeræ partes possunt cogitari. Has partes animo prorsus affigebant; in his res, quas memoriâ complecti volebant, collocabant; sed res ipsas imaginibus insignibus, acribus; & quæ animum movere possent, notabant [l]; &, ut ait [m] Cicero, locis pro cerâ, simulacris pro litteris utebantur. Hujus artis usum, licèt Quintilianus [n] nec omnino damnet, nec omnino probet, qui eâ sibi non utendum putavit; at probat Cicero [o], qui forsitan id memoriæ subsidium sibi comparavit: probat Seneca [p], rhetor, cujus memoria hujus artis beneficio ad miraculum usque processit; adeo ut duo millia nominum semel audita eodem, quo recitata fuerant, ordine, redderet; cujus insignia de hac arte locus non est Auditores, omittendus. Is libro [q] primo controversiarum, postquam de memoriâ Porcii Latronis quædam 7
mira prædicavit, hæc addit: *video vos, Juvenes mei, plus justo ad hanc ejus virtutem obstupescere; alia vos in illo mirari volo, hoc, quod tam vobis mirum videtur, non operosâ posseß tradi arte; intra exiguum paucissimorum dierum tempus poterit quilibet facere id, quod Cyneas fecit; qui missus a Pyrrho legatus ad Romanos postero die novus homo & Senatum, & omnem urbanam circumfusam Senatui plebem nominibus suis persalutavit; aut quod ille fecit, qui recitatum a poëtâ carmen novum suum esse dixit, & protinus memoriâ recitavit, quum hoc ille, cujus carmen erat, facere non posset.* Et ne semper Antiquos citem, Muretus [r] in variis lectionibus a se visum te- 8
statur adolescentem, qui Romæ studii causâ versabatur, qui hac arte poterat trigintamillia nominum semel recitata, & cursim, memoriâ comprehendere, & vel eo ordine, quo acceperat, vel inverso referre; seque tradit, quum id experiri vellet, ingentem numerum dictasse nominum latinorum, græcorum, barbarorumque, adeo ut desatigaretur; eumque statim nunquam insi-

[a] Plutarchus in Vitâ Demosth. [b] Cicero in Bruto, sive de Claris Oratoribus, & de Oratore libro 3. circa finem. [c] Photius in Bibliothec. cod. 265. [d] Plutarchus in Vitâ Ciceron. [e] Vid. infra Dissert. 90. n. 2. & seqq. in Cicer. [f] Quintil. Instit. Orat. libr. 1. c. 11. Vid. Domitium Calderinum ad Juvenal. Satyr. 6. v. 63. [g] Cicero de Oratore libr. 2. [h] Idem Cicer. ibid. circa finem, & Quintilian. libr. 11. cap. 2. [i] Auctor ad Herennium libr. 3. [l] Idem Auctor eodem loco, & apud Quintilian. libr. 11. cap. 2. de Memoriâ. [m] Cicero de Orat. libr. 2. [n] Quintilian. ibid. [o] Cicero ibid. [p] Senec. in Præfat. Controvers. libr. 1. in princ. [q] Senec. ibid. [r] Muretus Variar. Lectioo. libro 3. cap. 1.

insistentem, nunquam hæsitantem omnia reddidisse. Huic quum se in disciplinam tradidisset adolescens, qui memoriâ ferè nullâ utebatur, paucis diebus tantum profecisse, ut quinquaginta nomina semel audita reciraret. Hac arte Hortensius, quum in [a] auctione totum diem persedisset, vespere omnes res, quæ erant venditæ, & pretia, & emptores, quum nunquam falleretur, argentariis recognoscentibus recensuit: hac Theodectes [b] quotlibet versus semel dumtaxat auditos retulit; hac fortasse Mithridates [c] viginti duarum nationum, quibus inperabat, linguam cognovit: hac Carneades [d] ad ostentationem memoriæ provectus est.

DISSERTATIO LXXXVIII.

De Ambitione, & blanditiis Candidatorum,

Cognomine aliquem appellare honori ducitur. Nomenclatores, etiam Nomenculatores, licèt reluctetur Verrius Flaccus, appellabantur; & a calando nomen acceperunt; a Græcis ὀνοματοκλήτορες, & ὀνοματολόγοι; Fartores autem a Festo Pompejo dicuntur. Crassus, quum populum esset prensaturus, a se Scævolam dimittebat dicens velle se ineptire. Ambitio dicitur ex eo, quod qui magistratus petebant, forum circumirent; quòd Am priscâ linguâ significat circum; *quid ea ab ambitu differat.*

EST locus Ciceronis, ubi summus Auctor attingit morem populo supplicandi, quo qui petebant magistratus, utebantur. Is autem hæc verba [e] complectitur: *equidem quum peterem magistratus, solebam in prensando dimittere a me Scævolam, quum ei ita dicerem, me velle esse ineptum; id erat petere blandiùs, quòd nisi ineptè fieret, bene non posset fieri;* de quo mihi loco, Audito-
1 res, hodierno die differendum est; & quibus artibus Candidati suffragia populi eblandirentur, exponendum. Romæ mandandorum, cui vellet, honorum summa potestas populo fuit; quæ res efficiebat, ne Principes Civitatis insolescerent, ne quemquam, licèt infimo loco natum, injuriosè tractarent, ne nimium suis rebus gestis, suis virtutibus confiderent; quum scirent se posse a populo vel in altissimo dignitatis gradu collocari, vel honorum luce, & virtutis prosetendæ facultate spoliari. Quapropter semper quidem omni officio plebem sibi demerebant, sed præcipuè quum magistratus erant petituri, vel petebant. Ac primum illud Hometicum diligenter observabant, quo jubemur, quum supplicandum est, non solum unumquemque proprio nomine, sed etiam gentis cognomine appellare [f]:

Πάτρόθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον,
Πάντας κυδαίνων, μηδὲ μεγαλίζεο θυμῷ,

qui versus ita vertuntur:

Unumquemque vocans cognomine patris, honore
Afficiens omnes, nec tu utere mente superbâ.

Sed quia non erat facilè omnium, qui- 2
bus erat supplicandum, nosse nomen, & genus, nisi quis eâ esset memoriâ, quâ fuisse dicitur [g] Cyrus, qui nomina omnium suorum militum noverat; servos adhibebant, qui singulorum nomina in aurem domino insusurrarent; hi nomenclatores [h] vocabantur, vel Nomenculatores, ut quibusdam placuisse video, licèt [i] Verrio Flacco non approbante; quâ voce utitur Martialis hoc versu [l]:

Nomenculator mugilem citat notum.

Sed nomen a calando est ductum, idest vocando, quod uniuscujusque nomen vocare possent; Græcis eadem de causâ [m] dicuntur ὀνοματοκλήτορες, vel ὀνοματολόγοι. Aliquando tamen lege cautum, ne [n] quis Nomenclatorem Candidatus adhiberet; cui soluas Cato paruit, qui tribunatum militum quum peteret, non indiguit monitore; sed per se obvios nominatim salutavit; quod ego illum arbitror memoriæ præstantiâ consequutum. Nam ipsi Nomenclatores, quos, ut muneri suo possent satisfacere, credibile est studium omne in eo collocasse, ut nomina civium condiscerent, omnesque notos haberent, nonnullorum nomen ignorabant; ideo Seneca libro primo de [o] beneficiis: *quemadmodum*, inquit, *nomenclatori memoriæ loco audacia est.* Hos fartores Festus [p] Pompejus tradit appella- 3
tos, quod domini aures tribulium nominibus infarcirent; cum his Candidati forum circuibant; hi proximi domino incede-

[a] Senec. in Præfation. libr. 1. Controv. [b] Quintilian. libr. 11. cap. 2. de Memoriâ. [c] Idem eod. loco, Plinius de Viris Illustribus cap. 76. & Hist. Natural. libr. 7. cap. 24. & libr. 25. cap. 2. Valer. Maxim. libr. 8. cap. 7. A. Gell. libr. 17. cap. 17. & Solinus cap. 7. [d] Cicero de Oratore libro 2. [e] Idem Cicero de Orat. libr. 1. [f] Homer. Iliad. x. v. 69. [g] Xenophon de Instit. Cyri libr. 5. Solinus cap. 7. Valer. Maxim. libr. 8. cap. 7. Plin. Natural. Histor. libr. 7. cap. 24. & Quintil. libr. 11. cap. 2. de Memoriâ. [h] Sextus Pomp. Festus in V. *Fartores*, & Cicer. pro Muræna. [i] Verrius Flacc. apud Charisium libr. 1. [l] Martial. libr. 10. Epigr. 30. [m] Plutarch. in Vit. Caton. Uticensis. [n] Plutarchus ibid. [o] Senec. de Benefic. l. 1. cap. 3. [p] Fest. Pomp. in V. *Fartores*.

debant, et quùm opus erat, nomen cujusque suggerebant; interdum verò ne quemquam Candidatus præteriret, qui apud suos tribules plurimum posset, latus tacitè fodiebant; ideo Horatius [a] in Epistolâ ad Numicium dixit:

Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus.....

Ita fiebat, ut omnes Candidati salutarent, omnes nomine appellarent, omnes manu apprehenderent; quod prensare dicebatur. Cicero in Epistolis [b] ad Atticum; *prensat unus P. Galba sine fuco, ac fallaciis more Majorum? negatur*; & iterum [c] dixit: *nos autem initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his litteris proficisci Cincius dicebat*. Neque solùm, qui magistratus petebant, tribus circuibant, & preces adhibebant; sed etiam amici Candidatorum pro his supplicabant; quapropter Suetonius [d] tradit ipsum Augustum non indignum majestate suâ ratum cum suis Candidatis tribus circumire, & more Majorum supplicare. Adhibebantur autem
4 in supplicando eæ blanditiæ, quæ alioquin viros summo loco natos, quales plerumque qui magistratus petebant, dedecerent; ideo Cicero [e] dixit oratione pro Plancio: *in quo primum illud debes putare Comitiis præsertim Ædilitiis studium esse populi, non judicium, eblandita illa, non enucleata esse suffragia*; & quidam Horatii [f] carmen illud:

Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextrã,

sic explicarunt, ut dicerent *trans pondera* nihil aliud esse, quàm ultra, quàm gravitatis ratio, legesque patiantur; quòd his blanditiis Candidati uterentur, quibus alio tempore si quis uteretur, levissimus planè haberetur. Quapropter Quinctus frater Ciceronem [g] monet, ne blanditias adhibere vereatur, quas alioquin gravitas aspernaretur: *sed opus est*, inquit, *magnopere blanditiâ; quæ etiamsi vitiosa est, & turpis in ceterâ vitâ, tamen in petitione est necessaria tibi; etenim quum deteriorem aliquem assentando facit, improba est, quum amiciorem, non tam vituperanda, petitori verò necessaria est*. Atque ego non dubito, quin ea necessitas infimo cuique supplicandi, & assentationem precibus miscendi gravissimis viris fuerit molestissima. Phocion [h] certè, quòd hujus indignitatem
5 rei ferre non posset, abstinuit a petitione magistratuum; & tamen ei non petenti populus Atheniensis honores ultro mandavit; & vir maximus non honores ambivit, sed ambitus est ab honoribus; tantus est in virtute splendor, tanta fuit in Atheniensi populo virtutis admiratio. Sed Athenienses & Phocionis animi magnitudinem honorarunt, & suam honesti cupiditatem ostenderunt; Romani autem nec ipsi Catoni non petenti honores concesserunt; quandoquidem Cicero [i] pro Murænâ testatur & usum Catonem Nomenclatore, & salutasse diligenter, sic enim loquitur: *quid quod habes Nomenclatorem? quid quòd posteaquam es designatus, multo salutas negligentiùs?* Qui mos tandiu viguit, quandiu viguit Respublica; quum unius nutu omnia regerentur, jus, arbitriumque Consules creandi penes Principes erat; alia comitia Cæsar, teste [l] Suetonio, quum populo partitus est. Quapropter, qui a Cæ- 6
sare erant designati, commendarique populo, negligentiùs petebant; ex quo est illud [m] dictum; *negligenter petis, ut Cæsaris Candidatus*; quod proverbii vim potest obtinere in eos, qui aliquid sine studio, & curâ petunt. Sed Tiberius demum Comitia e campo ad Patres transtulit, ut Cornelius [n] Tacitus memoriæ prodidit, & ademit populo jus Prætores creandi, & ad senatum voluit id pertinere; eâ tamen lege, ut ex duodecim Prætoribus quatuor Princeps commendaret, ut [o] ait Tacitus, *sine repulsâ, & ambitu designandos*; reliquos amplissimus ordo constitueret; quæ res mirè senatui grata; rationem Cornelius Tacitus reddit his verbis [p]: *& senatus largitionibus, ac precibus sordidis exolutus libens tenuit*. Ubi notes *sordidas preces*, quæ verba pertinent ad hunc Ciceronis locum explicandum; apparet [q] enim, cur Crassum puderet præsente Scævolâ antiquæ gravitatis viro populo supplicare; quia scilicet sordidæ preces adhibendæ, quia blanditiis utendum, quia assentationibus populi favor colligendus; quæ omnia etiam quum sunt necessaria, non vacant aliquâ specie turpitudinis. Licèt autem ex his, quæ diximus, Ciceronis lu- 7
cus satis explicetur, liber tamen addere quædam, quæ ad Candidatos pertinebant, de quibus alio die disseremus. Non omittendum [r] tamen ambitionem ex eo dictam, quod qui honores petebant, forum circumibant, ut omnes prensarent,

[a] Horatius libr. 1. Epist. 6. ad Numicium. [b] Cic. ad Attic. libr. 1. Epist. 1. [c] Cicero ad Attic. ibid. [d] Suetonius in Vit. Augusti cap. 56. [e] Cicer. in Oration. pro Cn. Plancio circa init. [f] Horat. libro 1. Epist. 6. [g] Q. Cicer. de Petitione Consulatus ad M. Tullium. [h] Plutarchus in Vit. Phocionis. [i] Cic. in Orat. pro Muræn. circa finem. [l] Suetonius in Vit. Cæsaris cap. 41. Vid. Justum Lipsium ad libr. 1. Annal. Cornel. Tacit. & Bud. in Pandect. ad Leg. Juliam de Ambitu. [m] Quintilian. Inst. Orat. libr. 6. cap. 3. & Cæl. Rhodigin. Antiq. Lectiun. libr. 14. cap. 16. [n] Corn. Tacitus libr. 1. Annal. n. 15. [o] Corn. Tac. ibid. [p] Idem ibid. [q] Cicer. de Orator. libr. 1. [r] Sextus Festus Pomp. in V. *Ambitus*, Tertullian. de habitu muliebri cap. 4. & A. Gell. libr. 9. cap. 12.

omnes salutarent, & alloquerentur; est enim ambitio quasi circum itio; nam *Am* prisca [a] linguâ significat circum; differt autem ab ambitu, eo quod ambitio legibus concessa, ambitus [b] vetitus; nam ambitus crimine tenebantur, qui emissent pecuniâ populi suffragia. Nec prætermittendum hunc Ciceronis locum a Valerio Maximo in sua exempla memorabilia esse translatum; sic enim Valerius [c] loquitur in capite de Verecundiâ: *consulatum petens L. Crassus, quum omnium Candidatorum more circum forum supplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, ut id, præsente Q. Scævolâ gravissimo, ac sapientissimo viro, socero suo faceret; itaque rogabat eum, ut a se, dum ineptæ rei inserviret, discederet, majorem verecundiam dignitatis ejus, quàm candidæ togæ suæ respectum agens.*

DISSERTATIO LXXXIX.

De Candidatis.

Romani togis candidis induebantur; cretâ verò illitis Candidati ad singnificandam vitæ innocentiam; & sine tunicâ prensabant; licèt Alexander ab Alexandro sine togâ fuisse ex Plutarcho affirmet; sed ex eo habetur, tunicam non gestasse. Tubero in petitione Præturæ repulsam tulit; quòd in munere lectulos punicanos hœdinis pellibus stravisset, & exposuisset vasa Samia. Candidatus Augusti dicebatur, qui Principis orationes recitabat; is autem Constantini tempore Quæstor sacri Palatii nuncupabatur.

QUum locum Ciceronis explicaremus, ubi summus Auctor de prensatione, & blanditiis Candidatorum mentionem facit, nos etiam, quæ ad eum locum pertinere videbantur, exposuimus, Auditores; hodierno die, quasi corollarii loco quædam addemus, quæ spectant ad Candidatos, & eorum artes, quibus benevolentiam populi aucupabantur, & existimationem hominum sibi conciliabant. Can-
1 didati [d] igitur candidâ togâ utebantur, unde ipsis nomen inventum; ideireo [e] oratio, quam habuit Cicero, cum peteret consulatum, in candidâ togâ dicitur habita, quod genus togæ magistratum petentibus crediderim attributum, ut admonerentur, quid inter cetera ad honores petendos afferre deberent Candidati, scilicet innocentiam vitæ, nec ullo fuco mores infectos. Quæri [f] autem solet, quum ceteri quoque Romani togis non coloratis, sed candidis induerentur, quæ res ab aliis distingueret Candidatos. Is verò nodus facilè dissolvitur; magnum quippe discrimen apparet fuisse inter aliorum togas, eorumque, qui magistratus petebant; illi enim contenti erant naturali candore lanæ; hi verò togam candidâ cretâ illiniebant, ut longè candidior horum, quàm illorum toga videretur. Idcirco Persius [g] ambitionem cretatam his versibus dixit:

Jus habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio;

& Isidorus [h] libro decimonono: *toga*, inquit, *candida, eademque cretata, in qua Candidati, idest magistratum petentes ambiebant, additâ cretâ, quò candidior, insigniorque esset.*
Antiquitus autem sine tunicâ Candidati 2
prensabant, ut auctor est Plutarchus libro Romanarum Quæstionum; vel ut vulnerum, quæ adverso pectore pugnantes acceperant, cicatrices ostenderent; vel ut, quemadmodum salutando, supplicando, omnibus se submittendo, ita & illâ nuditate corporis omnibus animum subjectum præseferrent; vel ne sinu possent aurum, aut pecuniam occultare ad suffragatores pretio sibi conciliandos. Miror autem, quid in mentem venerit Alexandro [i] ab Alexandro, qui ex Plutarcho [l] tradit sine togâ solere Candidatos populo supplicare; quum Plutarchus ἀχίτωνας dixerit eos petisse magistratus; ἀχίτων verò sit, non qui togâ, sed qui tunicâ caret. Sed quum toga
candida magistratum petenti nomen Can- 3
didati daret, non tamen erat satis ad vim Candidati obtinendam; sed oportebat honores [m] petiturum nomen apud populum profiteri; quod per aliquem magistratum fiebat, vel datâ a magistratu habendi concionem potestate; quum privatis ad [n] populum verba facere sine magistratuum concessu non liceret. Quapropter quosdam sine togâ candidâ fuisse Candidatos accepimus; in quorum numero fuit Quinctus Flaccus, qui sine togâ candidâ præturam peti-

[a] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 14. [b] Camerarius in Oration. pro Murænâ, & Vossius in Etymolog. in V. *Ambitus*. [c] Valer. Maximus libr. 4. cap. 5. [d] Plinius Natural. Histor. libr. 7. cap. 34. & Tit. Livius libr. 4. dec. 1. [e] Budæus in Pandectas in cap. Si prolusorio, & Asconius Pædianus in Orationem Ciceronis habitam in Senatu in togâ candidâ. [f] Justus Lipsius libr. 1. Electorum cap. 13. & libr. 4. Antiq. Lection. cap. 15. [g] Persius Satyr. 5. v. 177. [h] Isidor. libr. 19. cap. 24. [i] Alexand. ab Alexandr. Dier. Genial. libr. 4. cap. 3. [l] Plutarch. in Vit. Catonis, & in Quæstion. Roman. & in Vitâ Coriolani. [m] Q. Cicero de Petitione Consulatus. [n] Plinius libr. 3. Epist. 20. ad Maximum.

petivit quum eum, utpote Ædilem, prætextatum esse oporteret; nonnulli verò absentes profitebantur, quibus certè toga candida fuit supervacua. Nec satis erat apud populum profitesi Candidatos, nisi rationem eorum senatus habendam censuisset; eâ de causâ [a] Catilina non est receptus inter Candidatos, quum reus esset repetundarum; ob eamque causam senatus decrevisset ejus rationem haberi non oportere; & [b] Cæsar, quum profligato bello Gallico peteret consulatum, & ut absentis ratio haberetur, a senatu postulasset, non impetravit. Petitionem autem Candidati multo

4 ante adornabant; ut in eâ totum propemodum biennium, quod spatium inter duos magistratus intercedere oportebat, consumerent; sed post edicta comitia candidam togam sumebant. Biennio autem, quo quis erat petiturus, aut petiverat, non licebat gladiatores dare, quemadmodum Ciceronis lege [c] sancitum: non licebat præterea [d] prandium populo dare, non sectatores mercede conducere, non homines ad obviam veniendum Candidatis pecuniâ invitare; quæ omnia complectitur [e] his verbis Cicero pro Murænâ: *Quid enim senatus? num obviam prodire crimen putat? non; sed, mercede, convince: num sectari multos? non; sed conductos, doce: num locum ad spectandum dare, aut ad prandium invitare? minimè; sed vulgò, passim; quid est vulgò? universos.* Nam illud admonendum non est pecuniâ mercari suffragia non licuisse; quæ si quis fecisset, lege ambitus [f] tenebatur, quæ ambitum decem annorum exilio puniebat. Illa verò præsidia petitionis Candidati sibi comparare non vetabantur; habere circa se ingentem circumfusam multitudinem, quæ domo exeuntes in forum deducerent; quæ multitudo constaret ex amicis, clientibus, cognatis, & affinibus, & ex his, qui magni Candidati gratiam faciebant; atque is dabatur tenuioribus apud

5 potentiores beneficii collocandi locus; nam multum proderat ea multitudo, quæ Candidatum comitabatur; accendebat enim studia vulgi ad magistratum mandandum ei, quem a multis coli, quem amicis, & clientibus abundare constaret: multis convivia quàm lautissima exhibere, dummodo non vulgò exhiberentur: dare operam, ut amici multos ad cenam invitarent: omnibus auxilium, patrocinium, operam polliceri: uti amicorum apud populum gratiâ, qui singulos blandè appellarent, benignè salutarent, omnibus officiis devincirent. Multum etiam proderat patere omnibus domum Candidati, salutantium turbâ frequentari, habere [g] amicum multitudini gratum, qui numquam a latere Candidati discederet, & petitionem totam suis humeris, ut ita dicam, sustineret; ut Callidius in petendâ præturâ habuit Metellum Pium Consulem, & Cajus Fannius in petitione consulatus Cajum Gracchum, & Marcus Lepidus Cnæum Pompejum, & Publius Scipio Nasica Africanum superiorem, & Lucius Flaminius Titum Flaminium. Multum etiam proderat alio tempore ludos quàm magnificentissimos edidisse; 6

quapropter Cicero pro Murænâ testatur se, quum haberet Antonium consulatus competitorem, quamvis trinos ludos fecisset, Antonii ludis plurimum solitum commoveri; & Tubero [h] quum præturam peteret, tulisse repulsam dicitur; quòd quum epulum Q. Maximus Africani nomine populo daret, stravisset hædinis pellibus lectulos Punicanos, & exposuisset vasa Samia; & Cicero pro Murænâ affirmat, Murænæ ad consulatum adipiscendum argenteam scenam, & magnificentissimos ludos profuisse. Multum etiam petitionem [i] adjuvabant adolescentulorum nobilium familiaritates; 7

qui gratiâ semper plurimum potuerunt, & plurimum splendoris eo tempore Candidatis afferebant: multum fortitudo in bellis cognita, & adverso pectore acceptæ cicatrices, & artes militares: multum scientia juris civilis: multum domina rerum, & populi moderatrix dicendi facultas; idcirco oratores facilè summos honores assequebantur; & summus orator Cicero homo novus illa nobilitatis claustra, quibus aditum ad summos magistratus nobiles homines obsæptum plebi esse voluerunt, longo intervallo refregit; & [l] Prætor primus, Consul prior centuriis cunctis renunciatus est. Præterea nullum officii genus Candidati prætermittebant; obviam claris viris in Urbem redeuntibus prodibant, neminem inhonoratum esse patiebantur; quapropter [m] Cicero exprobrat Pisoni, quod quum e Macedoniâ Provinciâ rediisset, nemo ipsi nec de Candidatis quidem obviam venerit. *Quid ego* inquit, *enumero, qui tibi obviam non venerint, qui*

[a] Sallustius de Conjuratione Catilinæ. [b] Plutarch. in Vitâ Cæsaris. [c] Cicero ad Q. Fratrem, & in Oratione in Vatinium, & in Oratione pro Murænâ in princip. & pro Sextio. [d] Asconius Pæd. in Oration. Cicer. in togâ candidâ contra C. Antonium, & Catilinam, & in Oration. pro Cornel. [e] Cicero in Oratione pro Murænâ circa finem. [f] Tit. Livius dec. 1. libr. 7. & Plutarchus in Vitâ Coriolani, Dio Cassius libr. 37. Cicero in Vatinium pro Murænâ, & pro Sextio, L. 1. ff. ad leg. Jul. de Ambitu, & Guglielm. Budæus in Pand. ad hanc legem ex libr. 47. ff. tit. 14. [g] Senec. Epist. 118. [h] Senec. Epistol. 95. in fine, & Cicero pro Murænâ. [i] Q. Cicero de Petitione Consulatus. [l] Plutarchus in Vit. Ciceronis. [m] Cicer. in Oratione in L. Pisonem.

qui dico venisse pene neminem, ne de officiosissimâ quidem notione Candidatorum; quum vulgò essent & illo ipso, & multis ante diebus
8 *admoniti, & rogati?* Candidati [a] verò in Campum populo congregato in colle quodam consistebant; quò conspici possent, & studia multitudinis in se accenderent; hoc autem studio Candidatorum factum est, ut omnes, qui rem aliquam vehementer appeterent, aut consequuturi viderentur, Candidati dicerentur. Hinc Apulejus nequam servum jocosè dixit Candidatum crucis; Quinctilianus [b] eloquentiæ Candidatū, qui ad studium dicendi animum appulisset; Candidatum gloriæ, & immortalitatis Plinius [c], qui ad immortalitatem nominis comparandam toto animi nisu contenderet; Candidatum [d] Fidei Hieronymus, qui Christianorum sacris initiaretur; equestris gradus Candidatum Suetonius [e] Icellum libertum, quem Galba in equestrem ordinem erat allecturus; multarum rerum Candidatum [f] Seneca; Candidatam sacerdotii Quintilianus [g], quæ petit sacerdotium; appellabatur etiam Candidatus Augusti, qui Principis orationes recitabat; qui tempore Constantini [h] Cæsaris Quæstor sacri Palatii dicebatur.

DISSERTATIO XC.

De quibusdam Ciceronis locis.

Quicumque in aliquâ arte excelleret, Roscius dicebatur. Roscius est in scenâ: *proverbium, quod usurpatur, quum quid perfectè agitur. Roscius cum Cicerone certabat, quis eandem sententiam pluribus modis exprimeret, gestu, an verbis. Roscii merces diurna mille denarii. Veteres quidquid homine melius esset, Deum nominabant, fœnum verò quidquid contemnendum.*

Hodierno die, Auditores, non unum aliquem Ciceronis locum, sed plures illustrabo; quotcumque scilicet occurrent, qui in parte primi libri de Oratore, quem hactenus explicavi, comprehenduntur. Ac mihi primum de Roscio celeberrimo histrione dicendum est; occurrit enim insignis de Roscio locus [i] Ciceronis, qui non est omittendus, qui hæc verba complectitur: *sæpe enim soleo audire Roscium, quum ita dicat, se adhuc reperire disci-* 1 *pulum, quem quidem probaret, potuisse neminem; non quò non essent quidam probabiles; sed quia, si aliquid modò esset vitii, id ferre ipse non posset; nihil est enim tam insigne, nec tam ad diuturnitatem memoriæ stabile, quàm id, in quo aliquid offenderis; itaque ut ad hanc similitudinem hujus histrionis oratoriam laudem dirigamus; videtis ne, quàm nihil ab eo, nisi perfectè, nihil nisi cum summâ venustate fiat, nihil, nisi ita ut deceat, & uti omnes moveat, atque delectet; itaque hoc jamdiu est consequutus, ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur.* Ad quem locum illustrandum de excellentiâ Roscii dicam; nam mihi videtur ostendisse Roscius posse quolibet artificio, licèt humili, licèt tenui, nominis immortalitatem comparari; dummodo id artificium habeat aliquam ingenii significationem; quid enim levius artificio histrionum; de quo Cicero dixit [l]: *histrionum levis ars, & scena declarat*; & [m] rursus: *vide, inquit, in artificio, & operâ per quàm tenui, & levi quanto plus adhibeatur diligentiæ, quàm in hac re, quam constat esse maximam*; loquitur autem de artificio scenico: quid contemptius? certè hi- 2 strioniam in artibus [n] turpibus numeratam esse constat; & tamen Roscius histrio Ciceronis, & aliorum scriptis immortalibus est immortalitati commendatus. Causa tantæ claritatis fuit artificii præstantia; cujus ego testem appello Festum [o] Pompejum, qui præstantissimos quosque in suis artibus, & disciplinis Roscios dicit appellatos; quòd Roscius unus perfectus in arte scenicâ sit judicatus; qui locus Pompeji cum loco Ciceronis consonat, quem hodierno die explicamus; testem eumdem Ciceronem, qui in secundo de Oratore sic ait; *quamquam soleo sæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scenâ gestum spectante Roscio; quis enim sese commovere potest, cujus ille vitia non videat?* & pro Quinctio de Roscio sic loquitur: *quum cupidiùs instares, hominâ pro amicitiâ familiariùs dixi; mihi videri ore durissimo esse, qui præsente eo gestum agere conare-*

[a] Macrobius Saturnal. libr. 1. cap. 16. [b] Quintil. Instit. Orator. libr. 12. cap. 2. [c] Plinius in Panegyr. Trajani. [d] D. Hieronym. Epist. 7. vel 57. ad Lætam. [e] Suetonius in Vitâ Galbæ capit. 14. [f] Seneca Epist. 118. [g] Quintilianos in Declam. vel quis alius Declamation. earum Auctor, & Senec. libr. 7. de Beneficiis cap. 28. [h] ff. libr. 1. tit. 13. de Officio Quæstoris, Ulpianus in hunc loc. & Vossius in Etymolog. in V. *Candidus*. [i] Cicero de Oratore libro 1. [l] Idem Cicer. ibid. [m] Idem ibid. [n] L. 2. §. ait prætor ff de his, qui notantur infamiâ, Vid. Gulielm. Bodæum in Pandectas ad hanc legem, Vid. etiam l. 1. C. de Natoral. Liber. libr. 5. tit. 27. & L. Si qua C. da Spectacul. libro 11. tit. 40. Lucianus in Icaromenipp. D. Augustin. de Civitate Dei libro 2. cap. 13. & Cornel. Nep. in Præfat. Vitar. excellent. Imperator. sed aliter tradit Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 14. prope finem. [o] Sext. Fest. Pomp. in V. *Roscii*.

naretur; qui verò cum ipso contenderent, eos, etiam si quid antea recti, aut venusti habere visi sunt, id amittere; & in Bruto: *volo*, inquit, *hoc oratori contingat, ut quum &c. dicturus sit, significetur a coronâ silentium, deinde crebræ assensiones, multæ admirationes; risus quum velit, quum velit fletus, ut qui hæc procul videat, etiamsi, quid agatur, nesciat, at placere tamen, & in scenâ esse Roscium intelligat*. Quæ extrema verba Cice-
3 ronis habent vim proverbii; quo uti possumus, quum significare volumus aliquid agi cum summâ gratiâ, cum summâ venustate, cum summâ elegantiâ, & perfectione, ut [a] dicamus, *Roscius est in scenâ*. Sed quid ego dicta Ciceronis colligo, quibus ars, & venustas in agendo Roscii prædicatur, quum facta sint argumento, quanti Roscium fecerit Cicero? Est memoriæ proditum, Auditores, Ciceronem [b] cum Roscio certamen instituisse, quo solitus est cum eo contendere, utrum eamdem sententiam Cicero varietate majore exprimeret verbis, an gestu, & pronunciatione Roscius; quo certamine [c] elatus histrio composuisse dicitur librum, quo histrioniam cum eloquentiâ comparabat; ut minimè sit mirum hoc loco, de quo agimus, ad similitudinem Roscii oratoriam laudem dirigi. Nec verò solus Cicero hujus Hi-
4 strionis ingenio est, & venustate delectatus; sed etiam Sylla [d] Dictator ipsum anulo aureo donavit; quo insigni senatus, & equester ordo a plebe distinguebatur; sed etiam populus Romanus, qui Roscio sine gregalibus mercedem diurnam [e] mille denarios constituit; quam tamen Roscio dari solitam ludorum tantùm diebus [f] Budæus arbitratur; quia Plinius [g] tradit Roscii mercedem annuam fuisse trecenta quinquagena, vel quingenta millia, idest aureorum, quibus utimur, octomillia, & septingentosquiogentos, vel duodecim millia, & quingentos; sed Cicero [h] disertè pronunciat Roscium decem annis sexagies mereri potuisse, nisi populo servire gratis voluisset, & mercedem repudiasset; quæ summa si in decem partes dividatur, singulæ partes sexcenta sestertia, vel vigintiquinque talenta, nimirum quindecim millia aureorum; quæ merces annua Roscio fuerit a populo Romano constituta. Nec mirari debetis, Auditores, tam immani pretio operam suam locasse Roscium, quum memoriæ proditum sit Æsopum [i] tragœdum ducenties filio morientem reliquisse. Tanta autem fuit existimatio Roscii, ut Ci-
cero [l] populo Romano tamquam flagitium 5
objecerit, quod agente gestum Roscio tumultuatus fuerit. Hanc verò non modò agendi venustate, sed etiam integritate vitæ collegerat, quippe innocentiâ fuit singulari; testis est idem [m] Cicero, qui de Roscio sic loquitur: *qui mediusfidius, audacter dico, plus fidei, quàm artis, plus veritatis, quàm disciplinæ possidet in se; quem populus Romanus meliorem virum, quàm histrionem esse arbitratur; qui ita dignissimus est scenâ propter artificium, ut dignissimus sit Curiâ propter abstinentiam*; & paulo post: *est ne quisquam omnium Mortalium, qui tibi purior, prudentior, humanior, officiosior videatur?* & pro Publio Quinctio sic ait: *etenim quum artifex ejusmodi sit, ut solus dignus videatur esse, qui in scenâ spectetur, tum vir ejusmodi est, ut solus dignus videatur, qui eò non accedat*. An hic sit Roscius, quem Catulus poëta dilexit, dubitari potest, qui perversis oculis fuisse dicitur; de quo Q. Catuli elegantissimum extat Epigramma:

Constiteram exorientem Auroram forte salutans,
Quum subito a levâ Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, Cælestes, dicere vestrâ,
Mortalis visu' est pulchrior esse Deo.

Hunc Quinctilianus [n] fuisse citatiorem tra-
dit, Æsopum graviorem, quia Roscius au- 6
ctor comœdiarum, Æsopus tragœdiarum; quapropter Horatius [o] dixit:

..... ea quum reprehendere coner,
Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit:

Videtur tamen Roscius, quamvis Antiquis maximè probaretur, nec quisquam ad ejus gloriam accesserit, inventâ novâ agendi ratione minus famæ fuisse consequuturus; nam Auctor [p] de causis corruptæ eloquentiæ sic ait. *Vulgus quoque assistentium, & affluens, & vagus auditor assuevit jam exigere lætitiam, & pulchritudinem orationis; nec magis perfert in judiciis tristem, & impexam antiquitatem, quàm si quis in scenâ Roscii, aut Turpionis Ambucii exprimere gestus velis*.
Sed de Roscio satis; nunc occurrit alius 7
Ciceronis locus illustrandus, ubi sic loquitur [q] Cicero: *equidem te cum in dicendo semper putavi Deum, tum verò tibi numquam eloquentiæ majorem tribui laudem, quàm humanitatis*; ubi adnotandum est præstantissimos oratores vulgò suspici consuevisse; Homerus hujus rei testis locupletissimus sic [r] loquitur:

Ἄλλος μὲν γάρ τ' εἶδος ἀκιδνότερος πέλει ἀνήρ,
Ἀλλὰ

---

[a] Paulus Manut. in Adag. *Roscius*. [b] Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 14. [c] Macrob. ibid. [d] Idem ibid. [e] Macrobius ibid. [f] Bud. de Ass. libro 2. [g] Plinius libr. 7. cap. 39. [h] Cicero pro Q. Rosc. Comœdo. [i] Macrobius Saturn. libr. 3. cap. 14.

[l] Cicer. apud Macrob. ibid. [m] Cic. pro Q. Rosc. Comœd. [n] Quintil. Inst. Orat. l. 11. c. 3. [o] Horat. Epist. libr. 2. Ep. 1. ad Augustum. [p] Auctor Dial. de causis corr. Eloq. n. 20. [q] Cic. de Orat. libro 2. [r] Homer. Odyss. Θ. v. 169.

Α'λλὰ Θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει: οἱ δὲ τ' ἐς αὐτὸν
Τερπόμενοι λεύσσουσιν: ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει
Αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν,
Ε'ρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ, Θεὸν ὥς, εἰσορόωσιν:

quos ita versus interpretamur:

Ast alius minùs ore nitet, vultuque decoro;
Sed Deus egregiis formam sermonibus ornat;
Vulgus in hunc oculos captus dulcedine linguæ
Convertit; blando perfusus at ille pudore
Fundit opes fandi, præcellit & omnibus unus,
Omnis turba Deum veluti miratur euntem.

Atque ego haud scio an hunc Homeri lo-
8 cum respexerit [a] Cicero, quum Crassum dixit sibi visum in dicendo Deum; appellabant autem Antiqui Deum, quidquid excellit, quidquid eminet, quidquid admiratione dignum est; sicut fœnum, quidquid humile, abjectum contemnendum; hinc [b] Cicero dixit omnes oratores præ Crasso fœnum esse oportere; & Tibullus [c] ait:

Fabula nunc ille est; sed cui sua cura puella est,
Fabula sit mavult, quàm sine amore Deus.

Nam quidquid est homine melius Priscis Deus habebatur; hinc Chrysippus apud Ciceronem a Deo Mundum effectum esse concludit; nam quum Mundus effici hominis ratione, & mente non possit, a quo effectus est Mundus, id homine melius esse fateamur, necesse est; quid autem homine melius, nisi Deus? Hinc Græci Deos [d] τὺς κρείσσονας appellabant, hoc est *meliores*; exempla, quæ multa possent afferri, supersedeo, quia temporis angustiis cogor studere brevitati; non igitur mirum Crassum visum esse in dicendo Deum, quum omnes ejus ætatis homines eloquentiâ superaret. Est & alia causa, sed quæ
9 nihil ad hunc locum pertinet, cur Antiqui Deos appellarent; qui magnum aliquod commodum attulerat, Deos dicebatur; hinc Cicero [e] Lentulum, qui auctor fuerat Ciceronis ab exilio revocandi, suæ salutis Deum vocat; & Lucretius Epicurum, quia animos hominum religione exolverat [f]:

Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicendum est, Deus ille fuit, Deus, inclyte Memmi;

& apud Terentium [g] parasitus eum, qui victum suppeditat, putat habendum præsentem Deum:

Ea qui præbet, non tu hunc habeas planè præsentem Deum?

DISSERTATIO XCI.

Qua, quæ dicit Cicero locis superiùs explicatis, quàm brevissimè recensentur.

Ingenium, an ars plus ad eloquentiam conferat. Cur mediocres oratores, & causidici audiantur; non verò poëtæ. Oratores magni initio pudore, ac timore corripiuntur. Cyrus non ad ea, quæ didicerat, sed ad ea, quæ non didicerat, æquales provocabat.

Quum Ciceronis locos, qui videbantur obscuri, explicare conati simus; Auditores; quum quæstiones, quas noster Auctor attingit, exposuerimus; quum de exercitationibus dicendi, quibus Veteres utebantur, dixerimus; ne quid notitiæ vestræ subtrahamus, hodierno die sententiam complectemur orationis, qua Crassus hæc omnia explicavit. Affirmat igitur [h] Crassus, neque prorsus repudiandam, neque tanti faciendam artem, ut eâ contentam esse putemus eloquentiam; majora ea esse, quibus fretus orator ad dicendum debet accedere; plus quippe quàm artem, prodesse naturam; opus esse ingenio vel acerrimo, memoriâ firmissimâ, opus esse quadam formæ dignitate, linguæ solutione, non injucundo sono vocis, concinno corporis motu, laterum firmitate; quibus si quis omnino careat, in oratorum numerum venire non possit; ad hæc autem inferenda non satis esse artem existimat; ex quibus effici videtur, artem sine naturâ nihil, fine arte plurimom valere naturam. Hic autem locus Ciceronis præbuit occasionem Quinctiliano [i] quæstionem proponendi, quâ quæritur, ars, an natura plus conferat ad eloquentiam; quam vir ille doctissimus ita solvit, ut dicat, ad mediocrem vim, facultatemque dicendi comparandam majus habere momentum naturam; ad summam eloquentiam plus artem prodesse, quàm naturam. Quod non de rhetoricis dumtaxat præceptis debet intelligi; quæ si quis a præceptore non acceperit, possit tamen observando rhetorum opera condiscere; sed de omnibus his, quibus ars, & doctrina dicendi continetur; de usu scilicet, & exercitatione dicendi, de lectione scriptorum optimorum, de cognitione

[a] Cicer. de Orator. libr. 1. [b] Cicer. de Orat. libr. 2. [c] Tibull. Eleg. 3. libr. 2. [d] Cæl. Rhodig. Antiq. Lection. libr. 2. cap. 3. [e] Cicer. in Oratione post reditum in Senat. in princip. & in Orat. ad Quirites post reditum. [f] Lucret. de Natur. rerum libro 5. v. 7. [g] Terent. in Phormion. Act. 2. sc. 2. [h] Crassus apud Ciceron. de Orat. libr. 1. [i] Quintilian. Instit. Orat. libr. 2. cap. 19.

tione artium maximarum, in quibus om-
nibus si quis elaboraverit, quidquid efficiet
in dicendo, id magis arti, quàm naturæ
debebitur. Nam si fingamus duos pari in-
2 genio præditos homines, eoque non vul-
gari, sed excellenti, quorum alter & artis
præcepta cognoverit, & oratorum summo-
rum, eloquentissimorumque monumenta
scriptorum multâ lectione contriverit, &
nullum genus exercitationis prætermiserit,
& in maximis causis agendis ætatem con-
sumpserit, & abundet scientiâ rerum plu-
rimarum, & auxerit memoriam excolen-
do, nec gestum, nec pronunciationem ne-
glexerit; alter nullam unquam disciplinam
didicerit, nec ingenium dicendo exercue-
rit, nec legerit, aut audiverit ullos orato-
res, nec aliorum libros Auctorum evolve-
rit, nec excoluerit memoriam, nec gestus,
aut pronunciationis artem didicerit; majus
intervallum futurum arbitror inter illius
doctissimi viri orationem, & hujus impe-
riti sermonem, quàm inter sermonem hu-
jus, & cujuslibet e vulgo, qui naturali fa-
cultate duntaxat utatur; nam illius oratio
nihil, aut certè parum aberit a summâ
præstantiâ; hujus multum infra mediocri-
tatem sermo consistet. Quod si [a] Horatius
in poëtis putat non minùs artem valere
naturâ; sic enim loquitur:

Naturâ fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est; ego nec studium sine divite
venâ,
Nec rude quid prosit, video, ingenium; al-
terius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amicè;

in oratoribus certè, in quibus ars plus pos-
se, quàm in poëtis videtur, ars naturam
præstabit, dummodo non sint ab ingenio
destituti; nam qui ingenio prorsus caret,
nec artis præsidium sibi potest comparare.
Sed ut ad Ciceronis [b] exponendam sen-
3 tentiam revertamur, multo plures Cicero
eos esse asseverat, qui non possint ad elo-
quentiam, quàm ad aliarum scientiam ar-
tium pervenire; quia in oratoribus plura,
quàm in aliis artificibus, requiruntur; quo-
rum si unum quidpiam desit, omnino, etiam
si abundet ingenium, nec studium, nec ars
dicendi desideretur, nihil effici posset.
Sed ne adolescentes ab eloquentiâ deter-
rere videatur, illud habere commodi con-
firmat oratoriam facultatem, quod orato-
res & si multum infra mediocritatem stete-
rint, tamen & audiuntur, & illâ ipsâ fa-
cultate, quam consequuti sunt, quantula-
cumque ea fuerit, sibi amicitias, & clien-
telas parant, & honores adipiscuntur. Qua-
re censet eos, qui ad summam eloquen-
tiam possunt pervenire, non solùm adhor-
tandos ad eloquentiæ studium, sed etiam
impellendos; eos verò, qui quum omnia
fecerint, in mediocres oratores videntur e-
vasuri, nec adhortandos, nec deterrendos;
qui verò ad dicendum sunt ineptiores, hos
monendos, ut ad aliam artem se se appli-
cent, eloquentiæ studium relinquant. Quod
fecisse Alabandensem [c] Apollonium fe- 4
runt; qui quamvis artem mercede doce-
ret, quos videbat in oratorum numerum
venire non posse, ad quamcumque facul-
tatem idoneos putabat, solebat impellere.
Nec enim permittendum, ut hi, qui sum-
mi oratores possunt evadere, careant tam
divino bono, nec ut hi, qui proficere non
possunt, frustra laborent; humanitatis au-
tem esse non deterrere a studio adolescen-
tes, qui possunt in aliquâ mediocritate ver-
sari; quum locus in foro sit etiam medio-
cribus oratoribus. Cur autem oratores non
boni interdum audiantur, actores fabula-
rum non boni explodantur, eam causam
esse asseverat, quòd actores voluptatis gra-
tiâ duntaxat audiuntur, oratores non item;
sunt enim lites, sunt judicia, quæ nos præ-
bere cogunt aures etiam aliis oratoribus.
Atque hæc causa est, cur mediocres etiam
poëtas aspernemur, causidicos non asper-
nemur; idcirco Horatius [d] dixit:

. . . . hoc tibi dictum
Tolle memor, certis medium, & tolerabile
rebus
Rectè concedi; consultus juris, & actor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalæ, nec scit, quantum Cascellius Aulus,
Sed tamen in pretio est; mediocribus esse
poëtis
Non Dii, non homines, non concessere co-
lumnæ.

Sed Cicero magnis oratoribus non satis es- 5
se putat ab iis attentè audiri, qui necessa-
riò audiunt; sed elaborandum, ut ab iis
libenter audiantur, qui nihil aliud petunt,
quàm animi liberam oblectationem; di-
centibus magnis oratoribus coronæ plau-
sus, & admirationes excitari oportere,
quum volunt, lacrimas, quum volunt, ri-
sum moveri. Illud etiam existimat esse ma-
gni oratoris, initio dicendi commoveri, &
affici quodam pudore, quod sibi continge-
re solitum Cicero pro Ligario testatur, &
Crassum inducit de se prædicentem. Et
sanè Homerus Thersitem, quem loqua-
cem magis, quàm eloquentem volebat in-
telligi, facit non cunctantem, & verecun-
dè, sed temere ad dicendum aggredientem;
at Ulyssem, quem Mortalium eloquentissi-
mum fuisse prædicat, inducit, antequam o-
ratio-

[a] Horat. in Arte Poëtic. [b] Cicero de Oratore libr. 1. [c] Idem Cicero de Oratore libro prim. [d] Horatius in Arte Poëticâ.

rat, nem exordiatur, & cunctabundum, & dejectis in terram oculis, pudoris signa præseferentem; verba clarissimi poëtarum sunt [a] hæc:

> Ἀλλ' ὅτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεὺς
> Στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας:
> Σκῆπτρον δ' οὔτ' ὀπίσω, οὔτε προπρηνὲς ἐνώμα
> Ἀλλ' ἀστεμφὲς ἔχεσκεν ἀΐδρεϊ φωτὶ ἐοικώς.

> *Ast ubi consilio surgebat dives Ulysses,*
> *Stabat, & intento figebat lumine terram,*
> *Nec retro sceptrum regale, nec ante movebat;*
> *Usque sed immotum dextrâ retinebat, in ipso*
> *Ut foret insciti, quum sic Iceteret, imago.*

6 Quod [b] etiam Ovidius libro decimotertio maximi operis observat; qui Ajacem inducit nihil, antequam incipiat, cunctantem, sed indignatione commotum continuò exclamantem; quod quidam imperiti hodieque faciunt, qui sibi videntur eloquentes; qui nullum ornatum exordium existimant, quod non ab aliquâ figurâ vehementi, & concitatâ ducatur; ut non orare, sed insanire videantur, quum principia sedata esse debeant; at Ulyssem paulum morantem [c], & terram intuentem, antequam orationis inducat exordium:

> *... donec Laertius Heros*
> *Adstitit, atque oculos paulum tellure moratos*
> *Sustulit ad proceres, expectatoque resolvit*
> *Ora sono; nec abest facundis gratia dictis.*

Atque hic pudor, timorque, quo magni oratores initio dicendi solent commoveri, si non adsit naturâ, sicut adesse plerumque solet; tamen est simulandus, ut orator de auditorum judicio sollicitus esse videatur, eosque magni æstimare; quos enim suspicimus, eorum præsentiâ commovemur; præterea pudor comendat orationem, impudentia odiosam facit. Illud e-
7 tiam prudenter a Cicerone [d] præcipitur, ut nos nostro modulo metiamur, & nostras vires cognitas habeamus, nec ea conemur, quibus nos impares esse cognoscimus. Cyrus, auctore [e] Xenophonte, quum apud Medos iis artibus erudiretur, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur, non ad ea æquales provocabat, quæ optimè didicisset, sed ea, quorum esset imperitus; ut quum vinci puderet, & risum movere spectatoribus, acriùs animum intenderet, & paulatim eorum, quæ nesciebat, peritiam assequeretur. Atque id discentibus utilissimum est; sed iis, qui non disciplinæ causâ se exercent, sed studia sua in lucem proferunt, & in verum certamen descendunt, non committendum, ut ea tentando, quæ consequi non possunt, rideantur. Itaque oratores, qui sunt idonei dulcibus affectibus commovendis, in his debent suas vires experiri; nec debent, si non sunt apti, tentare, quomodo moveant vehementes illos, & concitatos: qui carent facetiis, & urbanitate debent jocis abstinere, ne non tam eorum dicta, quàm stultitia rideatur, & stomachum magis, quàm risum moveant: qui oratione scitâ, & subtili, non viribus, & nervis valent, non conari debent sententias judicum per vim extorquere; in omnibusque perpendendum [f],

> *... quid ferre recusent,*
> *Quid valeant humeri*

& iis, quæ habemus, utendum; quæ nobis natura negavit, iis prudenter abstinendum est.

DISSERTATIO XCII.

Amore opus est iis, qui ad eloquentiam, & ceteras disciplinas niti concupiscunt.

Archimedes quum deprehendisset, quantum materiæ vilioris in aureâ coronâ Hieronis artifex immiscuisset, nudus e balneo exiluit: & formis describendis inventus est interemptus. Protogenes septem annos, quibus Jalysum pinxit, lupinis victitavit. Carneades veritatis studio cibi, & potionis obliviscebatur; adeo ut familiares cogerentur ingesto in os alimento viri vitam sustentare. Origenes Adamantii cognomen est adeptus ob studiorum assiduitatem.

PErgam hodierno die, sicut hesterno cœperam, explicare ea, quæ Cicero tradit his locis, de quibus hactenus loquuti sumus. His, qui ad summam eloquentiæ gloriam niti concupiscunt, Cicero [g] quemdam amoris ardorem censet assumendum; quod præceptum non utile solùm dicendi studiosis, verùm etiam omnibus, qui ad alicujus artis, ...

[a] Homer. Iliad. γ. v. 217. [b] Ovid. Metam. libro 13. fab. 1. in princ. [c] Ovid. ibid. v. 123. [d] Cic. de [illegible] [e] Xenoph. [illegible] libr. 1. [f] Horat. in Arte Poëticâ. [g] Cicero de Oratore libro primo.

tis, & disciplinæ præstantiam affectant viam; quid enim, præclarum, excellens e-
1 ximium sine amore effici potest? omnes artifices quicumque summam artis gloriam sunt consequuti, amore flagrarunt artificii, quod profitebantur. Quantum enim ardorem fuisse putamus in Archimede mathematicæ disciplinæ, qui[a] quum rationem deprehendendi invenisset, quantum materiæ vilioris in aureâ coronâ Hieronis artifex immiscuisset, nudus exiluit e balneo, quum clamaret, *inveni, inveni*? qui quum captis Syracusis[b] in pulvere geometricas formas describeret, nec ruinâ Patriæ, nec imminenti suo periculo est a studio deterritus; & occisus est a milite ignorante, quis esset, & nomen ejus frustra requirente; quum Archimedes nec suum discrimen videret, nec occupato animo audiret interrogantem. Quantam discendi cupiditatem
2 in Solone[c] credimus exarsisse, qui quum jam animam ageret, & assidentes lectulo amici de re quapiam submissâ voce disputarent, rogavit, ut clariùs loquerentur, seque discentem mori cupere affirmavit? quantum bellicæ virtutis[d] in Themistocle, cui somnos Miltiadis trophæum abrumpebat? quantum[e] in Thucydide studium Historici summi gloriam consequendi; qui quum puer audisset Herodotum novem Musas recitantem, & illacrimavit desiderio, & tantum concepit ardorem, ut numquam conquieverit, antequam parem sibi laudem compararit? [f] Protogenes, quum Jalysum pingeret, quod opus annorum septem spatio elaboravit, lupinis madidis dicitur victitasse; quòd corpus alerent, nec mentem onerarent, & obtunderent; quantus operis amor artifici fuit, cujus consummandi gratiâ summus artifex omni epularum voluptate se se tandiu abdicavit? Carneades indagandæ veritatis tan-
3 to studio tenebatur, ut in contemplatione rerum[g] occupatum cibi, & potionis caperet oblivio; & ejus amici, & familiares cogerentur ingesto in os alimento viri vitam sustentare. Origines tanto amore studiorum, quibus a puero deditus fuerat, exarsit, ut labores, quos pertulit, fide majores esse videantur; quod [h] Adamantii cognomen, quod adeptus est, apertè declarat. Nullus denique magnus vir in ullâ disciplinâ excellentem est gloriam consequutus, qui non animo ardorem quemdam amoris conceperit. Ideo Athenienses[i] primam Amo-
ri aram in Academiâ dedicarunt; ut ibi 4
Amor coleretur, ubi studia disciplinarum celebrabantur; quibus amor in primis est necessarius. Nam licèt non me fugiat Charmum[l] Atheniensem, quum amaret adolescentulum, suis deliciis potitum, ut Amori se gratum ostenderet, hanc aram statuisse; tamen nihil prohibet hanc a Charmo constitutam, ut esset & suarum voluptatum monimentum, documentumque, quo, quid ad disciplinas maximè prosit, doceremur. Neque enim Athenienses in tam celebri loco sivissent collocari, si libidinum testem esse credidissent, & non honesti amoris, & virtutis incitamentum; neque ibi tam petulantis intemperantiæ memoriam extare voluissent, ubi propter loci sanctitatem, ne effusè quidem[m] ridere, Æliano teste, concedebant. Sed profectò consentaneum judicarunt ibi Amorem coli, ubi disciplinæ colebantur, quæ sine amoris ardore frigent, & obsolescunt; nisi enim ames artem, artificio præstare non possis. Qui se cupiunt scientiâ ceteris eminere, omnem lapidem movere debent, nihil intentatum relinquere; quàm igitur amore est ipsis opus, quem παντὸς ἔργου ἐπιχειρητὴν doctissimi viri appellarunt; quòd omnia aggrediatur, numquam conquiescat, priusquam id, quod concupivit, assequatur; nihil asperum, nihil arduum ducat, nullo labore, nullo periculo deterreatur? Quod si opus est incenso studio, & cupiditate discendi ad alias disciplinas, quanto magis erit opus ad dicendi facultatem com- 5
parandam, quæ propter magnitudinem plus operæ, studiique desiderat? Nec verò studium prodest disciplinæ, si viam nescimus, quæ ad eam ducat; quapropter præcepta dicendi haudquaquam negligenda. Hic summatim tradit ea, quæ rhetores de arte præceperunt, officium esse, & munus oratoris dicere appositè[n] ad persuadendum; omnem orationem haberi, vel de infinitæ rei quæstione, quæ nullis certis personis continetur, vel de re, quæ certis personis definitur; illam Thesin[o] Græci vocant, Cicero propositum posse nominari ait; hanc Hypothesin, Cicero causam appel-

[a] Vitruvius libr. 9. capit. 3. hoc Hieroni accidisse confirmat, Proclus autem libr. 2. cap. 3. Geloni Regi. [b] Valerius Maxim. libr. 8. cap. 7. & Tit. Livius libr. 25. [c] Valerius Maxim. libr. 8. cap. 7. [d] Plutarchus, & Cornelius Nep. in Vitâ Themistoclis. [e] Suidas in V. Θουκυδίδης, Marcellin. in Vit. Thucydidis, & Photius in Bibliothec. codic. 60. [f] Plinius libr. 35. cap. 10. Natur. Histor. & Aul. Gellius libr. 15. cap. 31. [g] Valer. Maxim. libr. 8. cap. 7. [h] Suidas in V. Ὠριγένης, Phot. in Biblioth. cod. 118. & 231. Epiph. Hær. 64. cap. 73. & D. Hieronymus ad Paulam Epist. 29. Edit. Parisiensis 1706. [i] Pausanias in Atticis, sive libro 1. [l] Idem Pausan. ibid. [m] Ælianus Var. Histor. libr. 3. cap. 35. [n] Cicero de Oratore libro 1. & Quintilianus Instit. Orator. libro 2. cap. 15. [o] Vid. Dissertat. LXXXIV. in Ciceron. num. 7. & Cicer. in Topicis ad Trebat. & in Oratore ad Marcum Brutum.

appellavit. Illius exemplum poteſt eſſe ea
6 quæſtio, qua quæritur, an liceat civem in-
demnatum aliquando occidere; hujus ea,
qua diſputatur, an jure Cajum Gracchum
Reipublicæ ſtatum labefactantem Opimius
Conſul occiderit; nam illic nulla perſona
deſignatur, hîc Lucius Opimius Conſul.
Cicero[a] tamen alibi hanc rhetorum diviſio-
nem reprehendit, & affirmat omnem Hy-
potheſin ad Theſin revocari, quod eſt ve-
rum; nam quum diſceptatur, an jure Grac-
chum Opimius interfecerit, ſimul id quæri-
tur, an aliquis, qui gerat ſummum magiſtra-
tum, jure poſſit ea molientem civem, quæ
perniciem Reipublicæ ſunt allatura, truci-
dare; quapropter non de Opimio ſolùm,
ſed de univerſo genere diſputatur; ſed
præcepta rhetorum non ſunt ad ſeveriſ-
ſimas philoſophorum leges exigenda. Pu-
tat autem Cicero eas orationes, quæ ab 7
Hypotheſi ad Theſin crebrò revocantur,
hoc eſt, quæ locis communibus abundant,
eſſe ornatiſſimas, eo quod, quum de uni-
verſo genere quæritur, latiùs, & lætiùs ex-
patietur oratio, quàm quum ad certas per-
ſonas deducitur, & in anguſtum cogitur.
In omni verò quæſtione, ſive infinitâ, ſive
certis perſonis, & temporibus circumcluſâ
vel quæri, factum ne ſit, an contra; vel
quale ſit id, quod factum fateamur, aut quo
nomine ſit appellandum; exempli gratiâ,
quum Cicero defendit Roſcium Ameri-
num[b] negat a Roſcio parricidium, cujus
reus arceſſebatur, eſſe commiſſum.

Finis Tomi Secundi.



AU-

[a] Cicer. in Topicis ad Trebat. & in Orator. ad Marcum Brutum. [b] Idem Cic. in Oratione pro Sexto Roſcio Amerino.



AUCTORES

Post Operis editionem reperti, quibus ea, quæ in Dissertationibus traduntur, confirmantur.

IN ANTHOLOGIAM.

DIssertatio II. pag. 4. litt. *f.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Inus dolores.*

Litt. *i.* Adde Petr. Fabr. Agonist. libr. 1. cap. 16. paulo post initium, & libro 2 cap. 23. circa medium, Vid. Diss. 5. in Anthol. pag. 11. litt. *b.*

Litt. *n.* Adde Petr. Fabr. Agon. sive de Re Athlet. libr. 2. cap. 16. in princip.

Litt. *o.* Adde Pind. Olymp. Od. 2. vers. 5. & Od. 10. v. 30.

Num. 4. *qui fuit unus ex Idæis Dactylis* Lil. Greg Gyr. de Deis Gent. Synt. 1. pag. 24. vers. 17. & Syntagm. 10. pagin. 319. vers. 12. Vid. Diss. 7. in Anthologiam n. 7. & Diss. 8. in Anth. num. 5.

Num. 4 *Quòd fratres Curetes quinque fuerint* Gyrald. de Deis Gent. syntagm. 1. pag. 24. vers. 16. in Edit. Basil.

Num. 6. *victores oleastro coronabantur* Petr. Fab. Agonisticon, sive de Re Athleticâ libro 2. cap 23. in princip.

Pag. 5. litt. *f.* Adde Petr. Fabr. Agonist. libro 1 cap. 4. paulo post principium, & cap. 25. in not. marginal. litt. c. pag. 86. editionis Lugdun. Anni 1592.

Litt. *b.* Adde Petr. Fabr ibidem.

Num. 8 *hoc Leophron victor* Petr. Fab. ibid.

Num. 8. *hoc Empedocles ipse philosophus* Petrus Fab. ibid.

Num. 10. *Neque verò certamina cursus improbentur* Petrus Fab. de Re Athlet. libro 1. cap. 2.

Pag. 6. litt. *b.* Adde Petr. Fab. Agon. libr. 1. cap. 2 & libro 3. c. 1. circa medium, & Diss. 12. in Anthol. num. 7.

Litt. *i.* Adde Plin. libr. 16. cap. 4 circa medium, Angel. Polit. in Miscellan. capit. 99. Petr. Fabr. Agonistic. libro 2. capit. 10. in princip.

Dissertatio III. pag. 7. litt. *c.* Adde Cic. de Divinat. libro 2.

Num. 7. *Initio nihil aliud fuisse Pythia, nisi certamen poëtarum* Petr. Faber de Re Athlet. libro 1. cap. 24. in princ.

Num. 8. *Stephanites* Petr. Fab. libro 2. cap. 9. in principio, & cap. 16. prope finem de Re Athleticâ.

Dissertat. IV. n. 2. *in honorem Palæmonis* Paul. Manut. in Adag. *Inus dolores.*

Num. 2. *in Isthmiis Melicertam* Petr. Fab. Agonist. libr. 1. cap. 16. paulo post init.

Pag. 10. litt. *g.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Non est cujuslibet Corinthum appellere.*

Litt. *i.* Adde Petr. Fabr. de Re Athletic. libro 2. cap. 15. in fine.

Dissertatio V. num. 2. *Palæmoni Isthmiorum certamen sacrum esse confirmat* Paul. Manut. in Adag. *Inus dolores.*

Pag. 11. litt. *d.* Adde Petr. Fabr. Agonist. libr. 1. cap. 16. paulo post initium.

Litt. *g.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 2. cap. 23. in fine, & Diss. 6. in Anthologiam num. 2.

Litt. *b.* Adde Petr. Fabr. libr. 1. c. 16. paulo post initium, & libro 2. cap. 23. circa medium, Vid. Dissert. 2. in Antholog. pag. 4. litt. *i.*

Pag. 11. litt. *l.* Adde Petr. Fabr. Agonist. libro 1. cap. 17. in medio.

Num. 4. *Isthmios ludos Neptuni Trieteridem vocat* Petr. Faber libro 2. cap. 23. de Re Athleticâ.

Pag. 11. litt. *o.* Adde Petr. Fabr. Agonist. libro 2. cap. 23.

Litt. *p.* Adde Petr. Fabr. ibidem.

Pag. 12. litt. *a.* Adde Petr. Fabr. ibid.

Litt. *b.* Adde Gyrald de Deis Gent. syntagmat. 17. pag. 513. vers. 30.

Dis-

Dissertatio VI. pag. 13. litt. *a.* Adde Petr. Fabr. Agonist. libr. 2. cap. 23. in fine.

Num. 1. *hæc ex apio viridi constabat* Petr. Fab. libr. 2. cap. 23. de Re Athleticâ.

Num. 2. *Jovi sacravit* Petr. Fab. ibid. Diss. 5. in Antholog. num. 2.

Num. 2. *sede Lunâ cecidisse* Epimenides Apud Ælian. Hist. Anim. l. 12. cap. 7.

Pag. 14. litt. *m.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libro 2. cap. 19. in princip. & Diss. 37. in Thucydidem num. 8.

Num. 9. *Equum Sejanum* Vid. Paul. Man. in Adag. *Equus Sejanus*.

Pag. 14. litt. *u.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libro 2. cap. 28. prope finem.

Num. 10. *statuis donatos equos victores accepimus* Petr. Fab. ibidem.

Num. 10. *ætate confectis* Petr. Fab. ibid.

Num. 11. *cursores, hoc est Stadiodromi in annis recensendis memorabantur* Petrus Fab. Agonist. libr. 3. cap. 23. prope finem.

Num. 12. *certamina cursus in Olympicis ludis priusquam alia sunt instituta, & omnium fuit vetustissima* Petr. Fab. libr. 1. cap. 23. in princip. de Re Athlet.

Pag. 15. litt. *d.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Herculis ædem mulier non intrat*.

Litt. *f.* Adde Petr. Fabr. de Re Athlet. libro 1. cap. 2. Vid. Diss. 15. in Thucyd. num. 19.

Litt. *g.* Adde Hieronym. Mercur. de Arte Gymnast. libr. 1. cap. 15. in fine.

Litt. *h.* Adde Mercurial. ibidem.

Num. 14. *sese Argis oriundum esse probare coactus fuit* Petr. Fab. Agonistic. libro 3. cap. 12. prope finem.

Num. 15. *sed eorum Patriæ coronabantur* Plin. libr. 16. cap. 4. prope med. Petr. Fab. Agonistic. libr. 1. cap. 2. in princ. & libr. 2. cap. 14. circa medium.

Pag. 15. litt. *r.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libro 2. cap. 16. in principio.

Pag. 16. litt. *m.* Adde Petr. Fabr. Agonist. libro 1. cap. 9. in not. margin. ann. pag. 32. litt. B. in Edit. Lugdun. ann. 1592. Hieron. Mercur. de Arte Gymnast. libr. 3. capit. 5. & libr. 6. capit. 3. in princip. Erasm. in Adag. Chiliad. 1. Cent. 9. Adag. 94.

Dissertatio VII. pag. 16. litt. *n.* Adde Paulum Manut. in Adag. *Jovis Germen*, & in Adag. *Neptuni, sive maris filii*.

Pag. 17. litt. *b.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 1. cap. 13. circa medium, & in not. marginal. litt. C. pag. 44. edition. Lugd. Anni 1592. & cap. 16. prope fin.

Pag. 18. litt. *o.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Alter Hercules*.

Num. 7. *Tertius ex Idæis Dactylis* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. pag. 24. vers. 17. & Syntagm. 10. pagin. 319. vers. 12. Vide Differt. 8. in Anthol. num. 5.

Pag. 18. litt. *q.* Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 24. in princip.

Pag. 19. litt. *l.* Adde Polit. in Miscell. c. 12.

Litt. *s.* Adde Paulum Manium in Adag. *Mercurii catena* Petr. Fabr. Agonist. libro 1. cap. 17. & Lil. Gregor. Gyrald. de Deis Gent. Syntagmat. 10. pagin. 318. vers. 40.

Dissertatio VIII. pag. 20. litt. *b.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Alter Hercules*.

Litt. *i.* Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12. in medio.

Litt. *p.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 1. cap. 17. in medio, Gyrald. de Deis Gent. Sync. 10. pag. 316. vers. 50. & Julianum Imperator. Orat. 6. Vide Differtat. 8. in Anthologiam num. 7.

Pag. 21. litt. *b.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Mercurii catena*.

Litt. *i.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. pag. 24. vers. 17. & Syntagmat. 19. pag. 319. vers. 12. Vide Differt. 7. in Anthōlog. num. 7.

Num. 7. *quum constet aliquem Herculem philosophum, & sapientem fuisse* Gyraldus de Deis Gent. Syntagm. 10. pagin. 316. vers. 50. Vid. Diss. 8. in Anth. n. 2.

Num. 7. *Callimachus dicere solebat, magnum librum, magnum malum esse* Athen. libr. 3. cap. 1. Callim. in Fragmentis a Richardo Bentl. collectis fragment. 359.

Dissertatio IX. num. 2. *constat Herculem aliquem voluptatum studiosum fuisse* Macrob. Saturnal. libr. 5. cap. 2.

Pag. 22. litt. *g.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Herculani lecti*.

Litt *i.* Adde Paulum Manutium In Adag. *Hercules hospitautr*, & in Adag. *Larus*.

Litt. *l.* Adde Paul. Manut. iisdem locis.

Num. 3. *Herculem convivio excipit* Paulus Manut. in Adag. *Hercules hospitatur*.

Pag. 23. litt. *c.* Adde Paul. Man. in Ad. *Non decet Principem solidam dormire noctem*.

Num. 7. *Alexicacon appellabant* Gyrald. de Deis Gent. Syntagmat. 10. de Hercul. pag. 322 vers. 33.

Num. 8. *ac Thuron, antequam Mars vocaretur, appellatum* Paulus Manut. in Adag. *Thurium lema*.

Num. 9. *quo maximè modo Herculi sacra fiebant* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 17. pag. 521. vers. 23.

Pag. 24. litt. *g.* Adde Hieron. Mercur. de Art. Gymnast. libr. 3. cap. 3. circa med. & Diss. 24. in Euripid. pag. 464. litt. *d.*

Litt. *h.* Adde Gyrald. ibid. v. 25.

Litt. *l.* Adde Gyrald. ibid. vers. 28.

Litt. *m.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Herculis Ædem mulier non intrat* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 17. pag. 521. v. 42.

Num. 10. *ejiciebantur autem ex Urbe canes, quo tempore Herculi sacrificia publicè fiebant*

bani Gyrald. de Deis Gent. Syntagmat. 17. pag. 521. verf. 29.

Pag. 24. litt. *o*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Herculis quaestus* Gyrald. Syntagmat. 17. pag. 521. verf. 30. de Deis Gent.

Dissertatio X. pag. 25. litt. *b*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Orci Galea*.

Litt. *i*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Gorgonem Perseus aggreditur*, & in Adag. *Tamquam Gorgone conspectâ*.

Litt. *o*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Sardanapalus*.

Litt. *p*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Ne crepitu quidem digiti dignum*.

Num. 5. *carceres in principio stadii, circiquè fuisse loca tabulatis conclusa* Petr. Fab. libr. 2. c. 7. in med. de Re Athleticâ.

Num. 6. *vel βαλβὶς* dicitur Petr. Fab. Agonist. libr. 2. cap. 7. circa med. & cap. 34. prope med. & Diss. 20. in Cicer. num. 8.

Pag. 26. litt. *f*. Adde Paul. Manut. in Adag. *A lineâ incipere*.

Pag. 28. litt. *g*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 7. pag. 214 verf. 34. Vid. Dissert. 38. in Thucyd. num. 6.

Litt. *b*. Adde Gyrald. ibid. pag. 215. v. 9.

Num. 14. *Siculi Libyssinum Apollinem sunt eximiâ religione venerati* Macrob. Saturnal. libro 1. capit. 17. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 7. de Apolline pag. 216. verf. 2.

Pag. 28. litt. *l*. Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 17. Gyrald. Syntagm. 7. pag. 214. verf. 38. de Deis Gent.

Num. 15. *Homerus frequenter eos, qui morbo affecti decesserunt, à Dianâ tradit esse vulneratos* Homer. Odyss. Λ. verf. 171. & O. v. 409.

Pag. 29. litt. *d*. Adde Gyr. de Deis Gent. Syntagm. 2. de Jove pag. 95. v. 22.

Pag. 30. num. 23. litt. *a*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 2. de Jove pagin. 98. verf. 47.

Num. 25. *exemplum sumere oporteret & Reges terrarum* Paul. Manut. in Adag. *Aut Regem, aut fatuum nasci oportere*.

Dissertatio XI. pag. 32. litt. *c*. Adde Paulum Manut. in Adag. *Abiit & taurus in silvam*.

Litt. *e*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 12. de Dianâ pag. 358. verf. 48.

Litt. *g*. Adde Gyrald. ibid. pagin. 359. verf. 29. & 31.

Num. 2. *carmen in victoriam compositum* Petrus Fab. Agonistic. libr. 1. cap. 29. circa med. & libr. 2. c. 11. circa med.

Pag. 33. litt. *p*. Adde Dempster. ad Rosin. libr. 2. cap. 8. de Sole, & Lunâ in princip. Vid. Dissert. 2. in Euripid. num. 6. & Diss. 3. in Eurip. num. 6.

Litt. *q*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Endymionis somnum dormis*.

Pag. 34. litt. *d*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Titanicus aspectus*.

Litt. *i*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Parturient montes, nascetur ridiculus mus*.

Dissertatio XII. pag. 35. litt. *n*. Adde Mercur. de Arte Gymnast. libr. 2. cap. 9. in fine.

Litt. *o*. Adde Paulum Man. in Adag. *Dares Entellum provocas*.

Pag. 36. litt. *c*. Adde Mercur. de Art. Gymnasticâ libr. 1. cap. 15. in princ.

Num. 5. *a Venere abstinerent* Mercur. ibid. prope finem.

Pag. 36. litt. *s*. Adde Petr. Fabr. Agonistic. libro 3. capit. 1. circa med. & cap. 3. in princip. Hieronymum Mercurial. libro 1. cap. 15. circa princip. de Arte Gymnasticâ.

Litt. *m*. Adde Mercur. ibid. in fin.

Num. 7. *a nobilissimis Medicorum improbatur* Petr. Fab. libro 1. cap. 2. & libr. 3. cap. 1. circa med. de Re Athletic. Vide Diss. 2. in Antholog. num. 10.

Dissertatio XIII. pag. 37. litt. *b*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Nihil ad Bacchum*.

Litt. *n*. Adde Paul. Man. in Adag. *Aquam bibens nihil boni paries*.

Pag. 38. litt. *e*. Adde Gulielm. Budæum in Pandect. ad L. Athletas.

Litt. *b*. Adde Plin. Naturalis Historiæ libr. 7. cap. 29.

Litt. *m*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Musicam docet amor*.

Dissertatio XIV. pag. 41. litt. *b*. Adde Paulum Man. in Adag. *Perdidisti vinum infusâ aquâ*.

Litt. *c*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Lucernam olet*.

Litt. *d*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 8. pag. 275. verf. 48. sed Paul. Manut. in Adag. *Perdidisti vinum infusâ aquâ*, tribuit hoc Staphilio.

Dissertatio XV. num. 1. *quo frequenter sunt praeditæ mulieres* Paul. Manut. in Adag. *Feminâ nihil pestilentius*, & in Adag. *Qui non litigat, cælebs est*.

Num. 2. *præsertim quum inciderit in ingenium malum, pravumque, quo frequenter sunt præditæ mulieres* Homerus Odyss. Λ. verf. 426.

Pag. 42. litt. *b*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Ignis, mare, mulier, tria mala*.

Num. 4. *quòd omnium Deorum donis esset ornata, Pandoram appellarunt* Paul. Manut. in Adag. *Malo accepto stultus sapit*.

Pag. 43. litt. *a*. Adde Paul. Manut. ibid.

Litt. *b*. Adde Paul. Manut. ibid.

Litt. *o*. Adde Pindarum Isthmior. Od. 8. verf. 69. Qui Themidem, non Prometheum vaticinatum esse tradit.

Litt. *q*. Adde Lilium Gregorium Gyrald. de Annis, & Mensibus pag. 140. in princip. in Edit. Basil. anni 1541. Dempster.

ad Rosin. libr. 2. cap. 11. de Cerere Paul. Man. in Adag. *Cursu lampada trado*, Vid. Differt. 17. in Thucyd. num. 2.

Num. 8. *Verum quippe curis exurere* Paulus Man. in Adag. *Qui non litigat, cælebs est.*

Num. 9. *insuperabilem exercitum fore, qui ex amatis, & amantibus constaret* Plato in Conviv. ferè in princip. Xenophon in Conviv. Athen. libr. 5. cap. 17.

Pag. 44. litt. *l.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 1. cap. 27. in fine.

Pag. 45. litt. *b.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Qui non litigat, cælebs est.*

Num. 12. *bonarum quoque est molesta societas* Paul. Manut. ibid.

Num. 12. *garrulitas, & loquacitas* Paul. Manut. in Adag. *Una clamore Neadas superat.*

Pag. 45. litt. *b.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Cribro aquam haurire.*

Pag. 47. litt. *b.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 3. cap. 12. in princip.

Num. 24. *ut non sine ratione poëtæ finxisse videantur Martem a Junone sine viri operâ esse procreatum* Gyraldus de Deis Gent. Syntagm. 10. pag. 306. v. 52.

Differtatio XVII. pag. 52. litt. *b.* Adde Hieronym. Mercurial. de Arte Gymnasticâ libr. 2. cap. 6. prope finem.

Num. 2. *Pyrricham saltationem* Paul. Manut. in Ad. *Camelus Pyrrhicam didicerit.*

Pag. 53. litt. *g.* Adde Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 14

Num. 6. *histrio librum conscripsit* Macrob. Saturnal. ibid.

Pag. 53. litt. *i.* Adde Dempster. ad Rosin. libr. 4. cap. 4. pag. 161. Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 9. licèt de Mundo agat.

Litt. *l.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 1. pag. 39. verf. 14.

Litt. *m.* Adde Gyrald. ibid. v. 13.

Differtatio XVIII. pag. 55. litt. *a.* Adde Rosin. libr. 3. cap. 20. de Saliis Palatinis.

Num. 3 *Saltatores appellabantur cynædi* Paul. Manut. in Adag. *Spongiâ mollior.*

Num. 3. *L. Licinius Crassus ejus Crassi filius, qui a Parthis est interemptus* Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 14. in fin.

Differtatio XIX. pag. 57. litt. *c.* Adde Dempsterum ad Rosin. libr. 1. de Templo D. Julii, & Venere Anadyomene pag. 36.

Num. 3. *Cestum, quo amabilitas* Paul. Man. in Adag. *Cestum habent Veneris.*

Num. 4. *quæ Astarte vocatur* Gyraldus de Deis Gent. Syntagm. 1. de Deis Topicis pag. 64. verf. 9. & Syntagm. 13. pag. 376. verf. 52.

Differtatio XXI. num. 6. *varietas* Paul. Manut. in Adag. *Jucunda vicissitudo rerum.*

Differtatio XXII. pag. 63. litt. *i.* Adde Ælian. de Animal. libr. 8. cap. 3.

Pag. 64 litt. *g.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 7. pag. 237. verf. 40. Dempst. ad Rosin. libr. 2. cap. 7. de Apollin. cognomin. & Oraculis pag. 86. Vide Diff. 41. in Virgil. num. 16.

Num. 7. *Diipolia appellabant* Gyraldus de Deis Gent. Syntagm. 2. de Jove pagin. 100. verf. 19. & Syntagm. 17. pag. 477. verf. 46.

Num. 8. *ea sacra Buphonia sunt appellata* Gyraldus de Deis Gent. Syntagm. 17. pag. 477. verf. 37.

Pag. 64. litt. *f.* Adde Gyrald. ibid. v. 38.

Num. 8 *Jovis Poliei* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 2. de Jove pag. 102. verf. 19. & Syntagm. 17. pag. 477. verf. 38. 39. 46.

Differtatio XXIII. num. 4. *Oraculum autem Sybaritis* Paul. Manut. in Adag. *Sybaritica calamitas.*

Pag. 67. litt. *f.* Adde Just. Lipsium Physiologiæ Stoicorum libr. 3. diff. 14.

Differtatio XXIV. pag. 69. litt. *i.* Adde Dempsterum ad Rosin. libr. 10. capit. 29. de Triumphis pag. 420.

Pag. 70. litt. *c.* Adde Justum Lipsium Physiologiæ Stoic. libr. 1. diff. 19. paulo post princip. Paul. Manut. in Adag. *Jovem lapidem jurare*, Erasm. in Adag. Chiliad. 2. Cent. 6. Adag. 33.

Litt. *i.* Adde Dempsterum ad Rosin. libro 3. cap. 18. de Apotheosi Imperator. Roman.

Differtatio XXV. pag. 72. litt. *b.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Prolestrius scriptor.*

Differtatio XXVI. numer. 3. *post Telchinas* Paul. Manut. in Adag. *Novi Simonem, & Simon me.*

Num. 3. *quòd Telchines ipsam habitarent* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. pag. 23. verf. 40. & pag. 24. verf. 1.

Pag. 74. litt. *t.* Adde Dempsterum ad Rosin. libr. 10. cap. 29. de Signis militaribus pag. 437.

Litt. *x.* Adde Dempster. ibid.

Litt. *y.* Adde Dempsterum ibid.

Differtatio XXVII. pag. 75. litt. *b.* Adde Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 11.

Litt. *i.* Adde Macrob. in Somn. Scipion. libr. 1. cap. 10. & 11.

Differtatio XXIX. pag. 79. litt. *n.* Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12.

Pag. 80. litt. *f.* Adde Polit. in Miscell. cap. 5. Paul. Manut. in Adag. *Darei equi speciem præfert.*

Differtatio XXX. pag. 82. litt. *e.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Ne crepitu quidem digiti dignum*, & in Adag. *Sardanapalus.*

Differtat. XXXI. pag. 83. litt. *b.* Adde Senec. Epist. 92. in fin.

Litt. *o.* Adde Rosin. Antiq. Roman. libr. 4. de Dieb. Fest. non stat. aut cert. temp. celebr. cap. 17. de Novendiali Sacro.

Pag. 84. litt. *b.* Adde Paul. Man. in Adag. *A Fabis abstineto* prope finem.

Dif-

Differtatio XXXII. num. 1. *hæc vita, quam vivimus, mors quædam* Macr. in Somn. Scipion. libr. 1. cap. 11.

Pag. 85. litter. *b.* Adde Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 10.

Num. 2. versus Græcus est in Anthologiâ libr. 2. Convivalium jocorum Epigr. 3.

Pag. 85. litt. *f.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Sanguis, & anima.*

Pag. 87 litt. *d.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Danace.*

Differtatio XXXIII. num. 2. *Cæcus, & claudus fingitur* Paul. Manut. in Adag. *Paupertas sapientiam sortita est.*

Differtatio XXXIV. num. 2. *Alexander ille Macedo, qui inter spolia Darii Regis Persarum quum scrinium cepisset unguenti auro, gemmisque, & magaritis pretiosum, varios ejus usus amicis demonstrantibus, quòd tæderet unguenti bellatorem, & militiâ sordidum, immò, inquit, Homeri librorum custodiæ detur.* Plin. Nat. Histor. libr. 7. cap. 29. & libr. 13. cap. 1. in principio.

Pag. 91. litt. *p.* Adde Hieron. Mercur. de Arte Gymnasticâ libr. 1. capit. 10. in princip.

Differt. XXXV. num. 1. *Coronas ab Antiquis ad convivia, voluptatemque translatas* Paul. Manut. in Adag *Coronam quidem gestans, cæterùm siti perditus.*

Pag. 92. litt. *b.* Adde Mercurial. de Arte Gymnastic. libr. 1. cap. 11. circa med.

Diff. XXXVI. pag 95. litt. *f.* Adde Paul. Man. in Adag. *Ogygia mala*, Vid. Differt. 5. in Thucydidem pag. 238. litt. *c.*

Num. 5. *Cererem non aliam esse, quàm Lunam.* Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12. circa med.

Num. 6. *eundem Solem esse, ac Liberum Patrem, Herculem* Lil. Gregor. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 10. de Hercule pag. 316. vers. 49.

Pag. 95. litt. *g.* Adde Macrob Saturnal. libr. 1. capit. 18. 19. & capit. 20. prope med.

Num. 6. Δημήτηρ quasi γημήτηρ Gyrald de Deis Gent. Syntagm. 14. de Cerere pag. 406. vers. 31.

Differtatio XXXVIII pag. 98. litt. *d.* Adde Gyrald. de Deis Genr. Syntagm. 1. pag. 22. vers. 17.

Litt. *f.* Adde Gyrald. ibid. vers. 42.

Litt. *i.* Adde Gyrald. ididem vers. 36.

Litt. *l.* Adde Gyrald. ibid. vers. 37. & Syntagm. 9. de Mercurio pag. 298. vers. 8.

Num. 2. *nam Bonam Deam non aliam, quàm Terram fuisse memoriæ proditum est* Lil. Greg. Gyrald. de Annis, & Mensibus pag. 78. in princip. Vide Differt. 31. in Liv. num. 31.

Pag. 98. litt. *m.* Adde Rosinum Antiquit. Rom. II. Roman. libr. 2. cap. 19. vers. *Bona*, & libro 3. cap. 26.

Pag. 99. litt. *l.* Adde Macrobium in Somn. Scipion. libr. 1. cap. 2. in fin.

Num. 7. *& Bonæ Deæ, quæ eadem Telluri habebatur* Gyraldus de Annis, & Mensib. pag. 78. in principio, Vide Differt. 31. in Liv. num. 31.

Differtatio XXXIX. num. 6. *quòd ea libidinis ardorem extinguere existimatur* Paul. Manut. in Adag. *Vitex floret, & Botrus maturuit* Gyrald. de Deis Genr. Syntagm. 14. pag. 412. vers. 1. Plin. libro 24. cap. 9. paulo post princip.

Pag. 101. litt. *f.* Adde Rosin. Antiquit. Roman. libro 4. cap. 17. vers. *Bacchanalia.*

Litt. *g.* Adde Angel. Politian. in Miscell. cap. 10. in med.

Litt. *i.* Adde Gyrald. de Deis Genr. Syntagm. 6. de Proserpinâ pag. 201. v. 12.

Differtatio XL. pag. 105. litt. *a.* Adde Justum Lipsium Physiol. Stoic. libr. 1. Diff. 8.

Num. 11. *ut Stoici nihil aliud esse putaverint animam, quàm cœlestis ignis particulam, e stellisque nostros animos haustos esse* Justus Lipsius Physiol. Stoic. libro 3. Diff. 8. Vide Differt. 10. in Euripid. pag. 418. litter. *a.*

Differtatio XLI. pag. 107. litt. *z.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Hostium munera non munera.*

Differtat. XLII. pag. 109 litt. *m.* Adde Dempsterum ad Rosin. libro 10. cap. 29. pag. 430.

Litt. *f.* Adde Dempst. ibid. pag. 432.

Pagin. 110. litt. *l.* Adde Dempster. ibidem pag 431.

Litt. *q.* Adde Just. Lipsium de Vestalibus cap. 12.

Pag. 111. litt. *d.* Adde Dempster. ad Rosin. libr. 10. cap. 29. pag. 432.

Litt. *e.* Adde Dempster. ibid.

Differtatio XLIII. pag. 112. litt. *b.* Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 21. circa med.

Litt. *b.* Adde Paulum Manutium in Adag. *Circulator Cybelejus.*

Pag. 113. litt. *e.* Adde Just. Lipf. Physiolog. Stoic. libr. 2. Diff. 18. in princ.

Num. 8. *colligit Justus Lipsius varias de hominis ortu sapientum opiniones* Just. Lipf. Physiolog. Stoic. libr. 3. cap. 4.

Num. 9. *unde enim factum est, ut ii, quorum parentes ignorarentur, terræ filii dicerentur?* Angel. Politian. in Miscellan. cap. 18. per totum.

Pag. 114. litt. *a.* Adde Politian. eodem cap. 18. in fine.

Litt. *d.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Macilentior Leotrephide.*

Num. 14. *animum igneâ naturâ constantem* Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 14.

Num. 14. *ingenti aliquo ruinæ impetu posse puta-*

putabant dissipari Just. Lipf. Physiologiæ Stoic. libro 3. cap. 11. circa med.

Differtat. XLIV. pag. 115. litt. *d.* Adde Dempster. ad Rosin. libr. 1. capit. 13. de Æde Honoris, & Virtutis.

Num. 5. *Δαίμονες appellati sunt, quasi δαήμονες, idest scientes* Macrobius Saturnal. libr. 1. cap. 24 circa princip. Just. Lipf. Physiolog. Stoic. libr. 1. Differtatio 19. in princip. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 15. pag. 421. verf. 7.

Pag. 116. litt. *x.* Adde Paul. Man. in Adag. *Sine Cerere, & Baccho friget Venus.*

Num. 7. pag. 116. litt. *a.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 8. de Baccho pag. 262. verf. 16. Vide Differt. 32. in Virgilium num. 4.

Num. 8. *non oportet temere de Diis maledicere* Pindar. Olymp. Od. 1. verf. 82.

Pag. 117. litt. *m.* Adde Gyrald. Syntagm. 8. de Baccho pag. 272. verf. 18.

Litt. *n.* Adde Gyrald. ibid. v. 22. & 26.

Differtatio XLV. num. 5. *panici nuncupentur* Paul. Manut. in Adag. *Panicus casus.*

Num. 6. *sciendum est igitur Dionysos quinque a Cicerone libr. 3. de Naturâ Deorum numerari* Gyrald. de Deis Gent. Synt. 8. de Baccho pag. 260. verf. 40.

Num. 6. *cui Sabazia sunt instituta* Gyrald. de Deis Gent. Syntagmat. 8. de Baccho pag. 269. verf. 22. Rosin. Antiquit. Roman. libr. 2. de Libero Patre, sive Baccho, & Cerere cap. 13. in princ.

Num. 8. *apud Arabas Adonei nomine* Gyraldus de Deis Gent. Syntagm. 8. pag. 282. verf. 13. 21. & 23.

Differtatio XLVI. pag. 121. litt. *a.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 8. de Baccho pag. 275. verf. 48. sed Paul. Manut. in Adag. *Perdidisti vinum infusâ aquâ:* hoc tribuit Staphilio.

Differtatio XLVII. pag. 123. litt. *o.* Adde Just. Lipf. Physiol. Stoic. libr. 1. Diff. 5.

Pag. 123. litt. *q.* Adde Paul. Man. in Adag. *Circulator Cybelejus.*

Pag. 124. litt. *l.* Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 18. in princip.

Litt. *o.* Adde Macrob. Saturnal. libro primo cap. 18.

Num. 8. *Bacchus Licnites* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 8. de Baccho pag. 281. verf. 30.

Num. 8. *Jovis autem Sabazius* Gyrald. ibid. pag. 269. verf. 10.

Differtatio XLVIII. num. 1. *hic Lethæus ille fluvius* Macrob. in Somn. Scipion. libr. 1. cap. 10.

Pag. 125. litt. *f.* Adde Macrob. ibid.

Pag. 126. litt. *u.* Adde Diff. 75. in Anthol. num. 2. & Diff. 31. in Virgil. num. 4. & Diff. 32. in Virg. num. 4.

Differtatio XLIX. num. 2. *quum inter eos æmulatio oriatur maximè, qui se vicinitate loci, generis propinquitate, studiorum similitudine attingunt* Paulus Manutius in Adag. *Figulus Figulo invidet, Faber Fabro.*

Num. 9. *Lacedæmonii palæstris non præficiebant magistros* Petr. Fab. Agonist. libr. 1. cap. 14. prope fin. Diff. 16. in Thucydidem num. 6.

Differtat. L. pag. 130. litt. *f.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 3. cap. 18. in princip. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 12. de Dianâ pag. 354. verf. 24.

Differtatio LI. pag. 131. litt. *l.* Adde Paulum Manut. in Adag. *Abjecit hastam* Erasm. Chiliad. 2. Cent. 2. Adag. 97.

Pag. 132. litt. *g.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Ad Corvos.*

Num. 8. *Plato philosophorum Homerus in quinto de Republicâ libro hoc Lacedæmoniorum institutum vehementer comprobat* Mercur. de Arte Gymnast. libr. 1. cap. 7. in fin. & libr. 2. cap. 10. in med.

Differtatio LIII. pag. 134. litt. *q.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Mercurii catena.*

Litt. *r.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Tela Araneæ.*

Pag. 135 litt *g.* Adde Paul. Manut. in Ad. *Annus producit, non ager* in fine.

Differtatio LIV. num. 3. *Phiditia, vel Philitia sunt appellata*, Paul. Manut. in Adag. *Tamquam in Phiditiis.*

Pag. 136. litt. *g* Adde Politian. in Miscell. cap. 15. prope finem. Declarat etiam Paul. Manut. in Adag. *Laconicè tenus.*

Num. 5. *cautum erat, ne quis ad fastigium domus ornandum alio instrumento, quàm securi, ad fores alio, quàm serrâ uteretur* Rosin. Antiquit. Rom. libro 5. cap. 37. de Nuptiis circa med.

Differtat. LV. pag. 139. litt. *t.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 3. de Junone pag. 122. verf. 29. Vide Differtat. 25. in Virgil. num. 4.

Differtatio LVI. num. 7. *puellæ ab amantibus oculorum nomine cohonestantur* Paul. Manut. in Adag. *Medullitus. Oculitus.*

Pag. 142. litt. *x.* Adde Lil. Gyrald. de Deis Gent. Syntagmat. 10. pag. 306. verf. 29. qui alias Etymologias affert.

Differtatio LVII. pag. 143. litt. *d.* Adde Paul. Man. in Adag. *Vulcanium vinculum.* Vide Diff. 58. in Anthol. pag. 146. litt. *f.* Diff. 28. in Virg. pag. 169. litt. *c.* Diff. 32. in Virg. pag. 175. litt. *p.*

Pag. 144. litt. *t.* Adde Dempst. ad Rosinum libr. 1. cap. 13. de Æde Honoris, & Virtutis, & Differtat. 44. in Antholog. num. 1.

Num. 8. *malo* Vide Diff. 18. in Thucydidem pag. 272. litt. *f.*

Num. 10. pag. 145. litt. *a.* Adde Gyrald. de

Deis

Deis Gent. Syntagm. 7. de Musis pagin. 253. vers. 17. Vide Differt. 19. in Virgil. num. 5.

Differtatio LVIII. pag. 146. litt. *f.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Velocem tardus assequitur,* & in Adag. *Vulcanium vinculum.* Vid. Diff. 57. in Anthol. pag. 143. litt. *d.* & Diff. 28. in Virg. pag. 169. litt. *c.* & Diff. 32. in Virg. pag. 175. litter. *p.*

Pag. 147. litt. *a.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Troja non producit Thracem.*

Differtatio LX. num 6. pag. 151. litt. *c.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Carica musa.*

Pag. 152. litt. *a* Adde Paulum Manut. ibid.

Litt. *m.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Magadari.*

Num. 8. *ne verba mali ominis exaudirentur* Plin. libr. 28. cap. 2. in princ.

Pag. 152. litt. *f.* Adde Paul. Man. in Adag. *Tibicinis vitam vivis.*

Pag. 154 litt. *b.* Adde Paul. Man. in Adag. *Currentem incitare.*

Litt. *e.* Adde Plin. libr. 34. cap. 5. Petr. Fabr. Agonistic. libr. 2. cap. 10. prope fin. Differt. 20. in Euripid. num. 7. Differt. 29. in Liv. num. 11.

Differtatio LXI. pag. 154. litt. *i.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libro 1. cap. 4. prope finem, & Paul. Manut. in Adag. *Arabius tibicen.*

Pag. 155. litt. *a.* Adde Paul. Man. in Adag. *Marsyæ mors.*

Differtatio LXII. pag. 158. litt. *b.* Adde Paul. Manut. ibidem.

Litt. *f.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Eadem queri.*

Differtatio LXIII pag. 158. litt. *l.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Aulœdus sit, qui citarœdus esse non potest.*

Pag. 159. litt. *a.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Canere ad myrtum.*

Litt. *b.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 1. cap. 4. in not. marginal. litt. B. pag. 11. Edit. Lugdun. Ann. 1592.

Num. 5. *tibicinum mores ostenderunt* Paul. Manut. in Adag. *Tibicinis vitam vivis,* & in Adag. *Tibicines mentecapti.*

Differtat. LXIV. pag. 161. litt. *g.* Adde Dempster. ad Rosin. libr. 5. cap. 30. pag. 251.

Differtat. LXV. num. 8. *Plejades in Cœlo proximam Orioni sedem tenent* Macrob. in Somn. Scipion. libr. 1. capit. 18. prope medium.

Pagin. 166. litt *n.* Adde Just. Lipf. Physiol. Stoic. libr. 3. Diff. 11. circa med.

Pag. 167. litt. *b.* Adde Paul. Man. in Adag. *Odi memorem compotorem.*

Litt. *d.* Adde Paul. Man. in Adag. *Odi memorem compotorem,* & in Adag. *Ferulæ manum subduximus.*

Pagin. 168. litt. *c.* Adde Paulum Manut. in Adag. *Pergræcari.*

Litt. *o.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Aut bibat, aut abeat.*

Differtat. LXVI. pag. 171. litt. *d.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Maleam legens, quæ sunt domi, oblivifcere.*

Differtatio LXVII. pagin. 173. litt. *a.* Adde Angel. Polit. in Miscell. cap. 35. in fine Paul. Manut. in Adag. *Cretensis Cretensem,* & in Adag. *Cretiza cum Cretensi.*

Differtatio LXVIII. num. 5. *Jovem esse id, quod calidum, & ignem appellamus, crediderunt* Plutarch. de Plac. Philos. libr. 1. cap. 4.

Num. 5. pag. 175. litt. *b.* Adde Just. Lipf. Physiol. Stoic. libr. 1. Diff. 6.

Pag. 175. litt. *d.* Adde Just. Lipf. ibid. Diff. 6. in med.

Pag. 176. litt. *i.* Vide Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 24. circa princip.

Num. 12. *vis naturam vocare? non peccabis* Just. Lipf. Physiol. Stoic. libr. 1. Diff. 5.

Differtatio LXIX. pag. 178. litt. *c.* Adde Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 14. in princip.

Litt. *d.* Adde Ciceronem de Nat. Deorum libr. 1. prope finem, & Diff. 77. in Anthol. pag. 200. litt. *f.*

Num. 6. *sumebat in manus ardentem facem supplex* Paulus Manut. in Adag. *Aquam igni miscere.*

Differt. LXX. pag. 180. litt. *a.* Adde Dempst. ad Rosin. libr. 5. capit. ultim. pag. 307. Vide litt. *c.* ibid. & Diss. 24. in Thucyd. pag. 288. litt. *p.*

Litt. *c.* Adde Dempst. ibid. & Differt. 24. in Thucydidem litt. *p.*

Litt. *f.* Adde Dempst. ibid.

Differtat. LXXI. pag. 183. litt. *n.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Mitrhagyrtes, non daduchus,* & in Ad. *Circulator Cybelejus* in fin.

Differtatio LXXII. num. 1. θεοὺς ἀπὸ τοῦ θέειν Macrobius Saturnal. libr. 1. capit. 23. in princip.

Differtatio LXXV. num. 2. *Phallum appellarunt* Paul. Manut. in Adag. *Phallus Deo,* & Diff. 48. in Anthol. num. 8. & Differt. 31. in Virgil. num. 4. & Differtat. 32. in Virg. num. 4.

Differtatio LXXVI. pagin. 194. litt. *d.* Adde Lil. Greg. Gyrald. de Re Nautic. cap. 7. in fine.

Litt. *f.* Adde Gyrald. ibid. prope finem.

Differtatio LXXVII. pagin. 200. litt. *f.* Adde Cic. de Nat. Deor. libr. 1. prope finem.

Pag. 201. Litt. *g.* Adde Plin. libr. 4. cap. 12. prope finem.

Num. 14. *Pomponius Mela Hyperboreos esse credit in Asiâ, & accolere Oceanum glacialem; Solinus in Europâ* Pomponius Mela de Situ Orbis libr. 1. capit. 1. & libr. 3. cap. 5. Solinus Polyhistor. cap. 21.

Num. 14. *Serum plerosque ducentesimum ætatis*

tis annum explere Paul. Manut. in Adag. *Nestorea senecta*.

Differtat. LXXVIII. num. 1. *quid enim aliud fortuna, quàm Dei Providentia?* Macrob. Saturnal. libr. 5. cap. 16. in med.

Numer. 3. *ut adamante vinciri decernetur* Paul. Maunut. in Adag. *Adamantinus* in med. ex Plutarch. in vitâ Dion. Erasm. Chil. 1. Cent. 7. Adag. 43. Ælian. Var. Histor. libr. 6. cap. 12. Vide Differt. 86. in Antholog. pag. 226. litt. *p*. & Diff. 1. in Liv. pag. 2. litt. *b*.

Num. 3. *detrusit in ludum litterarium* Paul. Manut. in Adag. *Dionysius Corinthi*, & in Adag. *Artem quævis alit terra*, Vid. etiam Diff. 18. in Eurip. pag. 444. litt. *r*.

Dissertatio LXXIX. pagin. 206. litt. *b*. Adde Paulum Manut. in Adag. *Felicitas multos habet amicos*, & in Adag. *Ad felicem inflectere parietem*.

Pag. 207. litt. *d*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Aurum igne probatum*, & in Adag. *Viri infortunati procul amici*.

Litt. *i*. Adde Ælian. Var. Hist. libr. 4. cap. 5. in fine Paul. Manut. in Adag. *Sylosontis chlamys*.

Differt. LXXX. num. 7. *Marcellum verò Virtuti, & Honori delubrum statuisse* Dempst. ad Rosin. libr. 1. cap. 13. de Æde Honoris, & Virtutis. Vide Differt. 44. in Antholog. num. 1.

Differtatio LXXXII. pag. 212. litt. *b*. Adde Just. Lipf. Manud. ad Stoic. philosoph. libr. 1. Diff. 13. in princ.

Differtatio LXXXIII. num. 5. *plerunque suorum cadavera aromatis condita asservare domi consueverant* Plin. libr. 11. cap. 37. circa med. Vide Diff. 24. in Thucydid. pag. 288. litt. *e*.

Pag. 217. litt. *a*. Adde Paul. Man. in Adag. *Venereum jusjurandum*.

Num. 14. *Acheron etiam fuit Epiri fluvius* Plin. libr. 4. capit. 1. in principio. Vide Diff. 10. in Virg. num. 3.

Differtatio LXXXIV. num. 6. *quòd in Cynosarge Diogenes, ejusque sectatores philosopharentur* Just. Lipf. Manud. ad Stoic. philosoph. libr. 1. Diss. 13. in princip.

Num. 6. *quum Diomus Herculi rem divinam faceret, canis albus hostiæ raptis femoribus fugit; ab hujus albore canis, vel a celeritate Cynosarges nomen accepit locus* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 10. pag. 317. verf. 49. Erasm. Chiliad. 3. Cent. 1. Adag. 70. Paulus Manut. in Adag. *Ad Cynosarges*, Vide etiam Diff. 17. in Thucydid. num. 2. & Diff. 58. in Cic. num. 6.

Pag. 220. litt. *e*. Adde Just. Lipf. Manud. ad Stoic. philosoph. libr. 1. capit. 13. in princip.

Numer. 11. *Verecundiâ vitæ discrepare* Just. Lipf. ibid.

Num. 11. *Stoici igitur a Cynicis tunicâ dissidebant* Just. Lipf. ibid.

Num. 11. *quum pallium Græcorum esset proprium, sicut toga Romanorum* Paul. Man. in Adag. *Modò palliatus, modò togatus*, & in Adag. *De togâ ad pallium*.

Num 13. *& sanè quum Antisthenes cynicam sectam condiderit* Just. Lipf. Manud. ad Stoic. philosoph. capit. 13. in princip. Vide Diff. 82. in Anthol. num. 2.

Differtatio LXXXVI. pag. 226. litt. *p*. Adde Paul. Man. in Adag. *Adamantinus*, Erasmus Chiliad. 1. Cent. 7. Adag. 43. Ælian. Var. Hist. libr. 6. cap. 12.

IN THUCYDIDEM.

Dissertatio I. num. 6. *Jam Quintiliani declamationes quotusquisque non intelligit ab ejus Auctoris dicendi genere abhorrere* Philelphus in Epistol. ad Joann. Tuscanell. Joann. Ludov. Viv. de corrupt. discipl. libr. 4. Erasm. in Ciceroniano, & Joann. Ger. Vossius Institut. Orat. libr. 1. cap. 11.

Differtatio II. num. 1. *Historici quidem sic res narrare instituunt, ut rerum ipsarum ordo postulat* Macrob. Saturnal. libr. 5. cap. 2. circa med.

Num. 1. *a principiis rerum non exorditur, sed illis initio prætermissis media narrat, ac deinde ordine inverso principia exequitur* Macrob. ibid.

Pag. 231. litt. *b*. Adde Paul. Man. in Adag. *Chœnici ne insideas*.

Num. 9. *Gruum, & Pygmæorum prælia* Paulus Man. in Adag. *Pygmæorum acrothinia colosso adaptare*, & in Adag. *Pygmæum imponere colosso*.

Differtatio III. num. 3. *Danubius ex Abnobæ immanibus Germaniæ jugis ortus* Plin. Natural. Histor. libr. 4. cap. 12. in med.

Num. 7. *unde proverbii loco ceptum usurpari de iis, qui improvisò advenerant, ut Cælo delapsi dicerentur* Paul. Manut. in Adag. *Terræ filius*.

Differtatio IV. pagin. 234. litt. *g*. Adde Plin. libr. 7. cap. 56.

Litt. *b*. Adde Plin. libr. 35. cap. 9. in princ.

Num. 8. pag. 236. litt. *f*. Adde Politian. in Misell. cap. 94. in fine, Lil. Greg. Gyrald. de Annis, & Mensibus pag. 39. in Edit. Basileæ Ann. 1541.

Differtat. V. pag. 238. litt. *c*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Ogygia mala*.

Differtat. VI. pag. 240. litt. *b*. Adde Plin. libr. 7. cap. 56.

Litt. *b*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Scarabeus*

beus Aquilam quæris pag. 1325. in Edit. Venet. Ann. 1578.

Litt. *n.* Adde Gyrald. de Renaut. capit. 5. in princip.

Pag. 241. litt. *i.* Adde Valer. Maxim. libr. 7. cap 3. in Extern. num. 8.

Pagin. 242. litt. *d.* Adde Paul. Manut. in Adag. Αʹμνησία, seu *Malorum meminisse* pag. 686. in Edit. Venet. Ann. 1578.

Differtatio VII. pag. 243. litt. *e.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Illumum fodere*.

Differtat. IX. pag. 249. litt. *h.* Adde Plin. libr. 7. cap. 56.

Litt. *i.* Adde Plin. libr. 7. cap. 56. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. pag. 24. verf. 25. & 25.

Num. 4. *interpretationem somniorum Telmissenses* Dempst. ad Rosin. libr. 2. cap. 2. pag. 69. Vide Diff. 19. in Eurip. num. 4.

Num. 4. *lanas inficere Pœnorum est*, at Plin. libr. 7. cap. 56. tradit esse Lydorum.

Pag. 249. litt. *y.* Adde Plin. libr. 7. cap. 56.

Num. 6. *& tamen vetustissimus eorum, qui rerum naturam sunt contemplati, apud Græcos habetur Milesius Thales* Lactant. Firm. de fals. Sapient. libr. 3. cap. 14.

Num. 8. *Apelles Protogenis diligentiam* Plin. libr. 35. cap. 10.

Num. 8. *Amphionis dispositionem* Plin. ibid.

Num. 8. *Mensuras Asclepiodori* Plin. ibid.

Differt. XI. num. 2. *quem in philosophiâ, quasi Pentathlum quendam esse voluerunt* Petr. Fab. libr. 1. capit. 30 circa med. de Re Athlet. & Diff. 43. in Cic. num. 5.

Pag. 254. litt. *x.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Magis, quàm Sol Heracliti*.

Pag. 255. litt. *l.* Adde Paul. Man. in Adag. *Saturniæ lemæ* in fine.

Litt. *n.* Adde Paul. Man. in Adag. *Rudiùs, at planiùs*.

Differtatio XII. num. 8. *sic Massiliæ in Galliâ* Paul. Manut. in Adag. *Massiliam naviges*, & in Adag. *Massilienses mores*; licèt aliter tradat in Adag. *E Massiliâ venisti*, Vide Diff. 56. in Thucydidem num. 10.

Differtatio XIV. pag. 262. litt. *r.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Epimenidis somnus*, sive: *Ultra Epimenidem dormis*.

Litt. *d.* Adde Paul. Manut. ibid.

Pag. 263. litt. *e.* Adde Rosin. Antiq. Rom. libr. 4. de Dieb. Fest. non stat. aut cert. temp. celebr. cap. 17. de Novendiali facro.

Differtatio XV. pagin. 264. litt. *b.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 2. cap. 11.

Num. 2. *quæ solita fieri testatur Lucianus*, Vide Petr. Fabr. Agonistic. libr. 2. cap. 11. per tot. & cap. 16. in principio.

Num. 2. ἰσοθέους *Athletas victores esse* Petr. Fab. libr. 2. cap. 16. in principio de Re Athlet.

Pag. 264. litt. *f.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 2. cap. 11. in fine, Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. pag. 66. verf. 1.

Litt. *g.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 2. cap. 16. in principio.

Num. 3. *Olympiæ victoriam apud Græcos non minore in honore fuisse, quàm apud Romanos antiquum consulatum* Petr. Fab. Agonist. libr. 2. cap. 16. in princip.

Pag. 264. litt. *n.* Adde Petr. Fabr. Agonist. libr. 2. cap. 18. in princip.

Num. 5. *eos lege latâ Solon resecare* Petr. Fab. libr. 1. cap. 2. in princip. & libr. 2. cap. 18. in princip. de Re Athlet.

Pag. 265. litt. *s.* Adde Petr. Fabr. Agonist. libr. 1. cap. 24.

Num. 10. *primi autem Lacedæmonii subligaculo abjecerunt* Petr. Fab. de Re Athlet. libr. 1. cap. 2. Vide Diff. 6. in Anthol. num. 12.

Pag. 266. litt. *c.* Adde Hieron. Mercurial. de Arte Gymnast. libr. 1. cap. 15. in fin.

Litt. *e.* Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 1. cap. 9. paulo post initium.

Num. 12. *Lacedæmonii suos cives pancratio, cæstuque decernere vetuerunt* Petrus Fab. libr. 2. cap. 9. circa med.

Num. 12. *Entelli, & Daretis cæstu contendentium pugnam* Erasm. Chiliad. 3. Cent. 1. Adag. 69. Paul. Manut. in Adag. *Dares Entellum provocas*.

Differtat. XVI. num. 2. *Tiberim nando transmittebant* Hieron. Mercurial. de Arte Gymn. libr. 3. cap. 14. in princ. & libr. 6. cap. 12. in principio.

Num. 2. *& palam* Mercurial. libr. 3. capit. 4. prope finem, & libr. 6. cap. 2. in principio. Dempst. ad Rosin. libr. 10. cap. 10. de Var. Armor. Gener. pag. 402.

Pag. 267. litt. *i.* Adde Mercurial. Agonist. libr. 1. cap. 8. circa med.

Num. 4. *in palæstrâ ceromate ungebantur* Petrus Fab. libr. 2. cap. 5. in princip. Paul. Man. in Adag. *Oleum, & operam perdidi*.

Num. 6. *qui sine certamine vicisset adversarium, ἀκονιτί, hoc est sine pulvere superasse diceretur* Petrus Fab. Agonistic. libr. 3. cap. 21. prope med. & cap. 22. Erasmus Chiliad. 1. Cent. 5. Adag. 79.

Num. 6. *in arenam descendere* Mercur. Agonist. libr. 1. cap. 5. prope finem; qui tamen ejus originem aliunde derivat.

Num. 6. *nullos luctantibus magistros præponebant* Petr. Fab. libr. 1. cap. 14. in fine de Re Athlet. Diff. 49. in Anthol. num. 9.

Pag. 268. litt. *l.* Adde Petr. Fabr. Agonist. libr. 1. cap 17. in med.

Differtat. XVII. pag. 269. litt. *b.* Adde Mercur. libr. 1. cap. 6. de Re Athletic.

Litt. *c.* Adde Mercurial. ibid.

Litt. *d.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Ad Cynosarges* Mercurial. Agonist. libr. 1. c. 6. in princ. Erasm. Chiliad. 3. Cent. 1.

1. Adag. 70. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 10. de Hercule pag. 317. vers. 51. Vide Diss. 58. in Cic. num. 6. & 7.

Litt. *e*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Cursu lampada trado* Lil. Greg. Gyrald. de Annis, & Mensibus pag. 140. in princip. in Edit. Basil. Ann. 1541. Dempst. ad Rosin. libr. 2. cap. 11. de Cerere, pag. 115. Vid. Diss. 15. in Anthol. num. 7.

Litt. *o*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Alter Hercules* in princip.

Num. 8. *quum in iis philosophi, & rhetores, & alii laudandarum artium magistri disputarent* Mercur. libr. 1. cap. 6. ex Vitruv. libr. 5. cap. 8. in princip. & cap. 11.

Differtat. XVIII. pag. 271. litt. *d*. Adde Paul. Man. in Adag. *Jovem lapidem jurare* Erasm. Chiliad. 2. Cent. 6. Adag. 33. Vide Diss. 24. in Euripid. pag. 464. litt. *f*.

Pag. 272. litt. *p*. Adde Dempst. ad Ros. libr. 1. cap. 13. de Pallore pag. 29.

Litt. *q*. Adde Diss. 31. in Virgil. pag. 173. litt. *b*.

Litt. *z*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 17. pag. 474. vers. 26.

Dissertat. XIX. num. 7. *malorum animos conscientiâ vexatos graviùs cruciari* Paul. Manut. in Adag. *Nihil est miserius, quàm animus conscius*.

Differtat. XX. pag. 275. litt. *o*. Adde Paulum Manut. in Adag. *Callicyrii plures*.

Num. 4. *Ephoros gradum, quum inirent magistratum* Paul. Manut. in Adag. *Spartæ servi maximè servi*.

Pag. 276. litt. *i*. Adde Paul. Manut. ibid.

Num. 4. *Phiditia appellabant* Paul. Manut. in Adag. *Tamquam in Phiditiis*.

Differt. XXI. pag. 278. litt. *b*. Adde Plin. libr. 7. cap. 56.

Pag. 279. litt. *f*. Adde Paul. Man. in Adag. *Ne Samnione domi relicto*.

Num. 4. *Cato, quinque servos* Paul. Manut. ibid.

Pag. 279. litt. *n*. Adde Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 11.

Num. 7. *Menippum, cujus Varro satyras est imitatus* Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 11. circa finem.

Num. 7. *Polum, & Perseum* Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 11.

Num. 7. *Epicuri servum, qui mys vocabatur* Macrob. ibid.

Pag. 279. litt. *o*. Adde Macrob. ibid. circa finem.

Pag. 280. litt. *c*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Canere ad myrtum*, Vide Diss. 63. in Anthol. pag. 159. litt. *a*.

Differtatio XXII. num. 1. *Sed ubi clarorum virorum memoriam colas*, Vide Paul. Manut. in Adag. *Non est laudandus ne in cenâ quidem*.

Pag. 283. litt. *b*. Adde Paulum Manutium ibid. & in Adag. *Præficarum more*.

Litt. *n*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Lacrimæ Simonidis*.

Differtat. XXIV. pag. 287. litt. *i*. Adde Paul. Manut. in Adag. *A fabis abstineto* prope finem.

Pagin. 288. litt. *e*. Adde Plin. libr. 11. cap. 37. circa med.

Litter. *m*. Adde Dempst. ad Rosin. libr. 5. cap. ult. pag. 307.

Num. 10. *Ægyptii variis modis condiebant* Dempst. ibid.

Differtat. XXV. numer. 6. *a lare incipere* Erasmus Chiliad. 1. Cent. 6. Adag. 83. Paul. Manut. in Adag. *Ab ipso lare*.

Differtatio XXVI. num. 7. *Varro notat aras antiquitus ansas appellatas* Macr. Saturn. libr. 3. cap. 2.

Differtatio XXVII. num. 3. *libertatis pœnam sustinere* Paul. Manut. in Adag. *Liber non est, qui non aliquando nihil agit*.

Pag. 294. litt. *n*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Abjecis hastam* Erasm. Chiliad. 2. Cent. 2. Adag. 97.

Differtatio XXVIII. pagin. 298. litt. *a*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 3. de Junone pag. 122. vers. 33. Rosin. Antiquit. Rom. libr. 5. cap. 37. de nuptiis circa med. pag. 303.

Num. 1. *Nupta violenter a matris complexu rapiebatur* Dempst. ad Rosin. libr. 5. cap. 37. de Nuptiis pag. 296.

Pagin. 298. litt. *f*. Adde Paulum Manut. in Adag. *Os duodecim salientum*, & Gyrald. de Deis Gent. Synt. 17. pag. 501. v. 10.

Litt. *b*. Adde Gyrald. ibid. vers. 14.

Litt. *i*. Adde Gyrald. ibid. vers. 15.

Litt. *n*. Adde Paul. Man. in Adag. *Os duodecim salientum*, & Gyrald. Syntagm. 17. pag. 501. vers. 10.

Litt. *o*. Adde Gyrald. ibid. vers. 15.

Litt. *p*. Adde Gyrald. ibid. vers. 16.

Pag. 299. litt. *m*. Adde Dempst. ad Rosin. libr. 5. cap. 37. de Nuptiis pag. 296.

Differtatio XXIX. pag. 302. litt. *l*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. de Topicis Deis pag. 64. vers. 12. & Syntagm. 13. de Venere pag. 367. vers. 24.

Differtatio XXX. num. 5. pagin. 303. litt. *a*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 17. pag. 487. vers. 32.

Num. 7. *tertius autem Epaulia* Paul. Manutius in Adag. Ἐπαύλια δῶρα pag. 1490. juxta Edit. Venet. Ann. 1578.

Num. 7. *nono die funebrem cenam darent* Rosin. Antiq. Rom. libr. 4. de Diebus Fest. non stat. aut. cert. temp. cel. e. 17. de Novendiali sacro, Vide Diss. 31. in Anthólog. num. 5.

Num. 8. *plura tristia, quàm læta nobis reputantibus occurrent* Pind. Pyth. Od. 3. vers. 145.

Num.

Num 8. *risus ille præcox, & celerrimus ante quadragesimum diem non contingat*, Vid. Diss. 26. in Euripid. pag. 471. litt. *g*.

Num. 13. *spargebantur nuces* Paul. Manut. in Adag. *Nuces relinquere*.

Pag. 305. litt. *r*. Adde Just. Lips. Physiol. Stoic. libr. 1. Diss. 19 prope med.

Differtat. XXXI. pag. 306. litt. *d*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Cornicum oculos configere* in fine.

Pag. 307. litt. *f*. Adde Paul. Man. in Adag. *Ubi tu Cajus, ibi ego Caja*.

Pagin. 308. litt. *a*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 17. pagin. 478. vers. 17. Dempst. ad Rosinum libr. 7. capit. 31. pag. 317.

Litt. *d*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 9. de Mercurio pag. 298. vers. 11. & Syntagm. 17. pag. 501. vers. 7.

Litt. *e*. Adde Rosin. Antiquit. Rom. libr. 5. de Nuptiis cap. 37.

Differtatio XXXII. num. 8. *inventoribus novarum voluptatum quis nescit a Persis præmia constituta?* Cic. Tuscul. Quæst. libr. 5. Paul. Man. in Adag. *Jovis lac*.

Differtatio XXXIII. pag. 312. litt. *a*. Adde Paul. Man. in Adag. *Mali corvi, malum ovum*.

Litt. *m*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Mensæ Siculæ, Asianæ, Persicæ, & Italicæ*.

Num. 10. *natura mutationibus gaudet* Paul. Manut. in Adag. *Omnium rerum vicissitudo*.

Differtatio XXXIV. num. 1. *nihil esse firmum in rebus humanis* Paul. Manut. ibid.

Num. 5. *nam solebant Veteres eos, quorum parentes ignorarentur, e Terrâ, Cæloque natos ementiri* Angel. Polit. in Miscell. cap. 18. per totum, Paul. Man. in Adag. *Terræ filius*.

Differtatio XXXV. num. 2. *quorum genus in suas laudes effusissimum* Plin. libr. 3. capit. 5. Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 24.

Differtatio XXXVI. num. 1. *Præterea quum homines ferè similes nascantur locis, in quibus degunt* Paul. Manut. in Adag. *Mores hominum regioni respondent* ex Herodot. in calce ult. libr.

Num. 4. *Osci stupris infames* Paul. Man. in Adag. *Oscè loqui*.

Num. 4. *unde obsceni nomen Festus Pompejus putat derivatum* Paul. Manut. ibid.

Num. 7. *Camesenam a Camese, qui cum Jano regnavit* Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 7. circa med.

Differt. XXXVII. pag. 322. litt. *i*. Adde Petr. Fabr. Agonist. libr. 2. cap. 19. in princ.

Pag. 323. litt. *e*. Adde Petr. Fabr. ibid.

Differtatio XXXVIII. pag. 324 litt. *f*. Adde Mercurial. de Arte Gymnastica libr. 1. cap. 1. in princip.

Litt. *g*. Adde Mercurial. ibid.

Litt. *m*. Adde Dempster. ad Rosin. libr. 2. cap. 17. pag. 127.

Litt. *o*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 7. de Æsculapio pag. 246. vers. 2. Rosin. Antiq. Rom. libr. 2. cap. 17. de Æsculapio.

Litt. *p*. Adde Dempster. ibid.

Num. 6. *Quapropter Vetere morbis affectos* ἀπολλωνοβλήτους, *idest ab Apolline percussos appellabant* Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 17. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 7. pag. 14. vers. 36. de Apolline.

Pagin. 324. litter. *r*. Adde Gyrald. de Deis Gent. ibid. vers. 44.

Litt. *s*. Adde Gyrald. ibid. vers. 34.

Num. 6. *alii* ἀπὸ τῦ ἀπελαύνειν τὰς νόσους Gyrald. Syntagm. 7. pag. 214 vers. 48.

Num. 6. *apud Pachynum Siciliæ promontorium coli Apollinem cognomento Libystinum* Macrob. Saturnal. libr. 1. capit. 17. prope medium, Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 7. pag. 216. vers. 2.

Pagin. 325. litt. *c*. Adde Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 17. Gyrald. de Deis Gent. Synt. 7. de Apolline pag. 214. vers. 50.

Num. 9. *nam in hujusmodi aëris corrupti vitio priùs pecudes ajunt, quàm homines laborare* Macrob. Saturn. libr. 7. cap. 5. prope med.

Differtatio XXXIX. pagin. 327. litt. *f*. Adde Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 17. circa med. qui fabulam paulo aliter narrat.

Num. 9. *Apollines fuisse plures memoriæ proditum* Rosin. Antiquit. Rom. libr. 2. de Apolline cap. 7.

Num. 9. *quem Arcades Nomionem vocabant* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 7. pag. 222. vers. 14.

Differtatio XL. pag. 328. litt. *d*. Adde Plin. libr. 7. cap. 7.

Litt. *e*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 7. pag. 237. vers. 40. Dempst. ad Rosin. libr. 2. cap. 7. de Apollinis cognom. & oraculis pag. 86. Differtatio 41. in Virg. num. 16.

Pag. 329. litt. *m*. Adde Paul. Manut. in Adag. *A fabis abstineto* prope finem.

Litt. *n*. Adde Justum Lips. de Vestalibus cap. 11.

Litt. *p*. Adde Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 10. in fine.

Differtatio XLI. num 1. *sperant homines, quæ cupiunt* Paul. Manutius in Adag. *Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt*.

Pag. 331. litt. *l*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Psaphonis aves* Gyr. de Deis Gent. Syntagmat. 1. de Topic. Deis pagin. 61. vers. 29.

Differtatio XLII. n. 3. *inter expetenda principem locum tenere principatum* Pindar. Olymp. Od. 1. vers. 181. & Pythiorum Od. 3. vers. 151.

Num.

Num. 5. *divinatio* Paul. Manut. in Adag. *Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.*

Pag. 334. litt. *e.* Adde Gyraldum de Deis Gent. Syntagm. 1, pag. 70. vers. 19. Just. Lips. Physiol. Stoic. libr. 1. Dissert. 19. paulo post principium, Dempst. ad Rosin. libr. 3. cap. 8. 9. 11. de Augur. pag. 145.

Num. 5. *Telmisenses insomnia esse interpretatos ferunt* Dempst. ad Rosin. libr. 2. cap. 2. pag. 69. Vide Diss. 19. in Euripidem num. 4.

Num. 6. *Offensiones pedum perhorrescebant* Plin. libr. 2. cap. 7. prope finem.

Pag. 334. litt. *i.* Adde Plin. ibid.

Num. 7. *Theocritus autem Coscinomantis meminit* Paul. Manut. in Adag. *Cribro divinare.*

Num. 7. *quos Capnomantes vocant* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 17. pag. 508. vers. 11.

Pag. 335. litt. *d.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Ne per somnium quidem* in fine.

Dissert. XLIII. n. 3. *Principes eadem flagrantissimè concupiverant* Pind. Olymp. Od. 5. v. 56. Paul. Man. in Adag. *Ne quæras Deus esse.*

Pag. 337. litt. *a.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Miserrimum fame mori.*

Dissertat. XLVI. num. 3. *sic Nemesi* Paul. Manut. in Adag. *Adrastia Nemesis Rhamnusia Nemesis* circa med. Erasm. Chiliad. 2. Cent. 6. Adag. 38. Rosin. Antiq. Rom. libr. 2. cap. 10. de Nemesi.

Pag. 343. litt. *i.* Adde Plin. libr. 36. cap. 5. in princip.

Num. 9. *inopinatum lucrum Ἑρμαῖον vocant* Paul. Manut. in Adag. *Mercuriale.*

Dissertat. XLVII. pag. 344. litt. *g.* Adde Plin. libr. 18. cap. 3. Rosin. Antiquit. Rom. libr. 8. cap. 20. de Re Nummaria, & Fœnore.

Num. 5. *Proletarii sunt appellati* Paul. Manut. in Adag. *Proletarius scriptor* Diss. 25. in Anthol. pag. 72. litt. *k.*

Pagin. 346. litt. *c.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Chœnici ne insideas.*

Dissertatio XLVIII. num. 5. *eadem ratione, & Ἐνοσίχθων Neptunus* Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 17. prope med.

Dissertatio XLIX. num. 4. *Ad ignem æternum excitandum terebrâ utebantur ex ferro* Just. Lips. de Vestâ, & Vestalibus cap. 8. Vide Diss. 32. in Liv. num. 8, & 9.

Dissertatio LI. pagin. 364. litt. *a.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Cothurno versatilior.*

Num. 7. *duabus sedere sellis cavillabantur* Macrob. Saturnal. libr. 2. cap. 3. Paulus Manut. in Adag. *Cothurno versatilior.*

Dissert. LII. num. 1. *exitus rei plerumque nos quasi manuducit ad cognoscendum, quid rectè, perperamve sit factum* Paul. Manut. in Adag. *Piscator ictus sapiet*, & in Adag. *Malo accepto stultus sapit*, & in Adag. *Mox sciemus meliùs Vate.*

Dissertatio LIII. num. 3. *cui respondit Hannibal* Macrob. Saturn. libr. 2. cap. 2. in principio. Aul. Gell. libr. 5. cap. 5.

Num. 9. *quod sacrificii genus composito vocabulo suovetaurilia dicebatur* Rosin. Antiquit. Rom. l. 4. de Dieb. Fest. non stat. aut cert. temp. celebr. cap. 17. de Ambarvali sacrif.

Num. 10. *Lustrum autem esse exactum quadriennium* Lil. Greg. Gyrald. de Annis & Mensibus pag. 18. in fine.

Num. 10 *Olympiades, quæ quinto quoque anno celebrabantur, quatuor annos continebant* Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 17. in fine, & pag. 18. in princip.

Pag. 372. litt. *a.* Adde Dempst. ad Rosin. libr. 4. cap. 4. pag. 162. Vid. Dissert. 30. in Liv. pag. 168. litt. *q.*

Litt. *f.* Adde Lil. Greg. Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 16. in med. in Edit. Basileæ Ann. 1541.

Num. 11. *Aretes Dyrrhachinus* Gyrald. ibid.

Pag. 372. litt. *g.* Adde Gyrald. ibid.

Num. 11. *Orpheus centum viginti millia* Gyrald. ibid.

Numer. 11. *Cassander tricies sexies centena millia* Gyrald. ibid.

Pagin. 372. litt. *b.* Adde Gyrald. ibid. Just. Lips. Physiol. Stoic. libr. 2. Dissert. 21. & 22.

Pag. 374. litt. *b.* Adde Ros. libr. 4. de dieb. fest. non stat. aut cert. temp. celebr. cap. 17. de Ambarvali sacrificio.

Num. 26. *sunt autem oscilla funes* Mercurial. de Arte Gymnastic. libr. 3. cap. 8. prope med.

Pag. 375. litt. *i.* Adde Gyraldum de Deis Gent. Syntagm. 17. pag. 470. vers. 50.

Litt. *n.* Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12. circa med.

Litt. *p.* Adde Lil. Greg. Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 167. in princip.

Litt. *r.* Adde Gyraldum ibid. prope med. Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 6. prope finem.

Num. 29. *par numerus feminæ, impar mari comparatur* Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 6. in princ. & l. 2. c. 2. prope fin.

Num. 29. *quam domi manere* Paul. Manut. in Adag. *Domus amica, domus optima.*

Num. 29. *nomina ipsis, maribus quidem tria, feminis duo imponebant* Gyrald. de Ann. & Mensib pag. 167. in med. in Edit. Basileæ Ann. 1541.

Dissertatio LIV. pag. 377. litt. *p.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Movere Camarinam.*

Dissertat. LV. pag. 379. litt. *d.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 14. de Cerere pag. 407. vers. 42.

Dis-

Dissertatio LVI. num. 2. *si quid ab amico peccatum sit, reprehendat* Paul. Man. in Adag. *Amicorum est admonere mutuum*.

Pag. 384. litt. *a*. Adde Paul. Man. in Adag. *Massiliam naviges*, & in Adag. *Massilienses mores* licet secus tradat in Adag. *E Massilià venisti*.

Dissertatio LVII. num. 3. *quod de Theopompo, & Ephoro Isocrates usurpare solebat* Paul. Manut. in Adag. *Calcar addere currenti*.

Pagin. 387. litt. *n*. Adde Dempst. ad Rosin. libr. 5. cap. 29. in fin. pag. 239.

Pag. 388. litt. *d*. *Pectidem esse duarum chordarum tradit* Paul. Manut. in Adag. *Carica Musa*.

Num. 15. *Lycurgus, quem Homeri studiosum fuisse memoriæ proditum est* Ælian. Var. Hist. libr. 13. cap. 14.

Dissertatio LVIII. num. 1. *vicissitudines laboris, & quietis cum animantibus universis, & rebus inanimis, tum humanæ naturæ, & ingeniis maximè prosunt* Pind. Nem. Od. 7. vers. 76.

Num. 3. *fertiles agri, qui quum cessarunt, uberiorem segetem producunt* Pindar. Nemeor. Ode 6. vers. 16. & Od. 11. vers. 50.

Pag. 390. litt. *a*. Adde Paul. Man. in Adag. *Nullam hodie lineam duxi* Dissert. 85. in Cic. num. 1.

IN EURIPIDEM.

Dissertatio I. num. 1. *fabulas consectatur* Paulus Manut. in Adag. *Sacra hæc non aliter constant*.

Num 1. *simile quiddam, conjunctũ, cognatumque philosophiæ Poëticam esse reperiemus* Paul. Manut. in Adag. *Jucundissima navigatio juxta terram*.

1. Pag. 393. litt. *i*. Adde Just. Lips. Manud. ad Stoic. philosoph. libr. 3. Dissertat. 12.

Dissertat. II. pag. 394. litt. *c*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Stultus stulta loquitur*, & in Adag. *Qualis vir, talis oratio*, & in Adag. *Surdior surdo*.

Pag. 395. litt. *e*. Adde Mercurial. de Arte Gymnasticâ libr. 1. cap. 14. in fine.

Litt. *l*. Adde Dempst. ad Rosin. libr. 2. cap. 8. de Sole, & Lunâ in princ. Vide Diss. 11. in Anthol. num. 4. & Diss. 3. in Euripid. num. 6.

Pag. 396. litt *d*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Lucernam olet*.

Dissertat. III. pag. 397 litt. *f*. Adde Dempst. ibid. & Diss. 11. in Anthol. num. 4. & Diss. 2. in Euripid. num. 6.

Litt. *n*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Pulchrorum etiam autumnus pulcher est*.

Dissertatio IV. pag. 401. litt. *a*. Adde Paulum Manut. in Adag. *In antro Trophonii vaticinatus est*.

Dissertatio V. pag. 402. litt. *d*. Adde Paulum Man. in Adag. *Cretâ notare. Carbone notare* Erasm. Chiliad. 1. Cent. 5. Adag. 54. Gyrald. de Ann. & Mens. pag. 160.

Num. 9. *elatè loqui* Paul. Man. in Ad. *Magna loqui* in fin. & in Adag. *Tragicè loqui*.

Dissertat. VI. num. 1. *Margitem Homeri* Paul. Manut. in Adag. *Margites*.

Num. 5. *Æschylus autem & personam invenit* Paul. Manut. in Adag. *Mæsonica dicteria* tribuit hoc Mæsoni.

Pag. 406. litt. *c*. Adde Paul. Man. in Adag. *Cothurno versatilior*.

Litt. *f*. Adde Just. Lips. Physiolog. Stoic. libr. 3. Diss. 5. Vid. Diss. 67. in Cic. n. 1.

Numer. 8. *Theramenes, quòd ad omne genus Reipublicæ accommodatus videretur, cothurnus vocabatur* Paul. Manut. in Adag. *Cothurno versatilior*.

Pag. 408. litt. *g*. Adde Diss. 3. in Liv. pag. 11. litt. *r*.

Num. 19. *margaritas conviviis absorbendas appofuerit* Plin. libr. 10. cap. 51.

Dissertatio VII. pag. 410. num. 6. litt. *c*. Adde Isocrat. in Archidamo in fine.

Litt. *a*. Adde Macr. Saturnal. libr. 1. cap. 23. in principio.

Dissertatio VIII. pag. 412. litt. *n*. Adde Macrob. in Somn. Scipion. libr. 1. cap. 10.

Dissertatio IX. num. 9. *Inferos statuit esse infimum, terrisque vicinum aërem* Macrob. in Somn. Scipion. libr. 1. cap. 11.

Pag. 417. litt. *a* Adde Just. Lips. Manuduct. ad Stoic. philosoph. libr. 3. Diss. 14.

Num. 12. *volunt animos nostros decerptos esse, & delibatos e Cœli, siderumque naturâ* Just. Lips. Physiolog. Stoicorum libr. 3. Dissert. 8. Vide Diss. 10 in Eurip. pag. 418. litt. *a*.

Dissertat. X. num. 1. *a sapientum animis, qui in vicinâ sideribus regione versantur, erudiri* Just. Lyps. Physiolog. Stoic. libr. 3. Dissert. 14. prope med.

Pag. 418. litt. *a*. Adde Just. Lips. Physiolog. Stoicorum libr. 3. Diss. 8.

Num. 4. *nonnulli Stoicorum eam putabant esse causam, quòd Sol, & errantes stellæ quum ad duo puncta* Macrob. in Somn. Scipion. libr. 2. cap. 10. circa med.

Pag. 418. litt. *e*. Adde Macrob. in Somn. Scip. libr. 2. cap. 10. circa med

Pag. 419. litt. *c*. Adde Just. Lips. Physiolog. Stoic. libr. 3. Dissert. 11.

Litt. *e*. Adde Just. Lips. ibid. Diss. 14.

Dissertatio XI. pag. 422. litt. *i*. Adde Paulum Manut. in Adag. *Mores hominum regioni respondent* ex Herodot. in calce ult. libr.

Pag. 423. litt. *e*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Lex, & Regio*, qui id de Cæsiis, aut Heniochis tradit.

Pag. 434. litt. *a*. Adde Petr. Fabr. Agonist. libr. 3. cap. 18. prope finem.

Litt. *g*. Adde Just. Lips. Physiol. Stoic. libr. 3. Diss. 11.

Dissertat. XII. pag. 436. litt. *i*. Adde Angel. Polit. in Miscell. cap. 20. Paul. Manut. in Adag. *Culleo dignus*.

Litt. *o*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 2. de Jove pag. 94. vers. 40. Dempst. ad Rosin. libr. 2. cap. 5. de Jove, & ejus cognominibus pag. 82. Vide Diss. 10. in Anthol. num. 17. litt. *g*.

Litt. *q*. Adde Dempst. ibid.

Dissertat. XIII. num. 2. *poësis autem, quæ altera pictura* Paul. Manut. in Adag. *Muti magistri* in fine.

Dissertatio XIV. pag. 431. litt. *i*. Adde Gyrald. de Re Nautic. cap. 7. in princip.

Numer. 5. *nam istâv Græcis magnum sonat* Pindar. Pythiorum Od. 9. vers. 70. & ibi Erasm. Schmidius.

Dissertatio XVI. num. 4. *in Lunâ habitari* Politian. in Miscell. cap. 17.

Num. 4. *Nemeæum leonem e Lunâ decidisse finxerunt* Polit. ibid.

Dissertatio XVII. num. 5. *in honorem Saturni lumina accendere, quia φῶς vocabulum tam virum significat, quàm lumen* Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 11. in fine.

Dissertatio XVIII. num. 1. *elatos deprimit, humiles extollit* Pindar. Pyth. Od. 2. vers. 94.

Pag. 443. litt. *b*. Adde Dempst. ad Rosin. libr. 1. de Pallore pag. 29. & Diss. 18. in Thucyd. num. 9.

Litt. *f*. Adde Plin. libr. 2. cap. 7. in princ. Gyrald. de Deis Gent. Syntag. 1. pag. 53. vers. 11.

Num. 8. *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt* Cleanthes apud Senec. Epist. 107.

Pag. 444. litt. *c*. Adde Paul. Man. in Adag. *Adrastia Nemesis. Rhamnusia Nemesis* circa med. Erasm. Chiliad. 2. Cent. 6. Adag. 38. Rosin. Antiquit. Rom. libr. 2. capit. 10. de Nemesi.

Litt. *d*. Adde Erasm. ibid. Rosin. ibid. Paul. Manut. ibid.

Litt. *r*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Dionysius Corinthi*, & in Adag. *Artem quævis alit terra*.

Pag. 445. litt. *a*. Vide Paul. Man. in Adag. *Adrastia Nemesis. Rhamnusia Nemesis* in fin. Erasm. Chiliad. 2. Cent. 6. Adag. 38.

Dissertatio XIX. pag. 445. litt. *b*. Adde Paul. Manutium in Adag. *A fabis abstineto* in princip.

Litt. *i*. Adde Paul. Manut. ibid. per tot.

Litt. *n*. Adde Dempster. ad Rosin. libr. 2. cap. 2. pag. 69.

Pag. 446. litt. *b*. Adde Paul. Man. in Adag. *Nihil de Vitello*.

Litt. *q*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 9. de Somno, & insomniis pagin. 305. vers. 12.

Litt. *r*. Adde Gyrald. ibid.

Pag. 448. litt. *e*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Anima sicca sapientissima*.

Dissertatio XX. pag. 450. litt. *b*. Adde Rosin. Antiquit. Rom. libr. 10. de præmiis eorum, qui strenuè rem gesserant cap. 26. Vide Dissert. 29. in Liv. num. 1.

Num. 6. *hastæ puræ* Rosin. ibid.

Pagin. 450. litt. *c*. Adde Rosin. libr. 10. de Coron. Militaribus cap. 27.

Num. 6. *obsidionales ob exercitum servatum* Rosin. ibid.

Num. 6. *murales ob conscensos hostium muros* Rosin. ibid.

Pag. 450. litt. *b*. Adde Plin. Natural. Hist. libr. 34. cap. 5. Petr. Fabr. Agon. libr. 2. cap. 10 prope finem. Vide Diss. 60. in Anthol. num. 15. & Dissert. 29. in Liv. num. 11.

Num. 7. *Pompejo Magno Mithridate, & Tigrane potentissimis Regibus debellatis* Dio libr. 37.

Num. 12. *Panænus Phidiæ frater pinxit* Plin. libr. 35. cap. 8.

Pag. 452. litt. *m*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Xenocratis testimonium*.

Litt. *n*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. pag. 17. vers. 28.

Num. 15. *Noctua* Paulus Manut. in Adag. *Noctua volat*.

Pag. 453. litt. *e*. Vide Paul. Man. in Adag. *Unicum arbustum haud alit duos Erithacos*.

Dissertatio XXI. pag. 457. litt. *a*. Adde Paul. Man. in Adag. *Ex aspectu nascitur amor*.

Num. 15. *& est immortalis* Paul. Manut. in Adag. *Amicitias immortales esse oportet*.

Pagin. 458. litt. *g*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. pag. 71. vers. 21.

Dissertatio XXII. num. 11. *Apollinis Abæi delubrum* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 7. pag. 236. vers. 43.

Dissertat. XXIV. pag. 464. litt. *d*. Adde Mercur. de Arte Gymn. libr. 3. cap. 3. circa med. Vide Diss. 9. in Anthol. num. 9.

Litt. *f*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Jovem lapidem jurare*.

Dissertat. XXVI. num. 1. *nec tam, ut Homerus affirmat, celeriter nos fletus, quàm risus capiat satias* Homer. Odyss. Δ. vers. 103.

IN LIVIUM.

DIssertatio I. pag. 2. litt. *b*. Adde Erasm. Chiliad. 1. Cent. 7. Adag. 43. Ælianus Var. Histor. libr. 6. cap. 12. Paul. Manut. in Adag. *Adamantinus* in med. ex Plutarcho in Vitâ Dionis.

Pag. 3. litt. *b*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Mi-*

Milesii quondam strenui, & in Adag. *Domi Milesia* pag. 231. Edit. Venet. Anni 1578.

Dissertatio II. pag. 6. litt. *b*. Adde Plin. libr. 33. cap. 11. & libr. 34. cap. 7.

Dissertat. III. pag. 10. litt. *e*. Adde Paul. Man. in Adag. *Porcus Trojanus*.

Litt. *q*. Adde Ælianum de Animal. libr. 8. cap. 4.

Num. 8. *Murænas flutas* Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 15.

Pagin. 11. litt. *m*. Adde Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 16. circa med. qui dicit emptum septem millibus.

Dissertat. VI. pag. 18. litt. *t*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Arena sine calce*.

Dissertatio VII. pagin. 20. litt. *e*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Archilochi Patria*.

Litt. *b*. Adde Paulum Manut. in Adag. *Vita suilla*, & in Adag. *Bœoticum ingenium*.

Dissertatio VIII. num. 4. *quibus omnino rebus prudentia omnis*, & *ars vitæ continetur* Paul. Man. in Adag *Senesco semper multa addiscens*.

Pag. 23. litt. *e*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Ἀμνησία*, seu *Malorum meminisse* pag. 686. Edit. Venet. Ann. 1578.

Litt. *f*. Adde Paul. Manut. ibid.

Dissertatio IX. num. 3. *prudentia maximè continetur* Paul. Man. in Adag. *Senesco semper multa addiscens*.

Dissertatio XI. num. 2. *Claudius Quadrigarius* Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 4. circa med. & cap. 5. circa med.

Dissertat. XII. num. 2. *Et sanè is est vetustissimus mos, & maximè usurpatus, ut Dii urbium, & populorum prædicentur auctores* Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 9.

Pagin. 33. litter. *d*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. de Topicis Deis pag. 61. vers. 25. 27.

Litt. *b*. Adde Gyrald. ibid. vers. 21. & pag. 65. vers. 38. Vide Diss. 24. in Virg. pag. 161. litt. *r*.

Litt. *i*. Adde Paul. Man. in Adag. *Alabandicum opus* Gyrald. ibid. v. 21. & pag. 65. vers. 28. Vide Dissert. 24. in Virg. pag. 161. litt. *q*.

Dissertatio XVII. pag 45. litt. *a*. Adde Paul. Man. in Adag. *Ex quercubus, ac saxis nati*.

Num. 5. *& nisi quum ipsi volunt, haudquaquam aspectabile* Gyrald. ibid. Synt. 15. de Genio pagin. 421. vers. 10.

Pag. 45. litt. *n*. Adde Just. Lips. Physiol. Stoic. libr. 1. Diss. 20. Vide Dissert. 36. in Virg. num. 6.

Num. 6. *Philo*. Philo in libro de Gigantib.

Pag. 45. litt. *t*. Adde Justum Lips. Physiol. Stoic. libr. 3. Dissert. 13.

Pag. 46. litt. *n*. Adde Just. Lips. Physiolog. Stoic. libr. 1. Dissert. 18.

Dissertatio XVIII. num. 1. *Impos autem Martis esse famulos antiquitas autumavit* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 7. pagin. 218. vers. 23.

Pag. 47. litt. *d*. Adde Gyrald. ibid. vers. 22.

Litt. *e*. Adde Gyrald. ibid. pag. 217. v. 41.

Litt. *f*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Lupinum potum*.

Litt. *g*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 7. pag. 217. vers. 37.

Num. 2. *eundem Deum λυκόκτονον* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 7. pagin. 218. vers. 16.

Pag. 48. litt. *b*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Scarabeus aquilam quærit* Ælian. de Animal. libr. 3. cap. 11. & libr. 8. cap. 25.

Litt. *u*. Adde Rosin. Antiquit. Rom. libr. 2. cap. 19. de Diis Semonibus, sive minoribus, in quorum tutelâ homo esset. vers. *Rumina*.

Pag. 49. litt. *c*. Adde Rosin. ibid.

Dissertatio XIX. num. 1. *Principia rerum agendarum a Deo optimo maximo esse ducenda* Paul. Manut. in Adag. *Deo præeunte nullus officit obex*.

Pag. 50. litt. *g*. Adde Rosin. Antiq. Rom. libr. 3. cap. 9. circa med.

Num. 5. *in templo Poliadis*, Vide Paul. Manut. in Adag. *Acesei*, *& Heliconis opera*.

Num. 6. *Heroibus foci*, *Manibus*, *& subterraneis numinibus fossæ*, *& Megara*, *idest Ædes*, *sunt attributa* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 17. pag. 456. vers. 1.

Pag. 51. litt. *b*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. de Topicis Deis pagin. 61. vers. 34.

Litt. *d*. Adde Cic. de Naturâ Deorum libr. 1. prope finem, & Diss. 77. in Anthol. pag. 200. litt. *f*.

Num. 10. *Oscines*, *qui cantu augurium faciebant* Rosin. Antiquit. Rom. libr. 3. cap. 9. circa med.

Pag 52. litt. *c*. Adde Rosin. libr. 3. de Auguriis cap. 9. circa med.

Dissertat. XXI. pag. 56. litt. *c*. Adde Dempst. ad Rosin. libr. 10. cap. 10. pag. 403.

Pag. 57. litt. *r*. Adde Paulum Manut. in Adag. *Parturient montes*, *nascetur ridiculus mus*.

Litt. *f*. Adde Petr. Fabr. Agonistic. libr. 2. cap. 10. prope finem, & Diss. 22. in Liv. num. 24. & 26.

Dissertatio XXII. pag. 61. litt. *e*. Adde Rosin. Antiq. Rom. libr. 7. cap. 48. de Accens.

Pag. 62. litt. *d*. Adde Paul. Man. in Adag. *Strumam dibapho tegere*.

Pag. 65. litt. *b*. Adde Petr. Fabr. de Re Athlet. libr. 2. cap. 10. prope finem, & Dissert. 21. in Liv. num. 11. & Diss. 22. in Liv. num. 26.

Litt. *e*. Adde Petr. Fabr. ibid. & Diss. 21. in Livium num. 11. & Dissert. 22. in Liv. num. 24.

Differtatio XXIII. pag. 66. litt. *a*. Adde Rosin. Antiquit. Rom. libr. 1. cap. 1. licèt aliquantum discrepet.
Num. 1. *Candaules Lydis imperabat* Plinius libr. 35. cap. 8.
Pag. 66. litt. *d*. Adde Rosin. Antiq. Rom. libr. 1. cap. 1.
Num. 2. *quæ caviaris hostia nuncupabatur* Gyrald. de Deis Gent. Synt. 17. pagin. 466. vers. 50. Rosin. Antiq. Rom. libr. 3. de Vet. Sacrif. cap. 33. vers. *Caviares*.
Pag. 66. litt. *p*. Adde Rosin. libr. 1. cap. 2. & 4.
Litt. *f*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Sync. 17. pag. 487. vers. 24.
Pag. 67. litt. *b*. Adde Rosin. Antiq. Rom. libr. 1. cap. 3. Gyrald. ibid. vers. 29.
Litt. *c*. Adde Gyrald. ibid. vers. 25.
Litt. *d*. Adde Gyrald. ibid. vers. 26.
Num. 8. *ubi æreum tauri simulacrum cernebatur* Plin. libr. 34. cap. 2. in fine.
Pag. 67. litt. *p*. Adde Rosin. Antiq. Rom. libr. 1. cap. 2.
Litt. *q*. Adde Rosin. libr. 1. cap. 3.
Litt. *f*. Adde Rosin. ibid.
Pag. 68. litt. *d*. Adde Rosin. ibid. cap. 2. & cap. 7. quibus locis refert Strabonem, & Tacitum aliter tradidisse.
Litt. *e*. Adde Rosin. libr. 1. cap. 8. qui aliter refert.
Litt. *f*. Adde Rosin. ibid. cap. 2.
Differtatio XXIV. pag. 68. litt. *o*. Adde Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 19. in princ.
Differtatio XXVI. num. 2. *Thericleas* Paulus Manut. in Adag. *Thericlei amicus*.
Differtat. XXVII. num. 5. *Sympuvia* Rosin. Antiquit. Rom. libr. 3. cap. 32. de Sympuvio.
Differtatio XXVIII. pag. 81. litt. *c*. Adde Petrum Fabr. Agonisticon libr. 2. cap. 10. in princ.
Litt. *m*. Adde Dempst. ad Rosin. libr. 10. cap. 29. de Triumphis pag. 420.
Litt. *n*. Adde Petr. Fabrum de Re Athlet. libr. 2. cap. 10. in fine.
Litt. *q*. Adde Dempst. ad Rosin. libr. 10. cap. 29. de triumphis pag. 420.
Litt. *f*. Adde Dempst. ibid.
Pag. 82. litt. *o*. Adde Dempst. ibid.
Litt. *u*. Adde Dempst. ibid.
Pag. 83. litt. *x*. Adde Paul. Man. in Adag. *Albæ Gallinæ filius* Erasm. Chiliad. 1. Cent. 1. Adag. 78.
Num. 13. *Amuleta quoque contra invidiam inclusa bullæ* Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 6.
Differtatio XXIX. pag. 85. litt. *b*. Adde Rosin. Antiquit. Rom. libr. 10. de Præmiis eorum, qui strenuè rem gesserant. Vide Differtat. 20. in Euripid. num. 6.
Num. 1. *hastas puras* Rosin. ibid.
Pag. 85. litt. *c*. Adde Rosin. Antiq. Rom. libr. 10. de Coron. Militar. cap. 27.
Num. 1. *Murales* Rosin. ibid.
Num. 1. *Obsidionales* Rosin. ibid.
Pag. 86. litt. *b*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Io Pæan*.
Litter. *c*. Adde Erasm. Chiliad. 2. Cent. 1. Adag. 27.
Litt. *d*. Adde Erasm. ibid.
Num. 4. *quòd hæc duo essent recuperatæ libertatis insignia* Erasm. ibidem. Gyrald. de Deis Gent Syntagm. 1. pagin. 38. vers. 15. Rosin. libr. 1. cap. 20. de Libertis, Libertinis, & Ingenuis Dempster. ad Rosin. libr. 10. cap. 29. pag. 431.
Num. 4. *Brutus, & Cassius interfecto Cæsare* Angel. Polit. in Miscell. cap. 70.
Pagin. 86. litt. *b*. Adde Dempst. ad Rosin. libr. 10. cap. 29. pag. 431.
Litt. *o*. Adde Dempst. ad Rosin. libr. 1. cap. 13. de Portâ Capenâ.
Pag. 87. litt. *l*. Adde Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 15. in fine.
Pag. 88. litt. *c*. Adde Plin. Natural. Histor. libr. 34. cap. 5. Petr. Fabr. Agonistic. libr. 2. cap. 10. prope finem Differt. 60. in Anthol. num. 15. & Diff. 20. in Eurip. num. 7.
Differtatio XXX. pag. 88. litt. *f*. Adde Rosin. Antiq. Rom. de Ann. Mensib. & Dieb. libr. 4. cap. 1. in princip.
Pag. 89. litt. *a*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 43.
Litt. *o*. Adde Rosin. Antiq. Rom. de Ann. & Mensib. & Dieb. libr. 4. capit. 1. in princip.
Num. 5. *octo annis quater intercalabatur* Gyrald. de Ann. & Mensibus pag. 50.
Pagin. 91. litt. *b*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 123. in princip.
Litt. *d*. Adde Gyrald. ibid. pag. 120. in medio, & pag. 123. in princip.
Litt. *e*. Adde Rosin. Antiq. Roman. libr. 2. Qui Dii selecti sint, & de Jano cap. 3. in princip.
Litt. *f*. Adde Macrobium Saturnal. libr. 1. cap. 15.
Litt. *h*. Adde Macrob. ibid. Gyrald. de Annis, & Mensib pag. 123. in princip.
Litt. *m*. Adde Dempst. ad Rosin. libr. 4. cap. 4. pag. 161.
Num. 11. *Nonæ studio plebis festæ agebantur* Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 13.
Pag. 91. litt. *f*. Adde Rosin. Antiquit. Roman. libr. 4. cap. 3. prope finem.
Pag. 92. litt. *a*. Adde Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 15.
Num. 14. *dies postridie Kalendas, Nonas, Idus ater* Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 16.
Pag. 93. litt. *u*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 149. in med.
Num. 19. *feriæ aliæ erant stativæ* Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 152. in princip.

Pag.

Pag. 93. litt. *b.* Adde Macrob. Saturn. libr. 1. capit. 16. Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 152. in princip.
Num. 19. *aliæ imperativæ* Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 152. in med.
Num. 21. *antea feriæ Jovis Nundinæ habebantur, & Nundinis Flaminis uxor in Regiâ Jovi arietem immolabat* Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 16.
Numer. 22. *comitiales erant* Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 16. Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 156. in med.
Pag. 94. litt. *q.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Herculanus morbus.*
Litt. *f.* Adde Paul. Manut. ibid.
Pag. 95. num. 25. litt. *a.* Adde Gyrald. de Ann. & mensib. pag. 157. in princip.
Pag. 95. litt. *b.* Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 16.
Litt. *c.* Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 157. in med.
Litt. *d.* Adde Macrobium Saturnal. libr. 1. cap. 16.
Num. 25. *patente Mundo bellum inchoare nefas arbitrabantur* Gyraldus de Ann. & Mensib. pag. 158. in princ. Rosin. Antiquit. Roman. libr. 4. cap. 3. in fine.
Pagin. 95. litt. *e.* Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 156. in princip.
Litt. *h.* Adde Macrobium Saturnal. libr. 1. cap. 16.
Litt. *i.* Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 157. in med.
Litt. *n.* Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 83. in med.
Num. 28. *canis Hecates victima* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 12. pag. 348. vers. 46. Just. Lips. Physiol. Stoic. libr. 1. Dissertat. 20.
Num. 29. *mortuis parentabatur* Paul. Man. in Adag. *Superis impari numero, Inferis pari sacrificandum.*
Num. 30. *quòd usque ad Decembrem tantùm menses numero notatos apparebat* Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 43. in med.
Pag. 96. litt. *f.* Adde Gyrald. ibid. pag. 75. in med. Just. Lips. de Vestâ, & Vestal. cap. 8. in fine.
Pag. 97. litt. *e.* Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 12.
Litt. *f.* Adde Macr. ibid. & Rosin. libr. 4. de Mense Aprili cap. 8. in princip.
Litter. *g.* Adde Macrob. ibid. & in Somn. Scip. libr. 1. cap. 21. prope finem.
Litt. *h.* Adde Macrobium Saturnal. libr. 1. cap. 12.
Litt. *i.* Adde Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 21. prope finem.
Litt. *l.* Adde Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 12. Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 78. in fine. Vide Dissert. 30. in Liv. num. 45. 46.

Litt. *o.* Adde Macrob. in Somn. Scipion. libr. 1. cap. 21. prope finem.
Litt. *f.* Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 74.
Litt. *t.* Adde Rosin. Antiquitat. Roman. libr. 4. cap. 7. de Martio, & Dieb. in eo Fest. de Liberalibus.
Pag. 98. litt. *g.* Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 75. in fine.
Num. 39. *matronæ servis convivium apparabant* Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 75. & Dissert. 30. in Liv. num. 37.
Pagin. 98. litt. *r.* Adde Rosin. Antiq. Rom. libr. 4. de Mense Aprili cap. 8. in princ.
Pag. 99. litt. *c. d.* Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 76. in med.
Num. 42. *Aprilem quasi aperilem dictum arbitrantur* Rosin. Antiq. Rom. libr. 4. de Mense Aprili cap. 8.
Pag. 99. litt. *o.* Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 77. in med.
Litt. *p.* Adde Gyrald. ibid.
Litt. *r.* Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 76. in fine.
Litt. r. Adde Paul. Manut. in Adag. *Mense Majo nubunt malæ* Gyrald. de Ann. & Mens. pag. 78. in princip.
Litt. *x.* Adde Gyrald. ibid. pag. 78. prope medium.
Litt. *y.* Add. Paul. Manut. in Adag. *Mense Majo nubunt malæ.*
Pag. 100. litt. *d.* Adde Gyrald. ibid. pag. 78. in fine.
Litt. *h.* Adde Gyrald. ibid. pag. 79. in fine.
Litt. *i.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 1. de Deis ex human. action. pagin. 43. vers. 35. & Syntagm. 7. pagin. 237. vers. 30. & de Ann. & Mensib. pag. 90. in fin.
Litt. *m.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 1. de Deis ex human. action. pagin. 43. vers. 40.
Num. 47. *solitos asinos coronari, appendique eorum collo ex panibus confectum monile* Rosin. Antiquit. Rom. libr. 4. de Mense Junio cap. 10.
Pag. 100. litt. *r.* Adde Gyraldum de Deis Gent. Syntagm. 3. pag. 122. vers. 1. & Syntagm. 17. de Celebr. & Fest. pagin. 473. vers. 49.
Pag. 101. num. 51. litt. *a.* Adde Gyrald. de Annis, & Mensib. pag. 75.
Litt. *b.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 17. pag. 474. vers. 20.
Litt. *i.* Adde Gyrald. ibid. vers. 23.
Litt. *l.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 15. pag. 424. vers. 19. & pag. 425. vers. 12. & Synt. 17. de Celebr. & Fest. pagin. 473. vers. 34.
Litt. *u.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 17. pag. 474. vers. 32.
Pag. 102. num. 53. litt. *d.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 5. pag. 158. vers. 37.

37. & pagin. 159. vers. 5. & sequent. & Syntagm. 17. de Celebr. & Fest. pagin. 473. vers. 37.

Pag. 102. num. 53. litt. *e*. Adde Rosin. Antiq. Rom. libr. 4. cap. 16. vers. *Divalia*.

Num. 54. *annumque Romuli decem dumtaxat menses habuisse, & tercentum quatuor dies* Macrob. Sat. libr. 1. cap. 12. Rosin. Antiquit. Rom. de Ann. Mensib. & Dieb. libr. 4. cap. 1. in princip.

Num. 54. *annum a Romulo institutum duodecim habuisse menses, tercentumque, & sexaginta dies* Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 42. in fine, & pag. 43. in princ. in Edit. Basileæ ann. 1541.

Num. 54. *sunt, qui Romulo non ignotam fuisse intercalandi rationem asseverent* Macr. Saturnal. libr. 1. cap. 13. in fine.

Pag. 103. litt. *e*. Adde Macrobium Saturn. libr. 1. cap. 7.

Litt. *f*. Adde Macrob. ibid. Rosin. libr. 2. Qui Dii selecti sint, & de Jano cap. 3. princip.

Litt. *g*. Adde Macrob. ibid. Gyrald. de Re Naut. cap. 8. in med. Rosin. Antiquit. Rom. d. capit. 3. in princip. & libr. 8. cap. 20. de Re Nummaria, & Fœnore.

Litt. *i*. Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 9. in princ. Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 61. in med. Paul. Manut. in Adag. *Alter Janus* Rosin. Antiquit. Rom. libr. 2. Qui Dii selecti sint, & de Jano cap. 3. in princip. Vide Dissert. 44. in Antholog. num. 1. & Diss. 30. in Liv. num. 45.

Pag. 104. litt. *e*. Vide Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 9. in princip.

Litt. *f*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 61. in med. Rosin. Atiquitat. Rom. libr. 2. Qui Dii selecti sint, & de Jano cap. 3. in princip.

Litt. *g*. Adde Gyrald. ibid.

Litt. *h*. Adde Macrob. Saturn libr. 1. cap. 9. circa med. Gyrald de Ann. & Mens. pag. 36. in fine, Rosin. Antiquitat. Roman. libr. 2. Qui Dii selecti sint, & de Jano cap. 3. in princip.

Litt. *i*. Adde Rosin. Antiquit. Rom. libr. 2. Qui Dii selecti sint, & de Jano cap. 3. in princip.

Num. 60. *nam & Apollo Suspitius* Gyrald. de de Deis Gent. Syntagm. 7. pagin. 232. vers. 15. Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 9. in princip.

Pagin. 105. litt. *b*. Adde Rosin. Antiquit. Roman. de Anno, Mensib. & Dieb. libr. 4. cap. 1. in princip.

Num. 65. *dies verò decem, quos adjecit anno, ita distribuit* Macr. Saturn. libr. 1. cap. 14.

Pag. 106. litt. *e*. Adde Rosin. Antiquitat. Roman. libr. 4. de Mense Augusto cap. 12. in princip.

Litt. *f*. Adde Rosin. ibid.

Litt. *r*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 87.

Pag. 107. litt. *e*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 88. in med.

Litt. *f*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 14. in Edit. Basileæ Ann. 1541.

Litt. *g*. Adde Rosin. Antiquitat. Roman. libr. 3. cap. 33. de Veterum sacrificiis vers. *Ambarvales hostiæ* & libr. 4. cap. 17. de Dieb. Fest. vers. *Ambarvale sacrificium*. Vide Dissert. 53. in Thucydidem num. 21

Litt. *p*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pagin. 37. prope finem, & pagin. 38. in princip.

Pagin. 108. litt. *a*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 37. prope finem, & pag. 38. in princip. Dempster. ad Rosin. libr. 4. cap. 4. pag. 161. Vide Dissert. 30. in Liv. pag. 108. litt. *i*.

Litt. *f*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 37. circ. medium, & pagin. 39. circa medium.

Litt. *h*. Adde Dempst. ad Rosinum libr. 4. cap. 4. pag. 161.

Litt. *n*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 41 in princip.

Litt. *q*. Vide Dissert. 53. in Thucydidem pag. 374. litt. *a*

Num. 76. *Phœnicis vitalitas unitæ* Gyrald. de Ann. & Mensib. pag 16. Paul. Manut. in Adag. *Phœnicis instar reviviscere*.

Pagin. 109. litt. *n*. Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 16.

Dissertatio XXXI. pag. 110. litt. *i*. Adde Just. Lipsi. de Vesta, & Vestal. cap. 5.

Num. 4. *ut matrimæ essent, & patrimæ* Just. Lipsi. ibid. cap. 6.

Num. 4. *neu minores essent, quàm sexennes, aut majores decemnibus* Just. Lipsi. ibidem cap. 5.

Num. 4. *neve parentes earum sordidam artem exercerent* Just. Lipsi. ibid. cap. 6.

Num. 4. *aut servitutem servissent* Just. Lipsi. ibid. cap. 5.

Num. 4. *queve aliquâ labe corporis insignirentur* Just. Lipsi. ibid. cap. 6.

Num. 4. *aut pater Salius, aut Quindecemvir* Just. Lipsi. ibid. cap. 6.

Pag. 111. litt. *b*. Adde Just. Lipsi. de Vesta, & Vestalibus cap. 7 in princip.

Litt. *m*. Adde Just. Lipsi. ibid. cap. 13.

Litt. *n*. Adde Just. Lipsi. ibid.

Litt. *p*. Adde Just. Lipsi. ibid. cap. 8.

Pag. 112. litt. *a*. Adde Just. Lipsi. ibidem cap. 13.

Litt. *m*. Adde Just. Lipsi. ibid. cap. 11.

Litt. *n*. Adde Just. Lipsi. ibid.

Pag. 113. litt. *c*. Adde Just. Lipsi. ibid.

Num. 11. *ut Vestæ sacerdos nullius heres esset intestati, nemo autem heres existeret intestatæ* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 4. de

de Vestâ pagin. 148. vers. 27.

Pag. 113. litt. *d.* Adde Just. Lips. de Vestâ, & Vestal. cap. 11.

Num. 11. *Jam summa in Vestalibus ad deprecandas reorum pœnam vis* Just. Lips. ibid. cap. 12. in fine.

Num. 13. *vittæ insigne pudoris, & sacerdotii* Just. Lips. ibid. cap. 12.

Pag. 113. litt. *b.* Adde Just. Lips. ibid.

Litt. *n.* Adde Just. Lips. de Vestâ, & Vestalibus cap. 5.

Litt. *o.* Adde Rosin. Antiquit. Rom. libr. 1. cap. 5.

Num. 15. *sex igitur virgines semper consequutis temporibus. æternum ignem custodiverunt* Just. Lips. de Vestâ, & Vestal. cap. 5.

Pag. 113. litt. *r.* Adde Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 6.

Pag. 114. litt. *c.* Adde Gyraldum de Deis Gent. Syntagm. 4. pagin. 148. vers. 21. Just. Lips. de Vestâ, & Vestal. cap. 6. in fine.

Litt. *d.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 4. pag. 148. vers. 23.

Litt. *f.* Adde Lips. ibid. cap. 1.

Litt. *u.* Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 23. in princip.

Pag. 115. litt. *e.* Adde Just. Lips. de Vestâ, & Vestal. cap. 1.

Num. 21. *contra verò alii ignem Vestæ nomine intelligunt* Just. Lips. de Vestâ, & Vestal. cap. 1.

Pagin. 116. litt. *b.* Adde Just. Lips. Physiol. Stoic. libr. 2. Dissertat. 18. in princip.

Litt. *p.* Adde Just. Lips. de Vestâ, & Vestal. cap. 3.

Num. 26. *quod Vesta dicatur princeps domos construxisse* Gyrald. de Deis Gent. Synt. 4. de Vestâ pag. 149. vers. 24.

Pag. 117. litt. *e.* Adde Gyrald. de Ann. & Mensib. pag. 78. in principio.

IN VIRGILIUM.

Dissertatio I. num. 3. *Virgilio se comparare, vel etiam anteferre non dubitavit* Jul. Cæsar Scaliger. in Poët. libr. 5. cap. 17.

Dissertatio II. pagin. 122. litt. *m.* Adde Macrobium in Somn. Scip. libr. 1. cap. 8.

Dissertatio III. pag. 122. litt. *q.* Adde Macr. ibidem.

Dissertat. VII. pag. 130. litt. *a.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 2. pag. 19. vers. 31. Rosin. Antiquitat. Roman. libr. 2. cap. 5. de Jove paulo post initium.

Dissertat. VIII. num. 3. *neque enim Deos ipsos fatorum leges dissolvere posse arbitrabantur* Paul. Manut. in Adag. *Necessitati ne Dii quidem resistunt.*

Dissertatio X. pag. 134. litt. *e.* Vide Dissert. 83. in Anthol. num. 14.

Numer. 7. *non posse vinci fatum crediderunt* Pind. Pyth. Od. 12. vers. 53.

Dissertat. XI. pag. 136. litt. *f.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Sementem ut feceris, ita & metes.*

Dissertat. XV. pag. 142. litt. *a* Adde Lucian. in Dialogo de Parasit. circa med. Paul. Manut. in Adag. *Abjecit hastam* Erasm. Chiliad. 2. Cent. 2. Adag. 97.

Litt. *m.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 17. pag. 460. vers. 21. Rosin. Antiquit. Rom. libr. 3. cap. 20. de Saliis Palatinis.

Dissertatio XVI. num. 4. *Vesta vel inter Penates Deos recenseretur, vel esset eorum comes* Macr. Saturn. libr. 3. cap. 4. in fin.

Pag. 144. litt. *g.* Adde Gyraldum de Deis Gent. Synt. 1. pag. 13. vers. 26. & Synt. 15. de Penatibus pag. 422. vers. 29. Vid. Rosin. Antiq. Rom. libr. 2. Qui Dii selecti sint, & de Jano cap. 3. in principio.

Dissertatio XVIII. num. 1. *perpetuum, ac solemne fuisse Veteribus nihil aggredi, nisi priùs divinum numen precibus propitiassent* Paul. Manut. in Adag. *Deo præeunte nullus officiis obex.*

Dissertat. XIX. num. 3. *Novensiles Deos, quos Romani colebant, Musas putant* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. pag. 20. vers. 29. & Syntagm. 7. de Musis pag. 253. v. 14.

Pag. 149. litt. *q.* Adde Gyraldum de Deis Gent. Syntagm. 7. de Musis pagin. 253. vers. 17. Vide Dissert. 57. in Antholog. num. 10.

Num. 6. *Mnaseas quippe quatuor esse voluit, septem Myrsilus, octo Crates existimavit* Gyrald. ibid. vers. 11.

Dissertat. XXI. pag. 153. litt. *b.* Adde Appian. Alexandr. in princip. de Bello Punico.

Dissertatio XXII. pag. 158. litt. *b.* Adde Plin. Natural. Hist. libr. 34. cap. 6. in princ.

Dissertatio XXIII. pag. 159. litt. *f.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 15. de Genio, pag. 421. vers. 4. 21. Just. Lips. Physiol. Stoic. libr. 1. Dissert. 19. Paul Manut. in Adag. *Genius malus.*

Pag. 160. litt. *a.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Patria sua cuique jucundissima.*

Pag. 161. litt. *b.* Adde Gyraldum de Deis Gent. Syntagm. 1. de Topicis Deis pag. 61. vers. 11. & Syntagm. 13. pagin. 377. vers. 8. 13.

Litt. *c.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 1. de Topic. Deis pag. 62. vers. 13.

Dissertat. XXIV. n. 1. *præcipuè verò suos conditores urbes Deorum immortalium honoribus consecrabant* Macr. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 9.

Pag. 161. litt. *q.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Alabandicum opus* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. pag. 65. verf. 28. Vide Differtat. 12. in Liv. num. 2.

Litt. *r.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 1. pag. 61. verf. 21. & pag. 65. verf. 38. Vide Diff. 12. in Liv. pag. 33. litt. *b.*

Num. 4. *locorumgenii draconis effigie exprimebantur* Dempft. ad Rofin. libr. 2. cap. 14. de Genio, ejus cultu, facrificiis, ftatuâ pag. 123.

Num. 5. *Indigenæ Dei vocabantur* Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 9. prope fin.

Num. 6. *Angeronam filentii Deam* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. pag. 49. verf. 28. & pag. 57. verf. 1. Rofin. Antiquitat. Rom. libr. 2. de Diis Semonibus, five minorib. in quorum tutelâ homo effet cap. 19. de Angeronâ.

Differtatio XXV. pag. 163. litt. *d.* Adde Pindarum Pythior. Od. 12. verf. 39. qui Minervam eodem modo appellat.

Num. 1. *fine operâ viri Martem* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 10. pag. 306. verf. 52. Vide Diff. 15. in Anthol. num. 24.

Num. 1. *& Vulcanum genuiffe* Angel. Polit. in Mifcell. cap. 89. prope med.

Pag. 164. litt. *a.* Adde Gyraldum de Deis Gent. Synt. 3. pag. 122. verf. 29.

Litt. *b.* Adde Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 9. in fine Gyrald. ibid. verf. 27.

Num. 6. *Dea Materæ colebantur* Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 1. pag. 21. v. 8.

Differtatio XXVI. num. 3. *Jovem inducit volucrem currum agitantem* Plato in Phædro, Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 24. circa princip.

Pag. 166. litt. *d.* Adde Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 21. circa med.

Differtatio XXVIII. pagin. 169. litt. *c.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Velocem tardus affequitur* & in Adag. *Vulcanium vinculum*. Vide Differt. 57. in Anthol. pagin. 143. litt. *d.* Differt. 58. in Anthol. pag. 146. litt. *f.* & Differt. 32. in Virgil. pag. 175. litt. *p.*

Differtatio XXX. pag. 172. litt. *g.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Saturniæ Lemæ* in fine.

Litt. *n.* Adde Manut. in Adag. *Dionyfius Corinthi*.

Differtat. XXXI. pag. 173. litt. *b.* Adde Diff. 18. in Thucydidem pag. 272. litt. *q.*

Pag. 174. litt. *a.* Adde Gyraldum de Deis Gent. Syntagm. 10. pagin. 320. verf. 49. & Syntagm. 17. pag. 521. verf. 44. Paul. Manut. in Adag. *Lindii facrum*.

Litt. *b.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Phallus Deo* Diff. 48. in Anthol. num. 8 & Differtat. 75. in Anthol. num. 2. & Diff. 32. in Virg. num. 4.

Differtatio XXXII. pagin. 175. litt. *p.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Vulcanium vinculum* Vide Differt. 57. in Antholog. pag. 143. litt. *d.* Differt. 58. in Anthol. pag. 146. litt. *f.* & Diff. 28. in Virg. pag. 169. litt. *c.*

Litt. *u.* Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 8. de Baccho pag. 262. v. 16. Vide Diff. 44. in Anthol. num. 7.

Num. 4. *ut in Bacchi facris phalli circumferrentur* Paul. Manutius in Adag. *Phallus Deo*, & Diff. 48. in Anthol. num. 8. Diff. 75. in Anthol. num. 2. & Differt. 31. in Virg. num. 4.

Pag. 175. litt. *x.* Adde Gyraldum de Deis Gent. Syntagm. 4 pag. 136. verf. 26.

Differtatio XXXIII. num. 6. *Panici terrores vocarentur* Paul. Manut. in Adag. *Panicus cafus*.

Differtat. XXXV. pag. 180. litt. *b.* Adde Juft. Lipf. Phyfiol. Stoicor. libr. 1. Differt. 19. Paul. Manut. in Adag. *Genius malus*.

Num. 3. *bis effe commiffam urbium, regnorumque tutelam* Paul. Manutius, & Juft. Lipf. ibid.

Num. 3. *quin etiam eorum quofdam pravæ effe naturæ* Juft. Lipfius, & Paul. Manut. ibidem

Num. 4. *quas Ἀποφράδας Græci vocant* Gyrald. de Ann. & Menfib. pag. 154. in fin.

Pag. 180. litt. *m.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Proteo mutabilior*.

Differt. XXXVI. pag. 181. litt *b.* Adde Paul. Manutium in Adag. *Genius malus* Juft. Lipf. Phyfiol. Stoic. libr. 1. Diff. 19.

Pag. 182. litt. *n.* Adde Juft. Lipf. Phyfiolog. Stoic. libr. 1. Diff. 20. Vide Diff. 17. in Liv. num. 5.

Differtatio XXXVII. num. 1. *Hiftorici ab initiis rerum, quas exponendas fufceperunt, exordiuntur, poëtas cenfet oportere initiis prætermiffis a medio narrationem inchoare* Macrob. Saturnal. libr. 5. cap. 2. circa medium.

Num. 4. *a medio incipit* Macrob. ibid.

Differtat. XXXIX. num. 8. *Nauplius Palamedis pater* Paulus Manut. in Adag. *Quafi Nauplius Capbareo rediens*.

Differtatio XXXX. num. 2. *ita Argis Junonis facerdotum nominibus anni notarentur* Petrus Faber Agoniftic. libr. 3. cap. 23. prope finem.

Differtatio XXXXI. pagin. 191. litt. *e.* Adde Rofin. Antiquit. Rom. libr 3. capit. 32. de Aecrrâ, & libr. 5. cap. 39. de Funer. & Sepulcr.

Pag. 193. litt. *f.* Adde Gyraldum de Deis Gent. Synt. 7. pag. 237. verf 40. Dempfter. ad Rofin. libr. 2. cap. 7. de Apollin. cognomin & Oracul. pag. 86. Vide Diff. 22. in Anthol. num. 5. & Diff. 40. in Thucydidem num. 3.

Differtat. XLII. num. 6. *hoftias animales nuncupabant* Gyrald. de Deis Gent. Synt. 17.

17. pag. 491. verſ. 3. Roſin. Antiquitat. Roman. libr. 3. capit. 33. verſ. *Injuges boſtiæ*.

Pag. 195. litt. *a*. Adde Roſin. Antiq. Rom. de Vet. Sacriſ. libr. 3. cap. 33. de Eximiis hoſtiis.

Litt. *c*. Adde Roſin. ibid. verſ. *Injuges*.

Litt. *e*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 17. pag 467. verſ 4. Roſin. Antiq. Rom. libr. 3. cap 33. de Vet. Sacrif. verſ. *Bidentes*.

Diſſertatio XLIII. pag. 196. litt. *y*. Adde Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 5. circa fin.

Diſſertat. XLIV. n. 2. *omnes favere linguis jubebantur* Plinius Natural. Hiſt. libr. 28. cap. 2. in princip.

Num 4. *ſilentium bis verbis imperari videtur, &c, ut bonis verbis utatur populus, admoneri* Paul. Manut. in Adag. *Oſtium obdite profani*.

Pag. 198. litt. *r*. Adde Angel. Polit. in Miſcell. cap 26

Diſſertatio XLV. pag. 200. litt. *b*. Adde Roſin. Antiquit. Rom. libr. 3. cap. 32. de Seceſpitâ.

IN CICERONEM.

DIſſertatio I. pag. 204. litt. *o*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Sexagenarios de ponte dejicere*.

Pag. 205. litt *a*. Adde Paul. Manut ibid.

Num. 7. *traditum eſt antiquitus a Romanis ſexagenarios e ponte dejici ſolitos in Tiberim* Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 5.

Diſſertat. II. n. 1. *Conticuit latia triſtis facundia linguæ* Corneel. Sever. apud Senec. Rhet. ſuaſor 6.

Diſſertatio V. pag 212. litt. *a*. Adde Gyrald. de Deis Gentium Syntagm. 1 pag. 24 verſ. 25. Paul. Manut. in Adag. *Celmis in ferro*.

Num. 4 *& aſtronomiam, & geometriam, & arithmeticen ſapientes Ægyptiorum tradunt excogitaſſe* Herodot. in Euterp. ſive lib. 2. cap. 109. Servius ad Eclogam tertiam Virgil. Strab. libr. 16. de Syriâ, & libr. 17 de Ægypto, & Diod. Sicul. Biblioth Hiſt. libr. 1.

Num. 6. *& Empedocles, & Democritus auxiſſe dicuntur* Cornelius Celſ. libr. 1. de Medic. in præfat.

Diſſertatio VI. pag. 214. litt. *e*. Adde Paulum Manut. in Adag. *Stellis ſignare, obelo notare* pag. 310. in Edition. Venet. Ann. 1578.

Litt. *i*. Adde Paulum Manut. in Adag. *Sus Minervam*.

Litt. *m*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Chalcenterus* Eraſm. Chiliad. 1. Cent. 7. Adag. 43.

Diſſertatio VIII. pag. 217. litt. *g*. Adde Gyraldum de Ann. & Menſib. pagin. 8. in princip.

Num. 6. *Virgilius in quadam ad Auguſtum epiſtolâ teſtatur* Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 24 circa med.

Diſſertatio IX. pag. 218. litt. *e*. Adde Paulum Manut. in Adag *Neſtorea eloquentia*.

Litt. *f*. Adde Paul. Manut. in Adag. *In Paguro ſapientia*.

Diſſertatio X. pag. 222. litt. *c*. Adde Plinium Natural Hiſt. libr. 7 cap. 29.

Litt. *o* Adde Valer. Maxim. libr. 8. cap. 9.

Diſſertatio XII. num. 3. *hoc ſuadente Roſcio legis theatralis auctori ignoverunt* Plin. Natural. Hiſt. libr 7 cap. 30. in fine.

Num. 3. *Antonium libertatem populo Romano redditam labefactantem proſcripſit* Plin. ibidem.

Diſſertatio XIII. pag. 227. litt. *c*. Adde Diſſ. 3. in Liv pag. 11 litt. *r*.

Litt. *e*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Synt. 1. pag. 72. verſ. 25.

Diſſertat. XIV. num. 9. *interpretationem ſomniorum Telmiſſenſes* Dempſt. ad Roſin. libr. 2. cap. 2. pagin. 69. Vide Diſſ. 19. in Euripid. num. 4.

Diſſertatio XV, num. 6. *Deſlendus Cicero eſt, latiæque ſilentia linguæ* Sextil. Hena apud Senec. Rhet. ſuaſ. 6

Diſſertat. XVI. n. 1. *Cenſuram verò anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo* Plinius Nat. Hiſt. libr. 17. cap. 1. in princip.

Pag 232. litt. *e*. Adde Ælian. de Animal. libr. 8. cap. 4.

Diſſertatio XVII pag. 234. litt. *m*. Adde Valer. Maxim libr. 8 cap. 9.

Diſſertatio XVIII. pag 235. litt. *e*. Adde Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 5. pagin. 158. verſ. 36. & pag 159. verſ. 18.

Diſſertatio XIX. pag. 237. litt. *i*. Adde Angel Polit. in Miſcell. cap. 15. in med.

Diſſertatio XX. pagin. 239. litt *a*. Adde Mercurial. de Arte Gymnaſt. libr. 3. cap. 9. prope med.

Pag. 241. num. 8. litt. *a*. Adde Petr. Fabr. de Re Athler. libr. 2. cap 7. circa med. & cap. 34. prope med. Diſſ. 10. in Anthol num. 6.

Num. 11. *Euripis vino plenis navales circenſes exhibuit* Mercur. de Arte Gymnaſt. libr. 3. cap. 13. circa med.

Num. 13. *deſultorii* Petr. Faber de Re Athler libr. 1. cap. 26. in Not. Marginal. pag. 91. in Edit. Lugd. Ann. 1592.

Pag 241. litt. *z*. Adde Paul. Manut. in Adag. *Mappam mittere*.

Num. 14. *ſicut in Græciâ duodecies* Pindar. Olymp. Od. 2. verſ. 92. Od. 3. verſ. 59.

59. Od. 6. verſ. 126. & Pythior. Od. 5. verſ. 44.

Num. 14. *ſcamma tranſilivi* Paul. Manut. in Adag. *Septa tranſilire* Pag. 614. in Edit. Venet. Ann. 1578. Petr. Faber de Re Athlet. libr. 2. cap. 1. circa med. Mercurial. de Arte Gymnaſtic. libr. 2. cap. 11. in fine.

Diſſertatio XXI. pag. 243. litt. *f.* Adde Mercurial. de Arte Gymnaſt. libr. 1. cap. 9.

Litt. *g.* Adde Mercurial. ibid. cap. 9. in fin. & cap. 15. in med.

Diſſertatio XXII pag. 244. litt. *a* Adde Mercurial. de Arte Gymnaſt. libr. 1. cap. 6. ex Vitruv. libr. 5. cap. 11.

Num. 2. *Cryptoporticus nuncupantur* Mercurial. de Arte Gymnaſtic. libr. 5. cap. 12. prope med.

Pag. 245 litt. *g.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Scarabeus aquilam quærit.*

Litt. *b.* Adde Paul. Manut. ibid. qui mulierem fuiſſe Æfolam tradit.

Diſſertatio XXIV. num 3. *Socrates ſicyonios calceos damnavit* Paul. Manut. in Adag. *Calcei ſicyonii.*

Pag. 248. litt. *f.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Acceſſorium operis loco.*

Num. 8. *octophori incidit mentio, quo nomine lectica dicitur, quam octo ſervi ferebant* Hieron. Mercurial. de Arte Gymnaſt, libr. 3. cap. 11.

Diſſertatio XXV. pag. 249. litt. *n.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Athenienſem Athenis laudare haud difficile.*

Diſſertatio XXVII. pagin. 253. litt. *a* Adde Paul. Manut. in Adag. *Sus Minervam.*

Diſſertatio XXVIII. pagin. 254. litt. *g.* Adde Diogen. Laert. libr. 2. Segment. 38. in Vita Socrat. Themiſt. in Orat. Suid. in Voce Πολυκράτης, & Ælian. Var. Hiſt. libr. 11. cap. 10.

Pag. 255. litt. *g.* Adde Cic. de Orat. libr. 3.

Diſſertatio XXIX. num. 11. *videtur eadem eſſe hyperbole* Paulus Manut. in Adag. *Columnas rumpere.*

Pag. 259. litt. *e.* Adde Gyrald. de Ann. & Menſib. pag. 121.

Diſſertatio XXX. num. 2. *concavis petris partum edidiſſe* Paul. Manut. in Adag. *Ex quercubus, ac ſaxis nati.*

Diſſertatio XXXI. pag 262. litt. *b.* Adde Paulum Manut. in Adag. *Mali corvi malum ovum.*

Litt *b.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Mellis medulla.*

Diſſertatio XXXIII. pagin. 265. litt. *f.* Adde Paul. Manut. In Adag. *Xenocratis teſtimonium.*

Litt. *g.* Adde Paul Manut. ibid.

Diſſertatio XXXV. pagin. 269. litt. *d.* Adde Paul. Manutium in Adag. *In Paguro ſapientia.*

Diſſertatio XXXVI. pagin. 271. litt. *g.* Adde Ælian. Var. Hiſt libr. 13. cap. 42.

Pag. 272. litt. *c.* Adde Roſin. Antiquitat. Roman. libr. 3. de Augurib. cap. 8. in princip.

Diſſert. XXXVII. pag. 274. litt. *q.* Adde Cic. in Caton. Major. ſive de Seneƈt.

Num. 7. *quàm enim liquida vox luſciniis* Plinius Nat. Hiſtor. libr. 10. cap. 29. circa medium.

Diſſertatio XXXVIII. pag. 277 litt. *q.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Ne guſtaris, quibus nigra eſt cauda.*

Diſſertatio XXXIX. pagin. 278. litt. *b.* Adde Paul. Manut in Adag. *Scarabeus aquilam quærit* pagin. 1325. Edit. Venet. Ann. 1578.

Num. 7. *quia ſunt muti* Paul. Manut. in Adag. *Magis mutus, quàm piſces*

Diſſertatio XL. num. 3. *aliquid præteriret, aut perperam diceret, aderat aliquis, qui verba de ſcripto recitaret* Plin. Natural. Hiſt. libr. 28. cap. 2. in princip.

Num. 3. ὅρκον ἔκλεπτον. *Juramentum ἔκλεπτον aliter explicat* Paul. Manut. in Adag. *Adactum juſjurandum.*

Pag 281 litt. *a.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Ex jure manu conſertum.*

Diſſertatio XLI. pag. 283. litt *e.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Neſtorea eloquentia.*

Diſſertatio XLIII. pagin. 286. litt. *q.* Adde Petr. Fabr. Agoniſtic. libr. 1. capit. 30. circa med.

Diſſertat. XLIV. pag. 288. litt. *l.* Adde Paul. Manut. in Adag. Ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω pag. 1202. in Edit. Venet. Ann. 1578. Eraſm. Chiliad. 3 Cent. 3. Adag. 60.

Diſſertatio LIII. num. 6. *docere poſſit artem* Pindar. Olymp. Od. 8. verſ. 67. Paul. Manut. in Adag. *Doceat, qui didicit.*

Diſſertatio LVII. num. 7. *Dogmatici, Academici, Sceptici* Juſtus Lipſius Manud. ad ſtoic. philoſoph. libr. 2. Diſſert. 3.

Diſſertatio LVIII. pag. 315. litt *f* Adde Gyraldum de Deis Gent. Synt. 10. de Hercule pag. 317. verſ. 51. & pag. 318. verſ. 5. Eraſm. Chiliad 3. Cent. 1. Adag 70.

Litt. *g.* Adde Gyrald. ibid. pag. 318. verſ. 6. Eraſm. ibid.

Litt. *b.* Adde Eraſm. ibid.

Litt. *i.* Adde Eraſm. ibid. Vide Diſſert. 17. in Thucyd. num. 2.

Diſsertatio LXIII. num. 2. *piſtrinum fuiſſe locum, ubi frumentum molebatur* Roſinus Antiquitat. Roman. libr. 1. cap. 14. de Piſtrinis.

Num. 2. *ſciendum eſt autem ad piſtrinum damnari ſervos, qui aliquid deliquerant, conſuevijſe* Roſin. ibid.

Diſsertatio LXV. pag. 327. litt. *l.* Adde Juſt. Lipſ. Manud. ad ſtoic. philoſoph. libr. 3. Diſs. 14.

Diſ-

Dissertatio LXVI. pag. 328. num. 4. litt. *a.* Adde Dempst. ad Rosin. libr. 5. cap. 30. de Poculis pag. 254.

Pagin. 328. num. 4. litt. *b.* Adde Hieron. Mercurial. de Arte Gymnastic. libr. 6. cap. 11.

Pag. 329. litt. *a.* Adde Mercurial. de Arte Gymnast. libr. 4. cap. 2. circa med.

Dissertat. LXVII. pag. 329. litt *d.* Adde Just. Lips. Physiol. Stoic. libr. 3. Diss. 5. Vide Diss. 6. in Euripid. num. 10.

Dissertatio LXXI. pag. 338. litt. *e.* Adde Macrob. Saturn. libr. 7. cap. 15. in princ.

Dissertatio LXXIII. pagin. 341. litt. *g.* Adde Dempst. ad Rosin. libr. 10. cap. 29. pag. 432. in fine.

Dissertatio LXXV. pagin. 344. litt. *g.* Adde Valer. Maxim. libr. 5. cap. 2. in Extern. num. 3.

Dissertatio LXXVIII. pag. 349. litt. *f.* Adde Just. Lips. Manud. ad stoic. philosoph. libr. 2. Differt. 8. in fine.

Pag. 350. litt. *e.* Adde Lucian. in Dialog. de Parasit. circa med.

Dissertatio LXXIX. pag. 352. litt. *c.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Mali corvi malum ovum.*

Litt. *i.* Adde Quintilian. Instit. Orator. libr. 11. cap. 1. Valerium Maxim. libr. 4. cap. 2.

Dissertatio LXXX. pagin. 353. litt. *b.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Alter Hercules.*

Dissertat. LXXXI. pag. 355. litt. *g.* Adde Philon. Jud. in libr. Qui rerum divinarum heres, & in libr. de Decalogo, & in libr. de Legatione ad Cajum, Joseph. Antiq. Judaic. libr. 17. cap. 8. & de Bello Jud. libr. 1. & 2. Maimonid. de Idololatr. Justin. Martyr. in Dialog. cum Triphone, Clement. Alexandr. Stromaton libr. 5. & Tertullian. libr. de Idololatr. cap. 4.

Dissertatio LXXXIII. pag. 361. litt. *d.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.*

Dissertatio LXXXIV. num. 5. *an immortales illæ naturæ cum feminis mortalibus possint commisceri, & Liberos procreare* Just. Lips. Physiol. Stoic. libr. 1. Differt. 20. circa med. Vide Differt. 17. in Liv. pagin. 45. litt. *n.* & Differt. 36. in Virg. pag. 182. litt. *n.*

Pag. 363. litt. *g.* Adde Angel. Polit. in Miscell. cap. 20. Paul. Man. in Adag. *Culleo dignus.*

Dissertatio LXXXVII. pag. 368. litt. *b.* Adde Mercurial. de Arte Gymn. libr. 3. cap. 7. pag. 158. in princip.

Num. 5. *quam eo familiarissimè uteretur* Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 14.

Num. 5. *hanc Simonides primus dicitur ostendisse* Petr. Fab. de Re Athletic. libr. 2. cap. 15. prope finem.

Pag. 369. litt. *b.* Adde Petr. Fabr. ibid. libr. 2. cap. 19. in princip.

Dissertat. LXXXVIII. pag. 370. Adde Rosin. Antiquit. Roman. libr. 7. cap. 8. de Candidatis.

Dissertatio LXXXIX. num. 2. *velut vulnerum* Rosin. Antiq. Rom. libr. 7. c. 8. de Candidatis.

Pag. 372. litt. *m.* Adde Rosin. ibid.

Dissertatio XCII. n. 1. *quid enim præclarum, excellens, eximium sine amore effici potest?* Pind. Pyth. Od. 4. vers. 327.

Pag. 379. litt. *a.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Problema Archimedeum.*

Litt. *b.* Adde Paul. Manut. in Adag. *Chalcenterus* & in Adag. *Adamantinus* Erasm. Chiliad. 1. Cent. 7. Adag. 43.

TOMUS TERTIUS.

Pag. 1. litt. E. *Hermodoro Ephesio ob leges duodecim Tabularum latinâ linguâ donatas* Plin. Natural. Histor. libr. 34. cap. 5.

Pag. 11. litt. I. *dixit majus esse ingenii, & linguæ Romanæ terminos, quàm Imperii fines protulisse* Plin. Natural Histor. libr. 7. cap 30. in fine.

Pag. 17. litt. K. *Zaleucos* Paol. Manut. in Adag. *Zaleuci lex.*

Pag. 28. litt. H. *sed tenuiore suspensa filo est, quàm ensis ille Syracusanus* Paul. Manut. in Adag. *De filo pendet.*

Pag. 41. litt. K. Paul. Manut. in Adag. *Calcar addere currenti.*

Pag. 45. litt. K *mitto Zaleucum* Paul. Manut. in Adag. *Zaleuci lex.*

Pag. 49. litt. M. *partem ortus vestri Patria* Paul. Manut. in Adag. *Nemo sibi nascitur.*

Pag. 75. litt. C. *sapientibus autem Orbis terrarum universus Patria esse videatur* Paul. Manut. in Adag. *Quævis terra Patria.*

Litt. F. *non unius civitatis civem, sed Mundi se esse prædicabat* Paul. Manut. ibid.

Pag. 83. litt. C. *statua Ennii Scipionum imposita monumento* Plin. Natural. Histor. libr. 7. cap. 30. in med.

Pag. 85. litt. D. *quum intellexisset Apellem puellam, quam ipse diligebat, deperire, suos amores egregio Pictori dono dedit* Plin. Natural. Hist. libr. 35. cap. 10.

Pag. 88. litt. C. *Hyperbolus nequam* Paul. Manut. in Adag. *Ultra Hyperbolum.*

Pag. 94. litt. D. *ortus nostri partem sibi vindicet Patria* Paul. Manut. in Adag. *Nemo sibi nascitur.*

Pag. 116. litt. E. *videns nihil videt* Paulus Manut. in Adag. *Audiens non audit.*

Pag. 123. litt. I. *ut Ægyptius canis currens e Nilo* Ma-

lo Macrob. Saturn. libr. 2. cap. 2. in medio. Paul. Manut. in Adag. *Canis e Nilo.*

Pag. 127. litt. C. *principium cujusque rei esse dimidium* Paul. Manut. in Adag. *Principium dimidium totius.*

Pag. 143. litt. A. *verissimeque Sallustius dixit* Sallustius In Catilin. in princip. Paul. Manut in Adag. *Antequam incipias consulto*, & in Adag. *Festina lentè.*

Pag. 152. litt. C. *siquid teneris ingerimus tibi, mensum damus* Paul. Manut. in Adag. *præmansum in os inserere* pag. 1675. in Edit. Venet Ann. 1578.

Litt. G. *Sybaritas accepimus ita equos instituisse* Angel. Politian. in Miscell. cap. 15. in fine Paul. Manut. In Adag. *Sybaritica mensa.*

Litt. I. *Jam luscinias audire magistras aves* Plin. Natural. Histor. libr. 10. cap. 29. circa med.

& turdos, & sturnos Plin. ibid. cap. 42. in fine.

Pag. 154. litt. G. *Apollodorus Atheniensis primus penicillo gloriam contulisse diceretur* Plin. Natural. Histor. libr. 35. cap. 9.

Litt. I. *in Byzacio Africæ campo cum centesimo quinquagesimo* Plin. Natural. Histor. libr. 17. cap. 5. in fin. & libr. 18. cap. 10.

Pag. 155. litt. E. Paul. Manut. in Adag. *Canis e Nilo* Macrob. Saturn. libr. 2. cap. 2. in medio.

Pag. 170. litt. G. *pugilicè, & athleticè valere* Paul. Manut. in Adag. *Valere pancraticè.*

Litt. H. *cane pejus, & angue* Paul. Manut. in Adag. *Odit cane pejus, & angue.*

Pag. 174. litt F. H *pugilicè, & athleticè valere* Paul. Manut. in Adag. *Valere pancraticè.*

Pag. 176. litt. H. *Achillis basta quem vulnerarat, insanabili malo liberavit* Plin. Natur. Histor. libr. 25. cap. 5. paulo post princ.

Pag. 179. litt. K. *Stoici, quum plura nobis accidi- rent contra naturam, quàm secundùm naturam, vitam eodem modo profundendam putabant* Just. Lips. Manuduct. ad stoic. philosoph. libr. 3. Differt. 22.

Pag. 180. litt. A. *licèt autem Plato divinitus asseveraffet neque militi in acie suum locum deserendum, neque nobis vitæ stationem, in qua summus Imperator nos collocavit, nisi eo jubente relinquendam* Just. Lips. ibid. Diss. 23.

Pag. 185. litt. D. *cane pejus, & angue* Paul. Manut. in Adag. *Odit cane pejus, & angue.*

Litt. K. *Anaxagora prædicente saxum ingens e Cælo dicitur decidisse* Plin. Natural. Hist. libr. 2. cap. 58.

Pag. 225. litt. D. *quasi solstitialis herba* Paulus Manut. in Adag. *Ut herba solstitialis.*

Pag. 228. litt. A. *equus in planitiem* Paul. Manut. in Adag. *Equum in planitiem.*





E R-

ERRATA SIC EMENDATO.

TOMUS PRIMUS.

	PAGIN.	COL.	VERS.	ERR.	CORR.
	7.	1.	16.	vitam	vita
	15.	2.	11.	Philippus	Alexander
	17.	2.	28.	venitur	invenitur
In Alleg. litt. *l.*	32.	1.		Jamblicuis	Jamblichus
	44.	2.	24.	puellam	puella
In Alleg. litt. *b.*	47.	1.		Macrob. Saturn.	Macr. in Somn. Scip.
	49.	1.	ult.	Ε'ψέυσω	Ε'ψεύσω
	49.	2.	11.	montes	monte
	105.	2.	8.	gine	igne
	149.	2.	29.	Ο"γυνομα	Ο"υνομα
	177.	1.	37.	*καὶ ὅτι*	χ'ὤτι
In Alleg. litt. *x.*	236.	2.		cap. 3.	cap. 4.
In Alleg. litt. *e.*	236.	2.		cap. 3.	cap. 4.
	269.	1.	35.	*non*	*nunc*
	401.	1.	14.	epigramma	epigrammata
	401.	1.	16.	epigrammata	epigramma
	401.	2.	4.	imitabantur	imitabatur

TOMUS SECUNDUS.

	PAGIN.	COL.	VERS.	ERR.	CORR.
	34.	1.	17.	vigefimo	trigefimo
	98.	1.	35.	magiftratis	magiftris
In Alleg litt. *n.*	101.	2.		cap. 12.	cap. 11.
	242.	1.	21.	fcamna	fcamma
In Alleg. litt. *b.*	291.	1.		libr. 36.	libr. 35.
In Alleg. litt. *l.*	299.	1.		Fragmentis	Satyrico

TOMUS TERTIUS.

PAGIN.	COL.	VERS.	ERR.	CORR.
39.	1.	27.	Solis	Lunæ
230.	1.	*virum*	ubi	uti
266.	2.	51.	50. M.	49. M.
272.	1.	63.	193.	93.
290.	1.	*Nafcimur*	50. M.	49. M.
292.	2.	7.	50. M.	49. M.
292.	2.	20.	50. M.	49. M.
296.	1.	40.	146. E.	146. C.

INDEX.

PAGIN.	COL.	VERS.	ERR.	CORR.
35.	2.	64.	Diff. 8.	Difs. 18.
197.	2.	9.	Diff. 78.	Difs. 7.
204.	2.	24.	Difs. 66.	Difs. 6.
218.	2.	40.	Liv.	Virgil.
299.	2.	23.	n. 3.	num. 2.
289.	2.	39.	n. 6.	num. 9.
404.	2.	54.	fcamna	fcamma
421.	1.	50.	n. 1.	num. 5.
427.	1.	9.	n. 4.	num. 3.
441.	2.	7.	Diff. 10.	Differtat. 11.
441.	2.	11.	n. 2.	num. 1.

R E G E S T R U M

TOMUS PRIMUS.

* ** § §§ §§§ §§§§ §§§§§ §§§§§§ §§§§§§§ §§§§§§§§ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn. *Omnes sunt duerniones, præter* ** §§§§§§§§ *&* Nnn *qui sunt terniones.*

TOMUS SECUNDUS.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd Eee. *Omnes sunt duerniones.*

TOMUS TERTIUS.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq. *Omnes sunt duerniones*

I N D E X.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ss tt vv xx yy zz aaa bbb ccc ddd eee fff ggg hhh iii kkk lll mmm nnn ooo ppp qqq. *Omnes sunt duerniones.*

